



SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARIENSIS DOCTOR.

Editio nova

*Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris
in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas*

Tomus decimus.

De Baptismo: De Pœnitentia: De Extrema Unctione.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1902.

THE INSTITUTE OF MEDICAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 6, CANADA,

SEP 22 1931

100

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS INSTITUTIS ET ORDINATIS
IN REMEDIUM PECCATI.

UT servatam hactenus, in explicandis prioribus Sententiarum Libris, agendi et tractandi rationem, hoc in postremo delineando constanter teneamus ac servemus, placet illius elucidationem auspicari ab eorum Sacramentorum explicatione, quæ maxime conducunt ad expianda peccata. Quamquam enim omnia novæ Legis Sacramenta (ut cum Seraphico Doctore præmonuimus in hujus operis Præfatione) ordinata sint ac divinitus instituta in curam et medelam variarum infirmitatum, quibus in hoc miseriæ statu jactatur et premitur humana mortalitas; nihilominus tria sunt, nempe Baptismus, Pœnitentia, et Extrema-Untio, quorum potissima virtus et efficacia in peccati emaculationem exeritur; Baptismate namque diluuntur crimina intrantium in Ecclesiam, Pœnitentia vero in Ecclesia manentium, Extrema autem Untione ab Ecclesia militante in triumphantem migrantium. Baptismo, inquam, eluuntur omnia in Ecclesiam intrantium peccata; hæc enim est virtus Christi et Domini (inquit S. Maximus Homil. 1. De Eleemosyna) ut quamvis peccator, qui ejus unda se laverit, denuo in virginem reparatus, non meminerit ante quod fecerit, et juventutis scelera non cognoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati. Quam utique mirandam efficaciam sic egregie commendat Eusebius Emissemus, Homil. 7. de Paschate: Ecce (inquit) quidquid iniquitatum sempiternus gehennæ ignis excoquere et expiare vix possit, subjecto sacro fonte submersum est, et de æternis debitis brevissimo lavacri compendio cum indulgentissimo Creditore transactum est. Nec certe minor prærogativa Pœnitentiæ; hæc enim (inquit Tertullianus lib. De Pœnit. cap. 9.) de periculi timore Dominum honorat, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Unde lib. 2. adversus Marcionem, cap. 1. inducens Adamum et Evam lugentes et pœnitentes, appellat eos restitutionis candidatos, nempe per pœnitentiam pie præsumebant in seipsis quasi resculpere justitiam originalem, et felicem Innocentiæ statum sibi quasi restituere. Nec mirum: nam ait Petrus Damianus, Serm. 56. Consuevit Deus honorare pœnitentes magis quam innocentes... Respectum Christi sequitur fletus Petri, et lacrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat. Idem de Untionis Extremæ miranda efficacitate constabit ex dicendis. — Nemi-
nini igitur mirum videri debet, quod a frequentata apud Theologos tractandi methodo tantillum in hoc opere recedamus, altero quam illi ordine Sacramentorum delineationem auspicantes: hoc enim non solum exigit nostra tractandi ratio, sed etiam postulare videtur divina ipsa

Sacramentorum œconomia, quorum cum primarius effectus sit ipsa restituenda homini sanitas et integritas, ab eis potissimum disputationem ordiri juvat, quæ ad sananda hominibus per peccatum inflicta vulnera ordinantur.

Hic igitur Tractatus tres in Disputationes distribuetur: quarum prima Baptismi institutionem, naturam, Ministrum, et effectum aperiet: secunda Penitentiam ut virtutem et Sacramentum explicabit: tertia tandem vim et efficaciam Extremæ-Uncionis declarabit.

DISPUTATIO PRIMA.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

TANTA est, tamque stupenda, hujus divini Sacramenti virtus et præstantia, ut merito jure illud omnium Dei beneficiorum præclarissimum ac præstantissimum dixerit S. Gregorius Nazianzenus: *Baptismus* (inquit Orationē in sanctum Baptisma) *est omnium Dei beneficiorum præclarissimum et præstantissimum: huic gratulantur cæli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant, hic futuræ beatitudinis imaginem gerit: hunc prædicare quidem et laudibus ornare gestimus, verum pro rei dignitate non possumus.* Quis enim dignis laudibus celebrare posset *felix aquæ Sacramentum*, inquit Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. 1. *quo ablutis delictis pristinæ cæcitatæ in vitam æternam liberamur?* Unde cap. 5. Sacramentum istud assimilans piscinæ Bethsaidæ, ait: « *Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma qua semper carnalia in figura spiritualium* » antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis « et Angelo accessit; qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum » medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant; qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos » conservant, deleta morte per ablutionem delictorum; exemplo scilicet reatu, eximitur et pœna. Ita restituitur homo ad similitudinem « ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat; imago in effigie, similitudo » in æternitate censetur: recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc « de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum ». *Hæc ille.* In tantum etiam nonnulli e SS. Patribus Baptismi dignitatem efferunt, ut illum Incarnationis æmulum asserere non vereantur; nec abs re sane, quemadmodum enim in illo divinorum operum omnium maximo tria stupenda relucent miracula: *primum*, quod divinus Spiritus in Virginem sit illapsus: *secundum*, quod eam tanta fecunditate donaverit, ut pareret Dei Filium: *tertium* tandem, quod Sanctum Sanctorum in utero recluderet, ut significaverat Angelus hujus ineffabilis mysterii prænuntius, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*; ita his non absimiles stupendos effectus in Baptismate mirantur SS. Patres; nam, inquit S. Leo Serm. 4. *De Nativitate Domini, Omni homini renascenti, aqua Baptismatis instar est uteri Virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem.* Unde luculenter Eusebius Emisenus in Homil. 2. *De Symbolo*, sic Deum deprecatur: *Dilata, Domine, ac benedic sub instante regenerationis tempore sacræ sinus parentis. Dic, Domine, Ecclesiæ tuæ, quod dixisti per An-*

gelum Matri tuæ: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Iterum mater de Spiritu sancto concipiat, iterum Virgo parturiat, iterum homo Dei Filius efficiatur, iterum Virginitas fœcundetur. Nec inanes sane et cassas Deus patitur has Ecclesiæ preces: Supervenit enim (inquit Tertullianus, cap. 4.) statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. Unde per salutiferam Baptismatis lotionem homo ex vitiorum senio sibi resculpit infantia innocentiam, et in novum hominem recreatur, ut præclare docet S. Maximus Homil. De Juda proditore, ubi ait: Baptismus Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, et veteris hominis conscientia resoluta in alteram nativitatem recidiva infantia reparamur. Majora his proferre audet S. Augustinus, Serm. 36. De Tempore, ubi Baptismi lavacrum utero Virginali præferre vix dubitat: Pène, inquit, majori munere, quam Maria, unda ditata est: illa enim sibi tantum meruit castitatem; ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret: ista ut peccata deleret: illa propria delicta a se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat: illi est collata Virginitas, isti est donata fœcunditas: illa unum procreavit, et pura est: ista generavit plurimos, et Virgo est: illa præter Christum nescit alium filium, ista cum Christo mater est populorum. — De hoc ergo præstantissimo Sacramento jam disserendum est tribus in sequentibus Articulis: quorum primus Baptismi institutionem et naturam: secundus illius Ministrum et suscipientem seu subjectum: tertius ejus effectus et ritus explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INSTITUTIONE ET NATURA SACRAMENTI BAPTISMATIS.

BAPTISMA Græce, Latine idem est, ac *lotio, tinctio, ablutio, et immersio*; unde triplicem potissimum in Scriptura significationem obtinet: primo namque baptizare, idem significat, ac lavare; unde Judith., cap. 12. de ipsa legitur: *Et exibat noctibus in valle Bethuliae, et baptizabat se in fonte aquæ. Et Marci 7. dicitur: Pharisei enim, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum, et a foro nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare Baptismata calicum et urceorum et æramentorum et lectorum. Secundo denotat rei cujusque abundantiam, qua homines ita implentur, ut ea obrui, ac immergi videantur. Sic afflictio vehemens, quæ instar inundantis aquæ obruere et absorbere solet hominem, appellatur etiam interdum Baptismus; hinc Lucae 12. Christus Dominus prænuntians omnes calamitatum fluctus, qui ingruente passione in ipsum exundare debebant, appellat Baptismum, dicens: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Unde Marci 10. filios Zebedæi alloquens ait: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et Baptismo, quo baptizor, baptizari? Tertio tandem, Baptismus significat primum ex septem novæ Legis Sacramentis, cujus plerumque mentio fit in sacra Scriptura; quam utique appellationem ab idiomate Græco derivatam jam Sacramentum istud sibi vindicat, et in ea acceptione usurpari solet a Theologis. — Quo-**

utique sensu variis periphrasticis nominibus illustratur; nam ratione materiæ dicitur *lavacrum aquæ salutaris, unda genitalis, sacrum et vitale lavacrum, fluxius aquæ vitalis*, ut videre est apud S. Cyprianum, maxime Epist. 2. Ratione formæ dicitur sigillum et obsignatio fidei a Tertulliano, lib. *De Pœnitentia*, cap. 6. quia per ipsum Deus signat fideles velut oves pascuæ suæ, et eos in suos filios consecrat. Ab effectibus vero dicitur regeneratio, seu nativitas spiritualis, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*; etc.; vel illuminatio, quia per ipsum confertur fidei lumen; unde Græci festum Epiphaniæ appellabant *festum luminum*, quod Christus ea die baptizatus creditur. Sanctus autem Basilius, Oratione ad Baptizandos, nominat *tesseram militum Christi, amictum splendentem*, etc. Optatus autem Milevitanus vocat tunicam immutabilem, et cælestes nuptias: *O tunica semper una et immutabilis*, inquit, *quæ decenter vestiat, et omnes ætates et formas, nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec in feminis mutatur. Aderit profecto ille dies, ut cælestes nuptiæ incipient celebrari*. Ac si anima a Baptismo pura, et baptismalis gratiæ decore ornata, cum Deo maritetur ad bonorum operum fœcunditatem; unde ibidem Baptismus dicitur *Virtutum esse vitam, criminum mortem, natalitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentie portum, peccatorum naufragium*.

De hoc itaque mirando Sacramento, quæritur quando cœperit ejus institutio et præceptum. quænam illius materia, quæve forma esse debeat. Quoniam autem Joannes non solum innocentie, sed baptismatis præcursor fuit: *Et nos*, inquit Tertullianus, lib. 4. *Adversus Marcionem*, cap. 23. *limitem quemdam agnoscimus, Joannem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus, et a quo inciperet Christianismus*: idcirco, ut evidentius pateat, quæ de Christi Domini Baptismate sumus dicturi, prius paucula sunt de Baptismate Joannis delibanda, juxta Doctoris methodum, qui ab eadem Quæst. Tract. *De Baptismo*, orditur.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM BAPTISMUS JOANNIS IDEM FUERIT CUM BAPTISMO CHRISTI, ET VIM HABUERIT REMITTENDI PECCATA.

NOTANDUM 1. Eam fuisse plurium tam veterum, quam recentium hæreticorum sententiam, quod Baptisma Joannis idem esset cum Christi Domini Baptismate. Id enim in primis affirmabat Petilianus Constantiniensis Episcopus Donatista: de eo namque scribit S. Augustinus, libro secundo *Contra Litteras Petiliani*, cap. 32: « Licet inquebat unus sit Baptismus, erat tamen tribus gradibus consecratus. *Dedit aquam Joannes, sine nomine Trinitatis: sicut ipse professus est dicens; Ego vos baptizo in aqua, etc. Dedit Spiritum sanctum Christus, ipse ignis Paracletus crepitantibus flammis ardescens in Apostolis supervenit: quibus verbis solum distinguit tria illa baptismata, in eo quod Joannes aquam, Christus Dominus Spiritum sanctum, Paracletus vero ignem dederit. At Recentiores hæretici, maxime Zuinglius, lib. De Vera et Falsa religione, c. De Baptismo; Centuriatores, Centuria 40. titulo De Baptismo, et Calvinus, lib. 4. Instit., cap. 15. num. 7. audacius pronuntiant nul-*

lum omnino esse discrimen inter Baptismum Joannis, et Christi Domini. Ait enim Calvinus: *Certissimum sit idem fuisse prorsus Joannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est; non enim diversum Baptismum faciunt diversæ manus, quibus administratur, sed eundem esse eadem doctrina ostendit: in unam doctrinam Joannes, et Apostoli consenserunt, utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum, utrique in nomen Christi, a quo pœnitentia et remissio peccatorum esset, baptizarunt.* Et post pauca impudentissime scribit: *Quare neminem perturbet, quod alterum ab altero discernere Veteres contendunt? Quorum non tanti nobis esse debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quatefaciat; quis enim Chrysostomo potius auscultet neganti in Joannis Baptismo fuisse comprehensam remissionem peccatorum, quam Lucæ contra asserenti Joannem baptismum pœnitentiæ prædicasse in remissionem peccatorum? Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Joannis, Christi Baptismo reipsa dimitti, etc.* Verum quis potius auscultet Calvino perversis expositionibus verum Scripturæ sensum interpolanti, quam omnibus SS. Patribus, quos sicut loquitur Concilium VIII, Actione 1. *Camp. 1. Deus tamquam inextinctas et illuminantes gressus nostros lampades sequendos nobis proposuit?*

NOTANDUM 2. Quod quemadmodum Joannes erat Christi Domini Præcursor, ut verbo et exemplo homines præpararet ad recipiendam gratiam per Verbum Incarnatum disseminandam, ita ejus Baptismus fuit præparativus et dispositivus ad Baptismum Christi, ut docent SS. Patres; maxime Origenes, Tomo 8. in Joann. *Ut præparem, inquit, veluti populum instructum, ego veni, et ad præparandum locum resipiscentiæ per Baptismum post me venturo, etc.* Athanasius, quæst. 134. *Baptisma Joannis introductorium* appellat: Basilius, exhortatione ad Baptismum, *initiatorium*: Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. in Joan. cap. 26. *præparativum*: et lib. 2. cap. 57. *introductorium*: sicut et Damascenus, lib. 4. *Fidei Orthodoxæ, rudimentum, etc.* Denique Cyprianus, *De Baptismo Christi, et manifestatione Trinitatis: Præparabat viam Domino Joannes, lavando exterius corpora, ut præcederet exterius lavacrum, secuturum Baptisma, in quo conferretur animarum ablutio, et peccatorum remissio, etc.* Augustinus, in *Enchiridio*, c. 49. *Non renascebantur, qui Baptismate Joannis baptizabantur... sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domini: huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur, etc.* Unde merito colligit Doctor in 4. d. 2. qu. 2. num. 2. Baptismum Joannis in hoc solum hominibus profuisse, quod homines disponeret ad Baptismum Christi, tum illos ad Baptismum Christi suscipiendum excitando per externam abluionem aquæ; tum etiam prædicandò fidem et pœnitentiam, quibus digni fierent recipiendæ gratiæ novæ Legis.

NOTANDUM 3. Ex eodem Doctore ibidem, certum esse, quod materia Baptismi Joannis fuerit aqua et ablutio; id enim habetur expresse Matth. 3. Lucæ 3. Marci 1. et Joan. 1. et 3. De forma vero non ita constat; quidam enim Doctores contendunt eum baptizasse in determinata forma, puta *in nomine Christi venturi*; ita Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, parte 6. cap. 6. et Magister sententiarum, dist. 2. quos sequuntur celebriores Ecclesiæ Principes, ma-

xime Alensis, 4. p. q. 6. memb. 3. art. 11. S. Thomas, 3. p. q. 58. art. 6. ad 6. Unde Doctor tamquam magis receptam sententiam priori loco statuit. Cui pariter sententiæ adstipulantur plurimi e SS. Patribus, maxime S. Ambrosius. lib. 1. *De Spiritu sancto*, cap. 7. ubi ait: *Joannes quidem in advenientis Jesu, non in suo baptizabat nomine*. S. Augustinus, lib. *Quæstionum Novi Testamenti*. quæst. 29. dicens: *Baptismum Joannis non fuisse sine mentione Christi*. Idipsum tradit S. Hieronymus in illa verba Joëlis: *Effundam de spiritu meo*: etc. Favet etiam illud Actor. 19. *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ, dicens in eo, qui erat post ipsum, ut crederent*. Quod etiam inferri videtur ex illis verbis Matthæi 3, ubi S. Joannes Phariseos et Sadduceos alloquens, ait: *Ego quidem vos baptizo in aqua, in pœnitentiam: qui autem post me venturus est... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*. Nihilominus reclamant Durandus ibid. q. 3. Gabriel q. 2. et alii nonnulli existimantes Joannem baptizasse absque ulla verborum forma, aut saltem non in ea, quam mox diximus: tum quia forma illa esset falsa, Christus enim jam venerat, cum baptizaret Joannes, et id ipsum Joanni erat notum, ac proinde non erat venturus: tum quia Joannes idem Baptisma Christo ac aliis ministravit; non erat autem conveniens, ut baptizando Christum, uteretur hac forma. Nihilominus existimo priorem sententiam esse præferendam: tum quod facile dilui possint fundamenta oppositæ sententiæ; facile enim ad primam rationem reponitur, vocabulum *venturi*, intelligi respective ad manifestationem Christi per prædicationem Evangelii et munus baptizandi; Joannes enim baptizando disponebat homines ad Baptismum Christi suscipiendum. Secunda pariter ratio facile eliditur: cum enim Joannes per revelationem cognovisset Christum ad se venientem, ut baptizaretur, vel eum baptizando, nullam adhibuit formam, ut docet Paludanus, vel usus est alia forma, ut vult Maironius.

His ita præmissis, determinandum restat, utrum Baptismus Joannis idem fuerit cum Baptismate Christi. *Secundo*, utrum vim habuerit remittendi peccata, et conferendi gratiam sanctificantem.

Conclusio prima. — BAPTISMUS JOANNIS DIVERSUS ERAT A CHRISTI BAPTISMATE. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Baptismum Joannis eandem vim habuisse cum Baptismo Christi, anathema sit*. Eadem fuit sententia Patrum Nicæni Concilii, nam in ejus Actis, lib. 1. circa finem, Patres respondentes Philosopho per Macharium Jerosolymitanum, ita loquuntur de Christo: *Tunc ad Baptismum venit prædicante Joanne Zachariæ filio ad populum Baptismum Pœnitentiæ, non autem Baptismum peccatorum, aut adoptionis filiorum Dei largiente: non enim erat Joannis hoc dare, sed ipsius dumtaxat inhumanati Verbi Dei*.

Eandem veritatem tuentur SS. Patres, quibus præivit Tertull., lib. *De Baptis*, cap. 10. ubi cum dixisset, Baptismum Joannis divinum fuisse ratione mandati. humanum vero ratione conditionis, subdit: *Nihil enim celeste præstabat, sed celestibus præministrabat: Pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate*. Et infra: *Adeo postea in Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Joannis Baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem nec audire*

quidem noverant; ergo non erat cæleste, quod cælestia non exhibebat. Postmodum concludit: Agebatur itaque Baptismus Penitentiae, quasi candidatus remissionis, et sanctificationis in Christo subsequatur; nam quod prædicabat Baptismus Penitentiae in remissionem delictorum, in futuram remissionem Deo renuntiatum est: siquidem Penitentia antecedit; remissio subsequitur, et hoc est viam præparare. Qui autem præparat non idem perficit, sed alii perficiendum procurat. Quibus verbis Tertullianus præclare difficultatem propositam explicat. — Idem docet S. Chrysostomus, Hom. 10. in Matthæum, ut etiam fatetur ipse Calvinus, et S. Augustinus pluribi, maxime Hom. 5. super Joannem, ubi ait: Si quos baptizavit Joannes, iterum sunt baptizandi; plane iterum, sed non iterato Baptismo. quos enim Judas baptizavit, et Christus, quos baptizavit Joannes, non, etc. Item lib. 5. De Baptis., cap. 9. « Christus tali Baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto alterum non erat « necessarium ». Joannes autem tali Baptismo pertingebat, quo accepto esset Baptisma Dominicum necessarium.

Hanc veritatem idem S. Doctor probat variis argumentis deductis ex Script. sacra: *primo*, quia Matth. 21. Baptismus Joannis dicitur Baptismus hominis; Christus enim inquit: *Baptismus Joannis unde erat? e cælo, an ex hominibus?* Atqui Baptismus Christi nullibi dicitur Baptismus hominis: *Legimus, inquit, S. August., lib. Contra Litteras Petiliani, cap. 56. Apostolum aliquibus locis dixisse, Evangelium meum, Baptismus autem meum nunquam dixit: sed nec cujusquam, per quem ministratur. Nam solus ille Baptismus, quem dedit Joannes, dictus est Baptismus Joannis. — Probat secundo ex illo Joannis cap. 1. Testimonium perhibuit Joannes, dicens: quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, et mansit super eum, et ego nesciebam eum, etc. Quæ verba sic expendit S. Augustinus, lib. 5. De Baptis., cap. 3. « Secundum aliquid sciebat, secundum aliquid adhuc « nesciebat. Sciebat sponsum Filium Dei, de cujus plenitudine omnes « acciperent; sed quia ex ejus plenitudine ipse acceperat baptizandi « potestatem, ut Joannis Baptismus diceretur, nesciebat utrum sic « esset daturus et cæteris ». At si Baptismus Joannis esset idem cum Baptismo Christi, non posset dici Joannes eum nescisse, igitur, etc. — Probat tertio, quia licet lex, et Prophetæ usque ad Joannem, tamen Joannes non erat finis legis; nam, inquit Apostolus, finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti. Sed si Baptismus Joannis idem esset cum Baptismo Christi, Joannes dici posset aliquo modo finis legis, quia in illius Baptismo standum esset: unde S. Aug., lib. 5. De Baptismo, cap. 9. Si in Joanne finis esset, Christi Baptismate opus non esset: sed quia finis legis Christus ad justitiam omni credenti, ab illo demonstratum est, ad quem pergeretur, ad hunc cum perventum fuerit, permaneretur.*

Probatur denique eadem veritas hac ratione: ille Baptismus est diversus, cujus forma diversa est, et effectus diversi: at forma, et effectus Baptismi Christi fuerunt diversi a forma, et effectibus Baptismi Joannis: igitur, etc. *Major constat. Probatur minor quoad primam partem:* Baptismus Christi fit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: taliter non fiebat Joannis Baptisma, ut colligitur evidenter ex Actorum 19. ubi cum Paulus venisset Ephesum, invenissetque ibi

quosdam discipulos: *Dixit ad eos, Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed neque si Spiritus sanctus sit audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit populum dicens, In eum qui venturus esset post eum, ut crederent, hoc est in Jesum. His autem auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* — Ex quibus duo licet inferre: *Primum*, Joannem non baptizasse in nomine trium personarum, cum ab eo baptizati, nec si Spiritus sanctus esset audivissent. *Secundum*, eum tantum baptizasse in nomine Christi venturi. *Probat*ur eadem minor quoad efficaciam diversitatem: tum ex illo Matth. 5. ubi Joannes ipse Judæis ita loquitur: *Ego quidem baptizo vos in aqua, in penitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.* Tum ex illo Joan. 3. ubi legimus discipulos S. Joannis conqueri, quod Christus baptizaret. *Ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Si enim Baptismus Christi fuisset idem cum Baptismo Joannis, hic facile fecisset satis eorum querimoniam dicendo Christi Baptismum eundem esse cum suo quoad efficaciam, ac proinde eis potius esse gloriandum, quam conquerendum, cum sic Christus velut discipulus illum didicisset a Joanne: at contrarium facit, et insinuat quanta sit inter suum et Christi Baptismum differentia per eminentem Christi dignitatem. *Respondit Joannes, et dixit: et potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit e caelo? Ipsi vos mihi testimonium perhibebitis quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum; qui habet sponsam, sponsus est, etc.* Tum denique ex eo, quod baptizati Joannis baptismate, iterum Christi Baptismo fuerunt ab Apostolis baptizati: ergo non unum, idemque erat Baptisma.

OBJICIUNT HÆRETICI: Ubi est idem signum, eadem significatio, et idem ministerium, ibi est idem Sacramentum: sed in utroque Baptismate hæc sunt eadem. Primo quidem aquæ ablutio, ut patet Matth. 3. et Marci 1; idem ministerium, quia utrumque abluebat exterius; eadem pariter significatio, nempe peccatorum remissio. Nam de Baptismo S. Joannis dicitur Marci 1. *Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans Baptismum penitentiae in remissionem peccatorum.* Similiter Matth. 3. *Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.* — *Concedo* majorem, et duas priores partes minoris; sed distinguo posteriorem: in utroque Baptismate eadem peccatorum remissio eodem modo, et virtute signi exterioris applicati, nego: diverso modo, et in uno ex opere operato, in alio ex opere operantis, concedo. Si quidem Baptismus Joannis remittebat peccata tantum virtute penitentiae per signum illud, et præviam prædicationem excitatæ. Unde non simpliciter dicitur *Baptismus in remissionem peccatorum; sed Baptismus penitentiae in remissionem, etc.* At Christi Baptismus, Actorum 2. absolute dicitur a Petro: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et in Symbolo Constantinopolitano: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Unde Tertull., lib. *De Baptismo*, cap. 10. dixit Baptismum S. Joannis fuisse candidatum remissionis, et sanctificationis in Christo subsequaturæ. *Nec refert quod Petrus præfato loco Actorum dicat: Penitentiam agite, et*

baptizetur unusquisque vestrum in, etc. Ibi enim remissio peccatorum non conjungitur cum *pœnitentiam agite*, sicut in Baptismo Joannis; sed cum *baptizetur*. Idcirco vero dicit esse agendam pœnitentiam, quia alloquitur adultos, qui ut Baptismum digne susciperent, aliquem de peccatis dolore efformare debebant.

OBJICIUNT 2. Si Baptismus Joannis non esset idem cum Baptismo Christi, qui baptizati fuerant Joannis Baptismate, debuissent iterum baptizari: sed id factum non fuit, quod utique Zuinglius, lib. *De vera, et falsa Relig.*, c. de Baptismo probat tribus argumentis: *primo*, quia S. Andreas fuit discipulus Joannis, et consequenter illius Baptismate tinctus, quem tamen Christi discipulum postea factum nullibi baptizatum legimus. *Secundo*, quia discipuli Joannis ad ipsum retulerunt, quod Christus baptizaret: si autem baptizasset diverso Baptismo, id quoque nuntiassent. *Tertio*, quia Joan. 4. Discipuli Christi dicuntur baptizare, ac proinde baptizati fuerant eo Baptismo, quem conferebant: non potest autem dici, quod baptizati fuerint a Christo; cum expresse ibidem dicatur, quod Christus ipse non baptizaret: ideoque baptizati fuerant Baptismo Joannis, quem ipsi conferebant: igitur cum Christus dicatur per discipulos baptizasse, consequens est, quod Baptismus Christi idem esset cum Baptismo Joannis. *Quarto* tandem idipsum probari potest auctoritate sanctorum Patrum; nam S. Ambrosius, lib. 1. *De Spiritu sancto*, cap. 3. docet baptizatos Joannis Baptismate fuisse in duplici differentia: quosdam quidem in nomine Christi baptizatos, quemadmodum, inquit, Joannes baptizare solebat; alios vero baptizatos ab ipsius Joannis Discipulis; neque in nomine Christi, neque in fide Spiritus sancti. Priores negat fuisse iterum baptizatos: posteriores vero dicit denuo Baptismum suscepisse. « Illi, inquit, qui negaverunt se « scire Spiritum sanctum, Act. 14. quoniam baptizatos se dicerent in « Joannis Baptismate, baptizati sunt postea; quia Joannes in remis- « sionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit no- « mine, et ideo Spiritum nesciebant, quia nec Baptismum in Christi « nomine, sicut Joannes baptizare solebat, acceperant. Joannes enim « licet non baptizaret in Spiritu, tamen et Christum prædicabat, et « Spiritum.... ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spi- « ritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptismi Sa- « cramentum; baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi; nec ite- « ratum est in his Baptisma, sed novatum, unum enim Baptisma ». Quam etiam sententiam amplectitur et propugnat Eulogius, par. 2. *Contra Novatianos*, in Bibliotheca Photii, ubi duo probat: *primum*, quod baptizatos Joannis Baptismate non indigeret alio Baptismo: *secundum*, quod tale Baptisma mundos faceret, qui ad illud accederent. *Nullibi*, inquit, *legitur iterum baptizatos eos, qui ante Resurrectionem Christi a Joanne essent baptizati*, etc. — **Respondeo negando minorem**: nam baptizatos jam Joannis Baptismate, iterum Christi Baptismo fuisse inauguratos colligi potest, *primo* ex Scriptura, siquidem *Actorum* 2. legimus tria millia hominum ab Apostolis, jubente Petro, fuisse baptizatos in nomine Jesu Christi: ex eis autem plures jam tinctos esse Baptismo Joannis apparet ex illo Matth. 3. *Exibat ad eum Jerosolyma, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua*. Paulus quoque, *Actorum* 19. cum

cognovisset aliquos Discipulos baptizatos tantum fuisse in Joannis Baptismate, jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu. *Insuper idem affirmant SS. Patres: Hieronymus, Epist. 83. ad Oceanum, et Dialogo adversus Luciferianos, ubi ait: Joannis Baptisma in tantum imperfectum fuit, ut constet postea Christi Baptismate baptizatos qui ab eo fuerunt baptizati.* Et S. Augustinus, Tract. 4. in Joannem circa medium, Ne, inquit, hoc ipsum, quod accepit a Joanne Christus proponeretur Baptismati Christi, permitti sunt et alii: sed qui baptizati sunt a Joanne. non his sufficit: baptizati sunt enim Baptismo Christi, quia Baptismus Joannis non erat Baptismus Christi. Qui accipiunt Baptismum Christi. Baptismum Joannis non quærunt: qui acceperunt Baptismum Joannis, Baptismum Christi quærerunt. Hinc facile solvuntur momenta, quibus niti et probari videtur minor a nobis negata: primo namque. qua ratione colligunt hæretici Andream fuisse baptizatum Baptismo Joannis, quia fuit ejus Discipulus, ita colligi debet eum baptizatum fuisse Baptismo Christi, quia secutus est Christum Dominum et ejus factus est Discipulus. *Ad secundum, dico contrarium potius exinde colligi; nam Discipuli Joannis non ei annuntiassent tamquam quid novum, quod Christus Dominus baptizaret, nisi diverso a Joanne Baptismate eum baptizantem conspexissent. Ad tertium denique, dico pariter contrarium hæreticorum assertioni colligi: quo enim argumento probare nituntur Apostolos tinctos Joannis Baptismate, quia Joannis Baptisma contulerunt, nos e converso probare possumus eos fuisse baptizatos Christi Baptismate. quia, ut docet S. Augustinus, lib. 3. Contra Petilianum, cap. 55. Non Joannis, sed Christi Baptismum ministrarunt Apostoli.* Non favent etiam hæreticis præfata Patrum testimonia; nam S. Ambr. non videtur aliquo niti testimonio in illa distinctione, quam profert de duplici Baptismate Joannis, quorum unum sit rite et valide collatum in nomine Christi cum fide Spiritus sancti; aliud autem. quod aliter collatum fuerit, quodque hac ratione debuerit iterari: hujus namque distinctionis nullum apparet vestigium, nec in Scriptura sacra, nec in SS. Patribus, qui eum præcesserunt; unde etiam Magister sententiarum, qui eandem distinctionem adhibet in 4. dist. 2. ab omnibus Theologis hac in parte respuitur. *Neque etiam ei suffragatur Eulogius: hic enim plusquam par esset tribuit Baptismo Joannis, ut illum perfectum demonstraret contra communem SS. Patrum sententiam; unde post verba supra citata subjungit: cum plurimi Patres ostendant Joannis Baptisma fuisse omnino imperfectum.*

Conclusio secunda. — BAPTISMUS JOANNIS NON HABEBAT VIM REMITTENDI PECCATA, NEC CONFERENDI GRATIAM. Hæc est communior apud Catholicos, et sequitur ex præcedenti, illamque Doctor probat loco supra laudato, ubi demonstrat, necessum fuisse baptizatos a Joanne iterum baptizari Baptismo Christi: « Quia, inquit, medicina
« præparativa suscepta, congruum est accipere medicinam curativam;
« dispositione etiam inducta, congruum est adhuc induci formam principalem: sed ille Baptismus Joannis erat sicut dispositio mere præparativa ad Baptismum Christi, ut per illam ablutionem facilius
« inclinarentur homines ad suscipiendam ablutionem sibi salutarem,
« nec esset molestum ipsis jam ad simile exercitatis. Et hanc rationem

« innuit Joannes Baptista, dicens Joann. 1. *Baptizo vos aqua (supple « tantum), medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; qui (supple) « baptizat vos, non in aqua tantum, sed in spiritu, et veritate* ». Hæc Doctor.

OBJICIES plures SS. Patres affirmantes Baptismum Joannis habuisse vim remittendi peccata. Sic Basilius, Hom. *De Bapt.*, cap. 2. ante medium: *Per gratiam, inquit, Dei, et Christi ipsius, simul atque accesserat quis, et peccata sua quantacumque et qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, confestim peccatorum remissionem accipiebat*. Similiter S. August., lib. 5. *De Baptismo*, cap. 10. *Tamen, inquit, ne quisque contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis quos jussit Paulus Apostolus denuo per Baptismum Christi baptizari, esse collatam, non ago pugnaciter*. Et S. Petrus Chrysologus, Serm. 137. dicit, quod Baptisma Joannis culpam tollebat, non autem gratiam conferrebat. — **Respondeo**, S. Basilium posse exponi de remissione peccatorum, quam baptizatus consequeretur ex opere operantis per efficaciam et meritum pœnitentiæ. *Ad S. Augustinum dico, quod quamvis nolit pugnaciter agere cum eo, qui contenderet in Baptismo Joannis reipsa dimissa fuisse peccata, inde non est consequens, quod existimaverit illa fuisse dimissa ex opere operato, sed dumtaxat ex opere operantis*. Unde cum per Baptismum Christi peccatorum remissionem consequerentur ex opere operato, longe majorem sanctificationem accipiebat. *Denique, ad S. Petrum Chrysologum dico, non ejus mentem esse, quod per Baptismum Joannis peccata dimitterentur absque infusione gratiæ; hoc enim non fit de lege ordinaria, sed quod forte per illam ablutionem corporalem Judæi mundarentur ab illis legalibus inquinamentis; exponens enim illud Lucæ 3. Venit in omnem regionem Jordanis, etc. ait: Venit ad Jordanem, quia judaicæ sordes non poterat hydria jam lavare, sed flumen*. Deinde, exponens sequentia verba: *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, subdit: Erat penes Joannem venia, sed non sine pœnitentiâ; erat remissio, sed luctibus comparata; erat cura vulneris cum dolore; erat Baptisma, quod culpam tolleret, conscientiam non deleret. Et quid plura? Per Baptisma Joannis purificabatur homo ad pœnitentiâ, non promovebatur ad gratiam, etc.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID SIT BAPTISMUS, ET QUANDO INSTITUTUS FUERIT,
AC SUB PRÆCEPTO ESSE CŒPERIT.

NOTANDUM 1. Extra controversiam esse apud Catholicos et hæreticos, Baptismum esse verum novæ Legis Sacramentum; siquidem, qui Sacramenta aliqua Legis Evangelicæ fatentur, Baptismum omnium primum deputant; unde Subtilis Doctor censet hanc veritatem potius esse supponendam, quam probandam, scribit enim in 4. dist. 3. quæst. 4. num. 2. *Questio supponit Baptismum institutum fuisse in Lege nova, quod verum est, et rationabile. Verum, sicut patet ex multis auctoritatibus novi Testamenti, et Christi et Apostolorum, in quibus probatur necessitas Baptismi; quod non esset, nisi esset institutus in Lege illa*

legitime. Et infra n. 3. Istud etiam suppositum est rationabile; quia Sacramentum principale Legis Evangelicæ, per quod scilicet intratur in ejus observantiam, debuit esse novum, et proprium illi Legi... debuit etiam istud Sacramentum esse evidens in significatione; quia ista est lex veritatis evacuens umbram. Et debuit esse copiosum in gratiæ collatione; quia hæc est lex gratiæ. Joan. 1. Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Debuit etiam esse facile; quia Jugum Christi suave, et onus ejus leve. Matth. 11. Item debuit esse commune, quia Deus ad Legem Moysi elegit unum populum tantum, sed ad novam Legem totum mundum. In omnem terram exivit, etc. Hæc quatuor inveniuntur in uno, scilicet in ablutione cum verbis; quia hoc evidenter significat mundationem animæ, quæ est effectus principalis, et dat gratiam copiose, unde in Psal. dicitur aqua refectionis: super aquam refectionis educavit me. Et facilis; quia nullo modo periculosa, sicut fuit Circumcisio: et communis omni sexui, et ætati ». Conveniunt pariter Baptismum esse primum omnium Sacramentorum ratione institutionis, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, his verbis: Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus. Et ostendens de qua primitate loquatur, addit: Quod vitæ spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesiæ. Et Doctor: Per quod scilicet intratur in ejus (Ecclesiæ) observantiam. Eodem modo loquitur Rit. Rom. titulo De Sacramento Baptismi, in principio: Sacrum, inquit, Baptisma Christianæ Religionis, et æternæ vitæ januam. quod inter alia novæ Legis Sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, etc. — Hoc etiam ratio suadet; quia primum in unaquaque re est ipsum esse rei: sed esse fidelem et Christianum datur per Baptismum: est enim Sacramentum regenerationis. Titi 3. et ex S. Dionysio Ecclesiasticæ Hierarc. 2. « est ineffabilissima divini nostri status « aut esse fabricatio quædam et divina nativitas; ut enim existere « nos oportet in natura, priusquam operemur, aut recipiamus ea, quæ « naturalia sunt, motionem, et alia; sic et priusquam ea, quæ sunt « divina patiamur, aut agamus, oportet nos habere quoddam esse di- « vinum: at hoc fit per Baptismum; ut enim ait inclytus præceptor « Hierothæus: prima mentis ad divina motio, est dilectio Dei: sacræ « dilectionis in sancta divinorum præceptorum observatione progressus « primus est ineffabilissima divini nostri status fabricatio. » Hæc autem fit per Baptismum; nam, ex paraphrasi Pachimæri, Baptismus est præceptum, introductio, via ad Dei familiaritatem et cælestem hæreditatem. Unde homo formatur ad meliorem et salutarem habitudinem, et ad verborum, operumque Dei institutionem. Efformat autem naturales nostros habitus, et effectus; inferens vim quamdam formatricem figmento nostro, scilicet appetendi, sed cælestia bona; movendi, sed ad omne bonum; ratiocinandi, seu cogitandi, sed quæ oculus non vidit, nec auris audivit; concupiscendi, sed meliora; irascendi, sed adversus nostræ salutis inimicos; nam ea, quæ ex semine est nostri fabricatio, etsi ex Conditore Deo sit, est naturalis; at ea, quæ fit ex Baptismo, per quam divinum informamus statum, est divina; Joan. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

NOTANDUM 2. Omnes Catholicos Doctores invicem convenire, quod

Christus Dominus suum Baptisma non instituerit; antequam ipsemet a Joanne baptizaretur in Jordane; quoniam non antea cœpit Evangelium prædicare, et promulgare Legem gratiæ. Conveniunt pariter ejusmodi institutionem factam fuisse antequam per triumphalem suam Ascensionem in cælum reciperetur; sed invicem discordant quoniam tempore intermedio inter baptismationem Christi et illius Ascensionem fuerit institutus. Circa quod triplex est capitalis sententia: *prima* contendit institutionem Baptismi factam fuisse post Passionem Christi, illo videlicet tempore, quo in cælum ascensus, dixit suis Discipulis: *docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Ita docuisse videntur Alensis noster 4. p. q. 8. memb. 2. ar. 3. et Albertus Magnus in 4. d. 3. quibus adstipulantur plurimi e SS. Patribus, maxime S. Chrysostom., Hom. 28. in Joan. scribens: *Utrûmque Baptisma Joannis, et Discipulorum Christi similiter expers Spiritus erat, et unam eandemque baptizandi causam habebat, ut nempe Christo conciliaret baptizatos*, etc. Idem S. Leo, Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, c. 3. ubi scribit: *Christus postquam resurrexit a mortuis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, et formam, et potestatem tradidit baptizandi, dicens: Matth. 2. Euntes docete omnes Gentes*, etc. *de qua utique eos ante Passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi Resurrectionis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse*. Idem docet Tertull., lib. *De Baptismo*, c. 11. ubi scribit: *Itaque tunc tingebant Discipuli ejus (Christi) ut Ministri, ut Joannes ante præcursor eodem Baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia non extat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique a discipulis dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per Passionem et Resurrectionem; quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini Passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius*. — *Secunda* sententia eorum est, qui asserunt Christi Baptismum institutum fuisse, quando in Jordane ipse baptizatus est a Joanne: ita Magister sententiarum d. 3. S. Th. q. 66. ar. 2. et omnes illius Discipuli. *Tertia* vera sententia est Subtilis Doctoris q. 4. n. 2. ubi rejectis duabus prioribus opinionibus, contendit, *tempus institutionis Baptismi fuisse ante illud tempus, quo Discipuli Christi baptizabant; licet præcise hora institutionis non legatur in Evangelio*.

NOTANDUM 3. Quantum ad tempus quo Baptismus fuerit sub præcepto, et homines ad sui susceptionem et frequentationem obligare cœperit, non levem etiam apud Theologos moveri controversiam; *quidam* enim, quorum meminit S. Bernar., Epist. 77. asserebant olim, quod Baptismi præceptum ab eo tempore vim obligandi habuerit, quo Christus Dominus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*. Nonnulli vero existimant obligationem Baptismi viguisse statim post Christi Domini Passionem, et Resurrectionem; quam sententiam præ cæteris tuentur S. Thomas, Suarez, Vasquez, etc. *Ceteri* vero cum Subtili Doctore censent Baptismum non fuisse sub præcepto usque ad sufficientem, ac solemnem Evangelii promulgationem, quæ facta fuit in die Pentecostes; « duplex enim, inquit, Doctor « q. 4. n. 5. distingui potest hujus Sacramenti promulgatio: una per « modum consilii; alia per modum præcepti. Prior fuit ante mortem « Christi Domini; congruum enim fuit primum Baptismum proponi per

« modum consilii »: primo, quia, inquit Doctor, Lex Evangelica, quæ est perfectissima, non debuit præcipitanter imponi, sed mature debuit induci Lex nova, quæ est perfectissima. Secundo, quia neque Lex vetus, cum non esset mala, sicut est idololatria, sed optima fuerat pro suo tempore, non debuit etiam cum præcipitatione abrogari, sed sensim, et supposita debita instructione, ejus virtute, et observantia. Unde debuit Synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore. Tertiam rationem subjicere possumus; nempe quod non ita facilis erat transitus a Lege Mosaica ad Evangelicam, et a Circumcisione ad Baptismum, maxime quantum ad Judæos, qui Patrum traditionibus tenacius in hærentes non nisi magna cum difficultate ab eis poterant avelli; unde conveniens fuit, ut Baptismus prius proponeretur sub consilio, ut postea exercitatis imponi posset sub præcepto.

Conclusio prima. — BAPTISMUS RECTE DEFINITUR A DOCTORE d. 3. q. 1. n. 3. alterutro ex his duobus modis: primo: *Baptismus est ablutio hominis aliquo modo consentientis facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina abluitionem animæ a peccato.* Secundo modo aliter definiri potest: *Baptismus est Sacramentum abluitionis animæ a peccato, consistens in abluitione hominis aliquo modo consentientis, facta in aqua ab ablute, et in verbis certis simul ab eodem ablute cum debita intentione prolatis.* Advertit autem Doctor ibid. n. 4. utramque hanc definitionem ut legitimam posse propugnari. *Nec enim, inquit, est differentia inter istas rationes, quin eadem secundum utramque sint necessaria ad Baptismum: sed una ponit in definitione ejus solam abluitionem in recto; alia ponit et abluitionem, et verba ex æquo ad eam rationem pertinere. Quæ differentia consurgit ex diverso opinandi modo de fundamento hujus relationis, an sit sola ablutio circumstantiata, an simul ablutio et verba.* Cæterum judicarem posteriorem definitionem convenientiorem esse: tum quia datur per genus, et differentiam; Sacramentum enim habet rationem generis; cætera verò denotant Baptismi distinctionem, tam in materia et forma, quam in effectu, ab aliis Sacramentis: tum quia hæc maxime convenit definitioni, quam tradit Catechismus Romanus titulo *De Baptismo: Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo: hoc est, per abluitionem aquæ, et invocationem SS. Trinitatis.*

Hujus autem definitionis particule constabunt ex dicendis in præsentis Disputatione, et facile per se patent. Primo namque, dicitur *Sacramentum abluitionis*: licet enim Baptismus secundum primævam suam institutionem idem significaret ac ablutio, nihilominus apud Scriptores Ecclesiasticos jam obtinuit, ut aliquid præter abluitionem denotaret; nempe invocationem SS. Trinitatis. Secundo, dicitur *ablutio animæ a peccato*, ut distinguatur a qualibet abluitione rerum corporearum, et ut denotetur præcipuus illius effectus, nempe emaculatio animæ ab omni prorsus peccato. Tertio, dicitur *ablutio hominis aliquo modo consentientis*, hoc est, vel per actum propriæ suæ voluntatis, qualiter consentire debet adultus baptizandus; vel per actum voluntatis alienæ, quemadmodum parvuli censentur consentire per voluntatem eorum, quorum

nutu et auctoritate reguntur, quales sunt parentes, aut principes. Cæteræ particulæ indicant Ministrum illius Sacramenti, qui debet esse distinctus ab ipso baptizando, verba sacramentalia proferre, ablutioem ministrare cum debita intentione.

Ex his sequitur definitionem Baptismatis, quam profert Apostolus ad Ephes. 5. dum appellat *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*; necnon et illam, quam tradit Magister sententiar. dist. 3. his verbis: *Ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma*; potius esse descriptionem per partes quasi physicas, nempe lavacrum æquæ, et verbum vitæ, quam definitionem metaphysicam: non secus ac si quis definiret hominem per partes eum physice constituentes dicendo: Homo est corpus, et anima simul unita.

Sequitur etiã definitionem, quam tradit Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, p. 6. cap. 2. his verbis: *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*, non esse pariter accuratam; Sacramentum enim est signum sensibile gratiæ sanctificantis, ut sanctificans est; aqua autem, quantumvis sanctificata, non est ejusmodi signum; ac proinde illa definitio ei non congruit, nisi forte sumatur in sensu causalì; quatenus videlicet aqua confert ad ablutioem externam, quæ est signum ablutiois interioris animæ.

Multo minus probandæ sunt definitiones, quas tradunt hæretici, maxime Melancton in *Locis Theologicis*. anni 1559. ubi Baptismus definit: *Signum, quo Deus nobiscum agit, et nos in gratiam recipit*. Hæc enim definitio convenit omnibus Sacramentis; imo etiam et verbo Dei, quod non est Sacramentum. Repudianda pariter est illa, quam tradit Calvinus, lib. 4. *Institutionum*, cap. 15. ubi ait: *Baptismus signum est initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti, inter filios Dei censeamur*. Hæc enim definitio tantum datur per effectum secundarium; nempe consignationem inter filios Dei, quæ fit dumtaxat per gratiam sanctificantem, quæ est primaria et præstantior ipsius Baptismi effectus, quo justificamur et regeneramur in Christo.

Conclusio secunda. — PROBABILIVS EST BAPTIVM FVISSE INSTITVTVM ANTE CHRISTI PASSIONEM. Hæc est communior apud Doctores, eamque tradit Doctor in 4. dist. 3. q. 4. n. 2. ubi ait: « Quando « Baptismus primo fuit institutus, dubium est. Non quidem quando « Christus baptizabatur a Joanne, quia ille non fuit Baptismus Christi, « idest, in forma Christi, sed in forma Joannis. Tamen Christus dedi- « cavit tunc aquam tanquam materiam idoneam suo Baptismo, ex con- « tactu suæ mundissimæ carnis; quia in Legislatore confirmatus est usus « aquæ, idest, ut ministerium. Nec etiam in illo verbo Joan. 3. dicto Ni- « codemo: *Nisi quis*, etc. quia non est verisimile tam necessarium Sa- « cramentum in conclavi, et coram persona privata institui, quæ non « debuit esse præco institutionis illius. Neque etiam differebatur insti- « tuti usque ad tempus Ascensionis, Matth. ult. nam Discipuli Christi « ante Passionem baptizabant Baptismo Christi; Joan. 3. dicunt Disci- « puli Joan. ad ipsum: *Rabbi, cui testimonium perhibuisti, ecce ipse bap- « tizat, et omnes veniunt ad eum*. Convincitur ergo tempus institutionis « fuisse ante illud tempus, quo Discipuli Christi baptizabant, licet præ- « cise hora institutionis non legatur in Evangelio ». *Hæc Doctor.*

Probatur itaque **Conclusio** ratione, quam assignat Doctor: Christus Dominus una cum suis Discipulis ante suam Passionem baptizavit: sed non baptizavit Baptismate Joannis: igitur baptizavit Baptismo a se instituto. *Major constat ex Scriptura sacra; nam Jo: 3. legimus: Post hæc venit Jesus, et Discipuli ejus in terram Judæam: et illic demorabatur cum illis, et baptizabat. Et infra, Discipuli Joannis animadvertentes Christum baptizare una cum suis Discipulis: Venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Et cap. 1. Ut ergo norit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures Discipulos facit, et baptizat, quam Joannes, quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus, reliquit Judæam. Minor vero probatur: primo quidem: si Christus baptizasset Baptismo Joannis, non æmulati vel conquesti fuissent Joannis Discipuli, quod Jesus baptizaret; Baptismus enim a Christo Domino collatus eis potius fuisset occasio gaudii et gratulationis, quam æmulationis et invidiæ, videntes, quod ipse, quem Joannes dixerat se majorem, et cujus non erat dignus. ut solveret corrigiam calceamenti, se tamen inter Joannis Discipulos veluti consignaret, illius Baptismum et ministerium exequendo. Deinde, Christus ibidem dicitur baptizasse per suos Discipulos: sed si Discipuli Christi baptizassent Baptismo Joannis, aut alio per Christum non instituto, Christus non diceretur per suos Discipulos baptizare, sed potius Joannes, aut alius ille auctor Baptismi, quem ipsi ministrassent: igitur, etc. Denique, Baptismus Joannis non conferebat Spiritum sanctum, nec remissionem peccatorum; sed præscribebat dumtaxat penitentiam ad illam remissionem obtinendam: Baptismus autem, quo Christus baptizabat, utrumque istud beneficium conferebat, ut docet S. Joan. Baptista, Joan. 1. his verbis: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis... hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ubi non tantum loquitur de futuro Christi Baptismate, sed etiam de presenti, hoc est, brevi tempore instituendo, et conferendo Baptismate a Christo Domino; unde Luca 3. respondit Joannes dicens omnibus: *Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.* Quam utique rationem confirmat et urget S. August. Tract. 5. in Joan. *Dictum est, inquit, de Domino, antequam pateretur: baptizabat plures, quem Joannes, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus. Adhuc erat ibi Judas inter Discipulos; quos baptizavit Judas, ii non sunt iterum baptizati; quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt: quia datus a Juda Baptismus Christi erat; datus a Joanne, Joannis erat.* Et Tract. 15. *Baptizabat Jesus plures, quam Joannes, quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus, an utrumque verum est, quia baptizabat, et non baptizabat? baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat; præbebant Discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis.* Sed hoc adjutorium est gratia sanctificans, quam Joannis Baptisma non conferebat: igitur, etc. — *Probatur secundo: quia juxta legem a Christo Domino præscriptam, Baptismus præsupponitur aliis Sacramentis: est enim Ecclesiæ janua, necnon aditus ad participationem Sacramentorum, et omnium beneficiorum, quæ in Ecclesia**

conferuntur: sed Apostoli ante Christi Passionem incorporati sunt in Ecclesiæ membra, et suscepērunt aliqua Sacramenta; Christus enim in ultima cœna suis Apostolis Eucharistiam exhibuit, et eos inauguravit Ordine Sacerdotali, ut definitur in Concilio Trid. Sess. 22. cap. 1. igitur, etc. Quam utique rationem approbat S. Augustinus, Epist. 163. *Quomodo, inquit, poterant Eucharistiam accipere Apostoli nondum baptizati? Quomodo Petro nolenti, ut totum se lavaret Christus respondit: Qui lotus est semel, non oportet eum iterum lavari, sed est mundus totus?* At perfecta mundatio non erat in Joannis Baptismo, sed in Baptismo Christi Domini: igitur, etc.

OBJICIENS 1. Sacramentorum novæ Legi^s institutio et efficacia petitur ex ordinatione et mandato Christi: sed Christus tantum mandavit et jussit Apostolis, ut ministrarent Baptismum post suam Resurrectionem, quando videlicet Matth. 28. dixit: *Euntes, docete omnes Gentes*, etc.: igitur, etc. — **Nego minorem:** præceptum enim illud non continet primam Baptismi institutionem, sed ejus extensionem ad Gentes; ita quod Apostoli, qui antea solum facultatem habebant conferendi Baptismum Christi Judæis, tunc deberent illum ministrare omnibus omnino nationibus, quibus erant Evangelium prædicaturi.

OBJICIENS 2. Per Baptismum Christi confertur Spiritus Sanctus at hic non fuit datus ante Christi Ascensionem, ut patet his verbis Joan 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* It Act. 1. Christus Dominus post suam Resurrectionem dixit Discipulis: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* — **Distingo minorem:** Spiritus sanctus non erat datus absolute, et modo invisibili, *nego.* Certum enim est ante Christi Passionem Apostolos, et eos omnes, quibus Christus dixit, eis esse remissa peccata, fuisse justificatos, et consequenter accepisse Spiritum sanctum, idest, gratiam sanctificantem. Nondum erat datus modo visibili, ut factum est in die Pentecostes, *concedo:* illo enim die rursus baptizati sunt Discipuli Baptismo flammis, repleti utique omnium charismatum donis; nam, ut ait S. Cyrillus Jerosolymitanus: *Ut is, qui aqua mergitur, et baptizatur, undique ab aqua circumdatur, sic illi a Spiritu sancto sunt perfecti;* nam, ut ait S. Gregor. Hom. 30. in Evangelia: *Spiritus sanctus repentino sonitu super Discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit, et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia; quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt.*

OBJICIENS 3. Si Christus suum instituisset Baptisma ante Passionem, præcepisset Apostolis, ut illud ministrarent, maxime quando Lucæ 9. *dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemona, ut languores curarent, et misit illos prædicare regnum Dei, et curare infirmos:* at ibi nulla fit mentio de conferendo Baptismate: igitur signum est illud tunc non fuisse institutum. — **Respondeo ad minorem,** mirum non debere videri, quod ibi mentionem de Baptismate conferendo non fecerit Christus, cum ea facultas Apostolis non esset nova, sed ipsam antea exercuissent.

OBJICIENS 4. SS. Patres in secundo Notabili laudatos, maxime vero S. Leonem, qui docere videtur, Sacramentum Baptismatis non fuisse a Christo institutum, nisi post ejus Resurrectionem. — **Respondeo,**

illos SS. Patres solum id obiter, et dum aliud agerent, dixisse, ac subinde non mirum, si in re levioris momenti non probetur eorum sententia; maxime quando occurrunt alii SS. Patres contrariam sententiam fontes; sicuti plures nostræ assertioni adstipulantur cum S. August. *Ad S. Leonem* dico, ipsum in ea Epistola nihil definiisse, sed tantum doctrinaliter agere cum Episcopis Siciliæ, quibus intendit probare Baptismum non esse conferendum in die Epiphaniæ, sed differendum usque ad Resurrectionem et Pentecostem.

OBJICIENS 5. Causa præcedit effectum: sed Christi Passio est causa Sacramentorum omnium novæ Legis; operatur enim in his, et in Baptismo præcipue, quia Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*: igitur illa debuit præcedere Baptismum. — Distinguo minorem: Christi Domini Passio, ut peracta, tantum, *nego*: ut prævisa, et a Deo ad id acceptata, *concedo*. Unde neganda est consequentia: Baptismus enim etiam ante Chr. Passionem habebat efficaciam a Christi Passione, quia præfigurabat eam, aliter quam Sacramenta Mosaica; nam hæc erant tantum figuræ inefficaces; Baptismus erat efficax, quia justificandi vim habebat a Christo, per cujus virtutem ipsa quoque Passio de facto salutifera fuit. Qualiter autem meritum Passionis Christi potuit vim suam refundere in eos, qui ejusmodi Passionem præcesserunt, explicat Doctor in 3. dist. 19. q. 1. n. 10. ubi scribit, quod meritum Christi prævidebatur ab æterno, et ut sic prævisum acceptum fuit, ut aliquid boni conferretur electis, ratione illius antequam exhiberetur, ut scilicet eis, qui præcesserunt exhibitionem Passionis ejus, dimitteret originale, et conferretur gratia. *Probat exemplo* ex S. Anselmo, lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. « Esto, *inquit*, quod multi offenderunt unum Regem, et pro offensa exulant. Venit unus innocens de sanguine illorum, et promittit facere unum opus pro Rege placitum ei certo die statuto, ut Rex remittat eis offensam, et reconcilietur eis. Rex acceptando seruitium promissum remittit offensam, et si aliquis eorum deliquerit, si satisfacere et pœnitere voluerit, promittit ei iterum offensam illam dimittere; protestando tamen, quod nullus eorum, qui fuerunt inimici, intrabant Palatium suum, quousque servitium innocentis impleatur. Sic hic, Passio Christi hominis innocentis ab æterno prævisa, ut exhibenda in certo tempore, fuit multum accepta Trinitati, et pro ista omnibus credentibus illam exhibendam in tempore remisit offensam, quam contraxerant ex Adam, et quam postea commiserant, si pœnitere voluerunt; non tamen acceptavit eam tantum, ut aliquis ingrederetur Palatium suum æternum, antequam Passio exhiberetur in effectum. Isto modo remisit Patribus offensam in Circumcisione, sicut nobis in Baptismo: sed nullus est ingressus Palatium ante Passionem exhibitam ».

Conclusio tertia. — BAPTISMUS NON FUIT INSTITUTUS DUM CHRISTUS BAPTIZATUS EST IN JORDANE; NEQUE IN COLLOQUIO, QUOD HABUIT CUM NICODEMO JO. 3. SED PAULO POST ELECTIONEM APOSTOLORUM. Ita Doctor, ut constat ex priori Conclusionem; cui subscribunt Gabriel, dist. 3. q. unica ar. 3. et Richardus, art. 5. q. 1. dicentes, Christum insinuassee materiam Baptismi, dum baptizatus est in Jor-

dane, et designasse formam in colloquio cum Nicodemo; sed tantum instituisse post electionem, et nominationem Apostolorum.

Quod autem revera Baptismum suum non instituerit dum ipse baptizatus est, patet; quia institutio Sacramentorum est actus Legislatoris: Christus autem dum baptizatus est non gerebat personam Legislatoris, sed potius pœnitentis; unde Ecclesia in festo Epiphaniæ canit: *Hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos*: hoc est, ut impleret munus pœnitentis et satisfaciens pro nobis; quia nempe causam naturæ humanæ gerens ac sustinens, Baptismum pœnitentiæ suscipere voluit. Tum quia Sacramentorum novæ Legis institutio fieri non debuit ante ipsam novam Legem initiatam: at ipsa potissimum initium duxit per Evangelii prædicationem: prius enim lex promulgari debuit, quam obligaret, et vim aliquam obtineret: igitur cum Christus Dominus dum baptizatus est nondum promulgasset Evangelium, nec consequenter novam Legem fuisset auspicatus, non debet etiam censi instituisse Baptismum. Tum denique quia commo Christus Dominus censendus est instituisse suum Baptisma, quomodo voluit illud applicari et ministrari: sed præcepit Apostolis, ut priusquam Baptismum ministrarent baptizando, instruerent et docerent fidei mysteria: igitur pari ratione prius ipse docuisse videtur, quam Baptismum institueret et ministraret.

Secunda et tertia pars etiam est evidens, nempe quod non instituerit Baptismum in colloquio Nicodemi; quia, ut optime docet Doctor, non est verisimile tam necessarium Sacramentum, et ordinatum pro omnibus omnino hominibus, institutum fuisse ac præceptum in conclavi, et cum homine privato. Convenientius enim erat, ut illa institutio fieret publice, maxime coram eis, qui ejusmodi Sacramenti propalatores ac ministri esse deberent; institutio Sacramenti debet esse publica, et respectiva ad Ecclesiam: igitur probabilius apparet, Sacramentum istud dumtaxat institutum fuisse paulo post susceptum Baptismum a Joanne, et Apostolorum vocationem.

DICES: Plurimi e SS. Patribus constanter asserunt, aquas Baptismi accepisse virtutem sanctificandi, quando Christus baptizatus est a Joanne in Jordane; ita maxime S. Ambrosius, lib. 2. in *Lucam*: *Baptizatus est Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent*. Nazianzenus, Oratione 59. *Baptizat Joannes, Jesus accedit, fortasse ut ipsum quoque, a quo baptizatur, sanctitate afficiat, proculdubio autem, ut totum veterem Adam in aqua sepeliat*. Hilarius, in *Matth. Cap. 2. Christus exempli sui auctoritate, salutis humanæ Sacramenta consummat, hominem et assumptione sanctificans, et lavacro*. Hieronymus, Dialogo contra Luciferianos: *Jesus non tam mundatus est in lavacro, quam lavacro suo universas aquas mundavit*. August., Serm. 36. qui primus est de Baptismo Christi, ubi dixit Deum ita res Christi disposuisse, ut in eodem anni tempore esset quasi continuata festivitas, subdit: *Ut quemadmodum tunc eum miremur incorrupta Matre progenitum, ita et nunc suscipiamus eum pura unda submersum, et gloriemur in utroque facto, quia Filium genuit Mater, et casta est; et quia Christum unda lavit, et sancta est. Nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post Baptismum aquæ est*

purificatio comprobata; nisi quod pene majori munere quam Maria unda ditata est: illa enim sibi tantum meruit castitatem; ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit, ne peccaret; ista ut peccata purgaret: illa propria delicta a se repudiat; ista in se per Dei gratiam aliena condonat: illi est collata virginitas; isti donata fecunditas: illa unum procreavit, et pura est; ista generavit plures, et virgo est: illa præter Christum nescit alium filium: ista cum Christo mater est populorum. Et postea: Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractatus cunctorumque fontium venas ministerio Baptismi consecravit. Et Serm. 37. De Tempore, qui creditur esse B. Maximi, non Augustini: Quod fluentis Jordanis baptizatur Jesus, atque nostro Baptismate consecratur. Et postea? Baptizatur Jesus, non sibi, sed nobis: Baptizatur, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet; Baptizatur novus homo, ut novi Baptismatis Sacramentum instituat. —

Respondeo, SS. Patres his omnibus solum significare, non quod Christus Dominus in suscipiendo Baptismate aliquam sanctificativam virtutem indiderit aquis Jordanis, qua fierent capaces producendæ gratiæ et remissionis peccatorum, ut fit per Baptismum; alioquin in sola Jordanis aqua Baptismus esset conferendus, quippe cum illæ dumtaxat ipsam virtutem sanctificandi retinuisent; sed solum significant tunc temporis aquam in Christi Domini Baptismate designatam esse, ut inserviret hominibus sanctificandis per Baptismum. Communis enim loquendi modus SS. Patrum est, aquam destinatam per benedictionem Sacerdotis ad Baptismi Sacramentum, sanctificari, et vim sanctificandi combibere; ita enim loquitur S. Clemens, lib. 2. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 24. et Tertull., lib. *De Baptismo*, cap. 4. ubi ait: *Omnes aque de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo; supervenit enim statim Spiritus de cælis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt*, etc. Cyprianus, Epist. 70. *Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*. Hæc tamen non sic veniunt accipienda, quasi aqua sic benedicta per suum contactum habeat vim sanctificandi, sed quod ordinetur ac destinetur ut materia apta ad Sacramenti confectionem. Idem, proportione servata, dicendum est de aqua Jordanis. — Figuratum ergo fuit mystice Sacramentum Baptismi in Baptismo Christi Domini a Joanne in Jordane suscepto, tam quoad formam, quam quoad materiam: utraque designata fuit de facto. Forma quidem ex manifestatione trium divinarum personarum; Pater enim seipsum manifestavit voce; Spiritus sanctus in figura columbæ; Filius autem in assumpta humanitate. Materia similiter, quia ex contactu carnis Christi aqua sanctificata est et designata, ut fieret materia Sacramenti. Hæc autem sanctificatio aquæ recte dicitur dedisse jus mundandi a peccatis; non quod tunc fieret institutio Sacramenti, sed quod fuerit illius delineatio et designatio.

Conclusio quarta. — BAPTISMUS FUIT UTILIS ET SUFFICIENS PRO EXPIANDO PECCATO ORIGINALI ANTE CHRISTI DOMINI PASSIONEM. Hæc est Doct. contra S. Thom. qui. 3. p. quæst. 66. art. 2. distinguit

duo tempora Baptismi: *primum*, quo fuit dumtaxat sub consilio, nempe ab ejus institutione usque ad mortem Christi: *secundum*, vero tempus, in quo Baptismus fuit sub præcepto, videlicet statim a morte Christi. Tria pariter tempora statuit Circumcisionis: *primum*, usque ad mortem Christi, quando videlicet Circumcisio fuit non solum sub consilio, sed etiam sub præcepto; quia nondum abrogata fuerat Lex Mosaica: *secundum* tempus fuit a Christi morte usque ad solemnem promulgationem Legis Evangelicæ, quæ facta est in die Pentecostes, quo tempore intermedio dicit licitam fuisse Circumcisionem, sed inutilem; quia omnis ejus virtus, sicut et aliorum Sacramentorum Legis veteris, vigere desierat in Christi Domini morte: *tertium* denique tempus statuit ab ipsa solenni Evangelii prædicatione, postquam Circumcisio non solum inutilis, sed etiam prorsus erat illicita et mortifera.

Docet itaque Doctor primo, Baptismum statim ab ejus institutione fuisse sufficiens remedium ad salutem pro parvulis: *Si enim*, inquit, *unum præceptum impositum totaliter revocat aliud, consilium, seu monitio de uno, facit aliud non necessarium; quia cujus actus præceptum est alterius prohibitio, ejus actus consilium est licentia de non observando reliquum: ergo si præceptum de Baptismo erat prohibitio Circumcisionis, quantum ad fructum, etiam consilium de Baptismo reddebat Circumcisionem non necessariam.* Hoc est, præceptum impositum de suscipiendo Baptismate evacuat Circumcisionem quantum ad fructum et obligationem: igitur consilium de Baptismo etiam removet obligationem Circumcisionis. *Antecedens* admittitur ab omnibus. *Consequentiam* vero probat Doctor ratione morali petita ex natura legis, et præcepti; quia quoties una lex abrogat aliam legem de aliquo, etiam consilium de altero faciendo, quam quod lex præcipit, tollit illius legis obligationem; ac subinde consilium de suscipiendo Baptismate, quod vim obtinuit ab illius institutione, evacuavit obligationem Legis Circumcisionis; unde optime colligit Doctor n. 8. *quod si ante passionem aliquis Judæus, ad prædicationem Christi, vel Petri parvulum suum baptizasset, et non circumcidisset, si parvulus fuisset mortuus, salvatus fuisset; quia recepisset gratiam in Baptismo; a prima enim institutione Baptismus contulit gratiam.*

REPONUNT ADVERSARIUM, rationem Doctoris tantum vigere, quando duo actus (quorum unus fieri debet ex præcepto, ratione legis id ordinantis; alter vero fieri potest ex consilio ratione Principis id suadentis) sunt talis naturæ, ut non possint simul subsistere: quemadmodum consilium de servanda virginitate tollit præceptum de Matrimonio ineundo; quia Virginitas et Matrimonium consummatum simul stare non possunt. Secus autem est de Circumcisione et Baptismo; quia utrumque simul subsistere potest; nam ante mortem Christi fatetur Doctor tam Circumcisionem, quam Baptismum fuisse proficuum: igitur eorum actus non repugnabant, et consequenter consilium de suscipiendo Baptismate non removebat obligationem Circumcisionis. — **Contra:** non magis præceptum de suscipiendo Baptismate inducit repugnantiam inter actus, quam consilium de eodem: sed fatentur omnes præceptum de suscipiendo Baptismo sustulisse omnem obligationem Circumcisionis, quæ vigere desiit ab eo tempore quo Baptismus fuit præceptus: ergo idem dicendum de consilio. *Probat major:* quia

præceptum de Baptismo suscipiendo per se non infert repugnantiam ullam cum præcepto Circumcisionis; neque enim in se formaliter aut virtualiter continet illius revocationem; potuit enim utrumque præceptum simul vigere, si nempe Deus statuisset, ut Christiani adhuc post susceptum Baptismum tenerentur ex præcepto ad suscipiendam Circumcisionem; igitur Baptismi præceptum non aliunde habet vim removendi obligationem Circumcisionis, quam ex Christi Domini Legislatoris voluntate, qua nempe decrevit Baptismum succedere circumcisioni, quatenus Baptismus est professio Legis novæ, et janua Ecclesiae, in qua veritate illucescente, evanescere debent umbræ figurarum Legis veteris: sed id pariter sequitur ex voluntate Christi Baptismum instituentis, ac ministrantis, ac ejus susceptionem consulentis, tamquam aditum et transitum ad Legem novam inchoandam: igitur qua ratione præceptum Baptismi removet obligationem Circumcisionis, eadem consilium de suscipiendo Baptismo pariter obligationem illam revocabat.

Confirmatur: qui vovit ingressum alicujus Religionis laxioris, voto ac obligationi facit satis, ingrediendo Religionem aliquam strictiorem et perfectiorem: ergo a simili Judæi, qui tenebantur ad servandam Legem divinam ex præcepto, ipsi satisfaciebant profitendo fidem Evangelii, ac recipiendo media ordinata a Christo ad salutem. *Consequentia patet:* tum quia Lex Evangelica continet explicite et perfecte quidquid adumbratum erat in veteri, eaque est longe perfectior: tum quia Judæi tenebantur recipere Christum promissum, et ejus doctrinam, ac legem sectari; nam, ut ait Joan. 15. *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent*, etc. igitur peccatum habuerunt, non recipiendo Christum, et doctrinam ejus sectando: tum denique, quia quæ Christus Dominus docuit et instituit erant Legis veteris complementum: ac proinde Baptismus erat adimpletio Circumcisionis: quemadmodum igitur, qui finem obtinet, non indiget amplius medijs conducentibus ab ipsius assecutionem, et consequenter qui receperat Baptismum non egebat amplius Circumcisione.

DICES: Lex Mosaica vigit saltem usque ad Christi Domini Passionem, ut constat ex variis Scripturæ locis: nam Christus Dominus dum viveret, dixit Matth. 5. *Non veni legem solvere, sed adimplere:* unde Matth. 23. dicebat: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, et Pharisei..... quæcumque dixerint vobis, facite.* Unde Apostolus ad-Heb. 8. et 9. dicit vetus Testamentum consummatum fuisse in morte Christi; igitur omnia Legis veteris præcepta, ac proinde etiam præceptum Circumcisionis vigit usque ad Christi Passionem, et consequenter Baptismus tunc temporis non erat medium sufficiens ad salutem. *Deinde,* Doctor Subtilis in Reportatis dist. 3. q. 4. 5. n. 2. ait: *Dupliciter fuit promulgatio facta Baptismi: uno modo per modum consilii, Christo veniente in carne, sed non per modum præcepti: alio modo per modum præcepti. Primo modo non fuit necessarium recipere Baptismum; quia tunc imponebatur necessario Judæis Circumcisio usque ad Passionem Christi, et observatio Legis Mosaicæ, quod probant aliqui, quia Christus ante Passionem sñam comedit Agnum Paschalem, quod non fecisset, nisi necesse fuisset Judæos adhuc servare Legem Mosaicam. Patet igitur, quod ita est.* — **Distinguo antecedens:** Lex Mosaica vigit usque ad

Christi Passionem in eis, quorum oppositum non consulebatur, *concedo*: secus, *nego*. Non enim necesse est, quod lex maneat quoad omnia et singula ejus præcepta, ad hoc ut ipsa vigere et perseverare dicatur; potest enim fieri derogatio in aliquibus ejus præceptis, quando contrarium suadetur a Principe, quemadmodum Christus suasit receptionem Baptismi ante suam Passionem. Unde Lex vetus non omnimode consummata fuit in morte Christi: tamdiu namque viguit, donec promulgata fuit publice Lex nova, ut statim dicemus; ac proinde tantum desiisse dicenda est in morte Christi, quantum ad vaticinia Prophetarum, quæ ejusmodi Passionem prænuntiabant; necnon et quantum ad sacrificia et Sacramenta, quorum omnis virtus evacuata est per Christi mortem. — *Ad Doctorem* dico, ipsum illis verbis tantum significare quod Circumcisio necessaria fuerit Judæis usque ad Passionem Christi necessitate præcepti, quia adhuc vigeat præceptum de illa-suscipienda respectu Judæorum, qui Baptismus non susceperant; non autem censet eam fuisse necessariam necessitate mediæ, ita ut qui baptizatus fuerat, teneretur adhuc circumcidi, quia, ut dixit supra, Baptismus tunc erat medium sufficiens ad salutem. Non est igitur contradictio, quod Circumcisio ut medium necessarium evacuata fuerit a tempore institutionis Baptismi, et quod simul perseveraverit esse necessaria necessitate præcepti adultis et parvulis in signum professionis Legis Mosaicæ, quæ nondum omnino vigere desierat. — Quod autem nil aliud voluerit Doctor, apparet ex his quæ subjicit n. 4. in 4. d. 3. ubi post verba a nobis supra laudata n. 7. statim sibi objiciens, quod equidem dici posset quod Baptismus fuisset quidem sufficiens parvulo, sed pater peccasset eum non circumcidendo; sic respondet: *Contra, quia ante octavam diem potuit baptizare parvulum, et ex quo ille habuit jam remedium contra originale, et hoc credidit pater (nam credidit Baptismum efficacem ad hoc), tunc videtur, quod non tenebatur necessario providere parvulo de alio remedio, scilicet contra originale*. Ubi non excusat patrem a peccato, si octavo die non adhibuit Circumcisionem præceptam a Lege in signum tæderis, sed vel ab omni delicto, si infans mortuus fuerit intra octavam diem; vel a solo peccato contra pietatem, quæ patrem obligat ad providendum filii de remedio contra peccatum originale, quodcumque illud sit. Quod eisdem fere verbis explicat et inculcat in Reportatis loco jam cit. n. 7. *Si Judæus, inquit, fuisset baptizatus, et postea baptizasset filium suum postea genitum, et ille puer fuisset mortuus ante Passionem Christi, certum est, quod fuisset salvatus, quia ejusdem efficacis fuit Baptismus tunc, sicuti nunc: igitur non fuit necesse istum puerum circumcidere, supple ut salvaretur, et eximeretur a transgressione Legis, quæ præcipiebat octava die circumcidere*.

Conclusio ultima. — BAPTISMUS NON FUIT NECESSARIUS NECESSITATE PRÆCEPTI STATIM POST CHRISTI DOMINI MORTEM, SED TANTUM POST SUFFICIENTEM EVANGELII PRÆDICATIONEM, RESPECTIVE TUM AD JUDÆOS, TUM AD GENTILES. Ita Doctor loco supra laud. n. 11. ubi ait: « Dico quod in Baptismo non est distinguere, nisi duo tempora, scilicet tempus quo erat sub consilio, et tempus quo erat sub præcepto. Et primum duravit a principio, ex quo prædicabatur

« Evangelium, vel Baptismus per Christum, vel per Apostolos, usque
 « ad prædicationem solemnem et authenticam ejusdem post Ascen-
 « sionem Christi; ita quod primum tempus nullam habet differentiam
 « per mortem Christi, nec post eam, ex hoc solo, quod aliter ecur-
 « rit Baptismus post, quam ante. Secundum autem tempus, ut credo,
 « incipit in die Pentecostes, in Jerusalem, quia usque ad illum diem
 « Apostoli non prædicaverunt publice, juxta illud verbum Christi,
 « Lucae 21. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex*
 « *alto*. Sed in die Pentecostes misso Spiritu sancto solemniter præ-
 « dicaverunt, et apposita sunt illo die circiter tria millia, et baptizati
 « sunt. Actor. 2. Inde autem ad alias civitates, secundum ordinem,
 « cuilibet loco vel Genti erat tempus secundum, quando ibi publice
 « et solemniter prædicabatur Lex Evangelica; ita quod tempus non
 « incepit simul apud quoscumque: *Sed de Sion exibat lex, et verbum*
 « *Domini de Jerusalem*, juxta Prophetiam Isaïæ, et quibusdam incepit
 « tempus ad mensem post Pentecostem, et aliquibus ad annum, ali-
 « quibus ad decem annos, et sic deinceps, sicut eis prædicabatur.
 « Sed quantum ad Circumcisionem, distinguo quatuor tempora: pro
 « primo, erat necessaria: pro secundo utilis, non necessaria: pro tertio
 « nec utilis, nec necessaria, tamen licita: pro quarto omnino illicita
 « et mortifera. — *Primum* tempus Circumcisionis præcessit utrumque
 « tempus Baptismi. — *Secundum* tempus Circumcisionis comitabatur
 « primum tempus Baptismi, nam, sicut argutum fuit prius, ex quo
 « primo consulebatur Baptismus, non fuit Circumcisio necessaria vo-
 « lenti baptizari; sed tunc ecurrit utrumque sub disjunctione, ut
 « Judæus eligeret quodcumque vellet. Licuit enim, et profuit sibi
 « circumcidi si voluit (nec enim fuit tunc revocata, quantum ad utile,
 « nec quantum ad licitum); licuit etiam sibi, imo laudabile fuit ba-
 « ptizari. Et hoc etiam congruum fuit, quod in tempore intermedio,
 « inter duas leges, quando non subito prima tollitur, nec secunda im-
 « ponitur; illo, inquam, tempore simul currant ambæ sub disjunctio-
 « ne. — *Tertium* autem tempus Circumcisionis ecurrit cum secundo
 « tempore Baptismi, et hoc quantum ad Judæos, usque ad illud tem-
 « pus Pauli, de quo argutum est prius; imo verisimile est, quod bene
 « ultra, quia tempore purificationis Pauli videbantur Fratres in Je-
 « rosolymis approbare observantiam legis, et de ea consulere Paulo.
 « Sed quantum ad Gentiles conversos ad fidem, secundum tempus
 « Baptismi, et quartum Circumcisionis simul concurrerunt, saltem
 « post quatuordecim annos a Passione Christi, vel circiter; quando
 « scilicet Paulus ascendit Jerosolymam ad Seniores, super illa quæ-
 « stione consulens, de qua habetur Actuum cap. 15. ubi primo allegat
 « Petrus factum Concilii, de quo habetur Actuum 10. Et deinde Ja-
 « cobus tamquam Episcopus in Jerosolymis profert sententiam, secun-
 « dum Magistrum sententiarum, dicens: *Ego judico non inquietari eos,*
 « *qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; sed scribere ad eos, ut absti-*
 « *neant se a contaminationibus*, etc. et de illis quatuor, duo, scilicet ab-
 « stinere ab idolotrythis, et fornicatione, sunt necessaria». *Ita Doctor*. Ubi
 adverte hæc posteriora verba scripsisse solum juxta mentem historici;
 nam ipsi Concilio præfuit S. Petrus; quod sentit etiam Doctor; siqui-
 dem infra num. 15. dicit nuntios a Jacobo missos fuisse Petro subditos.

REPONUNT ADVERSARIUM 1. Legem divinam non exigere promulgationem sui, ut habeat vim obligandi. — **Verum**, contrarium aperte docuimus in *Tract. De Legibus*, et validissimis rationibus probavimus omnem legem, etiam divinam, necessario promulgari debere; quia lex divina non potest obligare ad impossibile; obligaret autem, si inferret necessitatem observandi ea, quæ sunt incognita, nec sufficienter manifestata: igitur, etc.

REPONUNT 2. Legem veterem expirasse in morte Christi, ut etiam nos docuimus in *Tract. De Legibus*, agendo de Lege Mosaica: igitur Lex nova debuit inferre obligationem, maxime respectu Baptismi, qui est aditus ad Legem Evangelii. — **Verum**, respondeo negando *consequentiam*: quia nullus aliter tenetur ad Legem servandam nunc, quam antea, nisi quia Lex est aliter promulgata: sed Baptismus non fuit aliter promulgatus sub præcepto post mortem Christi usque ad diem Pentecostes, quam fuerat ante Passionem: igitur tunc erat dumtaxat sub consilio, quemadmodum et ante Christi mortem. *Confirmatur*, quia non prius vigere debuit obligatio Baptismi suscipiendi, et amplectendæ novæ Legis, maxime respectu ad Judæos, antequam eis constaret revocatum fuisse Legem Mosaicam, ad quam servandam tenebantur: sed illa revocatio dumtaxat facta est per solemnem illam novæ Legis promulgationem in die Pentecostes: igitur ante illud tempus non vigeat adhuc obligatio novæ Legis. *Minor constat*, quia sicut promulgatio Legis se habet ad communitatem, ita et revocatio Legis prioris per subsequentem Legem: igitur, sicut promulgatio Legis Mosaicæ fuit publica, ita debuit esse sollemnis et publica illius revocatio. *Majorem vero probat* Doctor n. 9. quia Judæi tenebantur servare Legem Circumcisionis, donec eis innotesceret eam esse prorsus inutilem et vanam, nec amplius necessariam sibi ad salutem: hoc autem constare debuit per publicam revocationem illius obligationis, qua constaret Judæis Legem Circumcisionis non amplius vigere: igitur, etc.

DICES: Christus Dominus moriendo dixit: *Consummatum est*. Joan. 19. quibus significare voluit, consummatam esse et prorsus abrogatam omnem Legem veterem. Quod utique confirmatur per Apostolum, *ad Rom. 7.* ubi ait: *Itaque, Fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi*: ubi intelligendus est de corpore Christi crucifixo. — **Respondet Doctor** ad primum n. 18. illis verbis, Christum Dominum dumtaxat significare voluisse, *vel* quod consummata essent, quæ prænuntiata erant de sua passione, sicut consummanda prædixit, Lucæ 18. dicens: *Ece ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: vel*, inquit Doctor, si illud referatur ad antiquam Legem, sic debet intelligi, quod Lex Mosaica consummata fuerit et abrogata in sua causa; nam mors Christi Domini causa erat confirmationis Legis Evangelicæ; sed illa non fuit confirmata tamquam necessaria ad observandum ante prædicationem ejus publicam, quæ non incepit in Passione, sed in Pentecoste; tempore enim intermedio Discipuli sederunt in Cænaculo, nemini solemniter vel publice prædicantes. *Ad Apostolum* dico, eum sic esse intelligendum, quod nempe mortificati sumus Legi per corpus Christi; quia Lex extincta est in sua causa per Christi Domini crucifixionem; siquidem mors Christi Domini fuit confirmatio Legis Evangelicæ, et consequenter extinctionis

et revocationis Legis Mosaicae. *Nec obstat*, quod ibidem Apostolus utatur exemplo mulieris, quæ per mortem viri sui solvitur ab ejus Legè: quia Apostolus ibi non comparat mortem Christi cum morte viri, et ideo non dixit: mortificati estis Legi *in morte*, aut corpore Christi, sed per *corpus Christi*: hoc est, per mortem et crucifixionem, quæ causa fuit. cur Mosaica Lex obligare desineret.

QUÆSTIO TERTIA.

QUOTUPLEX SIT BAPTISMUS.

NOTANDUM 1. Baptismum a Theologis solito distingui triplieem, nimirum fluminis, flaminis, et sanguinis. Baptismus *fluminis* ille est, qui confertur in aqua naturali cum expressa invocatione SS. Trinitatis. Baptismus vero *sanguinis* est martyrium; *flaminis* autem est contritio cum proposito suscipiendi Baptismum aquæ. Porro hæc duo idcirco vocantur baptismata, quod quemadmodum Baptismo aquæ abluimur, ita et Martyr proprio sanguine perfunditur, et pœnitens propriis lacrymis irrigatur. — Baptismum sanguinis designavit Christus Dominus Marci 10. cum filios Zebedæi alloquens ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Quem Baptismum sic commendat S. Cyprianus, Epist. ad Jubajanum, ubi loquens de Catechumenis martyrium subeuntibus, dicit illos *non privari Baptismi Sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis Baptismo, de quo et Dominus dicebat, habere se alio Baptismo baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, et Passione sanctificatos consummari, et divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa Passione credentem, et confitentem loquitur, et quod secum futurus sit in Paradiso pollicetur.* Baptismum vero flaminis pluries commendant SS. Patres, maxime vero S. August., lib. 4. *De Baptismo*, cap. 21. ubi ait: *Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem hæretico baptizato antepone non dubito, sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus, nec ideo tamen Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam, aut Catechumeni Sacramento Sacramento Baptismi præferendum putamus, cum aliquem Catechumenum aliquo baptizato fidiorem, melioremque cognoscimus: -melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus Simone Mago baptizato; iste enim et ante Baptismum S. Spiritu repletus est; ille et post Baptismum immundo spiritu inflatus est.*

NOTANDUM 2. Quod etsi Baptismus sanguinis et flaminis a SS. Patribus (ut constat ex Sanctis Cypriano, et Augustino mox laudatis) appellentur Sacramenta; verâ tamen Sacramenti dignitatem ac definitionem sibi non vindicant; nec enim martyrium, nec contritio sunt signa certa et sensibilia divinitus instituta ad gratiam efficaciter significandam et conferendam, ut jam de martyrio dictum est, agendo de Sacramentorum numero; de contritione vero dicemus Disp. sequenti; sed appellantur Sacramenta propter eam, quam habent cum Baptismo aquæ analogiam, et maxime quoad illius effectum, quam supplere dicuntur. De Baptismo quidem flaminis apertissima est veritas in Scriptura sacra illis omnibus oraculis, quibus Deus spondet

veniam et gratiam peccatori penitenti, ac divinam misericordiam postulanti. Sic Ezechiel 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit.* Sic Actor. 10. v. 22. Cornelius Centurio nondum baptizatus Baptismo aquæ dicitur *Vir justus, et timens Deum.* Et ibidem cecidit Spiritus sanctus super Gentiles contritos, nondum baptizatos. Unde S. Petrus ait: *Numquid aquarum quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos?* Hinc S. Ambrosius Orat. in obitu Valentiniani junioris Imperatoris Catechumeni occisi, cum nondum esset baptizatus, ait: *Baptismi gratiam, quia postulavit, accepit.* Idque constantissimum est ex Concilio Tridentino, Sess. 6. c. 4. ubi loquens de justificatione per Baptismum dicit, quod *justificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Ubi per *votum* significat contritionem, quæ urgente necessitate sufficit ad consequendam Baptismi gratiam; sic enim interpretatur hæc Christi Domini verba; *Nisi quis renatus fuerit,* etc. Quapropter optime notavit S. Bernard., Epist. 77. quod cum Christus Dominus Marci 16. dixisset: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;* non repetiit: *Qui vero non baptizatus fuerit:* sed tantum: *qui vero non crediderit, condemnabitur,* innuens solam interdum fidem charitate flagrantem ad salutem sufficere, ut optime docet S. Aug., lib. 4. *De Baptismo,* c. 24. ubi cum dixisset fidem formatam interdum justificare extra Sacramentum, idque probasset exemplo boni Latronis, et Cornelii Centurionis, subdit, cap. 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis; sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum eorum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut alterutrum desit; quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in Latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset,* etc. Sola itaque remanet difficultas de Baptismo sanguinis. Quapropter

NOTANDUM 3. Baptismum sanguinis, seu *martyrium*, secundum significationem idem esse, ac *testimonium* quod datur Deo, vel Christo per mortem; at secundum rei veritatem, est *mors violenter illata pro fide Christi, aut vera virtute homini non resistenti.* Quibus verbis quatuor ad martyrium perfectum conditiones necessariæ declarantur: *prima* est, quod sit *mors illata*, requiritur enim ad completum et perfectum martyrium, quod revera animam quis pro fide aut Religione ponat, ita quod mors revera sequatur, aut saltem naturaliter sequeretur, nisi vita divinitus servaretur, prout servata fuit tribus Pueris in fornace Babylonica, necnon et S. Joanni Evangelistæ misso in ferventis olei dolium, et pluribus aliis, qui ab Ecclesia inter Martyres computantur. Profecto, quod mors divinitus impediatur, auget rationem martyrii; per hoc enim fit omnibus manifestum, quod Deus hominis patientis causam approbet; unde acceptatio illa mortis est tam efficax fidei testimonium, quam si revera ipsa mors sequeretur. Quapropter Doctor Subtilis in 4. dist. 4. q. 6. n. 4. non dubitat asserere aliquem fieri posse pluries Martyrem; ait autem: *Quod baptizatus Baptismo san-*

guinis, si postea est nobiscum viator, tenetur affectu, et pro loco, et tempore recipere effectum Sacramentum, idest Baptismum fluminis; hoc autem quod supponitur, est bene possibile, sicut de quibusdam legitur quod sunt facti bis Confessores; quia sustinuerunt bis pœnas pro fide, propter quas tamen non sunt mortui. — *Secunda conditio est*, quod illa mors sit *violenter illata*, quamvis enim aliquis pro Dei gloria, et fratrum salute moreretur, non tamen propterea perfectus Martyr esset censendus; unde qui pro fratribus animas ponunt, sive in obsequio pestiferorum, sive in justo bello, non sunt proprie dicendi Martyres. Hinc in Martyrologio ad diem 28. Februarii scriptum reperimus: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum Ministrorum, qui tempore Valentiniani, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetierunt, quos velut Martyres religiosa priorum fides venerari consuevit. Dicuntur velut Martyres cæli, quamvis tales non sint; quia mortui quidem sunt pro fratribus, sed pro fratribus eis mors non est violenter illata; aliud autem est mori, et aliud mortem interri pro fratribus, hoc enim ultimum desiderari videtur ex communi Ecclesiæ sensu ad proprie dictum martyrium.* — *Tertia conditio est*, quod mors sit illata *in odium fidei, aut veræ virtutis*: nam, inquit S. Augustinus, in Psal. 38. *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Hinc Epist. 50. quæ est ad Bonifacium, *Veri Martyres, inquit, illi sunt, de quibus Dominus ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: non ergo qui propter iniquitatem, et propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt.* Dixi, aut *veræ virtutis*, Ecclesia enim colit pro veris Martyribus, non solum eos, qui mortem obeunt propter veræ fidei confessionem, sed etiam qui moriuntur propter aliquam violentiam; sic enim Martyres numerantur Thomas Cantuariensis occisus propter defensionem libertatis Ecclesiasticæ, et plures Virgines occisæ propter custodiam castitatis. — *Quarta tandem conditio ad verum martyrium est*, quod mors violenter inferatur homini non resistenti: unde commune illud effatum: *Martyr non pugnat, sed patitur*; siquidem conformari debet Christo Domino qui testimonio perhibuit veritati, non contradicendo, sed patiendo; cum enim pateretur, non comminabatur, sed tamquam ovis ad occisionem ductus coram tondente se obnutuit, et non aperuit os suum. Unde milites in bello ob defensionem fidei et religionis suscepto genere occumbentes, quamvis plurimum mereantur, tamen censendi non sunt veri Martyres; milites enim ordinarie pugnant cum spe evadendi mortem, imo et occidendi invasorem, finis enim pugnæ victoria est; ac proinde patiuntur mortem magis ex necessitate, quam voluntate.

His ita prælibatis, duo maxime supersunt hæc in Quæstione determinanda: *primum*, utrum Baptismum fluminis ita sit unicus numero, ut nulla ratione possit iterari: *secundum*, utrum Baptismus sanguinis revera virtutem habeat delendi quodlibet peccatum, et hominem justificandi.

Conclusio prima. — BAPTISMUS ITA EST UNICUS NUMERO, UT SEMEL VALIDE COLLATUS, NULLA RATIONE POSSIT ITERARI. Hæc est

de fide determinata in illis omnibus Conciliis, in quibus stricte prohibetur, ne debite ab hæreticis baptizati, iterum baptizentur; expresse vero in Concil. Trident., Sess. 7. Can. 11. *Si quis dixerit, rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam revertitur, anathema sit.*

Probant aliqui hanc veritatem ex illo ad Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Ita S. Leo, Epist. 37. cap. 1. *Scimus, inquit, expiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum damnata a SS. Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis simul tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in Baptismate Sacramentum.* Hinc Epist. 79. cap. 7. scribit: *Hanc regulam (ut scitis) servandam omnibus Ecclesiis prædicamus: ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* — **Verum reponi posset hanc unitatem Baptismatis, de qua loquitur Apostolus, esse specificam, non vero numericam, quemadmodum S. Augustinus explicat unitatem fidei, lib. 13. De Trinit., cap. 2. Ita dicitur, inquit, ea credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una; cum et in ipsis, qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua; alterius autem lateat, quamvis idem velit.** Unde satius est asserere cum Doctore, non aliam a priori hujusce veritatis proferri posse rationem, quam ipsam voluntatem Christi sic Baptismum instituentis, ut circa eandem personam semel valide collatus, nulla ratione posset iterari, cum rationes congruentes id suadeant, saltem a posteriori, quas Doctor sic expendit in 4. dist. 6. quæst. 7. num. 3. ubi ait: « Dico quod ratio initerabilitatis Baptismi est institutio divina, cujus non est aliqua causa prior, nisi voluntas ejus. Tamen ista institutio est rationabilis, tum ex morbo, contra quem principaliter instituitur; istud remedium enim principaliter instituitur contra originale peccatum, quod non est nisi unicum. *Nec iterari potest* tum ex fine principali, ad quem est; habet enim plenam remissionem pœnæ, et culpæ. Si autem posset homo habere frequenter talem remissionem plenam ab utroque, esset magnum incentivum delinquendi. Illud enim, quod est institutum in remedium relabentium, utpote Pœnitentia, non est sine magna pœna solvenda pro peccato. *Tum tertio*, quia per istud Sacramentum, cum sit principium et janua, per quam intratur in Legem Christianam, adscribitur aliquis familiæ Christi, et fit membrum ejus et Ecclesiæ militantis. Licet autem aliquis ingressus in Collegium, si offendat, postquam ingressus fuerit, possit reconciliari et Collegio et capiti Collegii, non tamen frequenter in collegium intrat ».

Quibus verbis Doctor significat non posse aliam assignari rationem a priori, cur Baptismus semel collatus non sit iterabilis, quam divinam voluntatem, quæ ita statuit, ac ordinavit. Nihilominus a posteriori possunt aliquæ assignari rationes congruentes illius divinæ ordinationis: quarum prima petitur ex parte originalis peccati, ad quod eluendum Baptismus principaliter institutus est. Cum autem hic morbus semel sanatus non reviviscat, etiam nec iterari debet illius remedium. Secunda repeti potest ex parte effectus, videlicet plenariæ remissionis

peccati; quam ubi semel quis assecutus est, conveniens fuit, ut iterum ipsi non proponeretur accipienda, ne videlicet præberet ansam sæpius delinquendi, si absque ullo prorsus labore ex parte sui, posset peccator plenariam suorum peccatorum indulgentiam consequi. Unde etiam S. Paulus ad Hebræos 6. ait: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi. et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quibus significat, juxta communem Interpretum sententiam, semel acceptam plenariam peccatorum remissionem per Baptismum non posse obtineri absque satisfactione ex parte peccatoris, licet obtineri possit per frequentem, et laboriosam pœnitentiam. Tertia tandem ratio est, quod per Baptismum quis adscribitur familie Christi, et fiat membrum corporis ejus; unde sicut aliquis adscriptus in societatem alicujus regni, si offendat, poterit quidem reconciliari capiti et membris, per hoc autem non dicitur eis inseri: quia peccando non amittit jura regni, aut civitatis, sed dumtaxat fit reus legibus; ita baptizatus offendens Deum, per Pœnitentiam reconciliari poterit, non tamen poterit iterum fieri Christianus, quia jam talis esse supponitur.

Eandem veritatem probant alii Theologi ex eo, quod Sacramentum Baptismi characterem indelebilem imprimat; quo fit, ut nulla ratio sit iterabilis; quæ utique ratione etiam utitur Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de Sacramentis novæ Legis, ait: *Inter hæc Sacramenta tria sunt. Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non iterantur.* Consonat Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 7. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima... unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Quam utique rationem non improbat Doctor, ut volunt aliqui; nam ipsam ut veram supponit q. 9; sed tantum q. 7. n. 2. dicit illam rationem non procedere ex notioribus, quia magis notum est Sacramentum non posse iterari, quam quod imprimat characterem; Quia, inquit, a principio, ex quo Baptismus fuit institutus, fuit manifestum de eo, quod non licuit eum iterari; quod autem character imprimatur, non est notum ex prima ejus institutione, nec ex tota Scriptura, neque etiam ex multis auctoritatibus Sanctorum. Igitur nulla alia efficacior hujus veritatis asserendæ proferri potest ratio, quam constantissima et universalis Ecclesiæ praxis, quæ Baptismum non esse iterabile perpetuo docuit. Cujus quidem traditionem imprimis testis est S. Clemens Romanus, lib. 6. *Constit.*, cap. 15. ibi: *Eodem modo ibi contenti sunt uno solo Baptismo, qui in Domini mortem traditur... neque impiorum Baptismus recipitur, neque is, qui præter sanctos administratur, altero Baptismo debet irritus effici: ut enim unus est Deus, et unus Christus, et Paraclitus unus, sic unus est Baptismus, qui in ejus nomine datur.* Et paulo inferius: *Verumtamen initiatos Baptismate iterum baptizare tentantes crucifigunt Dominum, iterum eum interimunt, derident divina, eludunt sancta, insultant Spiritui, sanguinem sanctum veluti communem contemnunt, peccant in mittentem, in passum, et in testificantem.* Concordat Can. 47. Apostolorum: *Epi-*

scopus, inquit, aut Presbyter, si eum, qui secundum veritatem habebat Baptisma, denuo baptizavit, aut pollutum ab impiis, hoc est, baptizatum ab hæreticis, non servantibus sinceram formam Baptismatis, non baptizaverit, deponatur tamquam deridens crucem et mortem Domini. Ut quid hoc? quia Baptismus representat mortem, sepulturam, et resurrectionem Christi, teste Apostolo ad Rom. 6. v. 3. 4. et 5. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vite ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Unde sicuti Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, et semel surrexit, ita et nos per Baptismum eidem consepulti; et per eundem resurgentes, non possimus iterato sepeliri, ne significemus Christum iterato posse mori et sepeliri. Atque hæc est optima congruentia voluntatis instituentis.

OBJICIT DOCTOR IBIBEM: « Baptismus non est præstantius Sacramentum, quam Eucharistia et Pœnitentia: sed hæc sæpius iterantur: « igitur etiam Baptismus iterari potest ». — Respondet Doctor, n. 3. quantum ad Eucharistiam, paritatem in hoc solum valere inter Eucharistiam, et Baptismum, quod quemadmodum eadem hostia non potest pluries consecrari, ita eadem persona pluries baptizari. *Ad argumentum dico, inquit, quod illa prolatio verborum, quibus Eucharistia consecratur, non est Sacramentum, sed est consecratio Sacramentalis, et illud non licet bis iterare super eandem materiam; et si secundo iteratur, nihil fiet. quia prius factum est... Licet ergo eadem persona possit frequenter communicare, sive recipere Eucharistiam, non tamen super eandem materiam frequenter possunt proferri verba consecrationis Eucharistiæ; nec sic Eucharistia debet iterari, quod proprie aliqua materia hujus Sacramenti bis suscipiat formam ejus. Ergo a simili non licet verba formæ Baptismi pluries super eandem personam proferre.*

Conclusio secunda. — BAPTISMUS SANGUINIS REVERA HABET VIM SUPPLENDI VICEM BAPTISMI FLUMINIS EX OPERE OPERATO. Hæc est communior et verior, et

Probatur primo illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Christus Dominus spondet vitam æternam ei, qui vitam temporalem pro Dei gloria perdiderit. Sic Matth. 16. *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Vel, ut legitur apud Marcum, cap. 8. *Qui autem perdidit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam.* Hinc Matth. 10. idem Christus Dominus testatur: *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Quæ propositiones non minus generales sunt, quam illa Christi comminatio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* Unde S. Augustinus, lib. *De Civitate*, cap. 2. sic ratiocinatur: tam certum est perfectum Martyrem sua passione consequi gratiam et remissionem omnium peccatorum; propter hoc Christi Domini testimonium, *qui me confessus fuerit, etc.*, quam certum est neminem sine Baptismo

posse salvari, propter hæc verba, *nisi quis renatus*, etc. sed hoc certum est: ergo et prius. Quod autem martyrium hunc effectum præstet quasi ex opere operato, probatur ex sensu Ecclesiæ: *Quæ*, inquit S. August., lib. 3. *De Libero arbitrio*, cap. 23. *non frustra etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat*. Hinc de iisdem cantat Ecclesia in Collecta diei festi SS. Innocentium: *Deus cujus hodierna die præconium innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*. Et in Hymno: *Salvete, flores Martyrum, quos lucis ipso in limine Christi insecutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas*.

NEC VALET REPONERE, eos dumtaxat Martyres ab Ecclesia coli, qui prius per Circumcisionem ab originali peccato mundati fuerant. — **Hæc, inquam, responsio** prorsus est inutilis: tum quia S. Augustinus, lib. *De Symb. ad Catechumenos*, cap. 4. de ipsis infantibus generaliter pronuntiat, eos per Martyrium fuisse ab originali peccato mundatos: « *Ipsi, inquit, qui moriebantur, natura filii iræ erant, sicut et cæteri; sed quid eis præstitit gratia, nisi ut eos erueret a potestate tenebrarum? Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur, nati sunt ad mortem, et sed continuo eos reddidit vitæ* ». — Ipsi consonat S. Leo Papa Serm. 1. *De Epiphania*, cap. 3. *Quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit celo, quibus necdum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem*. Quis autem ambigat multos ex illis necdum fuisse justificatos a peccato originali? Etenim variæ erant proles infidelium Judæis permixtorum: plures quoque necdum erant octiduo nati, adeoque nec circumcisi. *Deinde*, esto fuissent omnes antea justificati, cur tamen magis, quam alii parvuli in gratia decedentes colerentur specialiter ab Ecclesia tamquam sancti, si ratione mortis illatæ specialem gratiam aut sanctitatem non accepissent? Neque enim honorantur ob Circumcisionem, sed ob mortem toleratam pro Christo. — Porro quæ SS. Innocentium, eadem est ratio aliorum parvulorum, si contingat illos pro fide Christi, aut vera virtute occidi. Quid enim speciale potest in his excogitari, quod non in aliis? Unde S. Leo, Serm. 2. in *Epiphaniam*: *Ita Christus, ut nullum tempus ei esset absque miraculo, ante usum lingue potestatem Verbi tacitus exercebat, et quasi jam diceret: sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum; nova gloria coronabat infantes, et de initiis suis parvulorum primordia consecrabat, ut disceretur nullum hominem incapacem esse divini Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta Martyrii*. — Hanc pariter Martyrii efficaciam ut supplementis vicem Baptismi aquæ in adultis statuunt SS. Patres. Cyprianus in præfatione suæ exhortationis ad martyres, his verbis: *Nos tantum qui Domino permittente primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes hoc esse Baptisma in gratia majus. in potestate sublimius, in honore pretiosius; Baptisma, in quo Angeli baptizant, Baptisma, in quo Deus et Christus exultant: Baptisma post quod nemo jam peccat; Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat*. Similiter S. Ambrosius in Psal. 118. Octonario 3. circa medium, distinguens triplex Baptisma, fluminis, flaminis, et sanguinis, ait: *Unum est Ba-*

ptisma, quod hic tradit Ecclesia per aquam, et Spiritum sanctum, quo necesse est baptizari Cathecumenos. Est aliud Baptisma: de quo ait Deus Jesus: Baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis, et utique jam baptizatus in Jordane fuerat; sed si hoc Baptisma Passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur. Idem expresse probat prædictis citatis auctoritatibus S. Bernardus, Epist. 77. quæ est ad Magistrum Hugonem a S. Victore; ubi contrarium asserentes nominat novarum inventores assertionum, et assertores inventionum. Aitque: Ab his duobus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, difficile avellor: cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens et ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramentum.

DICES 1: S. Cyprianus et Patres Africani Concilii, cum prius in quodam Concilio suo statuissent, ut lapsi non nisi diu pœnitentia acta admitterentur ad pacem, nisi forte periculum infirmitatis urgeret; jam nova urgente persecutione statuerunt in alio Concilio, omnibus, qui pœnitentiam egissent, pacem dandam, ut fortiores essent ad passionis prælium; ut constat ex eorum Epistola, quæ apud Cyprianum 54. locum obtinet, et ad Cornelium summum Pontificem dirigitur. In qua num. 16. hæc habentur. *Nec quisquam dicat: qui Martyrium tollit sanguine suo baptizatur; nec pax illi ab Episcopo necessaria est habituro Ecclesiæ pacem, accepturo majorem de Domini dignatione mercedem. Quasi diceret Martyrium non sufficere lapsis, nisi acceperint ab Episcopo pacem et peccatorum absolutionem. — Respondeo, prædictos Patres ibi tantum loqui de eo casu, in quo lapsi possunt accipere beneficium absolutionis antequam Martyrium sabeant, quia (inquiunt ibidem) hæc omissio censetur esse ex parte lapsorum quædam præsumptio et contemptus absolutionis; ex parte vero Prælatorum quædam negligentia segnis, et crudelis duritia, quæ (inquiunt) nobis adscribetur in die iudicii, quod creditas et commissas oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare. Ex quibus colligitur Patres nolle eos veniam non consequi defectu Martyrii, sed præviæ dispositionis; nam S. Cyprianus, quod prodesset Martyrium, satis superque supra laudatus indicat.*

DICES 2: In Concilio Bracharensi, Can. 35. prohibetur ne fiat oblatio pro Cathecumenis absque Baptismo morientibus; ergo censet eis nec Martyrium nec contritionem prodesse. — **Nego consequentiam;** loquitur enim Concilium de eis solum Cathecumenis, qui gravi baptismatis negligentia vel contemptu moriuntur; pro quibus superfluum esset orare, cum talis contemptus tanti remedii eos faciat venia indignos. Eam autem esse mentem Concilii, colligitur ex eo, quod Canone præcedenti decernat non esse faciendam commemorationem in Missæ sacrificio eorum, qui in statu peccati mortalis obierunt.

DICES 3: Licet Martyrium ab adulto consummatum videatur posse remittere peccata, non tamen ita de parvulis, aut dormientibus, cum nec sit actus alicujus virtutis, aut charitatis, aut fortitudinis, aut religionis; quippe cum actus virtutis debeat esse liber et a libera voluntate elicitus; cujus conditionis non sunt nec infantes, nec dormientes, nec pariter sit Sacramentum, ut constabit infra. — **Respondeo,** Martyrium præcise sumptum nihil aliud esse, quam actualement mortem pro Dei gloria exceptam; qualiter præscindit tam ab

actu virtutis, quam a non actu virtutis. Id namque in speciali, et ratione subjecti duplex potest distingui; quatenus enim ab adultis voluntarie toleratur, est actus virtutis charitatis, aut fortitudinis, etc.: quatenus vero est in infantibus, aut amentibus, aut dormientibus, est tantum opus secundum Dei ordinationem pro ejus gloria toleratum. Huic autem utrique Deus justificantem gratiam, aut ejus augmentum annexum esse voluit, sicut Ecclesia testatur de Innocentibus in oratione, et officio eorum solemnitatis: *Deus cujus hodierna die præconium innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt, etc.*

-INSTABIS: Hæc responsio militat in Sanct. Bernardum. Is enim Epistola 77. supra laudata, cum dixisset, imminente morte, hominem per fidem et desiderium suscipiendi Baptismatis, si de facto suscipere non possit, nihilominus salvari; addit: *Vide etiam ne forte id voluerit Salvator cum diceret: Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit: caute, et vigilanter non repetierit, qui vero non baptizatus fuerit, sed tantum, qui vero (inquit) non crediderit, condemnabitur: nimirum innuens solum fidem interdum sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil. Quapropter etsi Martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pœna, sed fides, nam absque ipsa, quid est Martyrium, nisi pœna?* — **Nego antecedens;** S. enim Bernard. ibi tantum loquitur de adultis, et ratione utentibus, quos fateor debere consentire, non vero invite subire Martyrium. Hic autem consensus, et a fide, et a charitate est eliciendus. S. enim Bernardus, Serm. *De Sanctis Innocentibus*, distribuit omnes Martyres in tres classes. In *prima*, reponit illos, qui voluntate, et externo opere Martyrium consummant. In *secunda* constituit eos qui voluntate solum Martyrium fecerunt; ut S. Martinus, et Seraphicus Pater Franciscus, quibus non Martyrio voluntas, sed voluntati Martyrium defuit. In *tertia* ordinat eos, qui opere dumtaxat externo sunt martyres. Martyrium primi, et secundi ordinis debet esse actus virtutis; alioquin esset frustraneum; posterioris vero non ita. De prioribus loquitur Bernardus in dicta Epistola, non de posteriori, cum ipse Innocentes opere tantum, nihilominus veros Martyres fuisse pronuntiet.

URGEBIS: Hæc responsio est contra doctrinam Apostoli dicentis et docentis 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: ergo nullam efficacitatem habet Martyrium, nisi a charitatis actu; ac proinde qui sunt talis actus eliciendi incapaces, erunt et percipiendæ gratiæ per Martyrium conferendæ.* — **Nego antecedens:** siquidem S. Paulus de seipso adulto, ac proinde qui poterat sese libere ad Martyrium determinare, loquebatur. Fateor enim adultum in peccato mortali existentem, qui nec Martyrium desideravit, nec ad id sese determinavit, si dormiens occideretur in odium Christi, non propterea salvari, quia cum peccatum mortale committitur propria voluntate, non potest absque proprio voluntatis motu deleri. *Vel distingo:* Martyrium sine charitate antecedente et comitante nihil prodest in eo, qui vel antecedentem, vel consequentem habere potest, *concedo:* nihil prodest in eo, qui neutram habere potest, cum sit libertatis et rationis impos, nec in eo, qui cum præcedentem non habuerit, habet comitantem, *nego.* Implicat autem adultum fidelem velle pro Christo animam fundere, et de facto expo-

nere, absque eo quod habeat charitatem. Dixi *fidelem*; quia si haereticus circa unum fidei articulum, pro alio vero, quem credit, occideretur, non esset martyr dicendus, eo quod Christo nullatenus nec per charitatem, nec per fidem infusam uniretur. Dixi *pro Christo*, quia si pro vana gloria, vel motivo præter Christum obiret, martyr non esset.

DICES 4: Si Martyrium primam gratiam conferat, id erit vel ante mortem, vel in instanti mortis, vel post mortem. *Non primum*; tum quia cum mors sit de formali ratione Martyrii, sequeretur ipsum conferre gratiam antequam esset, ac proinde majoris esse efficacitatis, quam Sacramenta; tum quia operari sequitur esse: ergo prius debet esse perfectum. Martyrium, quam gratiam edat; tum denique quia plures ipsa etiam morte instante in tormentis defecerunt a fide, et gratia; ac proinde non sunt assecuti Martyrii gratiam, a qua nullus excidit, cum sit ultima ad gloriam dispositio. *Nô etiã secundum*, nec *tertium*; quia instans mortis est primum non esse hominis, ac proinde est extra statum viæ, et consequenter extra statum salutis. Ergo, etc. — **Respondent** communiter Doctores cum Verga et Isamberto, tunc conferri primam gratiam, vel ejus augmentum per Martyrium, quando Martyr accepto lethali vulnere, ac tormentis eo in statu sistitur, ut ab eo nulla causarum secundarum virtute, nec vitam servare, nec pristinam sanitatem iterum possit assequi; sive interim moriatur, sive per miraculum vitam tueatur, sanitatemque recipiat; in cujus confirmationem Ecclesia ut martyres colit eos, qui gravi accepto vulnere pro Christo in fide non defecerunt, licet tormentis, ac plagis inflictis supervixerint. Nec refert quod physice pro libertate possint adhuc peccare, ac proinde a gratia Martyrii excidere; nam (*inquiunt*) moraliter ita prævenitur eorum voluntas, ut nusquam sit a charitate defectura. *Respondeo* quod cum Deus perspicacissimus sit cordium scrutator, tunc gratiam infundit adultis, cum Martyris voluntas per actum liberum sese determinat ad tormenta, mortemque constanter pro Christo subeundam; si vero mors non subsequatur, id non provenit defectu Martyris, qui jam voluntarie ad eam obeundam sese determinavit, sed defectu persecutoris ab inceptis tormentis et plagis desistentis: tunc enim Martyr vere pro Christo animam suam ponit, eumque coram hominibus confitetur.

INSTABIS: Ex hoc sequitur eum, qui vere Martyrium desiderat, seque determinat ad id subeundum, si persecutor adesset, vere dici Martyrem, ac Martyrii gratiam consequi, licet tamen nulla unquam tormenta patiatur: falsum *consequens*, ergo et *antecedens*. — **Nego sequelam**, quia aliud est desiderare Martyrium, aliud ad id sese determinare, cum præsens instat occasio. Apostoli enim pro Christo mortem obire decreverant dum dixerunt: eamus et nos, et moriamur cum illo; et tamen dum quærerent Christum Judæi, relicto eo omnes Apostoli fugerunt. Unde censeo Martyrium, quod dicitur, *voluntatis*, gratiam non operari qua Martyrium est formaliter, sed qua præstantissimus est charitatis actus, quo quis Deum etiam usque ad propria vitæ contemptum diligit.

URGEBIS: Actus exterior non addit quidquam bonitatis actui interiori: ergo si voluntas subeundi Martyrii gratiam non operetur, nec ipsummet Martyrium operabitur. — **Distinguo**: actus exterior, qui per

se non præcipitur, aut intenditur, ac ordinatur ad effectum, transeat: secus, *nego*. Baptismus enim, et cætera Sacramenta, cum per se ordinentur ad gratiam, aliquid efficiunt, v. g. characterem, et gratiam ex opere operato, quam actus interior, seu sola voluntas non producit. Martyrium autem, seu probatio voluntatis per tormenta, ex se ad gratiam ordinatur. Unde Christus ait: *Qui confitebitur me* (non solum coram Deo per voluntatem) sed etiam *coram hominibus* (per tormentorum perpassionem) *confitebor et ego eum coram Patre meo*.

QUÆRES: *Utrum Baptismus sanguinis sit dignior Baptismo fluminis?*

RESPONDET Seraph. Doctor dist. 4. p. 2. art. 2. q. 2. quod « dignitatis præeminentia in his Baptismatibus conspicitur ex consideratione effectuum eorumdem. Utriusque autem effectus, scilicet sanguinis et fluminis, est et in liberando a malo, et in ordinando ad bonum, et utroque modo se habent sicut excedentia et excessa. Nam major effectus, sive efficacia in liberando a malo potest esse vel extensive, vel intensive. Si extensive, Baptismus aquæ excedit, quia plures personas liberat, et a pluribus morbis, quia a peccato mortali, et veniali. Baptismus autem sanguinis liberat paucos, et solum a veniali liberat: a mortali non, quia præsupponit charitatem, aliter nihil valeret ad salutem. Similiter in ordinando ad bonum major potest excessus attendi dupliciter, aut extensive, aut intensive. Si extensive, sic præcellit Baptismus aquæ, quia dat gratiam gratis datam, scilicet characterem, et gratiam gratum facientem, quæ disponit ad gloriam, et præmium essenziale. Baptismus autem sanguinis gratiam gratum facientem non tribuit, sed consummat; nec tribuit characterem, per quem distinguitur anima, et præparatur ad gratiam. Utroque modorum prædictorum Baptismus sanguinis excedit intensive, sicut exceditur extensive. Nam efficacius et melius liberat a malo culpæ et pœnæ, quia omnem resecat, et secundum potentiam, et secundum actum. Similiter efficacius ordinat ad bonum, quia statim perducit ad gloriam, et perfectionem et gloriosorem hoc Baptismo baptizatus consequitur palmam ».

QUÆSTIO QUARTA.

*QUÆNAM SIT MATERIA REMOTA BAPTISMI FLUMINIS.

NOTANDUM 1. Ex Doctore dist. 3. q. 3. n. 2. Sacramentorum materiam dici analogice, et secundum quandam proportionem, quam res sensibiles confectioni Sacramentorum deservientes habent cum materia, quæ est pars compositi physici. *Sicut enim, inquit, in illo toto sensibili aliquid est principalius, ut ultimate determinans, et ideo dicitur forma: ita aliquid est minus principale, vel determinabile, et illud dicitur materia*. Hoc est, quemadmodum in composito physico materia est ex se indifferens ad varias formas, et determinatur per formam particularem ad constitutionem alicujus specialis compositi, ita in composito Sacramentali illud materiæ rationem et appellationem obtinet, quod ex se indifferens est ad varias applicationes, et diversa munia; sed determinatur ad rem sacram significandam et efficiendam per verba sacramentalia, et intentionem Ministri conferentis Sacramentum.

NOTANDUM 2. Ex eodem ibidem, Sacramentorum, quæ consistunt in usu rei sensibilis, et in actione Ministri, qualis est Baptismus, materiam esse duplicem, nempe proximam, et remotam. *Remota* est res ipsa sensibilis, quæ sumitur in signum, et causam gratiæ ad Sacramentum conficiendum, ut chrisma in Confirmatione. *Proxima* vero est ipsius rei sensibilis usus et applicatio, ut unctio vel applicatio Baptismalis in fronte confirmandorum. Quærimus autem in præsentî, quænam sit materia remota Baptismi; de proxima autem sermonem faciemus in Quæstione sequenti.

NOTANDUM 3. Circa materiam remotam Sacramentorum varie erratum fuisse ab hæreticis; Manichæi namque, teste S. Augustino, Hæresi 46, cum existimarent et assererent omnia elementa et res corporeas a deo malo esse conditas etiam ajebant Baptismum in aqua nihil ad salutem conferre. Quapropter nulla ratione aquam, aut aliquid id genis in baptizandis suis sectatoribus adhibebant. Licet autem Marcionitæ idem crederent de productione rerum corporearum a malo principio, nihilominus in suo baptisate adhibebant aquam, propter præceptum Christi Domini, ut refert Theodoretus, lib. 1. *hæreticarum fabularum*, c. de Marcione. Seleuciani ac Herminiani Baptismum in aqua non accipiebant, prave interpretantes illud Joannis Baptistæ: *Ego vos baptizo in aqua.... Ipse autem vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*, ut refert S. Augustinus Hæresi 59. Idem Joannis oraculum perverso sensu accipientes Jacobitæ, non adhibebant aquam in suo Baptisate, sed ferro candente crucis formam impresso stigmate frontibus, vel genis parvulorum imprimebant, ut refert Sanderus, lib. 3. *De visibili Monarchia*, Hæresi 113. et Prateolus verbo Jacobitæ. Fuerunt etiam aliqui hæretici, Flagellantes dicti, qui turmatim per vicos et plateas errantes, maxime in Germania, omnibus mundi divitiis spretis, paupertatem Evangelicam sese profiteri jactitabant, ajebantque Baptismum aquæ jam suo tempore desiisse, et omnes quotquot salvi fieri optarent, debere proprio cruore et sanguine baptizari per flagella, sanguinem ex corpore variis impressis stigmatibus eliciendo, ut refert Bernardus Lutzenburgensis, et ii omnes qui veterum et recentiorum hæreticorum indicem texuerunt. — Verum hi omnes, si penitius eorum errores inspiciantur, non tam videntur errasse circa ipsam Baptismi materiam, quam circa Baptismum, quem ad salutem necessarium non esse censebant. Unde qui directe necessitatem aquæ in materia Baptismatis repudiarunt, fuerunt aliqui recentiores hæretici, maxime Lutherus, qui in Symposiacis, idest. colloquiis convivialibus cap. 17. rogatus, an aqua deficiente, liceat in lacte, vino, aut cerevisia baptizare; respondet, primum id iudicio Dei committendum, et reservandum esse; tum addit, aqua deficiente quidquid balnei nomine nuncupari potest, ad Baptismum esse aptum, et sufficiens. Idipsum Beza erronee censuit, Epist. 2. ad Thomam Thilium: *Videtur, inquit, si desit aqua, et alius cuius Baptisma cum adificatione differri non possit, nec debeat; ego certe quovis alio liquore, non minus rite, quam aqua, baptizarem.*

Contra quos omnes errores duo hic stabilienda sunt: *primum*, quod aqua naturalis sit legitima Baptismi materia: *secundum*, quod omnis et sola aqua naturalis ad id sufficiat.

Conclusio prima. — MATERIA REMOTA BAPTISMI EST AQUA NATURALIS. Hæc est de fide expresse determinata in Conciliis, maxime Lateranensi sub Innocentio tertio, ubi decernitur: *Sacramentum Baptismi (quod ad Dei invocationem, et individue Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis, etc.* Concilio Florentino in decreto unionis sub Eugenio IV quod sic inquit: *Materia hujus Sacramenti (Baptismi) est aqua vera, et naturalis, nec refert, frigida sit, an calida.* Novissime Concilio Tridentino, Sess. 7. Can. 2. *De Baptismo: Si quis dixerit aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam dotorserit, anathema sit.*

At enim quod in *Scripturis sanctis*, ait S. Augustinus, lib. 3. *De Doctrina Christiana*, cap. 10. *perspicue sonat, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit.* Quid autem magis perspicue sonat, quam quod Act. 8. v. 36. ait Eunuchus ad Philippum: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Sequitur v. 38. *Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* Idem luculenter indicant verba Petri. Actor. 10. *Numquid aquam, quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum acceperunt, sicut et nos?* Unde Apóstolus ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavaerum regenerationis.* Et ad Ephes. 5. *Mundans eam (Ecclesiam) lavaerum aquæ in verbo vite.* Quod utique prædictum fuerat Ezechielis 36. ubi Judæis spondet Deus: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Confirmari potest hæc veritas ex perpetuo usu et traditione universalis Ecclesiæ. necnon ex constanti omnium SS. Patrum doctrina, qui unanimi calculo docent aquam naturalem esse necessariam ac legitimam Baptismi materiam. Sic S. Clemens Romanus, Epist. 4. S. Justinus. Oratione ad Antoninum Pium. S. Irenæus, lib. 3. *Contra hæreses*, cap. 19. S. Nazianzenus, Oratione 10. et omnes alii posteriores. Unde S. Cyprianus, Epist. 65. et 76. varia profert et expendit veteris Testamenti oracula in hujus veritatis assertionem. Et S. Hieronymus, Ep. 83. quæ est ad Oceanum, varia recenset mysteria, quæ primitus Deus in aquis celebravit, ut eas veluti jam consecraret ac Baptismati devoveret.

Verum, omnium luculentissime hanc veritatem probat Tertulianus, cap. 3. *De Baptismo. et sequentibus*, ubi ait: « Habes, homo, in « primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia: dehinc « dignationem, quod divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc « elementis. Nam et tenebræ adhuc totæ sine cultu siderum informes, « et tristis abyssus, et terra imparata, et cælum rude, solus liquor, « semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vecta- « culum Deo subiciebat. Quid quod exinde dispositio mundi, modu- « laticibus quodammodo aquis Deo constitit? Nam, ut firmamentum « cæleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit; et ut terram « aridam suspenderet, segregatis aquis expediit: ordinato dehinc per « elementa mundo, cum incolæ darentur primis aquis, præceptum est « animas proferre. Primus liquor, quod viveret, edidit; ne mirum sit « in Baptismo, si aquæ animare noverunt, nam ipsius quoque hominis « figurandi opus sociantibus aquis absolutum est de terra materia non

« tamen habili, nisi humecta, et succida, quam scilicet ante quartum
 « diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore limo
 « temperarant ». *Hinc capite 9. referens famosiora Dei prodigia, quæ
 in aquis patrata sunt, tum in veteri, tum in novo Testamento, scribit:*
 « Quot igitur patrocina naturæ, quot privilegia gratiæ, quot solemnia
 « disciplinæ, figuræ, præstructiones, precepciones Religionem aquæ
 « ordinaverunt? Primo quidem cum populus de Ægypto libere expe-
 « ditus, vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum
 « Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifestior in
 « Baptismi Sacramento? Liberantur de sæculo nationes per aquam sci-
 « licet, et diabolus dominatorem pristinum in aqua oppressum de-
 « relinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in suum commodum
 « suavitatæ Mosei ligno remediatur: lignum illud erat Christus, vene-
 « natæ et amaræ retro naturæ venas insaluberrimas, aquas Baptismi
 « scilicet ex sese remediatis. Hæc est aqua, quæ de comite petra po-
 « pulo diffluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aqua in Christo
 « Baptismum videmus benedici. Quanta aquæ gratia penes Deum, et
 « Christum ejus est ad Baptismi confirmationem? Numquam sine aqua
 « Christus; siquidem et ipse aqua tingitur. Prima rudimenta pote-
 « stas suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur. Cum sermonem
 « facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam. Cum de Agape
 « docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat.
 « Apud puteum vires resumit; super aquam incedit libenter, tran-
 « sferat, aquam discipulis ministrat: perseverat testimonium Ba-
 « ptismi usque ad Passionem, cum deditur in crucem, aqua inter-
 « venit, sciunt Pilati manus; cum vulneratur, aqua de latere pro-
 « rumpit, scit lancea militis, etc. » Similia habet S. Cyrillus Hiero-
 solymitanus, Catechesi 3.

Hujus veritatis alia non subest efficax ratio, inquit Doctor n. 2. quam Christi Domini voluntas, quæ per Scripturarum oracula innoscit. *Quare autem sit institutum, inquit, sunt aperte congruentiæ, quia aqua est frigida. fluida, lucida, necessaria, et communis: quæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum æstum concupiscentiæ, ad flectendum rigorem inobedienciæ, ad illustrandum claritatem fidei, ad introducendum in viam salutis: et hoc est commune omnibus, sicut Lex ista, cujus hoc Sacramentum est initium, communis est omnibus ad salutem.*

OBJICIES 1. Aqua quæ fluxit ex latere Christi pendentis in cruce, fuit symbolum et pignus Sacramenti, ut docent S. Cyprianus, Serm. *De Passione Christi*, S. Hieronymus, Epist. *ad Oceanum*. S. Augustinus, Tract. 120. in Joannem, et alii: at ista aqua non erat vera naturalis et elementaris, sed humor quidam phlegmaticus, quia in corporibus mixtis, quale est corpus Christi, non reperitur pura et elementaris aqua: igitur Baptismus absolute conferri non debet in aqua naturali. — Respondet Doctor, num. 7. negando *minorem*: contrarium enim, inquit, aperte docet Innocentius III in Epistola ad Episcopum Ferrariensem, et habetur *Extravag. de celebratione Missarum cap.* In quadam, etc. ubi scribit: *Cæterum sicut fuit verus Spiritus, et verus sanguis, ita proculdubio vera aqua, cum Christus sit veritas, et a veritate omnis fallacia sit penitus aliena: nam si non fuisset*

aqua, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille qui vidit, et testimonium veritati perhibuit, profecto non aquam, sed phlegma dixisset; nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua; neque per hoc posset vero argumento probari, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed phlegma cum sanguine profluxisset. Sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri Testamento, quando Moyses virga percussit silicem, et ex ea non phlegma, sed aqua manavit. Restat igitur, ut qualiscumque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, proculdubio vera fuit, cum naturaliter possit et compositum in componentia, et elementatum in elementa resolvi; quemadmodum verus extitit sudor ipsius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Hæc Innocentius. Quibus (inquit Doctor) probat aquam, quæ fluxit ex latere Salvatoris fuisse revera aquam naturalem, sive productam per resolutionem, sive de novo creatam. Probat, inquam, a priori per testimonium Evangelistæ; a posteriori vero per materiam Sacramenti Baptismi; secundo, per aquam miscendam in Sacramento Eucharistiæ; tertio, per figuram, quæ præcessit in veteri Testamento, quando Moyses percussit silicem, et ex eo non phlegma, sed aqua manavit. — Confirmatur hæc responsio in Concilio Tridentino, Sess. 22. cap. 7. ubi ait: Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum, quod Christus Dominus ita fecisse credatur: tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.

OBJECIES 2. Dum S. Joannes Baptista, Matth. 3. de Christo Domino loquens, ait: *Ille vos baptizavit in Spiritu sancto, et igne; per ignem* metaphorice significat Spiritum sanctum, qui die Pentecostes in Apostolos visibiliter descendit, et missione invisibili etiam illabitur in baptizatos Christi Baptismate; quo denotatur discrimen inter Baptismum Christi, et Joannis, quia hic solum erat in aqua, et Spiritum sanctum non conterebat; ille autem operabatur peccati consumptionem, mentis illuminationem, et cordis inflammationem, ad id quod Dei gloriam et salutem sapit, animose præstandum: igitur pari ratione dum Christus Dominus ait Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* ibi aquam non usurpat proprie, sed metaphorice, nempe pro Spiritu sancto, quatenus per gratiam sanctificantem animam a peccati sorde abluit, etc. — **Respondeo primo,** negari posse *antecedens*: revera enim multi e SS. Patribus per *ignem* intelligunt verum ignem, nempe ignem illum sensibilem, qui Apostolis in forma linguarum illapsus est, et veluti Sacramentum erat, ac signum sacrum illius mystici ignis charitatis, quo per illapsum Sanctus Spiritus Discipulorum corda succendebantur; *Nam,* inquit S. Gregorius, *foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia.* Unde qui prius torpebant animi imbecillitate et pusillanimitate, ab ea immunes generos: Christi Domini gloriam et divinitatem propalarunt, ut exponunt sanctus Hieronymus, et Beda, lib. 1. *In Lucam,* cap. 9. S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 3. *Vel per ignem* S. Joannes intelligit *ignem Purgatorii,* ut exponunt idem Hieronymus in cap. 3. Matth. et Beda loco mox

laudato. Qua ratione, inquit S. Hieronymus, Apostolus 1. ad Corinth. 3. ait: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, etc.*; ubi sermo est de igne purgatorii. Nec certe illa interpretatio aliena est a sententia S. Joannis Baptistæ; nam ibidem subjungit: *Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili.* Vel denique per *ignem* designabat effectum Baptismi, scilicet ferventem illam charitatem, qua inardescabant nascentis Ecclesiæ filii, ubi Baptismum, et Confirmationem acceperant, ut interpretatur S. Chrysostomus, Homil. 11. in Matthæum.

OBJICIES 3. Narrat Nicephorus, lib. 3. cap. 17. tempore Aurelii Imperatoris, Judæum quemdam in necessitate constitutum iter facientem repentino morbo correptum, quo statim moriturus putabatur, Baptismum petiisse, et ob locis siccitatem, aqua deficiente, baptizatum fuisse sola arena, invocato nomine sanctissimæ Trinitatis, moxque e morbo convaluisse, quod signum erat Baptismum illum fuisse a Deo probatum. Cujus etiam historiæ meminit Cedrenus in Compendio num. 97. Igitur urgente necessitate, loco aquæ licebit aliud ad baptizandum assumere. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, *primo* non satis constare de veritate hujus historiæ, cum diversimode ab illis auctoribus referatur, et Cedrenus asserat eam contigisse sub Antonino Pio, ut non omnimodam ei fidem facit Baronius ad annum Christi Domini 181. *Deinde*, quamquam esset vera inde tamen non sequitur in casu necessitatis posse aliquid aliud a vera, et naturali aqua assumi in materiam remotam veri Baptismi. Nec enim Baptismus ille Judæi probatus fuit ab Ecclesia, imo reprobatus a Dionysio Episcopo Alexandrino, sive, ut placet Baronio, Corinthio, qui jussit postea Judæum rebaptizari. Non igitur miraculum tribuendum est aspersæ arenæ, quasi restituta Judæo sanitas fuerit indicium veri suscepti Baptismatis; sed Deus partim Judæi, partim aliorum Christianorum pietate delectatus voluit integram Judæo sanitatem restituere, ut postmodum haberet facultatem voto suo satisfaciendi, suscipiendo verum Baptisma.

OBJICIES 4. Stephanus Papa hujus nominis secundus aut tertius, interrogatus a Monachis Britanniaci Monasterii, utrum urgente necessitate Baptismus, aqua deficiente, collatus in vino esset validus; respondit affirmative, nam in ejus rescripto, quod habetur tomo secundo Conciliorum Galliæ, inter varia ad varias quæstiones responsa, cap. 12. sic præfatæ inquisitioni respondet: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei proinde adscribitur culpa: infantes sic permaneant in illo Baptismo:* igitur aliud, quam aqua, saltem in casu necessitatis, potest ad validum Baptismum assumi. — **Nego consequentiam**; et ad *antecedens* dico, *primo*, hanc auctoritatem non esse omnino certam: quippe cum hujus rescripti non adeo certa et authentica extant monumenta; *secundo* dico, esto admittatur tamquam rescriptum legitimum, responsionem illam tantum obiter factam, non esse ita solidæ auctoritatis, ut fidem mereatur; in responsionibus enim Romanorum Pontificum distingui debet, id quod directe reponunt ad interrogationem sibi factam, ab iis, quæ plerumque istis suis responsionibus obiter tantum, et quasi per transennam, ac veluti aliud agendo delibant et intermi-

scient; *primum* enim, inquit Isambertus, disp. 2. art. 2. ad qu. 64. *validum subministrat argumentum fundatum in summa Pontificia illorum auctoritate: secundum autem, inquit, non est tanti ponderis, sicut nec rationes, quas Concilia interserant suis decretis ac definitionibus. Summus autem Pontifex Stephanus interrogatus fuerat non de valore istius Sacramenti, sed de peccato, et pœna, quam luere deberet Sacerdos, qui sic baptizaverat, ut constat tum ex titulo, tum etiam ex eo, quod ibi distinguat duplicem ejus Sacerdotis statum; unum, in quo tali periculo instante nullam habebat aquam præsentem; alterum, in quo aquam habebat. Ad primum respondet, Sacerdotem illum esse immunem a peccato, et pœna eo quod propter ignorantiam, cum esset dubius, an in casu necessitatis vinum esset materia sufficiens Baptismi; in extremis autem melius sit uti remedio dubio, quam nullo; idcirco Sacerdos ille ex recta conscientia poterat sic baptizare, ut quantum in ipso erat subveniret infantium saluti. Si autem aquam præsentem habuisset, statuit Pontifex, illum gravissime peccasse, et ideo gravi pœna esse plectendum. Unde subjicit: *Si præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, et penitentiae submitatur; quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Quibus significat, non fuisse propositam quæstionem de valore Baptismi, sed de culpa et pœna baptizantis. Hinc sic emendari debent præfata illius rescripti verba: *nulla ei adscribitur culpa, si sic infantes baptizati permaneant.**

Conclusio secunda. — OMNIS ET SOLA AQUA NATURALIS EST SUFFICIENS MATERIA BAPTISMI. Hæc est communis apud Catholicos, qui perinde ratum ac validum habent Baptismum collatum in aqua, sive fluviali. sive fontali. sive marina: quod pridem significaverat Tertullianus, c. 4. *De Baptismo*, scribens: *Ideo nulla distinctio est. mari, quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit, nec ille Spado, quem Philippus inter vias forta aqua tinxit, plus salubis, aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo, superrenit enim statim Spiritus de cælis, et aquis superest, sanctificans eos de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Quibus verbis Tertullianus significat omnem prorsus aquam elementarem, quæcumque illa sit, ad validum Baptismum sufficere, quamquam non sit ab Ecclesia benedicta: quoniam, inquit, Spiritus sanctus ipsi assumptæ ad Baptismum aquæ illabitur, eam sanctificans, ac sanctificandi vim conferens. Cujus utique ratio est aperta: quia Scriptura, Concilia, ac SS. Patres, cum de materia Baptismi sermonem faciunt, eam dicunt simpliciter et sine addito esse aquam: at aqua simpliciter dicta non alia est, quam naturalis et elementaris: non vero artificialis, aut excrementitia, quæ non nisi æquivocæ aquæ appellantur: igitur, etc.

EX QUIBUS INFERRI LICET PRIMO, ad Baptismum valide conferendum sufficere quamlibet aquam, modo reputetur naturalis et usualis; ad eum autem perinde esse, quod aqua frigida sit, an calida, putei, fluminis, an maris, pluvialis, an resoluta ex nive, grandine, glacie, turbida, an clara: tineta etiam colore, et licet transierit per sulphu-

reos meatus, aut cineres; et generaliter valet Baptismus collatus in aliquo liquore, qui in communi sermone vocatur aqua; omnis quippe talis liquor est vera aqua naturalis, et elementaris, sive usualis.

SEQUITUR SECUNDO, nullum esse Baptismum collatum in cerevisia, aut jusculo bene decoctis, sudore, lacte, urina, lacrymis, sputo seu saliva, phlegmate, aqua rosacea, aut ex aliis herbis distillata. Hæc omnia luculenter explicat Doctor Subtilis supra n. 3. *Respondeo, quod aquæ illæ, quæ communiter dicuntur artificiales, sunt corpora quædam mixta, et non dicuntur aquæ, nisi æquivoce.* Probat primo, quia habent a tota specie aliquam qualitatem dissimilem aquæ elementari. Secundo, quia fiunt per actionem ignis decoquentis, et resolventis: ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute activa ad corrumpendum, vel convertendum quæcumque mixta in aquam elementarem. Propter quod (inquit) universaliter concedi potest, quod aquæ illæ, quæ dicuntur artificiales, non sunt conveniens materia Baptismi, quia non sunt in specie aquæ elementaris.

SEQUITUR TERTIO, aquam lutosam, arenosam, et impuram etiam sufficere ad valide baptizandum; modo illa impuritas tanta non sit, ut aqua recedat a ratione et statu aquæ naturalis et elementaris; quod utique optime explicat Doctor ibidem n. 4. dicens: « Impuritas
« in aqua potest intelligi duobus modis: vel propter mistionem, se-
« cundum juxtapositionem, ut aqua lutosa dicitur impura; vel pro-
« pter mistionem alterantem a specie, sicut humor mixtus dicitur non
« esse aqua pura. Et prima quidem impuritas non prohibet; dum ta-
« men non excludat ab aqua, quæ sit conveniens ad lavandum, vel
« abluendum. Nec est alia ratio, nisi quia sic institutum est. Unde aqua
« imbibita farinæ in pasta, vel in spongia, dum ibi est, vel imbibita in
« spisso luto, et sic de aliis, si contingant carnem, non sunt conveniens
« materia Baptismi tales aquæ, quia talis contactus non est lotio; sed tan-
« tum contactus aquæ fluidæ libere conjungentis secuti, vel separantis
« inter cutem, et aliud corpus. In secundo modo, dico quod aliqua im-
« puritas potest esse manente aqua intra speciem; sicut foret si incipiat
« inspissari tendendo ad generationem elementis grossioris; ista non pro-
« hibet, dum tamen sit fluida. Quod pro tanto dico, quia in glacie,
« nive, et grandine quæ tamen sunt imperfecta, vel in via ad mistio-
« nem, dum talia sunt, non potest in eis fieri Baptismus, quia ibi non
« est lotio, sicut nec in duro. Si autem per illam alterationem jam sit
« extra speciem aquæ, omnino non est materia Baptismi. Et de qui-
« busdam alterationibus satis patet, quia constituunt alteram extra
« speciem aquæ, puta de humoribus naturaliter resolutis per digestio-
« nem, ut saliva, urina, et hujusmodi, juxta illud *Extrav. de Bapti-*
« *simo, et ejus effectu.* Non ut apponeres. De aliis autem non est ita
« manifestum, puta de decoctionibus, et admistionibus secundum sen-
« sum, in quibus non apparet evidenter, quod sit alterata species, ut
« patet de prodio carniū, et farinata, et hujusmodi, et cerevisia, et
« medone. Non enim manifestum est, quod sit ibi aliquod activum
« corrumpens speciem aquæ. Tamen hoc discutere non pertinet ad
« Theologum determinantem materiam Baptismi, in quantum haberi
« potest ex Canone Bibliæ; neque ad Canonistam determinantem con-
« ditiones materiæ, prout determinantur ab ordinatione Ecclesiæ; sed

« pertinet ad Philosophum naturalem, cujus est inquirere, quæ alte-
 « ratio transferat aquam a specie sua, et quæ non; quod si de ali-
 « quibus sit dubium, et in talibus fuerit Baptismus factus, utendum
 « est illis tribus maximis positis in solutione præcedentis quæstionis
 « de remediis adhibendis circa eos de quibus probabiliter dubitatur ».
Hæc Doctor.

OBJICIES 1. Aqua artificialis est ejusdem substantiæ cum naturali: igitur comprehenditur etiam sub nomine aquæ necessariæ ad Baptismum. *Probatur antecedens:* ubi sunt eadem accidentia, ibi est eadem substantia; substantia namque cognoscitur ex accidentibus sibi conaturalibus: sed aqua elementaris et artificialis habent eadem accidentia, scilicet humiditatem, frigiditatem, perspicuitatem, et alia ejusmodi: igitur sunt ejusdem substantiæ. — **Negat antecedens Doctor** n. 6. « Quamquam enim, *inquit*, aqua artificialis habeat aliqua acci-
 « dentia communia generice cum aqua elementari, non habet tamen
 « accidentia specificè communia; ac subinde convenit quidem gene-
 « rice cum aqua in ratione liquoris, non vero in ratione specifica
 « aquæ elementaris, et consequenter non habet eandem substantiam
 « cum ipsa ».

INSTABIS: Si aqua artificialis non esset ejusdem substantiæ cum elementari, sequeretur illam esse aliquod corpus mixtum: sed ita non est. *Probatur:* corpus mixtum crassius est elementari: sed aqua artificialis est subtilior, aut saltem non est crassior elementari: ac subinde non est corpus mixtum. — **Negat minorem Doctor**, et ad ejus probationem respondet, quod etsi aliqua aqua artificialis videatur subtilior, quam elementaris, quia magis est penetrativa, ut constat vel de aqua viva, vel de ea, quam spiritum vini appellant; ista tamen subtilitas non est subtilitas simplicitatis, sed virtutis activæ; qua ratione vinum dicitur subtile, imo subtilius aqua: subtilitas autem conveniens aquæ elementari est subtilitas simplicitatis, eo modo quo elementum est simpliciter mixto.

URGEBIS: Omne corpus mixtum constat ex elementis; ac subinde omnis liquor constat ex aqua elementari: sed illa aqua elementaris resolvi posset, et elici ex liquore mixto beneficio artis elixativæ, ac distillativæ: miscibilia namque possunt separari a mixto, ut docet Aristoteles, lib. 1. *De generatione*, textu 38: ergo aliquis potest adhibere activum passivo ad faciendam talem separationem: ergo aqua artificialis potest esse aqua elementaris, separata a mixto. *Confirmatur* per illud Exodi 7. de ranis, ubi ars demonum adhibuit activum passivo ad producendum statim ex aqua fluvii ranas: ergo æque possibile est e converso per artem exhiberi activum passivo, ut fiat separatio elementi a mixto, maxime cum resolutio sit facilior, quam generatio, vel compositio. — **Respondet Doctor** ibidem, possibile quidem esse, quod Angelus bonus, vel malus adhibere possit aliqua activa mixto ut passo « ... sed dico, *inquit*, quod nulla ars potest adhibere
 « idem activum, puta ignem quantumcumque diversis mixtis, et pas-
 « sis, ita quod per illud agens fiat immediate resolutio in aquam sci-
 « licet elementarem, quia illud idem agens non potest habere virtu-
 « tem, ut sit sine formis intermediis mutandi; neque etiam ita taliter
 « diversa in eundem terminum corrumpi ». Quibus Doctor significat

nullam aquam artificialem posse dici naturalem; quia ars ex mixto non potest immediate transformare elementum; sicut enim agit motu ordinato per medias formas in producendo mixto, pariter eisdem mediis formis uti debet in eo resolvendo; unde contingit mixtum non resolvi in idem elementum, ex quo fit, sed in aliud mixtum, ut lignum in cineres.

PETES 1: An sal resolutum in aquam sit materia conveniens Baptismi? — **Respondeo**, id videri probabilius, eadem quippe videtur ratio de sale, ac de gelu, nive, et grandine: quemadmodum enim hæc nihil sunt aliud præter aquam nimio frigore densatam, ita pariter sal nihil aliud est, quam aqua marina æstivo Sole condensata; unde per resolutionem videtur suam priorem aquæ naturam recipere. Quoniam tamen nonnulli sunt qui existimant, quod quemadmodum ex aqua et hordeo generatur cerevisia, tamquam corpus mixtum, ita forte vi caloris Solis ex aqua salsa exurgit corpus mixtum distinctum, quod proinde resolvitur non in aquam, sed in alium liquorem, ideirco existimo liquorem istum ex sale resolutum esse ad minus materiam dubiam, adeoque dumtaxat usurpandam tempore necessitatis. *Adverte* autem illam resolutionem, tum salis, tum grandinis, et aliorum, vel jam supponi debere factam priusquam assumatur a baptizante, vel saltem fieri debere in manu ipsius baptizantis, ita ut stillæ effluent in corpus baptizandi; alioquin non ipse applicaret materiam abluitioni aptam si tantum imponeret nivem, aut grandinem super caput baptizandi, quæ resolveretur per ejus calorem naturalem, quia eo in casu ipse non ablueret, sed baptizandus seipsum lavaret, non secus ac si impositam suo capiti hydriam aqua plenam, frangeret, aut spongiam imbibitam aqua exprimeret.

PETES 2: Quænam sit aqua elementaris certa, ac debita materia Sacramenti extra casum necessitatis? — **Respondeo**, non aliam esse adhibendam, præter aquam benedictam in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes, ut docet Rituale Romanum tit. *De Sacramento Baptismi*, § *De materia*, his verbis: *Aqua solemnus Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida et pura diligenter observetur.* Porro hujus benedictionis mentionem fecit S. Dionysius, lib. *De cælesti Hierarchia*, cap. 2. et S. Ambrosius, lib. 1. *De Sacramentis*, cap. 5. et S. Augustinus, Homil. 27. et 50. et Basilius, lib. *De Spiritu sancto*, cap. 2. ubi significat, benedictionem et consecrationem aquæ esse Traditionem Apostolicam. Quod utique confirmari potest ex summa sollicitudine Ecclesiæ, ut Baptismus nusquam solemniter administraretur extra casum necessitatis, sine ejusmodi aqua benedicta. Unde præclare monet Rituale Romanum loco supra laudato: *Si aqua benedicta tam immixta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præscribitur. Sed si congelata sit, curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aque*

naturalis non benedictæ calefacere, et admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, et ea calefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

QUÆSTIO QUINTA.

QUÆ ET QUALIS SIT MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

NOTANDUM 1. Theologos invicem convenire materiam proximam Baptismi esse ipsam actualem abluitionem corporis per aquam: *Ipsa enim, inquit Doctor q. 3. dist. 3. n. 2. cum verbis, tamquam signum proximum significat effectum Baptismi.* Non enim verba, quæ formæ vicem habent in Baptismo, sunt revera forma illius Sacramenti, quod accedant ad aquam immotam, sed quod accedant ad aquam ut applicatam sub ratione materiæ Baptismi. si quis enim materiæ immotæ adhiberet verba: *Ego te baptizo, nihil ageret; unde cum S. Augustinus ait: Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, non sic est intelligendus, quasi velit verbum accedere ad elementum immotum aquæ, sed ut applicatum corpori, unde subdit: Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat?* Debet enim aqua per abluitionem corpus tangere. ut rationem et virtutem Baptismi obtineat. Unde ibidem Doctor merito ridet explicationem Gandulphi 1. q. 1. cap. in glossa ad illud verbum, *detrahe*, ubi ajebat Gandulphus cavendum esse. *ne forte asinus bibat Sacramentum. Hæc enim dubitatio, inquit Doctor, est vere asinina, quia illa ablutio non durat, nisi in fieri, et quantumcumque aqua posset bibi, vel huc, vel illuc transfundi, ipsa ablutio non.* — Definitur autem ablutio ab eodem Doctore ibidem n. 4. *Contactus aquæ fluidæ libere conjugentis sicuti et separantis inter carnem, et aliud corpus.* Vel clarius: ablutio est motio aquæ liquidæ circa corpus. quæ per se ordinatur ad sordes abluendas. Dico *per se ordinatur*, nam. ut ibidem advertit Doctor n. 2. « non oportet, quod sit ibi ablutio, « prout distinguitur contra motionem, et includit amotionem sordium « a corpore per contactum aquæ: sed sufficit lotio in communi dicta « corporis ab aqua, alio hoc agente. Quod nihil aliud est, nisi quod « oportet istum contactum corporis ab aqua fieri ab alio causante con- « tactum istum. Et isto modo intelligendo abluitionem et lotionem, « lotio est materia proxima, quasi per se fundamentum vel pars fun- « damenti istius significationis; aqua autem est materia remota, quæ « applicatur corpori in ista lotionem ».

NOTANDUM 2. Duplicem distingui lotionem: unam quidem activam, aliam vero passivam. *Activa* est ipsa aquæ motio: quatenus fit a baptizante in baptizatum: *passiva* vero ipsamet aquæ motio super baptizatum. quatenus ipsum successive tangit, contactus enim aquæ in abluitione Baptismali, debet esse mobilis et successivus: aqua siquidem immota existens in vase non dicitur vas illud abluere, licet illius omnes partes tangat, quando vas plenum est aqua; quia ablutio, ut vera sit et perfecta, debet fieri cum motu, ut recte notavit Subtilis Doctor, n. 2. dicens: *intelligitur ablutio hic, non tantum sicut aqua dicitur lavari corpus, quasi formaliter; sed sicut homo dicitur lavare corpus cum aqua, quasi proprie active: nam solus contactus corporis ab aqua immota (veluti cum quis in balneo quiescit, aqua undique*

circumfusus) *quæ est quasi ablutio formalis, non est instituta tamquam signum vel pars signi, sed ipsa lotio effectivè facta ab aliquo abluente.* Ex quibus verbis Suarez, disp. 20. sect. 2. colligit Doctorem sentire ablutionem potius consistere in actione, quam in passione, seu receptione aquæ in corpore hominis baptizati; quia Sacramentum, *inquit*, est actio sacra ipsius Ministri, igitur et Baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, ut facta a Ministro: Contra vero Vasquez, disp. 141. cap. 2. contendit ablutionem sacramentalem formaliter esse passivam, quatenus nempe recipitur in eo, qui abluitur; siquidem Sacramentum est cæremonia sacra, qua quis justificatur, ac proinde quatenus in ipso recipitur, et est passio. Quam ulterius sententiam confirmat auctoritate Doctoris ex dist. 6. q. 2. n. 4. ubi ait: *Ex isto videtur sequi corollarium, quod Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quam activa; quia plurificata baptismatione activa, non plurificatur passiva, nec Baptismus, quia passiva est una. Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus proprie suscipit Sacramentum; suscipit autem proprie ablutionem passivam, et non activam, nisi dicatur idem realiter.* Verum rectius dicendum arbitror materiam proximam Baptismi consistere in ablutione tam activa, quam passiva, siquidem cæremonia sacra Baptismi non potest fieri separatim ab illa passione, sive receptione actionis in subjecto, neque vicissim passio sine actione, ac subinde utraque ingreditur conceptum essentialem ablutionis sacramentalis. Utrum autem ratio illa formalis Sacramenti magis tribuenda sit actioni, quam passioni, vel e converso, an vero utrique æqualiter competat, merito dicit Suarez quæstionem illam ad rem theologiam esse parvi momenti, et nullius utilitatis.

NOTANDUM 3. Ablutionem Sacramentalem fieri posse triplici modo, scilicet, vel *per immersionem* baptizandi, vel *per aspersionem*, vel *per infusionem* aquæ in ipsum baptizatum; cum enim Christus Dominus statuendo materiam proximam hujus Sacramenti esse ablutionem, non determinaverit modum, quo illa fieri deberet, inde triplex ille baptizandi modus ab Ecclesia fuit usurpatus diverso tempore, secundum rerum exigentiam et opportunitatem. Primo namque, Baptismus videtur collatus per aspersionem ab Apostolis, Actor. 2. ubi post prædicationem Petri probantis Christum esse verum Messiam, legimus: *Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Quod utique fieri non potuit per infusionem aquæ super caput singulorum, aut eorum immersionem, qua ratione enim Apostoli ac Discipuli numero paucissimi tantam hominum multitudinem ab hora nona ad solis occasum sic lavare potuissent? Merito igitur colligunt Theologi ipsos baptizasse per aspersionem, unica enim aut paucis saltem aspersionibus plures simul baptizare poterant. Postea vero mos invaluit ab Apostolis, ut Baptismus nonnisi per trinam immersionem fieret. Ac tandem rationabili de causa statutum est ab Ecclesia, ut Baptismus dumtaxat conferretur per infusionem aquæ in caput, aut aliam notabilem corporis partem ipsius baptizandi. Quæritur ergo an triplex hic baptizandi modus sit sufficiens et validus.

His ita præmissis, quatuor supersunt hac in Quæstione determinanda: *primum*, an ad validum Sacramentum requiratur, quod ablutio

fiat in notabili corporis parte, et quantitate aquæ: *secundum*, utrum ablutio, quæ esset occisiva baptizandi, revera foret validum *Sacramentum*: *tertium*, utrum ablutio debeat esse unica, vel triplex.

Conclusio prima. — AD VALIDUM SACRAMENTUM BAPTISMI REQUIRITUR ABLUTIO NOTABILIS, TAM QUOAD PARTEM CORPORIS, QUAM QUOAD AQUÆ QUANTITATEM. Ita Doctor in 4. dist. 4. q. 3. ubi determinans puerum in utero matris non posse baptizari; secus vero si pars principalis ejus extra maternum uterum appareat, ait, n. 3. « Ad quæ-
« stionem dico, quod vel puer secundum omnes partes est in utero
« matris; vel secundum aliquam partem apparet extra uterum. Si
« primo modo, dico quod non potest baptizari: non propter rationem
« priorem, quia conjunctus esset causæ corruptionis; sed quia Bapti-
« smus est lotio, vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero non
« potest lavari, quia nec sic immediate tangi ab aqua. Si secundo
« modo, sic aut apparet pars principalis, ut caput, et tunc potest ba-
« ptizari in illa parte; et in hoc etiam simpliciter baptizari; non est
« enim verisimile, quod in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria
« millia, Actor. 2. quod quilibet quantum ad totum corpus suum lava-
« retur aqua, sed præcise quantum ad faciem aspergendo, vel quantum
« ad caput perfundendo. Et in isto casu, si post puer nasceretur, non
« oporteret ipsum baptizare. Si autem apparet pars minus principalis,
« scilicet manus vel pes, illa est baptizanda, quia ibi est tota anima,
« licet non omnis sensus, sicut in capite. Et si hoc minus sufficeret
« ad hoc, ut esset simpliciter baptizatus, si nasceretur postea vivus,
« esset sub conditione baptizandus, ut docetur, *Extrav. De Baptismo,*
« *et ejus effectu*, cap. *De Quibus*. Credendum enim est, quod Deus sup-
« pleret illud, quod impotentia impediret; talis enim etsi mortuus na-
« scitur, sepeliendus est in terra benedicta, ratione dicta ».

Ipsi Doctoris Subtilis sententiæ per omnia consonat Angelicus Do-
ctor, qui parte 3. q. 68. art. 11. ad 4. ita ait: *Ad quartum dicendum,*
quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi
mors immineat. Si autem primo caput egrediatur, in quo fundantur
omnes sensus, debet baptizari periculo imminente. et non est postea re-
baptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum,
quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in
nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite
(ergo loquitur de partibus, in quibus vita partialiter consistit, et non
de aliis, quæ nullo modo vivunt) *videtur quibusdam, quod propter du-*
bium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativita-
tem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo.

Probatur autem hæc assertio ex communi Ecclesiæ praxi; nam
in Rituali Romano, Tit. *De Sacramento Baptismi*, paragr. *De forma*,
ita statuitur: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquæ,*
aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, et secundus
modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retinean-
tur, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur.
In quibus verbis præscribitur, et notabilis pars, imo præcipua, et si-
militer notabilis quantitas aquæ, juxta illud S. Augustini in Homil. 3.
et habetur, cap. 78. *De Consecr.*, dist. 4. *Postquam vos credere dixi-*

stis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus. Quod si parvulus ita est infirmus, ut capitis ablutionem non ferat, abluendum est pectus, vel humeri. Quod autem imminente periculo mortis, possit conferri Baptismus in qualibet parte etiam minima infantuli, docet idem Rituale paragr. De baptizandis parvulis, his verbis: Si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum in illo... baptizetur; et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo dictum est supra: si non es baptizatus, ego te baptizo,

DICES 1: Si Baptismus conferri posset in parte minus principali, maxime quia, inquit Doctor, ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite, quibus significare videtur, inquit Vasquez loco supra laudato n. 30. idcirco Baptismus valere etiam in minima parte, quia anima, quæ contraxit peccatum originale, est tota in illa parte, quæ abluī dicitur: sed hæc ratio nulla est; anima enim non est subjectum ablutionis Baptismalis, sed totus homo: igitur, etc. — **Nego** minorem, et ad ejus probationem dico, Vasqueziū perperam Subtilem Doctorem vellicare et interpretari; siquidem Doctor, ut optime advertit Hyquæus in *Commentario*, n. 18. non ideo dicit esse totam animam in parte non principali, quasi anima esset subjectum ablutionis, sed loquitur respective ad caput, in quo Baptismus fieri omnes concedunt, ex eo quod sit pars principalis, in qua sensus animæ magis vigent, et functiones vitæ, et sine qua vita nequit consistere in homine, quæ est differentia partis principalis a non principali, estque fundamentum, ex quo Doctores colligunt Baptismus in ea parte esse absolute Baptismus hominis, et validum. — Ad occurrendum ergo objectioni tacitæ, quæ fieri potest contra Baptismus in parte non principali, dicit animam totam esse in parte non principali, quamvis non sit ibi omnis sensus, qui est in capite. Hic verus sensus Doctoris non autem ille ab aliis præsumptus, qui humilis est, et satis puerilis in hac materia. Excluditur etiam Baptismus qui fieret in capillo, vel ungue per stillam, quem contendit Vasquez esse verum Baptismus; nam si dubitant Doctores de Baptismo partis non principalis, licet viventis, et uno ore dicunt iterandum esse Baptismus sub conditione. ut etiam scribunt Rituales, quanto magis excluditur ab ablutione Baptismali, ea quæ fieret in capillo, aut ungue, quæ non denominant hominem absolute, nec sunt propriæ ejus partes? Ita Hyquæus.

DICES 2: Vulnus inflictum in minima parte, quæcumque illa sit, sufficiens est, ut ab eo homo dicatur vulneratus: igitur pari ratione ablutio facta in qualibet minima parte, sufficiens erit ad validitatem Baptismi, etiam citra necessitatem. — **Distinguo** antecedens: secundum abusivum et improprium loquendi modum, *concedo*: juxta sermonis proprietatem, et rigorem, *nego*: nullus enim Sapientum est, qui non rideret hominem dicentem se vulneratum, quod acicula digitum leviter pupugisset. Unde neganda est *consequentia*; siquidem non debet regulari veritas materiæ et formæ Sacramenti ab improprio et abusivo loquendi modo, sed juxta proprietatem sermonis, et usum receptum ac probatum a Sapientibus.

Ex his patet probatio secundæ partis Conclusionis, nempe quod ad ablutionem Baptistalem non sufficiat minima aquæ guttula, cum ab illa homo moraliter non recte dicatur ablutus, lotus, et tinctus,

juxta communem Sapientum æstimationem; nam eam ablutionem Christus Dominus instituit pro materia proxima hujus Sacramenti, per quam homo proprie dici potest ablutus et lotus: sed ita non appellaretur propter contactum alicujus guttulæ aquæ in minima parte sui corporis, ut constat: igitur illa non potest sufficere ad proprie dictam materiam Baptismi. Quoniam tamen aliqui cum Vasquezio contrarium affirmant, ideo non abnuerem, quod aliqua urgente manifesta necessitate conferretur Baptismus etiam in modica aquæ guttula, si amplior aqua non adesset, cum enim materia et efficacia Sacramenti pendeat a voluntate Christi Domini, quæ quantum ad omnes omnino circumstantias et difficultates occurrendas in administratione Sacramentorum aperte non apparet ex Scriptura, aut Traditione, aut Conciliis; non irreligiosum est, ad evitandam animæ damnationem, adhibere remedium, quod aliqui Doctores eo in casu judicant fore utile et efficace, quamquam alii Doctores istud in dubium revocent.

Conclusio secunda. — PROBABILIS EST ABLUTIONEM OCCISIVAM, SEU EX QUAMORS SEQUERETUR, NON ESSE SUFFICIENTEM ET VALIDAM AD SACRAMENTUM BAPTISMI. Ita Subtilis Doctor, in 4. d. 4. q. 3. n. 3. ubi dicit: *Projectus de ponte non baptizatur, quia hoc non est ad vitam ordinatum vel lotionem, sed ad mortem.* Et dist. 5. qu. 3. n. 1. referens sententiam Richardi asserentis puerum sic projectum non esse baptizatum, ait: *Dicitur etiam, quod talis sic projectus non esset baptizatus, quia Baptismus est ablutio ordinata ad vitam abluendi, non sic ordinatur illa immersio.* Quapropter in Reportatis eadem quæst. n. 2. eandem difficultatem expendens dicit: *Sed si adultus projiciatur in flumen dicendo, Baptizo te, etc. credo quod non baptizatur, quia projiciens non habet intentionem Ecclesiæ, quia intentio Ecclesiæ est sic madefacere eum, quod ipso vivente posset iterum desiccari: vel esto quod baptizetur, non dubito, quin projiciens peccet mortaliter.* Quibus omnibus constat Doctorem magis propendere in negativam sententiam.

Probatur itaque hæc assertio ratione Doctoris: Deus non instituit aliquid pro materia legitima Sacramenti, quod vergit in præjudicium et detrimentum humanæ naturæ, nec voluit vitam spiritualem ordinari comparari cum dispendio et jactura vitæ propriæ: igitur non approbat pro legitima materia Baptismi illam ablutionem, ex qua directe sequeretur ipsius baptizati interitus. *Probatur antecedens:* quia Deus materiam et formam Sacramentorum instituit, et maxime hujus Sacramenti, quod voluit esse commune omni sexui et ætati, quæ magis decebat suavem suam providentiam, et habebat rationem lotionis usualis: sed ablutio occisiva non spectat ad suavem Dei providentiam, nec habet rationem lotionis usualis: quis enim dixerit, Deum suaviter providere creaturis de mediis ad vitam æternam consequendam necessariis, quæ non nisi cum vitæ dispendio possent adhiberi? Quis pariter dixerit hominem alium abluere et lavare, quem ligatis manibus et pedibus, et ingenti saxo ad collum alligato, in flumen, aut mare projiceret? Quis sibilo non exciperet hominem, qui immunda sua pecora abluere cupiens, illa demergeret in stagnum, aut alium locum, ex quo moraliter novisset illa non posse vita incolumi emergere?

NEC VALET REPONERE, Deum equidem hæc non statuisset, ut fierent de via ordinaria, seu quolibet in casu, sed dumtaxat in casu extremæ necessitatis, ubi videlicet non suppetit alius modus ministrandi Baptismum. — Hæc, inquam, responsio non proficit; siquidem Deus non tenetur de communi lege providere de medio, quod debeat extraordinario modo applicari, ubi aliqua urget necessitas. Ideo infanti in utero matris existenti noluit applicari Baptismum, ut dicemus infra, quamquam aliud medium non ei subesset: igitur non est etiam ullum fundamentum asserendi Deum voluisse, ut ablutio occisiva in casu necessitatis esset sufficiens materia Baptismi.

Confirmatur: non est probabile Deum voluisse illam ablutionem esse materiam Sacramenti, cui necessario et per se annexum est homicidium et peccatum mortale ex natura ipsius actionis Ministri: sed certum est eum peccare mortaliter, qui sic puerum, aut adultum baptizandum emergeret, ut non posset vita salva demergi, quia talis projectio esset directa occisio innocentis, ut docet Doctor præfata dist. 5. ubi ait: « Dico quod quando præsumitur mors, nullo modo debet aliquis eum propellere et projicere: quia peccabit mortaliter occidendo, et quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in seipso, quam quærere salutem proximi; quia ordinata charitas magis est ad seipsum ».

Insuper ablutio, quæ est materia Sacramenti, debet consistere in actione Ministri, et ab eo procedere: talis autem mersio et projectio non procederet proxime a Ministro, neque esset ejus actio, ut recipitur in passum: igitur non esset ablutio baptismalis. *Minor constat*: quia ablutio, quæ baptismalis est, illa videtur esse, quæ determinatur a forma secundum strictam verborum significationem, *Ego te baptizo*; unde requiritur, ut actio significetur, quatenus exercita a Ministro, seu ut exiens ab ipso; ac proinde videtur requiri, ut proxime applicet per se, aut per instrumentum conjungens, vel baptizatum aquæ, vel aquam baptizato. Id autem non fiet in præsentī hypothēsi: igitur, etc.

DICES 1: Si quid obsesset, quominus eo in casu projici posset infans, maxime quia non licet aliquem insontem occidere: sed hoc non ita constat, contingere enim potest, ut inculpanda, imo laudanda censeri debeat mors innocentis: hac enim ratione excusatur mors Sampsonis; qui, ut legitur Judicium 16. seipsum una cum astantibus Philistæis sub ruina et materia concussæ domus occidit: igitur, etc. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, occisionem Sampsonis non aliunde excusari, quam quia id præstitisse videtur ex instinctu divini Spiritus, ut ait S. August., lib. 1. *De Civ. Dei*, cap. 21. *Nec Sampson*, inquit, *aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.*

DICES 2: Baptismus potest esse validus quamquam ex eo sequatur mors baptizati: igitur ablutio occisiva potest esse sufficiens ad Baptismum. *Probatur antecedens*: Sacerdos qui sincera intentione puerum mergens fonti Baptismali, viribus subita infirmitate ita destitueretur, ut prolatis verbis formæ non posset infantem educere, unde contingeret eum suffocari, certum est, quod eo in statu infans vere censeretur baptizatus, quamquam per illam ablutionem vita fuisset

orbatus: igitur, etc. — **Distinguo antecedens:** quando sequitur mors baptizati, indirecte, transeat: directe, *nego*. Eo autem in casu occisio baptizati sequeretur tantum indirecte ex illa mersione; siquidem hæc mersio per se ordinatur ad facilem emersionem, et tantum ex accidenti evenit, quod emersionem non hæbeat. Secus est autem de mersione, quæ directe esset occisiva, quatenus videlicet emersionem facilem non haberet ex natura sua, qualis esset illa projectio hominis in flumen, aut puteum, unde citra miraculum incolumis non posset evadere.

Conclusio tertia. — BAPTISMUS VALIDE CONFERTUR ALIQUO EX ASSIGNATIS TRIBUS MODIS IN TERTIO NOTABILI. Hæc est jam communis apud omnes Theologos, et aperte traditur in Rituali Romano § *De forma baptismi*: non est autem verisimile Ecclesiam Catholicam in administratione Sacramenti summe necessarii invalidam materiam pro legitima subministrare et approbare: igitur, etc.

Probatur autem hæc assertio: Omnis ea ablutio sufficiens est ad Baptismum per quam homo vere dicitur ablutus: atqui ita dicitur per quamlibet præfatam ablutionem: igitur, etc. Quam utique rationem urget S. Cyprianus, Epist. 76. quæ est ad Magnum, ubi licet liberum relinquat aliis judicandum, utrum Baptismus per aspersionem collatus esset validus, tamen ipse affirmativam partem tuetur: *Aliter, inquit, peccus credentis abluatur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur in Sacramentis salutaribus, necessitate cogente, et Deo indulgentiam suam largiente: totum credentibus conferunt divina compendia*. Ubi per *divina compendia* intelligit modicam ablutionem, qualis est ea, quæ fit per ablutionem, comparative ad eam, quæ fit per immersionem.

DICES: Baptismus est signum sepulturæ et resurrectionis Christi, juxta illud ad Coloss. 10. et ad Röm. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos novitate vite ambulemus*. Sed hæc representatio mortis et Resurrectionis Christi non potest fieri nisi per immersionem et emersionem: igitur solus ille baptizandi ritus est licitus. — **Respondeo primo** cum S. Th., qu. 66. art. 7. ad 2. *Quod in immersione expressius representatur figura sepulturæ Christi... sed in aliis modis baptizandi representatur aliquo alio modo, licet non ita expresse. Nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus, aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.* — **Respondeo secundo,** ablutionem baptismalem ordinari tantum secundario ad significandam Christi Domini sepulturam; primario enim et per se ordinatur ad significandam ablutionem animæ a peccato, per quam mystice morimur peccato, et vivimus Deo, ut præclare docet S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. 2. ubi distinguens tria mortis genera, sic secundum describit: *Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, et Deo vivit, de qua ait Apostolus: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem*. Item S. Augustinus, Sermon. 9. *De Tempore*, ubi paulo post principium ita scribit: *Quando in salutari lavacro tertio Christiani merguntur, tunc Ægyptii, id est, ori-*

ginalia peccata, et actualia crimina, quasi in rubro mari sepeliuntur, et filiis Israël pertranseuntibus ad Dei servitium, sola patiuntur peccata naufragium.

DICES 2: Ea sola ablutio est sufficiens materia proxima Baptismi, quam hoc verbum, *baptizo*, directe importat et significat: sed non significat quemlibet contactum aquæ ad corpus, sed eum dumtaxat, qui fit per immersionem: igitur, etc. — **Distinguo minorem:** verbum *baptizo* non significat aliud, quam immersionem, secundum suam derivationem grammaticalem ab idiomate Græco, *concedo*: secundum usum, et praxim Ecclesiæ, *nego*. Usurpatur enim ab Ecclesia ad significandam omnem et quamlibet veram abluitionem aquæ, sive hæc fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem. Quod utique apertius exinde constat, quod Ecclesia nusquam reprobaverit Baptismum per infusionem, vel aspersionem aquæ collatum, tanquam nullum et invalidum.

Conclusio quarta. — PERINDE EST AD VALOREM ET SUBSTANTIAM SACRAMENTI BAPTISMI. QUOD FIAT PER ABLUTIONEM UNICAM, AUT TRIPLICEM. Hæc est communis apud Catholicos, eamque veritatem pridem definiuit S. Gregorius Magnus, lib. 1. Epist. 41. quæ est ad Leandrum Episcopum Hispalensem, cujus Epistolæ decretum refert et approbat Concilium Toletanum IV. Can. 5. ubi ait: « De Baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispaniis quidam « Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, a nonnullis « schisma esse conspicitur, et unitas fidei scindi videtur... Beatæ ergo « memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes « Italiæ illustravit, sed et longe existentes Ecclesias sua doctrina per- « docuit, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo; de hac Hispaniæ « diversitate, quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens ei, « sic ait: de trina vero mersione Baptismatis, nihil responderi verius « potest, quam ipsi sensistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ec- « clesiæ consuetudo diversa: nos autem quod tertio mergimus, tri- « duanæ sepulturæ Sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab « aquis educitur, Resurrectio triduanæ temporis exprimat. Quod si- « quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet, fieri, « neque ad hoc aliquid obsistit. baptizando semel in aquas mergere, « quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile « esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, « vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus Personarum « Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed si « nunc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, « faciendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, « Divinitatem dividant; dumque quod factis faciebant, morem vestrum « se vicisse gloriantur. *Et statim Concilium subdit:* quapropter, quia « de utroque Sacramento, quod fit in S. Baptismum, a tanto viro « reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile « in sancta Dei Ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis « scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi « mersionem, ne videantur apud nos, qui tertium mergunt, hæreti- « corum approbare assertionem, dum sequuntur et morem ». *Ita Con-*

cilium. Sed non est verisimile S. Pontificem, et Concilium ex nobilioribus Hispanicæ Ecclesiæ Episcopis adunatum, errasse in solemnî et essentiali Sacramentorum administratione: igitur fatendum est, unam aut trinam ablutionem esse sufficientem ad validam Baptismi administrationem.

OBJICIES Can. 50. Apostolorum, in quo ita decernitur: *Si quis Episcopus. aut Presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergit in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*. Insuper Pelagius Papa in Epist. ad Gaudentium, asserit trinam mersionem esse a Domino præceptam: *Multi sunt, inquit, qui in nomine solum Christi, una etiam mersione se asserunt baptizatos. Evangelicum vero præceptum, ipso Deo et Domino salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino: Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc.* Item Tertull., lib. *De corona militis*, cap. 3. Hieron., in *dialogo contra Luciferianos* n. 15. et Basilius, lib. *De Spiritu sancto*, cap. 27. asserunt trinam mersionem inter traditiones non-scriptas esse recensendam. Imo et Theodoretus, lib. 4. *Hæreticarum fabularum*, cap. De Eunomio: *Ipse, inquit, subvertit sancti Baptismi ritum, a Domino et Apostolis ab initio traditum, et contrariam legem aperte tulit, dicens non oportere ter mergere eum. qui baptizetur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi*. Insuper hac de causa videtur damnatus Eunomius a Concilio I Constantinopolitano, Can. 7. — **Respondeo**, hæc omnia nobis non adversari. Non quidem Canon Apostolicus, ibi enim non decernit unicam mersionem esse contra Domini præceptum, sed Baptismum collatum sub invocatione mortis Christi, ut constat ex ratione quam affert: *Non enim, inquit, dicit Dominus, etc.* Similiter intelligendus est Pelagius, ut Evangelicum præceptum referat non ad trinam mersionem, sed ad trium personarum invocationem, subdit enim: *Ite, baptizate gentes in nomine, etc.* Insuper ex præcedentibus illius Epistolæ verbis satis aperte colligitur eum loqui de iis, qui Eunomii hæresim sectantes, baptizabant, non in nomine Trinitatis, sed ut ait: *Multi sunt, qui in nomine solius Christi, una etiam mersione se asserunt baptizatos. Denique cum postea definit hos hæreticos ad Ecclesiam revertentes esse rebaptizandos, nihil de trina mersione, sed solum de invocatione Trinitatis meminit: Eos, inquit, ad Catholicam fidem venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* — Similiter dico Eunomium non fuisse præcise damnatum, quod trinam mersionem tolleret; neque id intelligit Theodoretus dicens, *eum subvertere ritum a Domino, et Apostolis traditum*; sed quod non adhiberet invocationem trium divinarum Personarum: nam, ut refertur cap. 7. dicti Concilii Constant. et ab Epiph. Hæresi 76. Eunomius non baptizabat in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed vel solum in nomine Christi mortui, vel, *in nomine Patris increati, et Filii creati, et Spiritus sanctificantis, et a creato Filio creati*. Unde merito censuit Concilium ab eo baptizatos iterum esse baptizandos. Sicque dum Eunomius, et trinam mersionem, et divinarum personarum invocationem sustulit, sensit et contra Ecclesiasticum, et contra divinum præceptum. Contra quidem Dominicum, quia trium personarum divinarum in Baptismate invo-

catio est a Christo mandata. Contra vero Ecclesiasticum, quia trina mersio est ex Ecclesiastica traditione servanda; et hoc est quod solum innuere volunt citati Patres: enimvero ab Ecclesiæ primordiis ad Gregorii Magni tempora, usitata semper fuit trina immersio: eam autem ideo sustulit, vel non esse necessariam statuit, ut Arianorum errorem cohiberet, ut jam dictum est.

URGEBIS: Quod expresse et distincte repræsentat tres Personas divinas est de essentia Baptismi: sed triplex illa mersio ita est. Nam Tertull., lib. *Contra Praxeam*, cap. 16. loquens de præcepto et ritu, quo Christus præcepit Apostolis baptizare, hæc habet: *Mandans, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Hæc enim particula *nam* designat trinam ablutionem tam esse necessariam ex parte materiæ, quam distincta personarum divinarum nominatio ex parte formæ. Idem docet S. Damascenus, Epist. *De Trisagio*. dum ita scribit: « si quis ex nobis sciscitetur, quid sit causa, quamobrem cum alicui Baptismum exhibemus, ter eum mergimus? quidnam aliud respondebimus, quam quod ob unamquamque personam eum immergimus? » — Distinguo majorem: quod expresse repræsentat Trinitatem ex parte formæ cujus est distincte significare, *concedo*: ex parte materiæ, cujus est tantum confuse, seu minus distincte repræsentare, *nego*. Nec particula *nam* significat Ecclesiam tunc ter immersisse, quod Christus id præcepisset, sed ideo id servasse, quia illa trina immersio tres personas distincte significabat, non ratione sui, sed quia ad quamlibet immersionem una divina persona proferebatur in forma Baptismi. *Confirmatur*, quia apud alios sanctos Patres trina illa immersio fiebat, non ad designandum Trinitatis Personas, sed triduanam Christi sepulturam: idque expresse habetur in 5. Canone quarti Concilii Toletani, ubi Patres ita loquuntur: *Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramentum significamus, etc.*

QUÆSTIO SEXTA.

QUENAM SIT LEGITIMA FORMA BAPTISMI.

NOTANDUM 1. Varie erratum fuisse antiquitus ab hæreticis circa legitimam Baptismi formam; in ipsis enim nascentis Ecclesiæ primordiis nonnulli baptizabant in nomine trium principii expertium; vel trium Filiorum, vel trium Paraclitorum, ut colligere licet ex Canone 48. alias 49. Apostolorum, ubi decernitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sed trium principii expertium, aut trium Filiorum, aut trium Paraclitorum, abjiciatur.* Refert etiam Eusebius, lib. 1. cap. 11. ex S. Irenæo, lib. 1. cap. 8. De Valentinianis, et quodam Marco, quem dicit magicis artibus imbutum, quod *quidam eorum thalamum construunt, et nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tamquam secretis quibusdam carminibus, ac verbis, non tam sacris, quam execrabilibus, eum, qui introducitur consecrantes, spirituales nuptias ajunt esse, quod faciunt: instar videlicet supernarum conjugationum. Adducetes vero ad aquam, et eos baptizantes, hæc super eos proferunt verba: In nomine ignoti Patris omnium, et in veritate omnium Matre, et in*

eo, qui descendit in Jesu. Alii vero Hebraïca nomina super eos, quos initiant, ad pavorem audientium terribiliter loquuntur. Paulianistæ, Photiniani, Montanistæ, et Cataphryges non baptizabant in invocatione S. Trinitatis, quam non credebant, unde eos rebaptizare jubet Concilium Nicænum, Can. 19. et Laodicense, Can. 8. Arianorum aliqui baptizabant in nomine Patris, per Filium in Spiritu sancto, quasi forent aliqui gradus in Trinitate; baptizare autem nolebant in nomine Filii, ne cogerentur eum Deum fateri, sed *per Filium* quasi per instrumentum. Testatur etiam S. Epiphanius, Hæresi 76. Arianos, sicut et Eunomianos hanc formam baptizando usurpasse: *in nomine Dei increati, et Spiritus Sanctis sanctificantis, et a procreato Filio procreati.*

NOTANDUM 2. Quod etsi hæretici hujus ævi secundum praxim non videntur errare circa Baptismi formam, quia semper inter baptizandum utuntur hac, vel æquivalenti forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.*; unde Ecclesia ratum et validum habet Baptismum ab eis collatum; nihilominus si doctrinam eorum attendas, percipies eos non leviter hoc in articulo, sicut et in plurimis aliis, a Catholica veritate deflectere; Lutherus enim lib. *De captivitate Babylonica*, cap. De Baptismo, scribit, utendum quidem esse forma consueta; valere tamen Baptismo quibuscumque tandem verbis coneratur, ac sufficere si ministretur *in nomine Domini*, imo etiamsi non detur in nomine Domini, satis esse, modo a baptizato *in nomine Domini* suscipiatur. Zuinglius, lib. *De vera, et falsa Religione*, cap. de Baptismo, circa finem, permittit quidem inter baptizandum uti forma consueta, sed addit certam verborum formam in Baptismo non esse necessariam. Brentius in suo *Catechismo*, cap. de Baptismo, docet legitimum fore Baptismum, si Minister post recitatum a Catechumeno fidei symbolum ita dicat: *Audivi jam ex te confessionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. In hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sit te Christo insertum esse.* Admonet tamen Ecclesiæ formam esse servandam.

NOTANDUM 3. Ex Doctore in 1. dist. 3. q. 2. n. 5. quod in Sacramentorum confectione et administratione aliquid dicitur necessarium dupliciter: *primo* quidem simpliciter, nimirum, inquit, ex parte Sacramenti, quo videlicet non existente nullum esset Sacramentum: *secundo*, aliquid dicitur necessarium aliqua ex parte, scilicet ex parte Ministri, sine quo Minister dispensando Sacramentum, peccatum vitare nequit. Queritur ergo quænam verba ita sint necessaria ad Baptismi formam, ut eis non prolatis, nullum foret Sacramentum; quænam autem ita dumtaxat sint necessaria, ut omitti quidem possint, salva Sacramenti substantia, sed non absque gravi baptizantis peccato. Cui quidem quæstioni faciemus satis in subjiciendis quæstiunculis, ubi prius assignaverimus legitimam formam Baptismi.

Conclusio unica. — CONVENIENS ET LEGITIMA BAPTISMI FORMA HEC EST: EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Ita determinatum est in Concilio Lateranensi, cap. *Firmiter*, et Florentino in decreto Eugenii. Trident., Sess. 7. *De Baptismo*, cap. 4. Colligitur ex Matthæi, cap. 28. ubi Christus Dominus mandat Apostolis, ut doceant omnes Gentes, *baptizantes eos in nomine*

Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Licet enim ibi expresse non præcipiat, ut baptizando proferant hæc verba, tamen perpetua Ecclesiæ Traditione constat illud Christi Domini præceptum sic esse intelligendum, ut apparet non solum ex supra dicto Canone Apostolorum, sed ex continua Ecclesiæ praxi; legimus enim in veteri Ordine Romano: *Tunc accipit Pontifex infantem, et dicit; ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Unde Alex. III ut refertur cap. 1. *De Baptismo, et ejus effectu,* de cr. vit. *Si quis puerum ter in aqua immersit in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti, Amen: Et non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, non est puer baptizatus.*

Eandem veritatem docent SS. Patres, maxime S. Augustinus plurimi, sed præsertim lib. 3. *De Baptismo,* cap. 10. ubi ait: *Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est.* Unde concludit cap. 15. *Quamobrem si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabit, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed falsibus falsitatibus inquinata.*

Suadetur etiam ratione: Illa forma est conveniens et legitima, per quam omnia quæ sunt in Baptismo significantur: sed præfata est ejusmodi. *Probatum:* quatuor distinguuntur in Baptismo: *primo,* ipse actus Sacramentalis: *secundo,* persona recipiens: *tertio,* causa princeps: *quarto,* Minister: sed ea quatuor exprimuntur per istam formam; nam pronomen (*ego*) significat ministrum; (*te*) personam recipientis; verbum (*baptizo*) sacramentalem actum; alia autem verba expriment causam principalem, nempe sanctissimam Trinitatem: igitur, etc.

DICES 1: Cum Christus Marci ult. contulit Discipulis virtutem ejiciendi dæmonia, his verbis: *In nomine meo dæmonia ejicient:* non præcepit ut dæmones expellendo dicerent: *dæmon, ego te ejicio in nomine Christi.* Et cum Lucae 22. Apostolos Sacerdotes consecrans eis potestatem dedit, ut conficerent suum sacratissimum corpus, non imperavit, ut consecrando dicerent: *Hoc facio in Christi commemorationem:* igitur pari ratione cum dixit: *Docete baptizantes,* etc. nihil aliud præcepit, quam ut Apostoli doceant et baptizent in fidem et potestatem sanctissimæ Trinitatis. — *Distinguo consequens:* id sequitur ex verbis Scripturæ sacræ, si secundum se dumtaxat, et seorsim a Traditione accipiantur, *transeat:* si cum Traditione perpetua, ex qua Christi Domini præcepti sensus est accipiendus, *nego.* Constat enim ex Ecclesiæ praxi, et SS. Patrum auctoritate hæc verba inter baptizandum esse usurpanda.

INSTABIS: Si hæc fuisset continua Ecclesiæ praxis, innotuisset omni sæculo: at ita non est; refert enim Petrus Claromontensis Episcopus suo tempore hanc consuetudinem viguisse in sua diocesi, ut qui in necessitatis articulo baptizabant, omissis cæremoniis, non dicerent: *ego te baptizo,* nec aliud æquivalens, sed dumtaxat infundendo aquam (quod ibi vocat *undejare*) dicerent *in nomine Patris,* etc. Petrus autem Episcopus dubius de valore talis Baptismi consuluit per Epistolam Mauritium Episcopum Parisiensem, et Stephanum Abbatem S. Euvetii apud Aurelios. Sententia autem Episcopi fuit, Baptismum non valere; sententia vero Abbatis eum esse legitimum. Forum autem tres Epistolæ

inserirunt in tomo tertio *Bibliothecæ Patrum*: igitur tunc temporis non erat compertum hanc formam esse in praxi per universam Ecclesiam. — **Nego minorem**, si enim non fuisset notum ex Ecclesiæ universalis Traditione, et praxi Baptismum sic esse conferendum, dubius non fuisset Episcopus Claromontensis de valore ejusmodi Baptismi. *Insuper* Mauritius in sua responsione non ita constanter scripsisset hanc formam esse a Scriptura, et SS. Patribus acceptam, *in quem modum*, inquit, *forma baptismi tradi, et accipi debeat, Scripturarum divinarum auctoritate, et SS. Patrum testimonio habemus in hunc modum scilicet: ego te baptizo in nomine Patris, etc. Et tanta est verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat; nisi vero tota hæc verba simul a quocumque, et quacumque lingua proferantur Baptismum esse non credimus.* — Neque rationes, quibus Stephanus tueri nititur eam assertionem, sunt alicujus ponderis. Non quidem *prima*, quam his verbis effert: *Nondum*, inquit, *legi baptizantes eos, et dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Hæc enim ratio nititur tantum auctoritate negativa: argumentum autem ab auctoritate negativa desumptum non est alicujus momenti, quando maxime contrarium nititur auctoritate positiva et affirmativa, nempe Ecclesiæ Traditione, et SS. Patrum doctrina. — Neque etiam multum urget *secunda* illius ratio, quam dumtaxat repetit ex eo, quod S. Innocentius primus, et sanctus Augustinus pluribus in locis, quos ibi refert, agendo de Baptismo hæreticorum, dicant illum esse validum. *dummodo fuerint baptizati sub expressa invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis*; nec unquam meminerunt hujus particulæ, *baptizo te*; nam imprimis locus ille S. August., lib. *De Unico-Baptismo*, quem Stephanus ibi posteriori loco refert, probat *Baptismum perfici, et consecrari verbis Evangelicis, et illis omissis nullum esse*: at juxta intelligentiam universalis Ecclesiæ verba illa non sunt tantum hæc, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus-sancti*, sed et ista, *baptizo te*. Quare tum S. Augustinus, tum alii Patres agendo de Baptismo hæreticorum, mentionem tantum faciunt expressæ invocationis trium in Deo personarum, quia plures hæretici circa divinam Trinitatem tantum errabant, nec inter baptizandum omittebant has voces *baptizo te*, quas sciebant Christum adhiberi voluisse, ut actio Baptismi, et Minister baptizans exprimeretur. Cum igitur circa has voces nulla noveretur difficultas aut dubitatio, ideo necessum non fuit SS. Patribus earum meminisse. Ut autem singularum ejusmodi formæ baptismalis particularum plena ac plana habeatur ratio. conveniens est eas sub quæstiunculis examinare.

QUÆRES 1: *Utrum hoc pronomen, Ego, necessario proferri debeat in forma Baptismi?*

RESPONDET Doct., dist. 3. q. 2. n. 7. ad valorem Baptismi non absolute requiri. ut Minister exprimatur: *Ministrum enim*, inquit, *non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi, neque pronomen cujusque personæ, quia non est in verbis Christi, Matth. ult.* Insuper hoc pronomine omissio, manet integer substantialis formæ sensus; hic enim consistit in significatione ablutionis, ut exercetur a baptizante circa baptizandum, cum expressa nominatione seu invocatione trium divinarum personarum: sed, ad id non est, necessarium pronomen *ego*;

quia verbum *baptizo*, cum sit indicativum primæ personæ implicite includit illud pronomen; *baptizo* enim idem est, ac *ego baptizo*.

PETES 2: *Utrum verbum baptizo active necessario proferri debeat in forma Baptismi, ut illa sit valida?*

RESPONDEO, id non esse necessarium; siquidem Baptismus Græcorum approbatus est ab Ecclesia, qui tamen hoc verbo modo activo non utuntur, sed tantum passivo; sic enim definitum est in decreto Eugenii ad calcem Concilii Florentini, ubi loquens de Baptismo, cum dixisset: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera et naturalis, nec refert frigida sit, an calida: forma autem est, Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, subdit: *Non tamen negamus, quin et per illa verba: baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, etc. verum perficiatur Baptisma. Rationem profert: Quoniam, inquit, cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas: instrumentalis autem sit Minister, qui tradidit exterius Sacramentum, sufficit si exprimatur actus, qui per ipsum exercitum Ministrum, cum S. Trinitatis invocatione perficiatur Sacramentum. Eandem veritatem antea docuerat Doctor loco superius laudato num. 3. et 7. ubi scribit: De forma necessaria ex parte Sacramenti, patet quod ista (ordinaria Ecclesiæ Latînæ) non est talis, quantum ad omnia verba, ex hoc quod dictum est, quod Græci vere baptizabant, non tamen sub eadem forma.*

Quare autem hanc formam modo passivo, potius quam activo usurpaverit Ecclesia Græca, explicat ibidem Doctor, n. 5. dicens, id factum fuisse occasione quorundam Corinthiorum, qui gloriabantur, se baptizatos esse ab Apostolis, et idcirco censebant se aliis esse præferendos, qui a Discipulis Baptismum susceperant. « *Causam, inquit Doctor, tangit Apostolus 1. Corinth. 1. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, etc. gloriabantur enim de Ministris baptizantibus, quasi eis adscriberetur Baptismus; et redarguit eos et istam eorum contentionem dicens, Divisus est Christus? Et propter hoc, ortum fuit inter eos schisma, et ordinatum fuit inter eos ad istud schisma tollendum, ne Minister exprimeretur in propria persona, nec actus in indicativo modo, sed optativo; quia tunc Minister non significatur esse auctor Baptismi; sed tantum Minister desiderans, et orans effectum Baptismi conferendum a Deo; et suscipiens etiam non exprimeretur in secunda persona, sed in tertia, quasi non præcise reciperet, quod recipit ab aliquo sermone sibi dirigente. Veruntamen melius potuisset suscipiens fuisse expressus, quam per hoc, servus Christi, scilicet nomine proprio. Non enim jam servus Christi baptizatur, sed baptizatur, ut sit servus Christi, loquendo de servitio spirituali, quo Christianus est servus Christi ».*

Quod autem revera vitium istud fuerit in aliquibus Corinthiis tempore S. Pauli, docet S. Chrysostomus, Hom. 1. in 1. cap. ad Cor. necnon et Homil. 3. expendens illa verba: *aut in nomine meo baptizati estis?* ubi ait: *Nec dixit: numquid Paulus baptizavit? baptizavit enim multos: sed non erat id, quod quærebatur, a quonam baptizati essent, sed in cuius nomine essent baptizati, nam quoniam hæc quoque erat causa schismatis, quod vacarentur ab iis, qui baptizarent, etc. Quamvis autem*

his verbis non insinuet, eos fuisse in illo errore, infra tamen dicit periculum ejus fuisse: *Nam si cum viles et abjecti, et qui nullius sunt existimationis homines baptizarent, orta est hæresis, si ego, qui annuntiavi Baptismum, multos baptizassem, verisimile esset, futurum fuisse, ut convenientes, non solum in meo nomine vocarentur, sed mihi quoque Baptismum tribuerent, etc.*

Idem docet S. Augustinus, lib. *De Uno Baptismo*, cap. 5. ubi loquens de Corinthiis, qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli*, etc. ait: *Quamvis non per impiorum, sed Sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant: hoc ipsorum erat detestabile vitium, etc.* Et cap. 11. scribit: *Nec illos Corinthios arbitror, quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse, quod dicebant, ego sum Pauli: hoc enim falsum erat: veruntamen Baptismum habebant, ex cujus veritate, ut istam corrigerent falsitatem ab eo ipso audiunt: numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* etc.

An autem hodie cessante ista causa liceat adhuc Græcis Catholicis hanc formam usurpare?

Respondet Doctor num. 6. « De hac forma potest dici, quod quamdiu « tolerata fuit ad Ecclesia Romana, licita fuit eis, et pro tempore, pro « quo instituta fuit, rationabilis fuit durante causa prædicta: sed ces- « sante illa causa, rationabiliter potuit forma communis fuisse eis im- « posita. Vel ergo Romana Ecclesia prohibuit illam formam, quantum « ad eos, et tunc peccant servando (quod expresse non invenitur « in aliquo capitulo, specialem mentionem faciente de eis.) Vel si « permisit, sive concessit, licitum videtur eis illam formam continuare. « Et si tali permissione, seu licentia stante, in Conciliis suis particu- « laribus, ordinaverunt inter se talem formam esse servandam, videtur « quod Minister eorum tenetur eam servare: sicut stante ista permis- « sione, Ecclesia, quæ determinavit trinam immersionem servandam, « sic faciendum est, et est de necessitate Ministri præceptum et mo- « dum Ecclesiæ propriæ servare ».

Controversia autem est apud Theologos, qualiter vocabulum *baptizetur* usurpatum in forma Græcorum sit accipiendum, an videlicet *imperative*, ut vult S. Thomas, an *deprecativè*, ut illud accipit Subtilis Doctor. Quod utique convenientius, si attendamus ad rationem supra dictam, ob quam Græci non exprimunt personam Ministri, ne scilicet in seipso gloriatur, et ne Baptismus ab ipso virtutem ullam sortiri intelligatur, tamquam a causa principali. Etenim imperativus modus designat auctoritatem Ministri; deprecativus autem non ita, sed magis auctoritatem causæ principalis, a qua Sacramentum habet suam efficaciam, licet ministerialiter sit a conferentē. *Insuper* si verbum istud sumeretur *imperative*, istud imperium dirigeretur, vel ad personam Ministri, vel ad effectum Sacramenti. At primum dici non potest, quia nemo sibi propriè imperat. Neque etiam secundum, quia effectus, qui est a causa superiori, non cadit propriè sub imperium inferioris: maxime quando non fundatur in potestate jurisdictionis communicatæ, sicut effectus Pœnitentiæ, qui procedit a potestate clavium: igitur convenientius est, ut verbum istud accipiatur *deprecativè*. Nihilominus dici potest, quod istud verbum, quatenus nunc usurpatur a Græcis in forma Baptismi, non est *imperativum*, neque

deprecativum, sed indicativum; ajunt enim Græci, dum baptizant: *Baptizatur servus Dei, vel serva Dei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ut recte observat Arcadius, lib. *De Baptismo*, cap. 7. ex Græcorum Euchologio.

QUÆRES 3: *Utrum persona baptizati exprimi debeat in forma Baptismi, per pronomen te vel per aliquid aliud æquivalens?*

AFFIRMAT DOCTOR ibidem num. 7. ubi cum dixisset, ad valorem Baptismi non requiri necessario, quod exprimatur persona Ministri, subdit. « Alia autem dico, scilicet actum et suscipientem, necessarium exprimi; sed non determinate, eodem modo, quo istis verbis exprimuntur, scilicet actus verbo indicativi modi, et suscipiens per pronomen secundæ personæ; sed potest actus exprimi verbo alterius modi, et suscipiens verbo alterius, ut Græci expriment. Ratio autem necessitatis, quod illa duo sic, vel sic exprimerentur, sumitur ex illo Matth. ult. *Baptizantes eos*, etc. ubi exprimitur actus, et suscipiens. » *Hæc Doctor*; quibus significat, idcirco personam baptizatam debere exprimi, quia Christus Dominus id sufficienter indicavit, cum dixit: *Baptizantes eos*, etc. actum baptizantis et suscipientem Baptismum debere exprimi in collatione Baptismatis. — *Confirmatur* a simili: idcirco in Pœnitentiæ forma necessum est, ut exprimatur persona absolvenda, dicendo, *absolve te*, nec valeret absolutio sub hac formula, *absolve*, vel *datur absolutio in nomine Patris*, etc. quia Christus Dominus Joan. 20. instituens Sacramentum Pœnitentiæ, dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ita a simili debet exprimi persona baptizanda, quoniam illam exprimendam significavit Christus Dominus cum dixit: *baptizantes eos*, etc. Adde quod Baptismus ex baptizato potissimum suam denominationem et determinationem seu individuationem accipit: igitur ut exprimatur actus in individuo, qui per Ministrum exercetur, necessum est, quod in verbis exprimatur persona baptizanda.

DICES: Concilium Florentinum in decreto Eugenii asserit, quod in Baptismo, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum sanctissimæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum; ubi non facit mentionem personæ, quæ baptizatur: igitur illius expressio non est necessaria. — **Nego consequentiam**, et ad antecedens dico *primo* quod, cum decretum requirat, ut exprimatur actus Baptismi, quatenus hic et nunc exercetur, implicite saltem connotat personam baptizati; siquidem Baptismus fieri non potest sine subjecto illius capaci. *Secundo* dico, non esse mirum, quod Eugenius non meminerit personæ baptizandæ; quia nulla cum Græcis erat controversia circa expressionem suscipientis Baptismum; utpote cum eam Græci etiam exprimerent, dicendo: *baptizatur servus, vel ancilla Christi*.

Dixi autem hoc pronomen, *te*. suppleri posse per aliquid æquivalens, puta si quis diceret: *Baptizo Petrum, vel baptizaris a me*, quemadmodum Græci dicunt: *baptizatur servus Christi*; hoc enim aut alio simili loquendi modo sufficienter apparet ac significatur persona baptizanda.

QUÆRES 4: *An necessaria sit particula in ad formam Baptismi?*

RESPONDEO, illam non esse necessariam ad essentiam formæ sacramentalis, quippe idem remaneret sensus ea ommissa: enimvero qui aliquid se præstare significat nomine alterius, idem est, ac si diceret se in nomine ejusdem id facere. Norunt enim Grammatici ablativum absolutum eandem habere significationem, ac ablativum per præpositionem *in* designatum.

QUÆRES 5: *Quid significetur particula nomine, et utrum illa sit absolute necessaria ad formam Baptismi?*

RESPONDEO primo, particulam ista significare vel unitatem essentiæ divinæ subsistentis in tribus divinis Personis, ut docent SS. Patres, imprimis vero S. Ambrosius, lib. 2. *De Sacramentis*, cap. 7. *In uno nomine*, inquit, *baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nolim mirari, quia dixit, unum nomen, ubi est una substantia, una Divinitas, una Majestas.* Et S. August. lib. 3. *Contra Maximinum*, cap. 22. *In nomine*, inquit, *non in nominibus: hi enim tres unum sunt: et hi tres unus est Deus.* Unde catechismus Romanus, cap. *De Baptismo: Quod in nomine*, inquit, *non in nominibus dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam, et Divinitatem: hoc enim loco nomen ad personas non refertur, sed ad divinam substantiam, virtutem, et potestatem, quæ una et eadem est in tribus divinis Personis significata.*

Suffragatur huic explicationi ratio Theologica; quia ad formam Baptismi non minus necessarium est, ut exprimat unitas essentiæ in divinis, quam Trinitas personarum, cum utrumque ex æquo ad fidem Catholicam desideretur: porro unitas essentiæ designatur per illam particulam. *nomine*: igitur, etc.

Sunt tamen qui existimant, *in nomine*, idem esse, ac in auctoritate, potentia, majestate et virtute, et quo sensu Psal. 19. dicitur: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini invocabimus.* Et Psal. 53. *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Et Christus Dominus plerumque eodem loquendi modo utitur in Evangelio, puta cum dicit: *In nomine meo dæmonia ejicient; et Spiritus Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, etc.*

RESPONDEO secundo, particulam, *nomine*, sic esse necessariam, ut si quis illam ommitteret, dicens; *Baptizo te in Patre, et Filio, et Spiritu sancto*: vel singulare numerum in pluralem convertendo proterret, *in nominibus Patris, et Filii, etc.* nullus censeretur Baptismus ut colligitur ex S. Hieronymo, qui explicans illud Ephesiorum 4. *unum Baptisma*, ait: *Non Baptizamus in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti: sed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Et ex S. Augustino, lib. 3. *Contra Maximinum*, cap. 22. mox a nobis laudato. Cui ratio etiam adstipulatur, quam statim prælibavimus, nempe quod cum forma Baptismi sit christianæ fidei professio, significare debet unitatem essentiæ trium divinarum personarum; eam autem vox *nomen* in singulari numero recte significat unitatem essentiæ trium in Deo personarum. Unde Apostolus ad Ephes. 3. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

QUÆRES 6: *Utrum in forma Baptismi exprimi debeant tres divinae Personæ sub distinctis nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ita ut Baptismus esset invalidus, si conferretur in nomine Genitoris, Geniti, et Proecedentis ab utroque.*

AFFIRMAT DOCTOR, d. 1. q. 2. n. 9. ubi ait: « De nominibus significantibus proprietates, et non personas, ut *genitor*, etc. dico quod non servatur in eis forma; quia Christus voluit personas vocari nominibus personarum: et rationabiliter, secundum illud, quod tactum est in primo libro, dist. 2. ut sicut Judæis datum erat aliquod nomen significans essentiam divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant nomen Dei *Tetragrammaton*, ita Christus dedit Ecclesie nomina significantia Personas sub propriis rationibus. Si etiam non sic dederit, tamen probabile est in aliqua invocatione, nomen Personæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis Personæ; petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Joannis, citius impetraretur, quam si loco nominis proprii poneretur nomen indicans proprietatem suppositi ». Quibus verbis Doctor significat Baptismum non valere, si conferretur sub aliis nominibus, quam sub nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quia Baptismus est Sacramentum fidei, quo nempe fideles initiantur, invocando, et protestando Deum unum in essentia, et trinum in Personis: igitur conveniens fuit, ut id fieret per nomina distincte significantia ipsas Personas; quemadmodum in veteri Lege consuetum erat invocare et profiteri Deum sub ratione unius essentiae (cujus tunc solius fides explicita singulis erat necessaria) per nomen *Tetragrammaton*, quod significat Deum sub ratione essentiae propriae. Unde etiam cum Baptismus sit Sacramentum communissimum, utpote quod ab omnibus est suscipiendum, debuit administrari sub nominibus magis vulgaribus, et frequentatis tum in Scriptura, tum in Symbolis, qualia sunt dumtaxat nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quæ singulis fidelium nota sunt: nomina autem genitoris, geniti, etc. non sunt omnibus nota, sed dumtaxat Theologis. Eandem sententiam tuentur Alensis 4. p. quæst. 8. membr. 3. art. 3. et Seraphicus Doctor dist. 3. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 5. ad 7.

DICES: Nomina illa *genitoris*, etc. æquivalent nominibus *Patris*, et *Filii*, et *Spiritus sancti*: igitur Baptismus sub ejusmodi vocabulis collatus esset validus. — Negat antecedens Doctor, n. 15. ubi respondens huic argumento a se proposito ait: « ad illud de *genitoris*, etc. dicendum quod Augustinus 5. *De Trinitate*, cap. 7. intelligit, quod idem est *genitor* et *Pater*, quantum ad hoc, quod est dici ad alterum, sive importare proprietatem ejusdem personæ; sed non sunt idem quantum ad primum conceptum significatum utrobique. Quia *Pater* significat primo et per se suppositum in natura divina; aliud autem significat primo et per se proprietatem; et non est eadem vis nominis proprii, et proprietatis nominis in invocatione facta alicujus personæ ad aliquem effectum ». Hæc Doctor, quibus significat voces istas *genitor*, etc. non designare Personas divinas, ut Personæ divinæ sunt, idest, in ratione subsistentium, sed per modum originis unius ab altera. — Ex iis sequitur Baptismum etiam non valere, si conferretur solum in nomine *Trinitatis*; « quia, inquit Doctor n. 9., Christus

« Dominus instituendo Baptismum, voluit ut Personæ divinæ Trinitatis distincte explicarentur: in hoc autem nomine *Trinitatis* tantum « importantur implicite, ac proinde Baptismus hac ratione collatus non « valeret ». — Non prodesset etiam si loco vocis *Filii* ponatur vox *Jesu Christi*; quia non exprimitur sufficienter secunda Persona. Secus si ad *ly Spiritus* addatur *Paracleti*; quia mutatio illa est solius epitheti, non substantiæ, Spiritus enim significat personam. — Rursus invalidus est Baptismus collatus, *In nomine primæ, secundæ, et tertiæ personæ*; hæc enim non sufficienter explicant mysterium Trinitatis secundum proprietates personales, neque emanationem unius Personæ ab altera. Idem est si conferatur, *In nomine Omnipotentis, et Sapientis, et Boni*, quæ non sunt nomina propria singulis Personis, sed tantum appropriata.

QUÆRES 7: *An valeret Baptisma collatum in solo nomine Christi?*

RESPONDEO, probabilius videri, quod aliquando licuerit sic baptizare, ut cum Magistro dist. 3. docent Alensis. 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. S. Thomas, 3. p. q. 66. art. 6. ac S. Bonaventura, dist. 3. p. 1. art. 2. q. 2. et *Subtilis Doctor* ibidem q. 2. n. 9. ubi scribit: « De quinto, scilicet de nomine Christi; patet, quod aliquando licitum fuit baptizare, Act. 2. 10. *De Cornelio*, et 19. sed an modo esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur quod sic baptizans peccaret mortaliter; imo omnino non baptizaret. Quod utique probat; quia, *inquit*, « legem superioris nullus inferior potest revocare, nec simpliciter, nec ad tempus: sed lex de baptizando in ista forma communi, *In nomine Patris*, etc. promulgata fuit a Christo Matth. ult. ergo eam pro tempore, pro quo Christus non revocavit, nullus alius revocare potest. « Sed licet dispensaverit in illa lege, pro tempore primitivæ Ecclesiæ, « quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen « illa ratione cessante, non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest aequaliter a lege illa absolvi ».

Huic doctrinæ et assertioni adstipulantur SS. Patres, maxime S. Ambrosius, lib. 1. *De Spiritu sancto*, cap. 3. ubi ait: *Sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: quia unum nomen, potestas una; ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solum ad S. Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, et Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, et Spiritum sanctum. Denique et Æthiops Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est. Et infra: Nunc consideremus atrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum; ita etiam sancto Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Pro responsione subjungit: Rationem sequamur; quia qui hunc dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti. Ac paucis interjectis: Unde et rationi copuletur auctoritas, in Spiritu quoque recte baptizare nos posse, Scriptura indicat, dicente Domino: vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in unum corpus, in uno Spiritu baptizati sumus. Idem docuit Theophilactus quoque*

ult. cap. Lucæ ad questionem: *Quomodo Baptisma in nomine solius Christi fieri intelligamus, præsertim cum altis doceamur baptizare in nomine Patris, etc.* in responsione ait: *Christi nomen in se continet et Patrem inungentem, et unctionem Spiritum, et unctum Filium.* — Amplius dico, Nicolaus primus ad consulta Bulgarorum, cap. 104. fretus auctoritate Scripturæ, et S. Ambros. ausus fuit asserere, etiam de facto Baptismum in nomine solius Christi valere. Verba ejus referuntur, cap. 24. *De Consecr.*, dist. 4. *A quodam, inquit, Judæo, necitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Illi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis (puta explicite, ut solet in decretalibus, et PP. intelligi Baptismus datus est in nomine Trinitatis) vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit sanctus Ambrosius) constat, eos non esse denuo baptizandos.*

Porro hæc veritas niti videtur apertis Scripturæ textibus, nam et sermo Petri Act. 2. ad hoc dirigitur, ut exaltaret nomen ejus; et Actor. 3. et 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri, etc.* Act. 8. *Aperiens Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista evangelizavit illi Jesum, etc. Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet: et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum, etc. baptizavit eum.* Et ante dicitur de Philippo, quod prædicabat Samaritanis Christum: *et in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* Huc etiam spectat instructio et sermo Petri ad Cornelium, et domum ejus, Act. 1. 50. qui sic clauditur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, etc.* Et cum ad hæc cecidisset Spiritus sanctus in eos, jussit eos baptizari Petrus, *in nomine Jesu Christi.* — Ex Epistolis etiam Pauli plura designant Baptismum datum in nomine Jesu, et salutem per ipsum consequi, quæ brevitatis gratia omitto. Unde sequitur modum illum baptizandi et formam congruere doctrinæ et prædicationi Apostolorum, quæ præmittebatur ante Baptismum; sicut et ex illis verbis Pauli 1. ad Cor. 1. *Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi... ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis, etc.* Et infra, quantum ad doctrinam et prædicationem: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam, etc.*

Favet etiam ratio; congruum enim fuit initio nascentis Ecclesiæ apud Judæos dari Baptismum in remissionem peccatorum sub nomine Christi, qui negabant necessitatem Redemptionis et Redemptoris, ponentes salutem ex Lege sola. Apud Gentiles non defuit similis congruentia, quia ex mirabilibus, quæ fiebant in nomine Christi (ut Simon Magus, Act. 8.) credebant; ac proinde etiam congruum fuit, ut baptizarentur in nomine ejus, in quem credebant. Ideo potuit Baptismus in illa forma dispensative conferri, sine ullo errore in forma, practice aut speculative. Ita autem factum esse colligi videtur ex modo loquendi Scripturæ, et auctoritate SS. Ecclesiæ Doctorum.

Nihilominus opposita sententia, (quam plures tuentur cum Armano nostro,) non est improbabilis; reponunt enim ad omnes Scri-

pturæ textus, quibus significari videtur Apostolos baptizasse in nomine Domini Jesu, intelligendos esse, quod baptizaverint in auctoritate et potestate Jesu Christi, idest, Baptismo, quem Christus Dominus instituit, quo distingueretur Baptismus Christi a Baptismo Joannis. Quæ utique responsio confirmatur ex Act. 19. nam cum Apostolus invenisset quosdam Discipulos Ephesi, dixit ad eos: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: in Joannis Baptismate.* Nulla autem, inquit, et omnino aliena fuisset Apostoli interrogatio, si Baptismus tunc temporis conferri solitus esset in alia forma, quam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; existimabat namque Apostolus eos non potuisse baptizari Baptismo Christi, quin notitiam habuissent Spiritus sancti, in cujus nomine, sicut et Patris, ac Filii, fuissent baptizati.

Fateor tamen responderi posse huic eorum fundamento, idcirco Apostolum mirari quod non audivissent quidquam de Spiritu sancto, quia cum essent adulti, prius baptizari non poterant, quin instructi fuissent de præcipuis fidei mysteriis, ac proinde novissent tres esse in Deo Personas: quippe divinæ Trinitatis mysterium primum est ac caput omnium fidei mysteryorum.

Nec etiam obstat Can. 49. Apostolorum: *Si quis Presbyter, aut Episcopus non trinam mersionem unius Mysteriorum celebrat; sed semel mergat in Baptismate (quod dare a quibusdam jubetur in morte Domini), deponatur: non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate; sed: et euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Non, inquam, obstat; quia in illo Canone videtur tantum damnari quorundam hæreticorum error, qui idcirco per unicam mersionem baptizabant, et in morte Christi, ut excluderent Trinitatem personarum, et Christi Domini Divinitatem, quem errorem propugnarunt Bonosiani, et Cataphryges, de quibus scribit Gregorius Quirino Episcopo in Iberia, lib. 9. Epist. 61. et refertur *De Consecr.*, dist. 4. cap. 81. *Hi, inquit, hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani, et Cataphryges (quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravam hominem Montanum credunt; quorum similes multi sunt) et alii tales; cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.* Quidquid sit de veritate alterutrius sententiæ, de qua nihil certi definire licet, cum utrinque appareant non improbabiles conjecturæ,

Respondeo secundo cum Doctore *ibidem* certum esse, quod nunc temporis nulla ratione liceat Baptismum conferre in solo nomine Christi; « nam, inquit Doctor, videtur, quod sic baptizans peccaret mortaliter. Primum probatur: quia legem superioris nullus inferior potest revocare, nec simpliciter, nec ad tempus: lex de baptizando in ista forma communi: *In nomine Patris, et Filii, etc.* promulgata fuit a Christo, Matth. ultim. ergo eam pro tempore pro quo Christus eam non revocavit, nullus alius potest revocare ». *Subsumit Doctor:* « sed licet dispensaverit in illa lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ, quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen

« illa ratione cessante non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest aliquo modo a lege illa absolvi. Consimiliter « *probatur secundum*: quia forma tradita communiter semper manet « forma, nisi per formæ institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua « dispensatio: sed forma non fuit dispensative tradita, nisi pro tempore, pro quo fuit dispensandi ratio; scilicet in Ecclesia primitiva, « ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis « cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione ». *Et concludens interrogat*: « quid ergo? Non audeo dicere, quod baptizatus « hodie in nomine Christi esset baptizatus, sed nec audeo dicere, quod « non esset baptizatus; quia non lego ubi fuerit illa dispensatio revocata. In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus ».

Quod autem Baptismus in nomine Christi collatus esset nunc invalidus, colligitur ex Epistola Pelagii summi Pontificis ad Gaudentium Episcopum, et refertur dist. 1. *De Consecr.*, cap. 81. his verbis: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi, una etiam mentione se asserunt baptizare. Evangelicum vero præceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Jesu tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mentione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Confirmatur ex cap. 83. ejusdem distinctionis, quod est Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum in Epistola, cujus initium: Sacris luminibus, in qua sic scribit Pontifex: Synodo Anglorum decretum et iudicium firmissime præceptum. et diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt; ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est; quia qui unam ex sancta Trinitate personam confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem, et Filium, si confessus non fuerit et Spiritum sanctum, neque Patrem habet, neque Filium et qui confessus fuerit Patrem, et Spiritum sanctum, et Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet, neque Spiritum sanctum, sed vacuus est a divina gratia.

*Nec refert, quod Nicolaus affirmet Baptismum in solo Christi nomine esse validum; quod confirmat auctoritate S. Dionysii. Respondeo enim Nicolaum hæc dixisse tantum obiter, et non ex professo, non enim fuerat interrogatus, utrum valeret Baptismus ratione formæ, sed solum utrum obstaret valori Baptismatis, quod Minister esset Judæus. A quodam, inquit, Judæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, etc. Respondet autem Baptismum valere, sive fuerit Christianus, sive paganus, dummodo usus fuerit legitima forma. Porro quæ esset legitima forma, ibi non quærebatur, sed occasione inde sumpta explicat suam opinionem, quam ipse de illa tamquam Doctor particularis tenebat, puta quod valeat hæc forma, *Ego te baptizo in nomine Christi*, ductus auctoritate Scripturæ, et sancti Ambrosii, quam allegat.*

Potuit autem facile fieri, ut Nicolaus non viderit responsum Pelagii, et Zachariae, cum tunc temporis decreta Conciliorum et Pontificum nondum essent in Jure Canonico collecta et ordinata; vel si cognoverit, forsitan aliter duxit ea explicanda, quam modo universalis Ecclesia intelligit: videlicet vel de implicita invocatione Trinitatis, contra hæreticos, qui baptizabant in mortem Domini unica mersione, ut excluderent Trinitatem, et Divinitatem Christi; vel de explicita, contra illos, qui unam personam nominabant cum positiva exclusione, et errore circa alias.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO ET SUBJECTO BAPTISMI.

Ex præcedenti Disputatione jam satis aperte liquet ordinarium Baptismi, sicut et aliorum Sacramentorum, Ministrum, et subjectum esse dumtaxat hominem viatorem; cum enim Sacramenta animarum sint medicamenta, quæ nec mortuis, nec perfecte sanis quidpiam prodesse possunt; hinc est, quod nec pro damnatis, nec pro Beatis in termino jam existentibus, sed tantum pro viatoribus hominibus, quibus adhuc salus affulget, instituta censeantur. Justa itaque, ac omnino sapienti ordinatione divinitus factum est, ut soli mortales homines Sacramentorum beneficio ac ministerio mortalibus opitularentur. Quocirca hic dumtaxat determinandum superest, quinam sint capaces tum ministrandi, tum suscipiendi Baptismatis: quod utique declarabimus in quatuor sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIS SIT IDONEUS MINISTER BAPTISMI.

NOTANDUM 1. Baptismum dupliciter administrari posse, primo *solemniter*, et cum omni publico ritu, et ecclesiasticis cæremoniis adhiberi solitis, dum Baptismus ab Ecclesiæ Ministris publice confertur: secundo, *citra solemnitatem* omnem, seu ommissis omnibus cæremoniis, et adhibitis dumtaxat, quæ essentialia sunt ad validam Sacramenti perfectionem. *Insuper* Baptismus conferri potest, vel in casu urgentis necessitatis, nimirum si instet mortis periculum; vel extra necessitatis casum, dum videlicet baptizandus integra sanitate fruitur. Hinc duplex distingui potest Sacramenti Minister: unus quidem solemnitatis; alter vero necessitatis. *Rursus* Baptismi solemniter administrandi alius esse potest *ordinarius* Minister, cui ex proprio munere competit baptizare; alter vero *extraordinarius*, qui hanc facultatem habet ex conditione et delegatione. Quæritur ergo, quis sit idoneus Minister Baptismi solemniter, et *citra* casum necessitatis, vel non solemniter, et urgente necessitate conferendi.

NOTANDUM 2. In Sacramentorum administratione, sicut et in plurimis humanis actibus, aliud esse, quod aliquid fiat *valide*, aliud vero quod fiat *licite*. Primum enim respicit substantiam rei, quæ affirmatur fieri valide, ita ut illa stet integra, et omnibus suis partibus constans, abstrahendo ab eo, quod qui illam exercet peccatum incurrat, necne; secundum vero spectat ad conscientiam facientis, ita quod qui rem exe-

quitur, non solum illam faciat quatenus fieri debet, ut sit integra, et perfecta secundum se; sed etiam ut fiat modo debito, et ut præscribitur a Superiore ejusmodi rei confectionem ordinante. Cæterum hic de utroque modo conferendi Baptismum movetur quæstio: utrum videlicet omnibus omnino hominibus sive fidelibus, sive infidelibus, non solum valide, sed etiam licite competat urgente necessitate, vel citra necessitatem baptizare.

NOTANDUM 3. Quod etsi convenient Lutherani cum Catholicis quemlibet privatum fidelem, etiam mulierem, in casu necessitatis non solum valide, sed etiam licite baptizare, ut expresse docet Hunnius, Opusc. *De Sacram.*, cap. *De Baptismo*, ubi ait, illud etiam esse articulum confessionis Augustanæ: nihilominus refragantur Calvinistæ, cum suo hæresiarcha, qui lib. 4. *Instit.*, cap. 15. licet non ita aperte mentem declaret, utrum loquatur tantum *de licito*, an etiam *de valido*, ita agit ut videatur velle, solos Verbi divini Ministros, Ecclesiæ Pastores legitime vocatos, posse valide baptizare, et si mens et intentio illius sit inquirenda ex ipso Beza, ita esse constabit; hic enim lib. *Qu. et responsionum de Sacramentis*, qu. 140. interrogatus de Baptismo administrato a privatis personis, ministerio non fungentibus, respondet, *illum non esse pluris faciendum, quam id quod Regis, aut Reipub. nomine privatus quispiam pro libito gereret, aut quam fabula*. At satis constat id fore nullum, et non solum illicitum, quod privatus aliquis pro libito faceret nomine ipsius Regis, aut Reipub. ex defectu potestatis ab illa ad hoc faciendum acceptæ, similiter et istud quod est fabulosum. Unde etiam idem Beza, quæst. 144. *De Sacramentis* impudenter ait, se præferre Baptismum a satana et diabolo sese pro verbi divini ministro gerente collatum, Baptismo per mulierem aut privatum fidelem conferendo.

Conclusio prima. — QUILIBET HOMO VIATOR RATIONIS COMPOS VALIDE SEMPER, ET SI URGEAT NECESSITAS LICITE BAPTIZARE POTEST PRIVATIM, ET SINE SOLEMNITATE. Hæc est de fide determinata in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, et refertur cap. Firmiter, ubi statuitur, *Sacramentum Baptismi... tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum, proficit ad salutem*.

Quam utique determinationem distinctiùs innovavit et confirmavit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, ubi de Ministro Baptismatis sic legimus: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, et mulier, imo etiam Paganus, et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia*.

De Sacerdote et Diacono dicemus Conclusionè sequenti. De Paganis autem et infidelibus aperte docet Isidorus, ut refertur dist. 4. *De Consecratione*, cap. 23. his verbis: *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit qui baptizet*. Idem docet Nicolaus I, ad *Consulta Bulgarorum*, cap. 104. ut refertur ibidem cap. sequenti, ubi legimus: *A quodam Judæo nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto*

si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt.... constat eos non esse denuo baptizandos. Quantum autem ad hæreticos, jam sufficienter constat ex dictis in priori Disputatione, ubi probavimus Baptismum ab hæreticis collatum esse validum.

Porro Baptismum a quocumque rite collatum in forma Ecclesiæ constanter docet S. Hieronymus, in *Dialogo Contra Luciferianos*, cap. 4. et S. Augustinus, lib. 2. *Contra Parmenianum*, cap. 13. ubi ait: *Et si laicus aliquis pereunti dederit (baptisma) necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuiuslibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis rite dici possit illicite datum.*

Eos præiverat Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. 17. ubi cum dixisset baptizandi officium ex æquo spectare ad Episcopos, dehinc ad Presbyteros, postmodum ad Diaconos, non vero ad laicos, addit, laicum alloquens: *Sufficiat scilicet in necessitatibus, ut utaris, sic ubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit: tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget necessitas periclitantis; quoniam reus erit perditæ hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit.*

OBJICIT 1. Calvinus: Illi soli valde baptizare possunt, quibus Christus Dominus baptizandi facultatem contulit: sed eam dedit solis divini verbi Ministris legitime vocatis; tum quia Matth. ult. Christus Dominus Baptismum conferendum præcipiens, solos Apostolos alloquitur, ac eorum successores; tum quia ibidem conjungit prædicationem Verbi divini cum administratione Baptismi, dicens: *Ite, docete omnes Gentes.* — **Respondeo**, concessa majore, distinguendo minorem: solis Apostolis et divini verbi Ministris Christus Dominus dedit facultatem baptizandi publice et solemniter, *concedo*: privatim et in casu necessitatis, *nego*. Ad probationem autem dico, eo loco Christum Dominum non dedisse Apostolis simplicem potestatem baptizandi, quam etiam ante Passionem, cum necdum essent Sacerdotes, aut Episcopi, habebant et exercebant; sed iis jam Episcopis dedit speciale mandatum, et simul contulit jus primarium publice et solemniter prædicandi Evangelium, ac ministrandi Baptismum.

OBJICIT 2. Illud Concilii quarti Carthaginensis, cap. 100. *Mulier quamvis docta et sancta viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat.* Similiter Tertullianus pluribi docet Baptismum esse mulieribus interdictum, maxime lib. *De Velandis Virginibus*, cap. 9. et lib. *De Præscriptionibus*, cap. 42. et lib. *De Baptismo*, cap. 17. ubi ait: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariat.* — **Respondeo**, tam Concilium quam Tertullianum proscribere ac damnare quarundam mulierum, maxime Marcionistarum petulantiam et audaciam, quæ etiam citra necessitatem baptizandi, non solum privatim, sed et solemniter officium usurpabant: unde loco supra laudato *De velandis Virginibus*, ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, non tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.*

OBJICIT 3. Gregorium II, Epistola ad Bonifacium Episcopum, et refertur *De Consecratione*, dist. 4. cap. 52. ubi ait: *Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* Insuper S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epist. Parmeniani*, cap. 13. dubitat, *utrum ab iis, qui numquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari*; respondet autem: *nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Denique in Concilio Eliberitano, Can. 38. permittitur solum baptizatis, et prohibetur Bigamus in necessitate baptizare; habet enim: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui laracrum suum integrum habet, nec sit Bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum.* Igitur non omnes possunt etiã in necessitate valide baptizare. — **Nego consequentiam**, et ad Gregorium II dico eum loqui de *Baptizatis ritu Pagano*, non autem ritu Ecclesiæ, ut observat Glossa ad præfatum cap. 52. dist. 4. quod utique insinuat etiam Pontifex; ait enim ibidem: *quisquis in nomine Patris, et Filii, et Spiritu sancti baptizatus est, rebaptizare eum minime licet.* — Ad S. Augustinum dico, eum non revocare in dubium, quin Baptismus a laicis in necessitate collatus sit validus; quamquam enim non audeat aperte affirmare validum esse si conferatur a non baptizato; tamen id absolute non negat; imo diserte assereret si nunc viveret; ait enim, hoc non esse constanter asserendum sine auctoritate Concilii: habemus autem auctoritatem apertam Concilii Florentini id affirmantis; ac subinde eam veritatem nobiscum jam propugnaret S. Augustinus. — Ad Canonem Concilii Eliberitani dico, per eum tantum significari, quod in casu necessitatis non baptizatus et bigamus non debeat ministrare Baptismum in presentia baptizati non bigami; alioqui Baptismus ille esset illicitus, nec ministraretur sine peccato, non tamen propterea foret invalidus.

Conclusio secunda. — MINISTER ORDINARIUS BAPTISMI SOLEMNITER AUT PRIVATIM CITRA NECESSITATEM CONFERENDI EST SOLUS SACERDOS EPISCOPUS, AUT CURATUS; DELEGATUS AUTEM POTEST ESSE QUI LIBET SACERDOS, IMO ETIAM ET DIACONUS. Illam aperte tradit Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. 7. ubi ait: *Dandi quidem Baptismum habet vim summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, et Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Illam etiam veritatem declarat Concilium Florentinum verbis in priori Conclusionem laudatis. Et S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis*, c. 24. et reformetur de consecratione, dist. 3. c. 9. ubi scribit: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum: ejusque mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum, absque Episcopo, vel Presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat.*

Porro hujus assertionis rationem congruam profert Doctor, dist. 6. q. 1. n. 3. ubi cum dixisset: *Congruum est inter viatores solum Sacerdotem baptizare, et soli Sacerdoti congruit ex officio*, subdit: *Cujus ratio est, quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis: receptio autem alicujus in collegium pertinet ad Præsidentem et habentem auctoritatem in collegio; ideo quanto aliquis haberet majorem auctoritatem in Ecclesia, tanto magis pertineret ad eum*

recipere et introducere in Ecclesiam, et per consequens baptizare. Unde magis competeret Episcopo, quam simplici Sacerdoti, si sufficere possent Episcopi; sed propter paucitatem Episcoporum, et pluralitatem baptizandorum, regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus. Hæc autem Doctoris sententia, quæ assertit ex officio omnibus Sacerdotibus convenire facultatem baptizandi, intelligenda est, ut optime observat Hyquæus in Commentario ad hunc locum n. 19, quantum ad capacitatem, et in casu necessitatis, quantum ad effectum, seu officium: vel illa distributio intelligenda est pro generibus singulorum, quoad eos, quibus ex cura, vel ex concessione Parochorum in proprio districtu, aut Episcopi auctoritatem habent; quia nempe ex usu jam solis Presbyteris ministerium hoc tribuitur: nam rarus est Episcopus, qui illud exhibet, nisi in prærogativam personæ alicujus, ut Principum, aut Magnatum.

Q. UERES: *Quisnam sit servandus ordo inter Ministros Sacramenti Baptismatis?*

RESPONDEO cum Catechismo Concilii Tridentini, p. 2. tit. *De Baptismi Ministro*, triplicem esse eorum ordinem; « ac in primo quidem Episcopos et Sacerdotes collocandos esse; quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exercent. Id enim Apostolis præceptum est a Domino: *Euntes baptizates*. Quamvis Episcopi, ne graviores illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti essent. Quod vero Sacerdotes jure suo hanc functionem exercent, ita ut præsentem etiam Episcopo ministrare Baptismum possint, ex doctrina Patrum, et usu Ecclesiæ constat. Nam cum ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, quæ est pacis et unitatis Sacramentum, consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quæ necessario hujus pacis et unitatis quilibet particeps fieri posset. Quod si aliquando Patres Sacerdotibus, sine Episcopi venia, baptizandi jus permissum non esse dixerunt, id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solemnè cæremonia administrari consueverat, intelligendum videtur. Secundum Ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessu, non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur. Extremus ordo illorum est, qui, cogente necessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt, quo in numero sunt omnes, etiam de populo, sive mares, sive femine quæcumque illi sectam profiteantur. Nam et Judæis quoque, et infidelibus, et hæreticis, cum necessitas cogit, hoc munus permissum est; si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Ecclesia Catholica in eo administrationis genere efficit.... Neque vero hoc munus ita omnibus promiscue permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Ministrorum statuere maxime deceat. Mulier enim, si mares adsint, laicus item præsentem Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi assumere non debent. Quamquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum, præsentem aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipsæ exe-

« quantur. » Idem statuitur in Rituali Romano, tit. *De Baptismo*, § *De Ministro Baptismi*, ubi cum determinasset: *Quoties infans, aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive laico, etiam excommunicato, sive fidei, sive infidei, sive Catholico, sive hæretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma, et intentione Ecclesiæ: statim subdit: Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur; Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel si melius femina sciret formam et modum baptizandi.*

Conclusio tertia. — ITA NECESSARIO BAPTIZANS DISTINGUI DEBET PERSONALITER A BAPTIZATO, UT NULLUS SEIPSUM BAPTIZARE POSSIT. Est communis apud omnes eamque, decrevit Innoc. III, Epist. ad Episcopum Metensem, ut refertur cap. *Debitum de Baptismo*, et ejus effectu, ubi scribit: *Sane intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam seipsum immerisit dicendo: Ego me baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Et infra: « Respondemus, quod cum « inter baptizantem et baptizatum debet esse discretio, sicut ex « verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: Ite baptizate omnes « Gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, memoratus « Judæus est denuo ab alio baptizandus; ut ostendatur, quod alius « est qui baptizatur, et alius qui baptizat. Ad quod etiam designan- « dum ipse Christus non a seipso, sed a Joanne voluit baptizari. « Quamvis si talis continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset, « propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum. In « Baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur, de qua Veritas « ait: *Oportet vos nasci denuo: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, « et Spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* Sicut ergo in carnali « generatione, qua proles ex viro et femina nascitur, alius est qui « carnaliter gignit, et alius qui carnaliter gignitur: sic in sacramen- « tali generatione, qua soboles ex aqua et Spiritu sancto renascitur, « alius debet esse qui spiritualiter generet, et alius qui spiritualiter « generetur. Sane cum corpus exterius, sive cum cor interius baptiza- « tur, oportet, ut utrobique paternitas, et filiatio valeat inveniri, qui- « bus baptizans et baptizatus ad invicem referantur. » Ita S. Pontifex.*

Quam utique determinationem sic expendit Doctor, dist. 6. q. 1. n. 2. dicens quod « ab Innocentio summo Pontifice ad hujus rei con- « firmationem profertur simul figura, auctoritas, et ratio congrua. Fi- « gura quidem quia Christus, inquit, ad hoc signandum, non a se, « sed a Joanne baptizari voluit. Auctoritas colligitur ex verbis Do- « mini dicentis Apostolis, Matth. ult. *Ite, baptizate omnes Gentes in « nomine Patris, etc.* ubi Discipulos exprimit in secunda persona, et « baptizatos in tertia. Ratio quæ innuitur ibi, est ista, quia in Baptismo « celebratur illa spiritualis generatio, de qua Veritas ait Joan. 3. *Oportet « vos nasci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione alius est qui gi- « gnit, et alius qui gignitur, ita et in sacramentali generatione, alius « debet esse qui spiritualiter generat, et alius qui spiritualiter ge- « neratur ».

DICES: Sacerdos sibi ipsi in Missa ministrat Eucharistiæ Sacramentum: igitur potiori jure posset aliquis in extremis constitutus sibi ministrare Sacramentum Baptismi. — **Negat consequentiam** Doctor ibidem n. 13. et rationem disparitatis profert; *quod, inquit, susceptio Eucharistiæ non est Sacramentum, sed est Sacramentalis comestio, seu perceptio; Baptismus autem est Sacramentum.*

DEINDE SIBI OBJICIENS, Sacerdos saltem ministrat sibi Sacramentum Eucharistiæ: ergo pari ratione posset sibi ministrare Sacramentum Baptismi. — **Negat similiter consequentiam**; quia, *inquit, ministratio Sacramenti Eucharistiæ non est Sacramentum; siquidem Sacramentum istud non consistit in usu; ministratio vero Sacramenti Baptismi est ipsum Baptismi Sacramentum. Hanc autem rationem diversitatis profert: Quia Sacramentum Baptismi consistit in usu essentialiter, et non in aqua. Eucharistia autem est quoddam permanens distinctum ab usu Sacramenti. Quamvis ergo aliquis posset esse in usu Sacramenti permanentis Minister et suscipiens illum usum; non tamen potest hoc in Sacramento, quod essentialiter consistit in usu.*

Conclusio quarta. — AB UNO LICITE ET VALIDE PLURES SIMUL BAPTIZARI POSSUNT. Ita Doctor, dist. 6. q. 2. n. 7. ubi ait: « De tertio membro divisionis conceditur, quod iste plures simul aspergens, vel infundens, et simul proferens formam in plurali dicendo: *Ego baptizo vos*, baptizat simul omnes; tamen peccat mortaliter, quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia, nisi forte esset tanta necessitas, quod immineret mors omnium; et si quando singulos baptizaret singillatim, aliquis eorum moreretur antequam cæteros baptizasset ». *Subdit infra*: « an autem casus necessitatis, qui positus est de pluribus statim morituris excusaret Ministrum utentem illa forma, *Baptizo vos*, a peccato mortali, dubium est. Videtur tamen hoc rationabile: quia ex quo in potestate Ecclesiæ fuit determinare istam formam ad illa verba, *Baptizo te*, non videtur, quod ipsa voluerit aliquem ita præcise ad illam formam arcere, ut per hoc alicui præcluderetur via salutis. In casu autem prædicto alicui illorum præcluderetur salus, si quis sine peccato mortali non posset uti ista forma, *Baptizo vos*: nam si in eo casu esset peccatum mortale, nullus deberet eos sic baptizare; nullus enim debet salutem alterius procurare peccando in se mortaliter ». *Ita Doctor Subtilis*, cui consentiunt Alensis, S. Bonaventura, et S. Thomas q. 67. art. 6. ad 2. ubi ait: in casu necessitatis unus posset plures simul baptizare sub hac forma, *Ego vos baptizo*, puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut singillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum: præsertim cum pluraliter dicatur Matth. ultim. *Baptizantes eos*, etc.

Ratio igitur hujus assertionis est, quia eo in casu nihil deficit requisitum ad valorem Sacramenti, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ, quia illa variatio formæ de singulari in plurale, quoad particulam *vos*, requiritur dumtaxat ex parte subjectorum; ac proinde hæc variatio non irritum facit Sacramentum. *Confirmari* potest etiam ex facto Apostolorum, qui, ut legimus *Actor. 2.* una die plura ho-

minum millia baptizarunt; non enim poterant singillatim singulos baptizare.

PETES: Utrum eo in casu plura essent Baptismata? RESPONDET DOCTOR *ibidem*: « Videtur, quod sic; quia plures sunt baptizati, et « per consequens plures baptismationes passivæ, et ita plures actiones; et plures Baptismi ». Deinde objicit Doctor, quia non est nisi unica forma; nam verba tantum sunt semel prolata. Respondet « Posset tamen magis concedi, quod sunt plures Baptismi. Et tunc « ad argumentum dicendum, quod non oportet ad plurificationem alijus, omnia quæ sunt in illo plurificari; sed sufficit aliquod eorum « plurificari, ad hoc quod totum plurificetur. Et illa etiam forma non « est simpliciter una, quia *ly vos* includit in se singulare, quod pluries geminat ».

QUÆRES: Utrum etiam plures simul eundem baptizare possint?

RESPONDET DOCTOR n. 2. quod plures baptizare possit intelligi duobus modis, ita ut baptizent *vel eundem suscipientem, vel plures suscipientes, Et utrumque adhuc subdistinguitur, quia si eundem, vel uterque totum facit, vel unus abluat, et verba alius profert, puta si unus est mutus, et tantum abluat; alter mancus, qui verba profert. Secundum etiam membrum subdistinguitur, quia si baptizat plures, vel manifeste distinctos, vel non ita manifeste, ut in monstro, de quo dubitatur si sit una persona, vel duæ. His ita præmissis, respondet Doctor, quod quando plures simul baptizant, ita ut unus verba proferat, alter abluat, Baptismus est nullus. Dico, inquit n. 5., quod utroque seorsim aliquid faciente, et neutro totum simul sic abluente et proferente verba, nihil fit. Nec est alia ratio, nisi institutio Dei, qui sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum in collatione integra Sacramenti. Eandem fere rationem profert S. Th., q. 67. art. 6. ubi ait: Ex tali forma nos te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad Baptismum conferendum, quod videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat nisi ut Minister Christi, et vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum representet. Propter quod signanter Apostolus dicit Ephesiorum 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma; et ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum. — Si vero uterque simul abluat et verba proferat, validus esset Baptismus, quia, inquit Doctor n. 2., non est verisimile, quod unus faciens annullat factum alterius: sed si tantum unus eorum faceret, quod facit, factum esset: ergo pariter quod facit, factum est, alio similiter faciente. Signanter dixit similiter, hoc est, dum uterque in eodem instanti physico simul absolvit materiam, et formam; si quis enim prius quam alter materiam et formam ministraret, solus ipse valide baptizaret, et actio alterius esset vera rebaptizatio. Quod etiam docet S. Th. loco mox laud. ubi scribit: Si uterque diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, etc. tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret daret Baptismi Sacramentum. Si autem omnino simul verba proferant, et hominem immergerent, vel aspergerent, uterque, quantum in se est, baptizaret; nec traderent aliud, et aliud Sacramentum, sed Christus,*

qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.

DICES 1: Unus et idem effectus procedere nequit a duabus causis totalibus non subordinatis: sed si duo possent simul baptizare, Baptismus ille procederet a duabus causis totalibus adæquatis, nec invicem subordinatis: igitur, etc. — **Respondet Doctor**, n. 3. *distinguendo majorem*: non potest procedere effectus a duabus causis totalibus inducentibus formam effective, *concedit*: producentibus effectum dumtaxat ministerialiter, *negat*. Baptismi autem effectus a duobus illis Ministris producitur tantum ministerialiter; nam solus Deus gratiam sacramentalem effective producit.

URGEBIS: Saltem uterque Minister inducit formam Baptismi, et ut sic sunt duæ causæ, et utraque totalis. — **Respondet Doctor** ibid. « quod si uterque abluit, neuter in ablutione est causa totalis, et hoc « sive ablutio fiat immergendo (tunc enim movent corpus immersi « uno motu causato a virtute motiva amborum; et licet alter posset « illum motum causare, tamen quando simul movent, neuter utitur « tota sua virtute motiva, qua posset uti, sicut apparet, quando duo « portant unum pondus, quod alter solus posset portare), sive fiat « perfundendo, vel aspergendo, licet uterque madefaciat aqua a se « intusa vel aspersa, neuter tamen madefacit tota illa madefactione, « quæ est per aspersionem amborum ».

INSTAT IBIDEM DOCTOR: Uterque est causa totalis respectu prolationis verborum: et sic quantum ad unam partem effectus exterioris, qui est Sacramentum, erunt duæ causæ totales, et hoc est impossibile ita de parte effectus, sicut de toto. — **Respondet**, id vix contingere; « quia, *inquit*, difficile est, quin alterius verba superfluant, ita quod « non sint per se pars unius Sacramenti; quia ponere duo ejusdem « rationis esse partes unius, quod simpliciter esset perfectum, habendo « alterum eorum pro parte, videtur superfluum. Quæ autem superfluant, « et cuius proferentis, difficile est assignare; quia qua ratione illa, et « ista, et ita utraque, vel neutra, quia uterque æque complete, et con- « simili intentione proferit ». *Ita Doctor*. Quibus significat eo in casu, quod duo simul in eodem instanti abluerent, et verba proferrent, esset duplex Sacramentum Baptismi, quia esset duplex signum sacramentale completum et perfectum, intrinsicè et essentialiter. Unde statim subdit: *responsionem quære*, id est, quærat responsionem præfatæ objectioni, cui placet sententia asserens, quod in tali casu non sunt plura Baptismata.

URGEBIS: Non potest una et eadem persona duobus distinctis numero Baptismatibus baptizari: igitur eo in casu non essent duo Baptismata. — **Distinguo antecedens**: passive, *concedo*: active, *nego*: hoc est, eadem persona non potest revera suscipere duplicem effectum ablutionis baptismalis: ubi enim semel remissum, est originale peccatum, non iterum remitti potest: quamquam duo concurrerent ad ministrandum Sacramentum, per quod fit talis remissio. Unde ibidem Doctor n. 4. colligit, *Quod Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quam activa, quia plurificata baptizatio activa, non plurificatur passiva, nec Baptismus, quia passiva est una. Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus proprie suscipit Sacramentum: suscipit autem*

proprie ablationem passivam, et non activam, nisi dicatur idem realiter. — De tertio et quarto membro distinctionis prædictæ, hic non est sermo; quippe plures a pluribus, imo etiam ab unico valide baptizari possunt, ut mox diximus. Qualiter autem agendum sit circa monstrum ibidem diserte n. 7. aperit Doct. ubi scribit: « Dico, *inquit*, quod « si tempus haberi potest ad discernendum, an monstrum sit simpli- « citer una persona, vel duæ, de hoc haberi debet diligens inquisitio « antequam baptizetur. *Sed unde?* Vel ex partibus, *inquit*, corporis, « puta si sint duo capita, vel duæ spinæ dorsi, vel principale indi- « cium de cordibus; sed illud non potest esse faciliter evidens, dum « vivit. Sed nec signum de duobus capitibus esset omnino certum; « quia possibile esset aliquam cellulam in matrice esse perforatam per « totum, præterquam in parte superiori, et tunc concurrerent partes « seminis cadentes in diversis incastraturis matricis, pro tota parte infe- « riori, et tunc distinguerentur in parte suprema, et ibi formarentur « duo capita, cum tamen reliqua materia non sufficeret, nisi pro forma- « tione unius personæ. Breviter, evidentissimum signum distinguendi « est per intellectus et voluntates; si enim sunt duæ animæ, non est « necessarium unam scire quidquid scit alia, et velle quidquid vult « alia. Tamen raro, vel numquam accidit, quod sint duæ animæ, quin « sint duo capita, vel duæ partes principales capitis, licet non e con- « versò. Et si quomodo possit deprehendi diversitas intellectuum in « intelligendo, puta quod per aliquod signum deprehenderetur idem « sciri, et nesciri; vel possit deprehendi diversitas voluntatum, puta « quod esset ibi velle, et nolle de eodem; absque dubitatione tenendum « esset, quod essent ibi duæ animæ. Sed istud non potest judicari, nisi « de monstro adulto, quale ponitur fuisse in Francia habens duo ca- « pita, quorum unum expressit nolle de eo, de quo aliud expressit « velle. Unum enim voluit continere, et sobrie vivere; et aliud lascivire, et epulari; et cum unum per os suum excederet, reliquum « clamabat, se gravari ». *His præmissis de signis unius, vel duplicis personæ in monstro, hanc statuit Doctor resolutionem:* « De tali monstro « dico, quod si certitudo potest haberi, et sint partes, de quibus patet, « quod pertinent ad distinctas personas, separatim perfundi deberet « ista pars, et illa, cum iteratione formæ in singulari super utrumque. « Si autem certitudo haberi non possit, baptizandus est saltem in illis « partibus, quæ principaliter pertinent ad unum, cum forma in singu- « lari; et secundo abluendæ sunt aliæ partes, quæ non videntur prin- « cipaliter pertinere ad illum primum, et hoc cum forma, quæ servanda « est in illis, de quibus est dubium, quæ ponitur *Extra, de Baptismo,* « et de ejus effectu, capite *de quibus* ». Sed de monstro satis.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUINAM, ET QUOMODO TENEANTUR AD BAPTISMUM SUSCIPIENDUM.

NOTANDUM 1. Ad finem supernaturalem consequendum, aliquid me-
dium dici posse necessarium duobus modis: *primo* quidem necessitate
præcepti, quando videlicet aliquid est faciendum, vel habendum in

ordine ad consecutionem alicujus finis, non quod finis ille nequeat haberi sine ejusmodi re præcepta, sed quia res illa præcipitur fieri, ut finis obtineatur; ita quod illius contemptus esset peccatum, ratione cujus finis non posset obtineri. *Altera* vero est necessitas *medii*, quando scilicet aliquid ita ordinatur ad consecutionem alicujus finis, ut eo non posito, finis non possit obtineri. Cæterum inter utramque illam necessitatem hæc intercedit differentia; quod posterior nullam admittat excusationem; prior vero excusationem patitur, puta quando præceptum invincibiliter ignoratur, vel non potest executioni demandari propter aliquam causam legitimam. Quærimus itaque an hoc utroque modo Baptismus sit necessario habendus ab omnibus omnino hominibus, tam parvulis quam adultis, ut beatitudinem æternam obtinere possint.

NOTANDUM 2. Quod etsi omnes fateantur Baptismum suppleri posse tam in parvulis quam in adultis per Baptismum sanguinis, seu per martyrium reipsa toleratum; attamen non levis inter Catholicos et Hæreticos movetur controversia de necessitate Baptismi respectu parvulorum, ubi non adest occasio subeundi martyrii: *quidam* enim hæretici negant absolute infantes esse capaces suscipiendi Baptismatis ante usum rationis, et ideo Anabaptistæ solito vocantur. *Nonnulli*, ut Beza in *Questionibus de Sacramentis*, q. 121. et Hunnius Lutheranus opusculo *De Sacramentis*, cap. 11. negant infantes Judæorum, Mahumetanorum, et Gentilium esse capaces Sacramenti Baptismi, quamdiu sunt in infantia. Calvinus autem in suo *Commentario* ad illa verba capituli tertii S. Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, et Spiritu sancto*, etc. negat Baptismum esse omnibus necessarium necessitate mediæ, tam parvulis quam adultis, maxime vero respective ad parvulos parentum fidelium, quos vult esse justificatos et adoptatos a Deo antequam etiam nascantur; ait enim lib. 4. *Instit.*, cap. 15. n. 20. *Infantes nostros, antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos: hoc verbo continetur eorum salus.... Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt: ideoque minus sibi cavent; nam ubi invaluit opinio, perditos esse omnes, quibus aqua tingi non contigit, nostra conditio deterior est, quam veteris populi, quasi restrictior esset Dei gratia, quam sub Lege: renisse enim Christus censebitur, non ad implendas promissiones, sed abolendas: quando promissio, quæ tunc ante octavam diem salutis conferendæ per se erat satis efficax, nunc absque signi adminiculo rata non esset.*

NOTANDUM 3. Necessitatem Baptismi, maxime respectu infantium, posse intelligi tribus modis: *primo* quidem de absoluta et extraordinaria Dei potentia, quasi Deus non posset aliter parvulos, quam per Baptismum salvare. De hoc autem sensu nulla est inter Theologos difficultas; omnes enim conveniunt Deum posse eos, vel alio remedio, vel ex mero suæ misericordiæ beneplacito mundare ab originali, et ad æternam beatitudinem promovere. *Secundus* modus intelligitur de lege communi et ordinaria, utrum videlicet parvulis, quibus non potest ministrari Baptismus, non possit altero medio subveniri, videlicet per remedium Legis naturæ, respective ad infantes Gentilium, vel Circum-

cisionis, per ordinem ad infantes Judæorum, vel orationis, voti, aut alicujus pii operis parentum fidelium, quibus servari possent eorum parvuli, dum Baptismus aquæ non potest eis adhiberi. *Tertius* denique modus intelligi potest de aliqua Lege speciali, utrum videlicet ex aliquo singulari privilegio Dei, infantes aliqui interdum salventur sine Baptismo aquæ realiter suscepto, Deo supplente ejus defectum propter orationes et vota parentum, qui non possent Baptismum suis parvulis procurare.

Hic itaque tria maxime occurrunt determinanda: *primum*, quod omnibus omnino hominibus, tam adultis quam parvulis. Baptismus sit necessarius necessitate mediæ, in re vel in voto: *secundum*, quod parvuli tam fidelium quam infidelium sint capaces suscipiendi Baptismum: *tertium*, quod non possit ipsis parvulis altero medio, et remedio nunc subveniri.

Conclusio prima. — BAPTISMUS EST NECESSARIUS NECESSITATE MEDIÆ OMNIBUS HOMINIBUS, TAM ADULTIS QUAM PARVULIS. Hæc est de fide determinata in Conciliis Milevitano et Carthaginensi, ut constat ex S. Augustino, Epist. 90. et 92. et ex Tridentino, Sess. 7. *Can. 5. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Colligitur autem hujus Conclusionis veritas ex illis verbis Christi Domini, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. Quibus verbis Christus Dominus significat, post promulgatam Legem neminem posse salutem æternam consequi, nisi fuerit aqua Baptismi renatus. Quam utique veritatem aperte docuit Tertullianus, lib. *De Baptismo*, c. 12. ubi ait: *Præscribitur, nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam.* Unde cap. sequenti loquens de iis, qui asserebant fidem sufficere ad salutem, *Hic ergo*, inquit, *selestissimi illi provocant questionēs, adeo dicunt: Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est; nam et Abraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramento Deo placuit.* Respondet: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini Passionem, et Resurrectionem; at ubi fides aucta est credendi in Nativitatem, Passionem, Resurrectionemque ejus, adita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda.* Quibus verbis Tertullianus non obscure convellit impiam illam Calvinistarum assertionem, qua contendunt hominem per fidem posse justificari, etiam sine Baptismo.

Eandem veritatem ex eodem Christi Domini oraculo elicit S. Ambrosius, lib. 2. *De Abraham*, c. 11. ubi præferens præfata verba S. Joannis: *Nisi quis renatus*, etc. ait: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Ipsi subscribunt cæteri SS. Patres. S. Hieronymus, Dialogo contra Pelagianos: Gregor. Nazianz., Orat. in sanctum Baptisma: Basilus, Exhortatione ad Baptismum: sed maxime Epist. 28. ad S. Hieronymum, ubi scribit: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur, sine dubio creditur aliter*

eos in Christo vivificari non posse. Et lib. 3. De Origine Animæ, c. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam delictorum, si vis esse Catholicus.

Hanc autem veritatem ita apertam agnoverunt Pelagiani, ut licet negarent Baptismum necessarium ad delendum originale peccatum, quod utique non admittebant, illius tamen summam necessitatem ad consecutionem regni cælestis constanter propugnarent, ut pluribi testatur S. August. maxime lib. 1. *Operis imperfecti contra Julianum*, c. 53. ubi refert verba Juliani ita scribentis: *Nos igitur in tantum gratiam Baptismatis omnibus utilem confitemur, ut sanctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate.* Unde idem S. August. Ser. 14. *De Verbis Apostoli*, cum dixisset c. 7. Pelagianum alloquens: *Quia parvulus non baptizatus non intrat in regnum cælorum, et tu dicis, et ego. Illi igitur communi adversario, qui dicit non Baptizatum parvulum intraturum in regnum cælorum, resistamus ambo, et adversus ejus insidiosissima jacula scutum fidei proferamus.* Subdit cap. sequenti: *Ecce simul dicamus huic homini, Christianus es? Christianus, inquit, Audi Evangelium, qui vis, non baptizatos parvulos mittere in regnum cælorum, audi Evangelium: nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei; Domini sententia est: huic non resistit, nisi non Christianus.*

REPOKIT DANÆUS CALVINISTA ad c. 4. Bellarmini de Baptismo, ex hoc S. Joannis oraculo non colligi Baptismum aquæ esse absolute necessarium; quia, *inquit*, hæc particula (*et*) debet sumi pro disjunctivis (*aut, vel*) quasi sensus Christi Domini sit ille: nisi quis renatus fuerit ex aqua, vel Spiritu sancto, salvus non erit; ita quod duplex sit medium salutis: unum regenerationis per aquam Baptismi, alterum regenerationis per gratiam Spiritus sancti. — *Contra primo*, omnes SS. Patres accipiunt particulam *et* non disjunctivæ, sed copulative, ut videre est apud S. Cyprian. Epist. 72. et 73. S. Ambrosium, lib. *De Spiritu sancto*, c. 11. S. Augustinum, Tract. 11. *In Joannem*: ita ut aqua, et Spiritus sanctus requirantur ad regenerationem spiritualem. *Secundo*, si vera esset hæc Calvinistarum responsio, sequeretur quod posset fieri regeneratio spiritualis per solam applicationem aquæ elementaris, cum exclusione Spiritus sancti; nam ubi duo præcipiuntur, et dicuntur necessaria solummodo sub disjunctione, sufficit quod alterutrum adhibeatur ad consecutionem illius, ad quod ordinatur et præcipitur: neque est necesse simul utrumque collective facere; hæc enim est natura et conditio præcepti disjunctive facti, ut alterutra ex rebus præceptis adhibita, fiat satis ejusmodi præcepto, ut patet per inductionem in omni lege disjunctiva: igitur si in verbis Christi particula *et* disjunctive sit accipienda, consequens erit, quod quemadmodum juxta Calvinistas, spiritalis regeneratio ibi assignata per hunc terminum, *Spiritu sancto*, est sufficiens, seclusa ablutione exteriori, etiam in voto et affectu; pari ratione sola exterior ablutio, excluso etiam Spiritu sancto, erit sufficiens ad regenerationem spiritualem, et consecutionem beatitudinis, quo nihil absurdius excogitari potest. *Tertio* denique, si Baptismus non sit absolute necessarius par-

vulis ad consequendam æternam salutem, maxime quia, ut supra diximus ex Calvino in *tertio Notabili*. fidelium parvuli inseruntur in Christo virtute suæ propagationis a parentibus fidelibus: at hoc aperte falsum esse constat, non solum auctoritatē SS. Patrum, qui, ut mox diximus, absolute pronuntiant, Baptismum omnibus parvulis esse necessarium ad salutem, sed etiam ratione. *Vel* enim illa spiritualis generatio fit immediate a Deo sine ullo Sacramenti adminiculo intuitu fidei parentum; *vel* intuitu fœderis, quod Deus pepigerat cum Abrahamo, ejusque posteritate, his verbis Genes. 17. *Statuam pactum meum inter me, et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno*. Cui utique pacto succedunt fideles in nova Lege, ut indicat Apostolus ad Rom. 4. ad Galat. 3. dicens: *Eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahamæ, et eos tantum esse benedicendos cum fidei Abraham*. Sed neutrum dici potest: *Non quidem primum*, quia ipsimet Calvinistæ cum Beza, quæst. 126. de Sacramentis, id aperte negant; docet enim Beza, regenerationem illam fieri dumtaxat interveniente fide piorum parentum, virtute cujus pietatis fit, ut nati vel nascituri infantes censeantur in fœdere. *Non etiam secundum*, quia juxta Calvinistas falsum est, eos omnes, qui sunt prognati ex parentibus fidelibus etiam sanctissimis, pertinere ad istud fœdus, ut expresse tradit Beza, ibidem quæst. 123. Quod utique confirmat exemplo Esau, necnon et quotidiana experientia. Ergo fateantur, necesse est, falsum esse, eo ipso quo infantes nascuntur ex parentibus fidelibus, illos esse sanctos, nec indigere Baptismo aquæ, ut regenerentur in Christo. — *Confirmatur*, quia si ratio formalis illius sanctificationis infantium esset petenda ex eo, quod sint prognati ex fidelibus parentibus, consequens esset, quod talis insitio in fœdus Christi Domini, et sanctitas ei correspondens, deberet reperiri in omnibus infantibus, qui nascuntur ex parentibus fidelibus; quod cum Calvinistæ non admittant, nec etiam debent aliud admittere. — Neque eis quidpiam suffragatur præfatus textus Genesis: quantumvis enim intelligatur de semine spirituali Abrahamæ, non esset inde consequens, parvulos fidelium sanctificari posse absque Baptismo: imo contrarium potius inde sequitur; quemadmodum enim in Mosaica Lege nemo censebatur spirituale semen Abrahamæ absque Circumcisione, aut alio remedio, quo elueretur originale peccatum; sic in Lege Evangelica nullus reputari debet de semine Abrahamæ, quin mundatus fuerit ab eodem peccato per Baptismum: *Insuper* sicut non obstante propagatione a parentibus fidelibus, necessario parvuli Judæorum erant circumcidendi, et nunc sunt necessario baptizandi.

OBJICIUNT J. Illud Christi Domini Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum*: ergo, inquirunt, sine Baptismo pueri possunt salvari. — **Nego consequentiam**: siquidem Christus Dominus ibi loquebatur de parvulis Judæorum, ac aliorum fidelium, qui justificati erant per Sacramentum Circumcisionis, aut remedium Legis naturæ. *Deinde*, hæc Christus Dominus protulit, ut significaret parvulos illos ratione ætatis nihil habere malitiæ actualis, quod eos excludat a regno cælorum, sicut habent adulti, quibus parvulos illos opponit. Vel dico cum S. Augustino, lib. 1. *De Peccatorum meritis*, cap. 19. quod parvulorum vitam laudaverit Dominus, dicens talium

esse regnum cælorum, cum verax sit ille intellectus, quod humilitatis similitudinem in parva ætate posuerit.

OBJICIUNT 2. Illud S. Pauli 1. ad Cor. 7. ubi parvulos a fidelibus genitos vocat sanctos, dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: igitur parvulis ex fidelibus natis Baptismus non est necessarius. — Nego consequentiam; primo, quia Apostolus non dicit eos filios esse ex utero, vel ab utero matris sanctos, quod tamen hæretici præterdunt. Contrarium enim apparet ex eodem Apostolo, dicit enim ad Romanos 9. de Jacob et Esau, licet oriundis ex parentibus fidelibus et sanctis: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni personalis egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi. Esau autem odio habui. Quærit autem S. Augustinus, Epist. 105. Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Et lib. 1. ad Simpliciamum, qu. 2. Non odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. — Insuper idem Apostolus ad Ephes. 2. de seipso testatur: *Eramus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri: revera tamen ipse natus erat ex parentibus fidelibus, ut ipse significat ad Galat. 1. his verbis: Proficiebam in Judaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. — Denique qua ratione Apostolus dicit filios fidelium esse sanctos, eadem dicit sanctificari virum infidelem per mulierem sanctam, et vice versa: sed, inquit S. Augustinus, lib. 2. De Peccatorum meritis, cap. 26. expendens eandem Apostoli sententiam: *Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus. neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse, et in regnum cælorum esse intraturum: quia sanctificatus dictus est in uxore. Unde concludit, lib. 3. cap. 12. Illud sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana, et Ecclesiastica institutione, et Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quantumlibet sanctis et justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ a regno Dei separatos in damnatione Dei venire compellit: nec parvulis de quibuslibet sanctis, justisque procreati, originalis peccati reatu absoluntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tanto impensius loqui debemus, quanto pro seipsis minus possunt. — Censeo itaque dicendum cum S. Augustino, lib. 2. De Peccatorum meritis, cap. 26. Apostolum loqui de sanctificatione aliqua externa: quemadmodum idem Apostolus dicit 1. ad Timoth. 4. cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari per verbum Dei et orationem, qua oramus, nostra corpuscula refecturi; sicut etiam omnia alia, quæ junguntur rebus sacris, aliquo modo sanctitatem mutantur, seu sancta reputantur, iuxta illud Rom. 11. *Quod si delibatio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami. Quod utique optime explicat Subtilis Doctor, dist. 4. q. 3. n. 4. ubi scribit: Quod fructus, in quantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris, tamen*****

inquantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se: potest enim fructus esse mollis, et arbor dura. Sic in proposito, quia justitia et injustitia respicit personam in-se, non ut conjunctam vel divisam localiter, respectu alterius personæ: et ideo justitia potest competere proli, licet non matri, et e converso.

OBJICIUNT 3. Si parvuli debeant necessario baptizari, ut salutem consequantur; maxime quia Christus Dominus dixit: *Nisi quis renatus fuerit*; per quam sententiam videtur obstringere omnes omnino homines ad suscipiendum Baptisma: sed ita non est: tum quia in novo Testamento plures sine Baptismo aquæ salvi facti sunt, ut constat de Zacharia, Elisabeth, Anna, et Simeone: tum quia non minus universaliter Christus Dominus dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* Et tamen in hac generali sententia parvulos non comprehendimus; igitur nec comprehendendi debent in sententia priori. — **Nego minorem;** et ad *primam* ejus probationem dico, omnes illos sanctos vixisse et mortuos fuisse ante consummationem Novi Testamenti per mortem Christi Domini, et consequenter priusquam Baptismus aquæ fuerit necessarius hominibus necessitate mediæ ad salutem consequendam. Nec refert, quod illa verba, *nisi quis renatus fuerit*, protulerit Christus Dominus ante suam mortem; non enim illa dixit pro illo tempore, quo tunc loquebatur cum Nicodemus, sed tantum pro eo tempore, quo sufficienter promulgata esset Lex Evangelica. Ad *secundum* autem dico, non esse paritatem inter utrumque Christi Domini oraculum, quantum ad universalitatem obligationis; siquidem pueri sunt capaces regenerationis spiritualis, ad quam ordinatur Sacramentum Baptismi; non vero nutritionis spiritualis, ad quam ordinata est Eucharistia; nutritio enim spiritualis est instituta ad restaurandum id omne, quod per quotidiana peccata deperditur de viribus spiritualibus; quæ utique deperditio cum locum non habeat in parvulis, etiam nec in ipsis locum habere debet spiritualis nutritio.

Conclusio secunda. — PARVULI SIVE FIDELIUM SIVE INFIDELIUM SUNT CAPACES BAPTISMI SUSCIPENDI. Hæc est de fide determinata in Conciliis Carthaginensi quinto, Milevitano secundo, Can. 2. Gerundensi, Can. 5. secundo Bracharensi, Can. 7. Viennensi, ac Lateranensi sub Innocentio III, ut refertur cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, his verbis: *Sacramentum vero Baptismi... tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesie a quocumque rite collatum proficit ad salutem;* et novissime Tridentino, Sess. 7. Can. 13. his verbis: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent. suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse: ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie, anathema sit.*

Colligitur hæc veritas e Scriptura sacra, illis videlicet locis, quibus dicuntur familiæ integræ baptizata. Sic Act. 16. v. 5. de Lydia dicitur: *Cum autem baptizata esset, et domus ejus.* Et ibidem versu 33. de custode carceris, in quo reclusus fuerat S. Paulus dicitur: *Baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo.* Et 1. ad Corinth. 1. *Baptizavi Ste-*

phææ domum. Quis autem prudenter dubitet in istis familiis universim baptizatis, fuisse aliquos parvulos ab Apostolis Baptismo initiatos? Igitur parvuli revera sunt capaces Baptismi.

Eamdem veritatem definierat Innocentius III, cap. *Majores, ubi ait: Cum ergo Circumcisio tam adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, et generalior tamen existit, cum tam viri, quam femine baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulis est conferendus.*

Idem docent SS. Patres, Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. ult. Irenæus, lib. 2. cap. 36. ubi signanter ait: *Salvari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, juvenes, etc.* Origenes in cap. 6. *Ecclesia,* inquit, *ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum.* Idem docet S. Augustinus (ut cæteros omittam) lib. 4. *De Baptismo,* cap. 23. ubi scribit: *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe non possunt credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem, quod latro potuit; quin etiam flendo, et vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt: et tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.*

Suffragatur etiam ratio: tum quia parvuli salvari possunt, ut constat ex illo Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum:* tum quia Innocentes occisos, ut SS. et Martyres colit Ecclesia: tum denique quia possunt esse participes peccati Adami: ergo etiam et gratiæ Christi: sed, ut dictum est in priori Conclusionem, nullus post sufficienter promulgatam Legem Evangelicam salvari potest sine Baptismo: igitur Baptismus ipsis parvulis revera potest prodesse.

DICES 1: Christus Dominus suos Apostolos delegans ad prædicandum Evangelium, ait Matth. 19. *Euntes, docte omnes Gentes, baptizantes eos,* etc. Unde sic argumentari licet: illi soli sunt capaces suscipiendi Baptismatis, qui sunt capaces suscipiendæ doctrinæ; prius enim docere debet Ministri, quam baptizare; ac subinde baptizandus, prius doceri debet, quam baptizari: sed parvuli ante usum rationis non sunt capaces doctrinæ: igitur nec Baptismi. *Confirmatur,* prius quis credere debet mysteria fidei, quam baptizetur; ait enim Christus Dominus. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit:* ubi fidem vult præmitti, quasi necessariam Baptismo: unde S. Hieronymus in præfatum textum Matth. ait: *Non potest fieri, ut corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit veritatem:* sed pueri non possunt credere: ergo nec baptizari. — **Respondeo,** hoc utrumque Christi Domini oraculum intelligendum esse de adultis, in quibus baptizandis hunc ordinem servari voluit, ut prius instruerentur de rebus fidei quam Baptismum suscipere; nam Marci 16. ante dixerat: *prædicate Evangelium omni creaturæ,* utique adultis, ad quos instruendos et baptizandos eos delegat, quatenus videlicet suscepta instructione parati sint ad credenda fidei mysteria priusquam baptizentur. Quamquam nec in adultis requiratur actus fidei ad valorem Baptismi, ut patebit infra, sed sufficiat, quod suscipiant fidei divinitus infusæ habitum, cujus etiam parvuli sunt capaces; ac proinde credunt saltem habitualiter, et fidem profitentur, si non per actum fidei, saltem per susceptum fidei Sacramentum. Ita præfatum textum explicat Innocentius III, ut refertur

cap. *Majores*, ubi cum dixisset auctoritatem illam 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, intelligendam esse tantum de adultis, qui habent multitudinem peccatorum, non de parvulis qui peccato tantum originali tenentur, statim subdit: *similiter et illa auctoritas est solvenda: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, etc. cum non possint credere parvuli, sed adulti; ne ad alios prima, et ad alios secunda clausula referatur. Quamvis nonnulli concedant, quod parvuli credunt non per usum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in Baptismo: sicut et alia multa verba, secundum communem usum loquendi non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur.* — Hunc utrumque intellectum exprimit Doctor Subtilis supra respondens ad hoc argumentum Marci ultim. *Qui non crediderit, condemnabitur: parvulus non potest credere: ergo per Baptismum non potest salvari: ergo frustra baptizatur. Ad aliud, inquit, patet quod debet intelligi de adultis per illud, quod præcedit: Qui crediderit, et baptizatus fuerit. Vel potest dici, quod qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur: quia secundum Apostolum Hebræor. 11. Sine fide impossibile est placere Deo, etc. Parvuli autem, etsi non possint habere actum, possunt tamen habere habitum.* — Vel aliter responderi potest cum S. Aug., lib. 1. operis imperf. *Cont. Julianum*, cap. 6. quod sicut parvuli sunt rei per alienam voluntatem, nempe Adami, sic etiam sunt fideles per alienam fidem, dum videlicet credunt per paternos pro ipsis respondentes, et stipulantes. *Quoniam, inquit, verum est, quod per alios credunt (propter hoc enim et fideles per totam Ecclesiam nuncupantur), profecto non pertinent ad illud, quod ait Dominus: Qui autem non crediderit condemnabitur. Condemnabuntur ergo si per alios non credant, cum per seipsos non valeant credere. Vel, ut clarius hanc veritatem explicat Serm. 14. De Verbis Apostoli, cap. 11. Ad verba aliena sanatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum, fit interrogatio: respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, et stendo quodam modo, ut subveniatur orante, respondetur, et valet. Absit a cordibus qualicumque Christianorum: ergo respondetur, et valet. Conspiratione quadam communicat Spiritus, credit in altero, quia peccavit in altero.*

DICES 2: Sunt incapaces illius ad observantiam Legis Evangelicæ: sed infantes sunt incapaces ejusmodi obligationis et observantiæ: igitur et Baptismatis. — **Distinguo minorem:** sunt incapaces illius obligationis, pro tempore, quo baptizantur, et antequam adoleverint, concedo: ubi pervenerunt ad adultam ætatem, nego. Unde Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 14. *Si quis dixerit, ejusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere relint, quod patrum eorum nomine, dum baptizarentur polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

Conclusio tertia. — POST SUFFICIENTEM EVANGELICÆ LEGIS PROMULGATIONEM NULLUM EST (si martyrium excipias) ALIUD REMEDIUM, ORIGINALI PECCATI ELUENDI, NEC MEDIUM CONSEQUENDÆ SALUTIS DE VIA ORDINARIA, QUOD PRODESSE POSSET PARVULIS SIVE FIDELIUM SIVE INFIDELIUM ETIAM IN NECESSITATE CONSTITUTIS, PRÆTER

BAPTISMUM. Hæc est communis Catholicorum doctrina contra non solum Calvinistas, sed etiam contra Cajetanum, qui in *Commentario* ad q. 68. art. 2. docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum Baptismi a parentibus, aut ab aliis conceptum eis sufficienter prodesse ad salutem; quod ibidem sic explicat, dicens: *Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et super art. 11. addit, Parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari per Sacramentum Baptismi: non in re, sed in voto Parentum susceptum cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum cum invocatione Trinitatis.* Quod utique Commentarium jussu S. Pii V summi Pontificis expunctum fuit ex scriptis ipsius Cajetani.

Patet hujus Conclusionis veritas ex dictis in prima Conclusionem, ubi ostendimus necessitatem Baptismi generalem esse; et ad omnes omnino homines, cujuscumque ætatis et sortis sint, pertinere. *Probatur* insuper ex illo 1. Petri, cap. 3. ubi comparat necessitatem Baptismi aquæ cum arca Noë; *In qua, inquit, pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos nunc similis formæ, salvos facit Baptisma.* Quo loco duæ particulæ sunt observandæ, *nunc facit*; nam S. Petrus confert tempus ab Evangelio Christi Domini promulgato, seu tempus Legis Christianæ cum tempore Noë, et Baptismum aquæ cum arca Noë per aquam elevata; ita ut sicut tempore Noë illi soli salvæ facti sunt a diluvio aquarum, qui in ejusmodi arca recludebantur, cæteri vero perierunt; sic ab Evangelii promulgatione solemnæ, quæ jam facta erat, dum hæc scriberet S. Petrus, nullus salvari potest (si martyrium excipias) nisi Baptismum in re, vel in voto susceperit. Sic enim hunc S. Petri textum intellexerunt S. August., lib. 12. *Contra Faustum*, cap. 14. ubi scribit: « Noë cum suis per aquam, et « lignum liberatur, sicut familia Christi per Baptismum crucis passione significatum ». Et S. Hieronymus, Epist. 57. quæ est ad Damasum summum Pontificem, ubi loquens de Ecclesia Catholica et Romana, ait: *Quicumque extra hanc domum aquam comederit, profanus erit: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.*

Confirmatur auctoritate SS. Patrum, maxime S. Ambrosii, lib. *De Invocatione Gentium*, cap. 8. *Non est fas credere, inquit, parvulos, qui regeneratione non sunt adepti Sacramentum, ad ullum pertinere Beatorum consortium, cum Dominus dixerit. Joan. 13. Nisi quis renatus fuerit, etc.* Similia docet S. Augustinus variis in locis, maxime lib. 1. *De peccatorum meritis*, cap. 23. ubi ait: *Nulla ex arbitrio nostro salus æterna præter Baptismum Christi promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda.* Similiter S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*, cap. 26. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur: sive cum de matribus nati, sine Sacramento S. Baptismatis, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc loco transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Idem docet S. Bernardus, Epist. 77. ubi expresse ait eo ipso tempore, quo hæc scribebat, nullam posse proferri rationem, quin Baptismus esset necessarius etiam infantibus; *Nunc vero, inquit, cum in omnem terram*

exierit sonus prædicationis, et in fines orbis terræ verba eorum; quia dissimulare non valet auditus, profecto inexcusabilis est et contemptus. Nec obstat, quod loquens de tempore subsequente promulgationem Evangelii per Apostolos, videatür relinquere iudicio Dei, utrum tunc Baptismus fuerit absolute parvulis necessarius, an vero ultra, penes Deum est, non meum definire. Hoc, inquam, non obstat: paulo enim infra scribit de infantibus natis post prædictam promulgationem Evangelii ab Apostolis factam: *Sane infantes, qui hac prohibente ætate non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conversionem, consequenter nec salutem, si absque Baptismi perceptione moriantur.*

OBJICIT 1. Calvinus, lib. 4. *Institutionum*, cap. 15. n. 20. Non est deterior conditio Christianorum, quam veteris populi; nec restrictior Dei gratia sub Evangelio, quam sub lege; alioquin Christus venisse censebitur, non ad implendas promissiones, sed abolendas, nec ad salvandos homines, sed damnandos: sed non obstante præcepto Circumcisionis in Lege veteri, dum necessitas urgebat ante octavum diem nativitatis pueri, sufficiebat illi ad salutem applicatio remedii Legis naturæ, nempe fides parentum testata per aliquod signum sensibile: ergo pari ratione, imo jure potiori in Lege gratiæ, non obstante præcepto Baptismi, sufficiet parvulo, qui non potest baptizari, applicatio ejusdem fidei, cum signo et invocatione sanctissimæ Trinitatis. — **Nego paritatem**, et ratio discriminis est, quod cum in Lege veteri expresse prohibuisset Deus parvulum circumcidi ante octavum diem, conveniens erat, ut periclitantibus ante diem illum relinqueret applicandum remedium Legis naturæ; secus est autem de Lege gratiæ; cum enim Deus voluerit Baptismum ita institui, ut parvulis applicari posset statim ac in lucem eduntur, mirum videri non debet, si nullum aliud remedium ipsis applicandum reliquerit. *Nec inde sequitur deteriore* esse conditionem parvulorum sub Lege Evangelica, quam sub Mosaica, aut naturæ; siquidem Baptismi remedium, non solum efficacius est, ac longe uberiorem et digniorem gratiam sanctificantem confert; sed etiam generalius est, quippe cum in universa Ecclesia toto orbe propagata administretur; necnon et facilius; siquidem aqua, quæ est materia Baptismi valde communis, et longe facilius est abluere, ac paucula formæ Baptismalis verba proferre, quam adhibere signum sensibile, et actum fidei supernaturalis, qui requirebatur ad remedium Legis naturæ. *Adde quod* tunc temporis non poterat a tot hominibus subveniri parvulis, ac modo; siquidem remedium Legis naturæ poterat dumtaxat ministrari et applicari per fideles; Baptismus vero non solum per fideles, sed etiam hæreticos, Judæos, et Paganos potest administrari. — *Nec etiam* inde sequitur, quod Christus venerit potius ad damnandos, quam ad salvandos homines; si nempe populi, et nationes omnes, quibus nondum prædicatum est Evangelium, nec innotuit necessitas suscipiendi Baptismi, priventur omni alio remedio pro obtinenda remissione peccati originalis. Hoc, inquam, non sequitur; nam Americani v. g. et alii populi, quibus nondum annuntiatum est Evangelium, sive infantes, sive adulti, non ideo damnantur, quia Christus venit ad eorum damnationem; nec similiter propter fidem Christi non habitam, neque ob non excepta ejus Sacramenta; sed propter peccata tam originale, quam actuale, cum quibus ex hac tem-

porali vita discedunt; ut a simili docet S. August., lib. *De Natura, et Gratia*, cap. 2. ubi simile tractans argumentum, et expendens illa Apostoli verba ad Rom. 10. *Quomodo credent in quem non audierunt? aut quomodo audient sine predicantē? fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt? In omnem terram exiit sonus eorum*, etc. Subdit S. Augustinus: « Sed antequam
 « hoc inciperet fieri, antequam denique usque ad *finis totius orbis*
 « *terræ* prædicatio, ipsa perveniret; quoniam non desunt adhuc ultimæ
 « gentes, licet, ut perhibetur, paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit
 « prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit quæ vel
 « ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non competit factum,
 « nisi credendo in Deum, *qui fecit cælum, et terram*, a quo, et se
 « factam naturaliter sentit, et recte vivendo ejus impleat voluntatem,
 « nulla fide Passionis Christi, et Resurrectionis imbuta? Quod si fieri
 « potuit, aut potest, hoc et ego dico, quod de Lege dixit Apostolus:
 « *Ergo Christus gratis mortuus est?* Si enim hoc ille dixit de Lege,
 « quam accepit gens una Judæorum; quanto justius dicitur de Lege
 « naturæ, quam accepit universum genus humanum? Si per naturam
 « justitia, *ergo Christus gratis mortuus est*. Si autem non *gratis Chri-*
 « *stus mortuus est*: ergo omnis natura humana justificari et redimi
 « ab ira Dei justissima, hoc est vindicta, nullo modo potest, nisi per
 « fidem, et Sacramentum sanguinis Christi ». Et cap. 4: « Unde hi
 « qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt,
 « sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non
 « possint, *lavacrum regenerationis*, quod accipere possent, per quod
 « salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnantur; quia sine
 « peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis
 « moribus addiderunt: *Omnes enim peccaverunt*, sive in Adam, sive
 « *in semetipsis, et egent gloria Dei* ». Et cap. sequenti: « Universa igitur
 « massa pœnas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium
 « redderetur, non injuste procul redderetur... quis igitur usque
 « adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias miseri-
 « cordiæ quos voluit liberantis; qui recte nullo modo posset culpæ
 « justitiam universos omnino damnantis? » *Hæc S. August.*

OBJICIES 2. Tamdiu viget lex, aut privilegium, quamdiu illius revocatio non pervenit ad aures utentium: sed remedium Legis naturæ est aliquod privilegium, seu quædam indulgentia, cujus revocatio nondum innotuit eis populis, quibus non est adhuc sufficienter prædicatum Evangelium: igitur apud eos adhuc vigere potest remedium Legis naturæ. — Respondeo ad majorem, privilegia esse in duplici differentia: *alia* enim sunt quæ conceduntur absque ulla limitatione temporis: *alia* vero quæ tantum conceduntur ad tempus præfixum, et determinatum. Quæ sunt prioris generis postulant quidem pro sua abrogatione, ut hæc abrogatio vel revocatio sufficienter innotescat iis, quibus privilegia illa fuerant concessa: secus vero est de privilegiis posterioris generis: quia eo ipso, quod tempus illis præfixum effluxit, statim nulla significatione, seu promulgatione facta, cessant vigere. Hujus autem generis erant privilegia, seu remedia tam Legis naturæ, quam Mosaicæ: Lex enim et Prophetæ usque ad Joannem, qui scilicet fuit ultimus Prophetarum veteris Legis, et velut crepusculum

et aurora Legis Evangelicæ. Unde Apostolus ad Galat. 3. *Lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen*, idest Christus. Quapropter ubi Christus advenit, et Legem Evangelicam promulgavit, ac alia Sacramenta et media ad salutem necessaria instituit, eo ipso cessavit obligatio veteris Legis, sicut et virtus omnium illius Sacramentorum. Unde Apostolus ad Hebr. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.*

URGEBIS: Ex pluries dictis lex non obligat ante promulgationem vel receptionem: igitur Lex Baptismi non eos obstringit, quibus nondum est sufficienter promulgata. — **Distinguo antecedens:** non obligat per modum præcepti et mandati, cujus omissio sit speciale peccatum, et imputetur ad culpam et pœnam, *concedo:* non obligat per modum medii, seu remedii necessarii ad finem consequendum, *nego.* Eo enim ipso, quod a superiore aliquid ordinatur ut necessarium ad finem obtinendum, ita ut eo omisso finis non possit obtineri, statim alia media fiunt inutilia. Unde præceptum de Baptismo suscipiendo non obstringit quidem eos, quibus nondum innotuit Lex Evangelica, ita quod illius omissio inducat novum aliquem reatum; sed necessarium est necessitate medii ad beatitudinem consequendam, ita ut illo medio omisso non possit salus obtineri.

OBJICIES 3. Ea voluntas, quæ ex parte sui liberi arbitrii sufficit ad peccandum, etiam sufficit ad justificandum: sed voluntas primi hominis est sufficiens infantibus, ut censeantur cum illo peccavisse: igitur etiam voluntas parentum sufficiens erit, ut per eorum vota et eorum affectus justificationem possint assequi. — **Distinguo majorem:** si voluntas illa eodem modo se habeat in esse moris, et liberi arbitrii, tam respectu boni promerendi alicui, quam respectu mali eidem demerendi, quemadmodum erat voluntas primi hominis, qui in quantum erat caput totius naturæ humanæ, omnes nostras voluntates continebat moraliter respectu justitiæ originalis nobis promerendæ, vel deperendæ, *concedo:* si voluntas ita se non habeat, *nego.* Contrarium enim apparet in ipsomet primo parente, cujus voluntas, et libertas, quamvis eadem esset in genere physico, dum peccavit, et dum pœnituit; quia tamen non erat eadem in genere moris, eo quod quando pœnituit, non habebat rationem capitis generis humani, idcirco ejus voluntas, quæ sufficiens fuit, ut omnes ejus posterius ipsius peccato inficerentur, non fuit ita sufficiens, ut per ejus pœnitentiam ab omni peccato mundarentur.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM VALIDE ET LICITE INFANTES INFIDELIUM NONDUM HABENTES USUM RATIONIS, INVITIS EORUM PARENTIBUS, BAPTIZARE LICEAT.

NOTANDUM 1. Infidelium duplex esse genus, quorum aliqui nomen Christo dederunt in Baptismate, sed per hæresim et apostasiam ab Ecclesia et fide Catholica defecerunt; hæresis enim est quædam species infidelitatis, ut communiter docent Theologiæ Principes; alii vero nusquam professi sunt Catholicam Religionem, nec per Baptismum facti sunt Ecclesiæ filii, et mystici Christi Domini corporis membra,

quales sunt Gentiles, Judæi, Mahumetani, etc. De utrisque autem præsens movetur difficultas, utrum videlicet non solum valide, sed etiam licite possint eorum pueri absque illorum consensu baptizari.

NOTANDUM 2. Infideles non baptizatos esse in triplici differentia; *quidam* enim eorum ita sunt sui juris, ut sub nullius Christiani Principis dominio vitam ducant: *aliqui* vero Principibus Christianis subjiciuntur, quantum ad dominium civile, habentque jus civium in eis provinciis, et civitatibus, in quibus Christiani principes dominatum obtinent: *cæteri* vero ei subjiciuntur subjectione despotica, et servili, qualis est eorum, qui jure belli, vel emptionis, vel alio justo titulo fiunt mancipia Christianorum Principum, eorumque auctoritati serviliter subjacent. De hoc autem triplici infidelium genere quæritur, an ipsis invitis et reclamantibus eorum pueri valide simul ac licite baptizari possint.

NOTANDUM 3. Filios ejusmodi infidelium posse considerari, vel in extremo vite periculo, vel citra ejusmodi periculum. *Insuper*, eos posse in tali statu constitui, ut sive jure, sive injuria fuerint erepti parentibus, ita alio transportentur, ut nusquam suis parentibus infidelibus sint restituendi: *vel* eo in statu spectari possunt, ut post susceptum Baptismum suis statim infidelibus parentibus redderentur, sub eorum dominio, cura, et educatione vitam tractaturi. — *Denique* nomine infantium possunt intelligi non solum illi, qui nondum adepti sunt rationis usum, sed etiam illi, qui non sunt adhuc sui juris, sed subjiciuntur imperio, et committuntur tutelæ, et curæ, vel parentum, vel tutorum, de quibus omnibus præsens movetur difficultas in sequentibus Conclusionibus determinanda.

Conclusio prima. — FILII QUORUMCUMQUE INFIDELIUM INVITIS PARENTIBUS VALIDE BAPTIZARI POSSUNT. Hæc est communis apud Theologos, si nonnullos excipias contrarium affirmantes cum Durando, eamque

Aperte docet S. Augustinus, Epist. 13. quæ est ad Bonifacium, circa medium, ubi cum dixisset: « Offeruntur parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvis, et ab ipsis si et ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate Sanctorum, atque fidelium; ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, et quorum sancta, atque individua charitate ad communicationem S. Spiritus adjuvantur: tota hoc ergo mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, facit; quia tota omnes, tota singulos parit ». *Subdit paulo infra*: « Illud autem nolo te fallat, ut existimes reatus vinculum ex Adam tractum aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad percipiendam Christi gratiam a parentibus offerantur ». Cujus rationem antea protulerat, dicens: *Ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatas: non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide; sed, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu.* Quasi diceret, quod quemadmodum ad contrahendum peccatum originale, non exigitur consensus parentum, vel alicujus alterius præter Adami; ita neque ad remissionem origi-

nalis contracti requiritur consensus aut fides cujusquam præter fidem Ecclesiæ, et consensum Ministri, nomine et auctoritate Ecclesiæ et Christi baptizantis; nam, inquit Apostolus ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.*

DICES 1: Baptismus ille non potest esse validus, qui fit in injuriam et præjudicium parentum: sed talis esset Baptismus filiorum, qui fieret contra eorum parentum voluntatem: igitur, etc. — **Nego majorem:** siquidem actio illa non est intrinsece injuriosa parentibus, nec sufficiens, ut irritus sit Baptismus; nam si quis Sacerdos baptizet parvulum hominis fidelis, vel inscio vel repugnante Parocho, Baptismus ille fit cum ipsius Parochi injuria, nec minus tamen est validus; unde quantumvis aliqua fieret injuria parentibus, dum ipsis invitis eorum filii baptizantur, Baptismus tamen non erit irritus. Quod utique confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ nusquam rebaptizat parvulos contra voluntatem parentum infidelium baptizatos; imo, dum potest, eos a parentibus abstrahit, et postquam adoleverint, ad fidei Christianæ et Ecclesiæ præcepta servanda compellit; sicut decernit Innocentius III, cap. *Majores De Baptismo:* « Oportet, inquit, ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur ».

DICES 2: Non potest valide baptizari adultus contra propriam voluntatem: ergo nec parvulus contra voluntatem parentum. — **Distinguo antecedens:** ex parte Sacramenti, *nego:* ex parte subjecti, ut sit capax mediis ordinati ad salutem, *concedo.* Statuit enim Deus neminem rationis compotem, justificari, nisi volentem, ut præclare docet S. Augustinus, Serm. 15. *De Verbis Apostoli,* cap. 11. *Sine voluntate tua, inquit, non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est etsi tua, justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Et infra: Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem.* De parvulo autem, qui impotens est propriæ voluntatis, *De Verbis Apostoli,* Serm. 14. *Ad verba, inquit, aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Christum? fit interrogatio, respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, flente, et flendo quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, et valet.* A quo respondetur? Ab offerentibus, inquires. Quid si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Recte intelligitur respondere *tota mater Ecclesia, quæ in sanctis est;* quia, ut mox diximus ex eodem S. Doctore, Epist. 23. *Tota omnes, tota singulos parit,* per voluntatem Ministri suo et Christi nomine baptizantis. Valet itaque Baptismus parvulorum quorumcumque parentum, ipsis quantumcumque invitis et contradicentibus, si adsit legitima materia, forma, et intentio Ministri.

Conclusio secunda. — FILII HÆRETICORUM, SCHISMATICORUM, NECNON ET EORUM INFIDELIUM, QUI SUNT MANCIPIA CHRISTIANORUM, NON SOLUM VALIDE, SED ETIAM LICITE BAPTIZARI POSSUNT, INVITIS PARENTIBUS. Hæc est communis quoad utramque partem, maxime

Quantum ad primam: Quia Ecclesia potestatem habet vi compellendi omnes baptizatos ad observantiam Legis Evangelicæ; eo enim ipso, quo baptizati sunt, subjiciuntur Ecclesiæ potestati, atque jurisdictioni: ratione enim characteris baptismalis sunt aliquatenus ipsius mystici corporis membra; ac proinde compelli possunt, ut sese conforment moribus et legibus, quibus mysticum illud corpus regitur. Unde Ecclesia semper probavit justissimas illas, ac sanctissimas Christianorum Principum sanctiones, quibus hæretici, vel exilio, vel aliis pœnis subiciebantur, nisi ad Ecclesiæ gremium sese reciperent; ergo multo magis potest eorum filios ipsis invitatis baptizare.

Secunda pars etiam constat: servi namque, seu mancipia subsunt dominio reali, una cum suis filiis, iis sub quorum potestate manciantur, ita ut dominus pro suo libito possit ejusmodi vel filios vendere, sicut et parentes, vel eos a parentibus distrahere. *Partus quippe sequitur ventrem.* et filii mancipiorum titulo nativitatis fiunt mancipia: igitur eorum dominus potest eos per Baptismum Ecclesiæ jurisdictioni subjicere. — *Confirmatur,* quia si quid obstaret, maxime esset dominium naturale parentum in filios, ratione cujus nulla fieri posset ejusmodi filiorum subjectio Ecclesiasticæ potestati absque eorum parentum consensu: sed id non obstat; quemadmodum enim parentes, quamvis jure naturali sint liberi, tamen jure Gentium privantur sua libertate; ita licet jure naturali potestatem habeant supra filios suos, attamen jure gentium et belli aut emptionis ea potestate licite privantur; ita ut dominus eorum filios possit vendere et a parentum consortio distrahere: igitur multo magis potest eos Ecclesiæ baptizandos offerre. Nec tantum potest, sed etiam debet eis Baptismum procurare, siquidem succedit in jus parentum, adeoque contrahit obligationem providendi de necessariis ad salutem, ubi ejusmodi parentes deficiunt parvulis. *Adde quod* filii mancipiorum censeantur de domo et familia sui domini, et consequenter ex conscientia tenetur eis procurare ac subministrare necessaria, non solum ad vitam corporis, sed etiam animæ; nam, inquit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — *Idem* dicendum de filiis eorum parentum, quorum unus fidelis est, qui vult parvulum suum baptizari: alter vero infidelis, qui rehuit; eo enim in casu standum est pro bono prolis, ut decrevit Concilium Toletanum IV, Can. 62. ubi sic habet: *Judei, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem, atque conditionem matris sequantur. Similiter et hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, et fidelibus viris, Christianam Religionem sequantur, non Judaicam superstitionem.* Hujus autem decreti ratio est, quia uterque parens habet jus in filium, et utriusque incumbit cura filiorum, etiam in spiritualibus, et consequenter potius proles ei parenti concedenda est, qui illam legitime in salutem, quam qui in perniciem, et damnationem educaret. Ita respondit Gregorius IX Episcopo Argentinensi, et refertur cap. ultimo de conversione infidelium; ubi inter cætera hæc habet: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, et non matris, et in ætate tali, qua non debet apud*

eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod salutem vel vitam insidiantur illius, et pueri post triennium apud Patrem non suspectum alii debeant, et morari: materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posse illum adlucere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime fidei Christianæ; respondemus Patri Christiano eundem puerum assignandum.

Conclusio tertia. — PUERI INFIDELIUM CIVILITER ET POLITICE DUMTAXAT CHRISTIANIS PRINCIPIBUS SUBDITORUM LICITE POSSUNT, ACCEDENTE PRINCIPIS MANDATO AUT CONSENSU, INVITIS PARENTIBUS BAPTIZARI. Hæc est Doctoris in 4. dist. 4. q. 9. num. 2. ubi ait: *Dico ergo breviter, quod si Princeps faceret cum cautela bona, scilicet ne parentes prius cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, et quod baptizatos faceret religiose educari, bene-ficeret.* Idem habet in *Reportatis*, ibidem q. 2.

Probatur ratione Doctoris: Præceptum superioris servari debet, non obstante repugnantia et voluntate contraria inferioris: sed baptizari pueros, est præceptum Dei; repugnantia vero parentum est voluntas hominis inferioris Deo: igitur non obstante tali voluntate in infidelibus, eorum parvuli possunt licite baptizari. *Majorem* simul ac *minorem* probat Doctor: « nam in parvulo, *inquit*, Deus habet majus jus « domini, quam parentes; universaliter enim in potestatibus ordinatis, « potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, « sicut docet S. Augustinus *De verbis Domini*, Hom. 6. et ponitur « cap. ult. lib. 2. *Si aliquid jubet potestas, quod non debes facere, hic « sane contemne potestatem, timendo potestatem majorem.* Et declarat « in exemplo de Curatore et præconsule, de Proconsule et Imperatore, « de Imperatore et Deo. Ergo si quis habet regere Rempub. magis debet, « quantum in se est, cogere unumquemque subd. domino superiori, « quam inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori. Sicut « ergo Imperator deberet sententiare aliquem debere obedire præcon- « suli, contempto præcepto Curatoris, idest, inferioris Proconsule, si « contradiceret Proconsuli; ita etiam, si essent sub eodem dominio « ordinata, scilicet, quod aliquis esset servus Titii, et Titius Petri, « magis deberet Imperator cogere servum servire Petro, quia superior « est Titio, quam Titio, si Titius vellet uti servo illo contra domi- « nium Petri. Ergo maxime debet Princeps zelare pro dominio servando « supremi Domini, scilicet Dei; et per consequens non solum licet, sed « debet Princeps auferre parvulos a dominio parentum volentium eos « educare contra cultum Dei, qui est supremus et honestissimus Do- « minus, et debet eos applicare cultui divino ».

REPONUNT THOMISTÆ, *majorem* esse veram, quando superior vult præceptum suum servari non obstante voluntate contraria, et quocumque jure inferioris; secus vero quando superior vult præceptum a se impositum servari sine violatione juris inferioris: ita autem (inquiunt) contingit in proposito; Deus enim præcipiendo, ut omnes, etiam parvuli, baptizentur, vult hoc præceptum observari sine violatione juris naturalis, quod pater habet in prolem, quia gratia non destruit, sed perficit naturam. — **Verum**, hæc responsio prorsus est evanida; licet enim Deus non præceperit explicite, ut Baptismus etiam invitis pa-

rentibus parvulis ministraretur, attamen id præcipit saltem implicite, dum illum tanquam remedium necessarium omnibus et singulis ad salutem instituit et ordinavit; eo enim ipso sufficienter concessit parvulis jus accipiendi Baptismum, a quo proinde sine injustitia nequeunt violenter impediri; adeo ut parentes, etsi non peccent contra justitiam, non procurando parvulis Baptismum, sed solum contra pietatem, aut charitatem; attamen revera in justitiam peccant, impediendo Ministrum paratum ad conferendum Baptismum, ad quem eorum parvuli jus habent: quemadmodum licet dumtaxat teneat ex charitate corripere proximum; peccaret tamen contra justitiam, qui se impediret violenter ab illa correptione, quia præpediret executionem commissi mihi divinitus muneris; unicuique enim mandavit Deus de proximo suo.

Probatur secundo: Si quid obstaret, quominus infidelium filii non possent, invitis parentibus, baptizari, maxime quia fieret injuria manifesta ipsis parentibus contra jus naturale, et potestatem paternam, quam habent in filios, quamdiu rationis usu sunt destituti, non minus, quam in propria bona, quæ possident; sed hæc ratio nulla est: *tum quia* potest Princeps subditos privare tali dominio in sua bona, quando eo abutuntur; parentes autem nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio, quod habent in ipsos, contra honorem Dei, et parvulorum salutem: *Non enim sine causa gladium portat*, inquit S. Paulus ad Rom. 13. *Vindex in iram ei, qui malum agit*; quodnam autem majus est malum, quam privare aliquem remedio necessario ad salutem? Igitur tali jure et dominio paterno in filios privari, possunt infideles, et consequenter eorum infantes licite baptizari. *Tum quia* si pater infidelis vellet interficere filium, posset infans, non obstante jure naturæ, ab ipsius parentis manibus vi eripi, et ab ejus potestate distrahi: ergo multo magis, si parens nolit eum baptizari, ut per Baptismum æternam mortem evadat: vita enim spiritualis longe præstantior est vitæ corporea. *Patet antecedens*; potestas enim defendendi innocentes, jure naturæ competit omnibus: sed pueri sunt innocentes, et maximo damno fiunt obnoxii, si non baptizentur: igitur jure naturæ licitum est eos, reluctantem parente, baptizare.

REPONUNT THOMISTÆ, posse quidem Principem privare subditos dominio, quod habent in filios, quando illo abutuntur contra Legem naturæ; secus vero, quando eo abutuntur contra Legem supernaturalem ipsis ignotam, qualis est Lex, quæ obligat ad Baptismum; cum enim potestas civilis sit mere naturalis, et ab hominibus dimanans, non potest extra jus naturæ se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, qualis est lex de suscipiendo Baptismate; et consequenter a nullo Principe possunt privari jure ac dominio naturali, quod habent supra filios, quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, et parvulorum salutem. — **Verum contra**, jus naturale non potest obligare in præjudicium legis fidei; quidquid enim continetur jure naturali, comprehenditur in Decalogo, saltem implicite, et reducitur ad præcepta virtutum, quæ omnia confirmantur per Legem Evangelicam. *Insuper*; quæcumque lex præscribitur et ordinatur ad finem charitatis et salutis; ac subinde nulla lex obligat in præjudicium fidei et charitatis; igitur pietas, in qua fundatur omne jus parentis in filium, non obligat contra charitatem et salutem; et con-

sequenter nullum jus concedit parenti in filium contra præceptum de suscipiendo Baptismo, quod per Legem Evangelicam præscribitur tamquam medium ad salutem necessarium. *Secundo*, fides suscepta non minuit in homine fideli jus paternum in proprios filios: alias homo baptizatus et fidelis esset pejoris conditionis, quantum ad auctoritatem in filios, quam gentilis aut Judæus: sed consentiunt nobiscum adversarii filios Catholicorum, necnon et hæreticorum, invitis parentibus, licite baptizari posse, accedente Principis et Ecclesiæ auctoritate, non obstante jure naturali parentum in filios: igitur etiam infidelium subditorum filii licite possunt baptizari sine præjudicio juris paterni, si accedat Principis auctoritas, quantumvis parentes renuant. *Confirmatur*, quia ex eo quod parens aliquis sit baptizatus, nullum inde accedit jus Principi in ejus parentis baptizati filios, magis quam in filios non baptizati, neque parentis baptizati filius majus habet jus ad Baptismum suscipiendum, quam filius parentis non baptizati: igitur si ille licite possit baptizari, quidni et hic? *Tertio*, filius rationis compos potest licite baptizari, si consentiat, quantumvis parentes renuant: sed usus rationis in filio non officit, nec derogat jurisdictioni paternæ in ipsum: ergo etiam sine præjudicio paternæ jurisdictionis poterit filius rationis expers baptizari. *Major constat*: nullus enim tenetur obedire parentibus in iis, quæ saluti suæ adversantur, docente Christo Domino: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem... non potest meus esse discipulus*. Hoc est, ut explicat S. Gregorius, *quos adversarios in via Dei patimur odiendo et fugiendo nesciamus*. Si ergo filius removeri possit a patris consortio et dominio ea ætate, qua obsequium ei potest impendere, ac prodesse, ut suæ saluti invigilet; multo magis ab ejus auctoritate poterit submoveri in ea infantili et infirmæ ætate, qua parentibus dumtaxat est in gravamen, ut ejus saluti consulatur.

DICES 1: Si pueri infidelium, invitis parentibus, baptizarentur, *vel* eripiendi essent post Baptismum a societate et consortio parentum, ut inter fideles educarentur, *vel* apud ipsos parentes infideles essent relinquiendi: sed neutrum licet. Non quidem *primum*, quia manifestam continet injuriam: siquidem parentes spoliarentur jure naturæ, quod habent in filios, qui sunt sub eorum potestate, quamdiu rationis sunt expertes: non sunt autem facienda mala, ut veniant bona. Non etiam *secundum*, quia vergeret in detrimentum, et profanationem Baptismi, periculosum enim esset, ne parentes infideles eos pueros suis pessimis ritibus inficerent, et ubi ad adultam pervenissent ætatem, Baptismo abrenuntiare cogerent: igitur, etc. — **Nego minorem**: possent enim, si adesset periculum subversionis, ejusmodi infantes removeri a dominio et consortio parentum, propter rationem mox expressam; si enim filius, dum rationis et libertatis est compos, possit se submovere ex consortio et cura parentum, ut suæ saluti consulat, ea scilicet ætate, qua ex debito naturæ tenetur parentibus obsequi et famulari; multo magis ab eorum præsentia licite poterit submoveri ea ætate, qua rationis expers nil quidquam obsequii, imo gravaminis et laboris multum parentibus potest ingerere. *Accedit*, quod etiam absque ulla distractione et separatione possit provideri infanti, donec ad usum rationis perveniat, cum parentes teneantur ipsi puero omnia ad vitam naturalem

necessaria conferre, nec eo in statu quidquam illi possint ingerere, quod saluti officiat.

DICES 2: Christus Dominus neminem voluit violenter, sed libere, et absque ulla coactione, vel propria vel aliena, ad Catholicam fidem promoveri: igitur parvuli, quamdiu non habent aliam voluntatem, quam parentum, non possunt, ipsis parentibus reluctantibus, ad Religionem Christianam per Baptismum induci. *Probat antecedens Gonetus, disp. 3. art. 3. § 3. Primo quidem, inquit, quia ad fidem æternam nemo cogi potest: igitur lex Evangelica, quæ non nisi per fidem corde suscipitur, injuria et metu ac violentiis non debet ingeri. Secundo, quia cum intentio Christi esset persuadere universo orbi fidem, non qualemcumque, sed eam, quæ per solam dilectionem operatur; charitati autem, sive dilectioni, nil magis sit adversum, quam vis, injuria, et metus; congruum fuit, ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogeretur. Tertio, ne fides, quæ naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus prædicata, exosa fieret, et quasi tyrannis existimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. Quarto, ut hac excellentia lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata, resplenderet; ista enim tanquam quæ nulla ratione persuaderi poterat, vi et armis in mundum obrusa est; nostra vero fides, per homines inermes et mites, sola veritatis vi ac energia, mundum vicit, et Philosophos ac Imperatores debellavit. Unde egregie Chrysostomus, Serm. 3. Pentecostes: Peragrarunt Piscatores orbem terrarum, et infirmum eum invenientes, ad sanitatem reducerunt, et in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non scuta morentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum cælorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragrarunt universum orbem oves simul cum lupis, et vulneratæ a bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad orium mansuetudinem sunt conversi. — Respondeo, negari posse antecedens: quamquam enim Deus sub parabola Patrisfamilias libere vocaverit ad cœnam omnes invitatos, nihilominus jubet: *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Unde S. Augustinus, Epist. 48. ad Vincentium, *Putas neminem posse cogi ad justitiam cum legas Patremfamilias dixisse servis, quoscumque inveneritis cogite intrare?* Hinc Doctor, n. 2. ait: *Crederem religiose fieri, si ipsi parentes cogerentur minis et terroribus ad suscipiendum Baptismum, et ad conservandum postea susceptum: quia esto, quod ipsi non essent veri fideles in animo; tamen minus malum esset eis, non posse impune legem suam illicitam servare, quam posse eam libere servare. Item filii eorum, si bene educarent, in tertia et quarta progenie essent veri fideles.* Quod utique probat ex decreto Concilii Toletani quarti, ubi legimus Can. 56: « De Judæis autem » præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. » *Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim inviti » sunt salvandi, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim » homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens perit, sic vocante » se gratia Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo » salvatur: ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate, ut convertantur, » suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem jam pridem ad » Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus re-*

« ligiosissimi Principis Sisenandi; quia jam constat, eos Sacramentis
 « divinis sociatos, et Baptismi gratiam suscepisse, et Chrismate unctos
 « esse, et Corporis Domini et Sanguinis extitisse participes, oportet ut
 « fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur,
 « ne nomen Domini blasphemetur, et fides quam susceperunt, vilis
 « ac contemptibilis habeatur ». Licet autem Concilium prohibeat Ju-
 dæos et alios infideles cogendos ad susceptionem fidei et Baptismatis,
 nihilominus dum utitur particula, *deinceps*, significat, id non semper
 fuisse illicitum; ac proinde illam coactionem, quæcumque sit, non esse
 illicitam ex natura rei, sive ex jure naturali et divino. Unde ibidem
 subdit: *Qui autem jam pridem, ad Christianitatem coacti sunt venire,*
sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisenandi, etc. Ergo,
inquit Doctor supra num. 3., in hoc approbat tamquam Principem
religiosum, non ob ipsius egregiam fidem, et alia facta pietatis, de
quibus ibi nulla est mentio; sed, quia infideles coegit ad fidem. Si-
mili ratione laudibus celebrantur omnes illi Catholici Principes, qui
leges severissimas, non solum in infideles, sed etiam in hæreticos edi-
derunt, nisi ad Ecclesiam Catholicam sese reciperent. Adde quod si
coactio illa jure naturali et divino foret illicita, maxime quia indu-
ceret ad fictam, et dumtaxat externam susceptionem Baptismi: sed
plerumque contingit, ut qui sic compelluntur, non solum fide, sed
ex animo Baptismum suscipiant; nam, inquit sanctus Augustinus,
Epist. 60. Multis profuit (quod experimentis probavimus, et probamus)
prius timore, vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod jam
verbis didicerant, opere sectari. Quod utique plurimis probat, maxime
vero exemplo Conversionis S. Pauli, scribens: Cum Petrum, et alios
Apostolos solo verbo vocasset. Paulum prius Saulum, Ecclesiæ suæ pos-
tea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem, non solum
cæcæ percussit, verum etiam potestate prostravit, atque ut infidelitatis
tenebris scæientem, ad desiderandum lumen cordis urgeret, prius cor-
poris cæcitate percussit... Ubi est, quod isti clamare consueverunt, libe-
rum est credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit?
Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo prius cogentem Chri-
stum, et postea docentem, prius ferientem, et postea consolantem... Cur
ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditii filii coe-
gerunt alios, ut perirent? etc. Idem probat S. Doctor exemplo ovis a
grege aberrantis, quam inventam ad ovile dominicum, si resistere
voluerit, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare juvat.
Probat etiam parabola Patrisfamilias præcipientis servis, ut quos in-
venerint in viis et sepibus, idest, in hæresibus et schismatibus, cogant
intrare.

*Nec dicas, id quidem verum esse de hæreticis, qui Christo nomen
 suum per Baptismum dederunt, non autem de infidelibus non bapti-*
zatis. Quamquam enim præcipuus S. Augustini scopus in illa epistola
sit, ostendere Bonifacio viro militari, ad quem ipsam dirigit, hæreticos,
maxime Donatistas, legitime, ut ad Ecclesiam redeant, posse compelli;
nihilominus ipsius rationes idem probant de quibusvis infidelibus;
unde prius scripserat: Si equus, et mulus, quibus non est intellectus,
morsibus et calcibus resistunt hominibus, a quibus eorum vulnera con-
tractantur, et cum inter dentes eorum, et calces sæpe homines pericli-

tantur, et aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores et molestias medicinales revocent ad salutem: quanto magis homo, ab homine, et frater a fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantum sibi præstatur beneficium, quando se persecutionem perpeti quærelatur? Unde concludit: Quando Imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes: quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, et corriguntur intelligentes: quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium: quicumque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Non igitur absurda est Subtilis Doctoris sententia, quando censet non illicitum esse aliquando infideles cogere ad fidem amplexandam, quando maxime illa coactio profutura est eorum posteritati, eo quod ipsorum filii tandem aliquando perfecti Catholici sint futuri. Non enim est ipsius mens, qualemcumque coactionem, in quibuscumque circumstantiis jure divino esse permissam, sed moderatam ubi, et quando recta ratio dicat illam vergere, non in destructionem fidei, sed in ædificationem; non in odium, sed potius in amorem; nisi aliter per Ecclesiam fuerit sancitum.

QUÆSTIO QUARTA.

QUENAM PRÆVLE DISPOSITIONES REQUIRANTUR IN ADULTO, UT VALIDE ET DEBITE BAPTISMUM SUSCIPIAT.

NOTANDUM 1. Præsentem difficultatem moveri maxime de quadruplici dispositione hominis adulti accedentis ad suscipiendum Baptisma; nempe de *fide*, quæ excludat omnem infidelitatem et errorem; *consensu*, qui coactionem non admittat; *sincera voluntate*, quæ simulationem et fictionem removeat; denique *pœnitentia*, quæ animum a peccatis revocet, et ad Deum convertat. Porro constantissimum est, fidem in adulto requiri ad obtinendam gratiam justificationis; nam Matthæi ultimo Christus Apostolos delegans ad conversionem gentium, præcipit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes, etc.* ubi vult doctrinam præmitti Baptismo, ob necessitatem fidei; *Fides enim ex auditu auditus autem per verbum Dei*, idest, prædicationem. Hinc Marci ultim. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quapropter Eunuchus Baptismum postulanti dixit Philippus Actor. 8. *Si credis, licet.* Cui cum Eunuchus dixisset, *Credo*, statim eum Philippus baptizavit. Hanc etiam veritatem constantissimam habuerunt omnes SS. Patres, exigentes confessionem fidei a Catechumenis, tamquam dispositionem necessariam ante Baptismum. Ita S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 2. Origenes, Homil. 5. in lib. *Num.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 2. Basilius, lib. 3. ad Eunuchum. Chrysostomus, in cap. 15. ad Corinth. et alii Patres Græci. Quibus adstipulantur etiam Latini, Tertullianus *De spectaculis*, cap. 4. Cyprianus Epist. 70. et 76. Ambrosius, lib. *De Spiritu sancto*. cap. 11. Hieronymus, *Dialog. Contra Luciferianos*, cap. 5. et S. Augustinus, lib. *De Fide, et Operibus*, cap. 9. et 20. Idem decernunt Concilia, "Laodicenum, Can: 19.

et 47. Sexta Synodus Constantinopolitana, cap. 7. ac novissime Tridentinum, Sess. 6. cap. 6. fidem constituit tamquam primam dispositionem adulti ad justificationem, cujus rationem subdit cap. 8. quia est *radix et fundamentum justificationis*. Non tamen necessario fides prærequiritur in suscipiente, ut valide baptizetur, sicut præclare docet S. Augustinus, lib. *De Baptismo*, cap. 14. ubi ait: *Nec interest cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam; sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam fidem.*

NOTANDUM 2. Ex Doctore Subtili in 4. dist. 4. qu. 4. num. 2. adulum posse distingui duplicem; alium scilicet ætate solum. alium vero ætate et ratione simul. *Prior* est, qui licet adoleverit ad plurimam ætatem, tamen non est rationis compos, idque vel a nativitate sua, vel licet aliquando habuerit usum rationis, eum tamen non obtinet, dum occurrit occasio suscipiendi Baptismum. sed speratur eum aliquando habiturum. *Posterior* vero ille est, qui plena et perfecta ratione actualiter potitur. De utroque autem movetur quæstio, utrum sine consensu baptizari possit. Porro ex eodem Doctore in 2. d. 41. quæst. unica, triplex est consentiendi, vel dissentiendi modus, nempe actualis, virtualis, et habitualis. Consensus *actualis* est ille, quo quis de facto vult, et consentit, ac determinat aliquid agere, vel suscipere. *Virtualis* ille est, qui aliquando actualiter fuit elicited, nec revocatus est; sed manet in virtute, quia nempe voluntatem excitavit ad effectum ponendum, per applicationem mediorum, qualis consensus est in eo, qui distrahitur, dum id exequitur, quod voluntate determinata faciendum susceperat. *Habitualis* vero est voluntas inefficax, qua quis vult quidem effectum, non tamen applicat media pro eo tempore, quo habetur, licet removeat obicem contrariæ voluntatis; idque vel negative, per suspensionem actus non consentientis, sive contrarie per elicitionem actus dissensus. Nam, ut docet Doctor præfata dist. 4. qu. 4. n. 3. aliquis potest dici non consentire duobus modis, nempe vel *contrarie*, vel *negative*. *Negative*, tantum negat actualem consensum: contrarie vero ponit actualem dissensum. Cujus discriminis hanc rationem profert, quia, inquit, non est idem, non velle, et nolle; nam non velle significat suspensionem actus volendi; nolle autem positionem actus non volendi. *Rursus*, qui dissentit *contrarie*, seu positive, vel dissentit *simpliciter*, ita ut nulla ratione velit actionem; vel tantum *secundum quid*, ita ut nollet quidem talem actionem, si non esset periculum evadendum; sicut, inquit ibidem Doctor, projiciens merces in mare, ut fugiat submersionem, simpliciter vult projicere merces, nam potentiam suam motivam ad projiciendum voluntas movet imperando, et ipsa seipsam libere movet, quia cogi non potest; simpliciter ergo volens projicit; sed *secundum quid* nolens, hoc est, sub conditione nolens, quia mallet si posset alio modo salvare vitam. Quæritur ergo, quisnam ex illis modis consentiendi requiratur et sufficiat ad valide recipiendum Sacramentum.

NOTANDUM 3. Ex Doctore *ibid.* qu. 5. num. 2. aliquem posse rem intendere et exequi fide duobus modis; fictio enim, ut in actibus humanis invenitur, consistit in eo, quod aliquis exterius prætendat,

aut præseferat, quod interius non intendit: in verbis dicitur *mendacium*: in operibus autem *simulatio*: at ex communi Theologorum usu appellatur *fectio*, quæ respective ad susceptionem Sacramenti duplex est: *prima*, quando revera recipiens Sacramentum nullo modo intendit illud recipere, licet exterius id se velle simulet: *secunda* respicit dispositionem præviam ad debite recipiendum Sacramentum, quam utique dispositionem suscipiens Sacramentum simulat se habere, qua tamen caret, puta cum simulat se credere mysteria, quorum fides exigitur, nec tamen credit: vel simulat se pœnitere de peccatis ante Baptismum commissis, licet de facto non pœniteat, vel si in ipsamet susceptione Sacramenti actu mortaliter peccet per pravum internum affectum.

His ita præmissis, quatuor supersunt determinanda: *primum*, utrum et quando adultus, qui non est rationis compos, possit licite baptizari: *secundum*, utrum adultus non consentiens revera recipiat Baptismum: *tertium*, utrum qui fecte accedit ad Baptismum suscipiat illius effectum: *quartum*, utrum impœnitens debite Baptismum suscipere valeat.

Conclusio prima. — ADULTUS RATIONE DESTITUTUS A NATIVITATE, SI LUCIDUM NON HABEAT RATIONIS USUM, VALIDE ET LICITE BAPTIZATUR. Ita Doctor præfata quæst. 1. n. 2. ubi hanc difficultatem ita luculenter explicat, ut non solum ejus doctrinam, sed et verba hic lubeat exscribere. Ait autem: « De illo adulto idem dicendum esse, ac de parvulo, cum hoc solo discrimine, quod si spectatur ipsum aliquando curandum, et usurum ratione, expectandum est tempus illud, ut cum majori reverentia suscipiat Sacramentum. Si autem desperatur de eo, quod ad usum rationis nunquam attingat, statim conferendum est sibi Sacramentum, quia nulli Deus excludit remedium ad salutem. De secundo, scilicet nunc non utente, qui aliquando tamen usus est ratione, dico quod supponitur nunc habitualiter consentiens, vel dissentiens, secundum quod se habuit in sanitate, ante istud impedimentum immediate, scilicet si tunc actualiter consentit, judicatur nunc habitualiter consentiens: si tunc actualiter dissensit, nunc judicatur habitualiter dissentiens. Et dixi, *immediate*, ita quod inter actum illum et istud impedimentum non interveniret motus voluntatis oppositus. Et sic universaliter dico, quod iste habitualiter se habens, potest recipere Sacramentum, sicut potuit prius, quando actu sic, vel sic, se habuit. Qualiter autem actualiter se habens possit baptizari, statim dicetur in tertio membro. Sed expedit ne talem baptizari? *Multa enim licent, quæ non expectant*. 1. Corinth. 6. *Respondeo*, si speretur eum rediturum ad usum rationis, magis expedit tempus expectare, quo utetur ratione, puta de dormiente, tempus vigiliæ expedit expectare; et furioso tempus lucidi intervalli. Si autem non speretur, puta de eo, qui incidit in perpetuum impedimentum usus rationis, eum expedit baptizare, si tamen est capax Baptismi: quia alias exponeretur periculo damnationis. Qualiter autem sit capax, statim dicetur de utente ratione. » *Hæc Doctor.*

Idipsum colligitur ex Rituali Romano tit. *De Baptismo*, ubi le-

gimus: *Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a natiuitate fuerint: tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immincat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrœnesi laborat, ut tantum vigilans, et intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium. Ubi primo prohibet baptizare amentem, aut furiosum. Secundo, permittit, si sit perpetuo amens. Tertio, etsi non sit perpetuo amens, si dum dilucida habebat intervalla, Baptismum desideravit; tunc enim baptizari potest, etiam in amentia, si nempe sit periculum vitæ.*

Conclusio secunda. — ADULTUS, QUI NULLATENUS CONSENTIT, INVALIDE RECIPIT SACRAMENTUM; SECUS VERO SI SALTEM SECUNDUM QUID CONSENTIAT. Hæc est communis quantum ad

Primam partem, illanque expresse tradit Innocentius, cap. *Majores* de Baptismo, et ejus effectu, ubi ait: *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire; et probat a simili: Sicut, inquit, nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans thurificare idolis cogitur violenter.* — Idem decernit ibidem Pontifex de illo, qui in somno vel amentia suscipit Sacramentum Baptismi, non retractata priori voluntate de Baptismo nunquam suscipiendo: *Dormientes autem, inquit, et amentes si priusquam amentiam incurrent, aut dormirent, in contradictione persistent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, et fuerint si sic emersi (alias immersi) characterem non suscipiunt Sacramenti.*

Ratio autem hujus veritatis petitur a voluntate Christi Domini, qui poterat quidem absolute Sacramenta sic instituere, ut etiam prodesse nolentibus; ea tamen non sic instituisse colligitur ex sensu Doctorum et Ecclesiæ. *Congruentiam* vero assignat Doctor 1. dist. 4. q. 1. n. 3. ubi ait: « Si ergo iste sit utroque modo (negative et contrarie, « simpliciter et secundum quid) dissentiens, dico quod non recipit Sacramentum; quia Deus per Sapientem dicit Prov. 23. *Fili præbe mihi cor tuum, nolens aliquem omnino invitum adscribi familiæ suæ: suscipiens autem Baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi.* » *Addit Doctor:* « neque oportet hic distinguere de reclamante, « sive protestante signo exteriori suum dissensum, et de non reclamante; quia in rei veritate si est dissensus, omnino idem est quoad Deum: tamen quoad iudicium Ecclesiæ judicantis de manifestis, et « eum qui tacet præsumentis consentire, non cogetur reclamans ad « observantiam Religionis Christianæ; cogetur autem non reclamans. « Nec in hoc potest argui Ecclesia, quod isti nolenti, tamen non reclamanti fiat injuria. Minus enim malum est sibi, quod invitus servet « Legem Christianam, quam quod impune permittatur agere contra « eam; quia minus malum est invitum aliqua bona facere, et mala « fugere, quam libere et impune mala agere, et bona dimittere ».

DICES 1: Innocentius III, eodem cap. *Majores*, ait: *Sunt nonnulli, qui dicunt, quod Sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus, et Ordo, cæteraque similia, non solum dormientibus et amen- tibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quan- tum tamen ad characterem conferuntur; cum non solum parvuli, qui non consentiunt, sed et ficti qui quamvis non ore, corde tamen dissen- tiunt, recipiant Sacramentum. Igitur invitis et reſuſcitantibus potest va- lide ministrari Baptismus. — Nego consequentiam; nec enim ea est summi Pontificis Innocentii sententia, sed solum refert quid alii sentiant, unde continuo subjungit: Sed opponitur talibus, quod qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ec- clesie pertinerent: unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi: verum id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens, ad recipiendam et servandam Christianitatem, aliquis compellatur. Propter quod inter invitum et in- vitum, coactum et coactum alii non absurde distinguunt; quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum in- currat Baptismi suscipit Sacramentum, talis sicut et is qui fide ad Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum. Quibus verbis Pontifex concedit quidem invitum dumtaxat secundum quid posse quidem valide baptizari; non vero eum, qui absolute ad Baptismum suscipiendum compelleretur.*

Secunda pars probatur ab eodem Doctore ibidem, nempe quod dissentiens tantum secundum quid, hoc est timore alicujus mali in- currendi si Sacramentum non susciperet, revera baptizetur: « si autem, « inquit, secundum quid dissentiat, sed simpliciter consentit; et hoc « non tantum in illam ablutionem, tamquam in quoddam balneum, « sed in ablutionem eo modo, quo illam intendit facere Ecclesia, ille « simpliciter recipit Sacramentum; quia simpliciter est volens, licet « secundum quid, nolens; et de tali loquitur illud Concilium Toleta- « num, quod allegatur Extrav. de Baptismo, et ejus effectibus, cap. Ma- « jores: quod illi qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, quia « jam constat Sacramentis divinis associatos, oportet, ut fidem quam « necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphe- « metur, et fides, quam susceperunt, contemptibilis habeatur. Exem- « plum hujus. qualiter aliquis potest consentire in illam ablutionem « suscipiendam, eo modo, quo confertur ab Ecclesia, et tamen nollet, « si posset evadere tormenta, quia non credit eam aliquid valere, sicut « potest haberi de eo, qui non credit verba incantationis posse habere « aliquem effectum, tamen concedit incantanti, quod dicat illa verba « super eum, ea intentione, qua solet ea dicere, dicendo in corde suo, « valeant quantum valere poterunt; iste vere diceretur incantatus, « etsi talis incantatio super aliquem diceretur consecrato diabolo, ille « esset diabolo consecratus. Patet autem differentia istius membri se- « cundum quid dissentientis a membro præcedenti; quia ille simpli- « citer dissentiens omnino non recipit Sacramentum, et ideo cessante « dissensu esset simpliciter baptizandus. Iste vero, quia simpliciter « consentit, licet secundum quid dissentiat, est baptizatus, et cessante « dissensu illo secundum quid, non est iterum baptizandus. Si quis « autem non consentiat tantum negative, dico, quod recipit Sacra-

« mentum, si consensit virtualiter; quia noluit Deus obligare hominem
 « ad impossibile, vel secundum statum hujus vitæ nimis difficile. Nunc
 « autem non distrahi nimis videtur homini difficile pro hoc statu; quia
 « secundum Aug. 3. *De Lib. Arb. Non est in voluntate nostra, quin*
 « *visis tangamur: ergo noluit Deus salutem hominis ponere in ista*
 « *conditione, si non distrahatur. Nec ergo voluit obligare eum, qui*
 « *in suscipiendo Baptismum, non distraheretur. Et ita est universaliter*
 « *in aliis Sacramentis. Sacerdos etiam in consecrando Eucharistiam,*
 « *non obligatur necessario, dico ad hoc, ut non sit distractus. Vere*
 « *enim conficit distractus, dum tamen prius induendo se, intenderet*
 « *celebrare Missam, secundum morem Ecclesie.*

« Et si quæras, esto quod non consentiens actualiter, tamen consen-
 « tiens virtualiter (eo modo, quo positum est exemplum de Sacerdote
 « celebrante) recipiat Baptismum, numquid et ille qui solum consentit
 « habitualiter, recipit? Distinctio autem istorum, *virtualiter, et habitu-*
 « *liter*, patet 2. lib. dist. 41. Et esto quod sic, numquid ille, qui tantum
 « negative non consentit, negative etiam non dissentit? Quia nec actum,
 « nec habitum oppositum habet. — *De primo* posset dici, quod talis ju-
 « dicatur habitualiter consentiens, quia aliquando habuit consensum
 « actualem, non interveniente dissensu; et talis, licet utens ratione, re-
 « cipit Sacramentum: quia non videtur propter aliquam conditionem
 « minus capax, si utitur ratione, quam si prius usus, non utatur nunc:
 « sed in tali non utente nunc, prius tamen uso, sufficeret habitualis con-
 « sensus: ergo et in hoc. *De secundo*, licet difficile esset aliquem talem
 « invenire, præcipue qui prius aliquando cogitasset de Baptismo; quia
 « vel tunc placuisset sibi baptizari, vel non placuisset, imo displi-
 « cuisset; et secundum ultimum modum judicaretur talis habitualis
 « consensus, vel dissensus esse imposterum; tamen si quis esset omnino
 « non consentiens, nec dissentiens, tam actualiter, quam habitualiter,
 « et tamen utens ratione, non esset capax Baptismi, quia ex quo
 « utitur ratione, oportet quod habeat devotionem aliquam ad Sacra-
 « mentum, si debet sibi valere; aliter enim videretur contemnere ».

Quibus omnibus Doctor quinque potissimum determinat: *primum*,
 quod dissentiens negative, aut contrarie non baptizetur valide. *Secundum*,
 quod qui dissentit dumtaxat secundum quid, revera bapti-
 zetur, quia censetur simpliciter consentire. *Tertium*, quod consensus
 virtualis sufficiat, ut quis non solum valide, sed et debite baptizetur;
 si enim intentio virtualis sufficiat in Ministro, multo magis in susci-
 piente, minor enim requiritur intentio in suscipiente, quam in Mini-
 stro, ut diximus agendo de necessitate Ministri. *Quartum*, quod consen-
 sus habitualis sufficiat ad validam receptionem Sacramenti; quia
 voluntas præterita reputatur semper perseverare donec revocetur. Quod
 utique pariter docet Innocentius, cap. *Majores*, ubi dicit, quod amentes
 et dormientes, qui jam consenserunt, nec postea dissenserunt, valide
 baptizentur. Quod utique pariter determinant Concilia. Concilium Car-
 thaginense 3. cap. 31. ubi ait: *Ut ægrotantes, si pro se respondere non*
possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur.
Similiter et de pœnitentibus agendum est. Idem decernit Concilium
Arausicanum I, cap. 11. alias 12. Subito obmutescens, prout statutum
est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præterite

testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. Quintum denique, quod qui indifferenter se habet, idest, qui nec consentit, nec dissentit, non recipit Sacramentum.

DICES 2: Innocentius præfato cap. *Majores*, ait: *Tunc characterem Sacramentalem imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem: sed in eo, qui nec consentit, nec dissentit, non est contraria voluntas: igitur in ipso imprimitur character Baptismi, et subinde valide baptizatur. Deinde, in Extrema-Uncione suscipienda nullus requiritur consensus: igitur nec in Baptismo. — Respondeo ad primum. Innocentium nomine contrariæ voluntatis, significare etiam illam, quæ negativa est: ait enim: « Ille vero qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti »; ubi verba illa, *sed penitus contradicit*, non adduntur per modum dubitationis, sed per modum augmenti, ut ibidem optime observat Hiquæus, quia casus propositus fuit de iis, qui ad Baptismum inviti rapti fuerant, in quibus dicit Baptismum esse nullum; quia, *inquit*, plus est contradicere, quam minime consentire; ubi etiam supponit hunc valide baptizari, qui enim consentit, non censetur invitus. *Ad secundum dico*, non esse paritatem; quia Extrema-Uncio non supponit alium consensum, quam consensum universalem hominis fidelis et pœnitentis, qui in ipso mortis articulo, non abs re supponitur velle omnia media ad salutem conducentia sibi adhiberi. Unde Rituale Romanum, titulo de Sacramento Extremæ-Uncionis docet: *Infirmis qui dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.**

Conclusio tertia. — ADULTUS, QUI REUS EST ALCIUS PECCATI MORTALIS ACTUALIS, NECESSARIO DEBET AGERE PœNITENTIAM, ET REVERA DOLERE DE PECCATIS COMMISSIS, UT DIGNE AC DEBITE BAPTISMUM SUSCIPIAT. Hæc est communis apud Theologos, et

Probatur primo ex Scriptura sacra. Actor. 2. ubi S. Petrus videns Judæos, quibus fuerat concionatus, paratos ad id omne exequendum, quod ipsis necessarium præscriberet ad salutem, dixit: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti.*

Hinc Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 6. declarat, pœnitentiam esse necessariam in adulto accedente ad Baptismum, ut digne ejus effectum percipiat; loquens enim de præparatione necessaria ad justificationem, ait: *Propterea morentur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Unde Can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificatio, et gratia conferatur, anathema sit.* Nec abs re quidem, ad omnem enim justificationem hominis peccatoris, utpote rem maxime supernaturalem, prærequiritur dispositio supernaturalis, saltem in modo. Unde idem Concilium, Sess. 14. cap. 1. ait: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui Baptismi Sacra-*

mento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur.

• **Eandem veritatem propugnat Doctor Subtilis**, nam dist. 1. q. 5. n. 2., ait: *Alio modo potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, et tamen non est dispositus interiorius; vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur.* Loquitur autem de Sacramento Baptismi, ac proinde supponit, Baptismum non justificare adultum reum alicujus peccati actualis, sine prævia attritione vel contritione.

DICES: Idem Doctor videtur asserere homini peccatori adulto non esse absolute necessarium dolorem de peccato, sed solam voluntatem recipiendi Sacramentum, sine complacentia actuali in peccato, ait enim in 4. dist. 14. q. 3. art. 3. *Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Sacramenti, ita et in proposito, etc.* Hoc declaratur sic: *quia ad primam susceptionem gratiæ, requiritur aliquis motus meritorius de congruo; ad secundam autem non requiritur, nisi voluntaria susceptio Baptismi, et sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia; et sine actu. vel voluntate peccati mortalis, ita quod in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquo modo acceptum, tamquam meritum de congruo: in secundo solum requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti: non solum ergo attritus per aliquod tempus, etc.* — **Respondent aliqui** his verbis, Doctorem non asserere quod non requiratur pœnitentia ad dignam susceptionem Baptismi, sed quod non requiratur contritio perfecta, quæ extra Sacramentum justificet, de qua contritione ut plurimum tota illa distinctione. Verum, inquit Hiquæus in *Commentario*, non est necessarium ad hoc recurrere; quia clare loquitur, si membra discursus ejus discernamus, et scopum perpendamus. — In principio enim illius articuli rejicit sententiam Magistri in dist. 18. asserentis Sacerdotem Evangelicum non remittere peccata, sed ostendere remissa. Hanc impugnat Doctor, quia derogat Sacramento Pœnitentiæ, quia sic nunquam remitteret peccata, sed supponeret remissa per veram Contritionem, et consequenter non esset secunda post naufragium tabula. Subdit sententiam Alensis, qui dicit ad Sacramentum Pœnitentiæ adeo requiri dispositionem congruam, ut per Sacramentum remittatur peccatum, non tamen alligasse virtutem suam Sacramentis, quin sine ipsis remittat peccatum per perfectam dispositionem extra Sacramentum; quia est majoris misericordiæ, duplicem viam, et medium remittendi peccati instituere, quam ad unum tantum arctare. Subdit autem Doctor exemplum de Baptismo adulti, et remissione peccati originalis per duplicem illam viam, nempe *vel per bonum motum voluntatis, tamquam meritum de congruo, vel per realem susceptionem Baptismi, excludendo fictionem, ut inde probet etiam peccatorem post Baptismum utroque modo justificari, sive per Contritionem, sive per Sacramentum Pœnitentiæ, supposita attritione, quod denotat illa clausula, ita et in proposito, etc.* idest, de Pœnitentiæ Sacramento. Et amplius subdit declarationem: *Hoc, inquit, declaratur sic, etc. quia ad primam susceptionem gratiæ* (nempe ab adulto, quando justificatur a peccato originali extra Sacra-

mentum) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo*, etc. — Præfatis itaque verbis nil aliud innuit Doctor, quam quod adultus, qui nullum admisisset actuale peccatum, non aliam ad recipiendum effectum Baptismi dispositionem exigat, præter voluntatem sinceram recipiendi ejusmodi Sacramentum; loquitur enim dumtaxat de modo, quo remittitur peccatum originale, ut constat ex ejus verbis; non autem sermonem ibi facit de peccato actuali, ad quod delendum, ultra voluntatem recipiendi Sacramentum Baptismi, requiritur etiam pœnitentia, seu dolor de commissione ejusmodi peccati.

PETES: *Utrum illa pœnitentia debeat esse actus contritionis perfectæ, an vero sufficiat attritio?* — **Respondeo**, attritionem sufficere; siquidem Sacramentum Baptismi per seipsum habet vim remittendi peccatum, et regenerandi hominem, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 4. ubi postquam dixisset, justificationem impij esse translationem *ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum*, statim subjungit: *Quæ quidem translatio post Ecangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*. Quibus verbis Concilium attribuit vim regenerandi, vel ipsi Sacramento realiter suscepto, aut voto illud suscipiendi: votum autem istud aliud non intelligit quam contritionem perfectam; igitur censet Concilium, Baptismum in re susceptum habere vim justificandi, non autem necessariò supponere hominem jam justificatum per contritionem. *Confirmatur ex eo quod idem Concilium, in præmio Sess. 7. loquens de Sacramentis, ait: Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur: justitia autem non incipit per aliud Sacramentum, quam per Baptismum. qui primus est omnium Sacramentorum, et eorum janua, sicut et Ecclesiæ aditus: igitur, etc. Accedit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de effectu Baptismi, ait: Effectus Baptismi est remissio omnis culpæ originalis, et actualis: ac subinde censet Baptismum ex se vim habere remittendi quodlibet peccatum; non autem necessario debere supponere illius remissionem virtute contritionis perfectæ.* — Quam utique doctrinam pridem ante utrumque Concilium docuerat Subtilis Doctor in 4. dist. 14. q. 4. n. 6. ubi ait: *Dicitur ergo, quod ita Deus requirat dispositionem de congruo (scilicet contritionem perfectam) ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ, et hoc non quod alliget potentiam suam Sacramentis, quin tamen sine dispositione illa prævia, et congrua, quæ sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, et hæc est majoris misericordiæ: scilicet duplicem viam instituere, per quam justificetur peccator, quam ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi, ita et in proposito, etc.*

DICES: Homo per peccatum avertit se a Deo, ut ab ultimo fine: igitur ut liberetur a peccato, necessarium est, quod ad Deum se convertat, ut ad ultimum finem, adeoque per actum charitatis et contritionis. — **Nego ultimam consequentiam**: enimvero per contritionem imperfectam, sive attritionem, si voluntatem peccandi excludat, cum

spe veniæ, peccator sufficienter se convertit ad Deum, tamquam ultimum finem, ut per Sacramentum peccati remissionem obtineat. Quod utique luculenter explicat Doctor in 2. dist. 37. q. 1. n. 8., ubi ait: « Quod aversio a fine ultimo potest intelligi dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter; formaliter, vel contrarie, vel negative, sic quod « voluntas nolit illum finem; et tale nolle est odire; vel non velit cum « deberet velle; et tale non velle est omittere illud præceptum: *Diliges « Dominum Deum tuum*. Virtualiter sic, quod quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, « in hoc virtualiter a fine avertitur; sicut intellectus negans conclusionem virtualiter avertitur a principio; et sic infirmus dicitur averti « a sanitate, quando avertit se a potu amaro, sine quo non potest « haberi sanitas. Prima aversio secundum se est ejusdem rationis; « nec includitur formaliter in quolibet peccato; est enim odium Dei « speciale peccatum. Secundo modo aversio est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinate « se habet respectu alicujus necessarii ad finem ». *Hæc Doctor*. Subsumo: atqui per attritionem statim descriptam, voluntas antea a Deo per peccatum aversa, ordinate se habet respectu omnium necessariorum ad consequendum finem ultimum: ergo talis attritio proxime disponit peccatorem ad remissionem peccatorum in Sacramento Baptismi impetrandam. *Consequentia* est evidens. *Probat*ur *subsumptum* ex verbis Christi Matt. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

Conclusio quarta. — QUI FICTA PIETATE ACCEDIT AD SACRAMENTUM BAPTISMI, VALIDE QUIDEM BAPTIZATUR, NON TAMEN RECIPIT GRATIAM SANCTIFICANTEM, NISI DUM FICTIO ILLA SEU OBEX SUBLATUS FUERIT. *Hæc* est communis, et

Primam illius partem docet Doctor, dist. 4. quæst. 5. ubi ait, n. 2. « Dico, quia nolentem Deus non justificat, secundum illud Augustini: « *qui creavit te sine te, non justificabit te sine te*. Iste, qui habet « actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod « peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit, et nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam, secundum Augustinum, ubi supra: *Omnis, qui suæ voluntati arbiter « constitutus est*, etc. et de isto intelligitur illud Sapient. 1. *Spiritus « sanctus disciplinæ effugiet fictum* ». Quibus verbis Subtilis Doctor significat perversam voluntatem illius, qui fecte accedit ad Baptismum, esse obicem, ne gratia sanctificans accipiatur, de quo certe nulla est controversia.

Porro hanc veritatem luculenter explicat S. Augustinus, lib. 1. *De Baptismo*, cap. 12. ubi non solum docet fictionem obicem esse, ne baptizandus gratiam sanctificantem excipiat, sed etiam quod recedente fictione, Baptismus reviviscat, ac baptizatus gratiam sanctificantem virtute Baptismi producendam excipiat. Ait autem: « quid si ad ipsum « Baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, sufficit nobis. Si « dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet « fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si « dixerint non esse dimissa, quæro, si postea fictionem suam corde

« concusso, et vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si dementissimum est dicere, fateantur vero Baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor ejus in malitia, vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri. Atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismum eadem Sacramenti celebratione datur, et sumitur: quin tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exiit, quo ejus peccata tenebantur, et dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod amiserunt, qui se separaverunt, inimicus charitatis, et pacis Christi, in aliqua hæresi aut schismate accepit; quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cum se correxerit, et ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat ». Similia habet lib. 3. cap. 13. et lib. 6. cap. 5. unde in collatione 54. Carthagine habita contra Donatistas legimus: *Ideo ad Christum venire debent, qui extra Communionem Baptismum ejus habent, non ut quod deerat adsit, sed ut quod inerat prosit: nempe ad salutem, peccatorum remissionem. et animæ justificationem.* — Ei subscribit auctor, quisquis est, *Serm. De Passione*, apud Cyprianum. ubi inter cætera hæc habet: *Licet indigni sint qui accipiunt: Sacramentorum tamen reverentia, et propinquoire ad Deum parat accessum, et ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, et reddit effectus munerum.* — Consonat Gregorius, lib. 5. Epist. 61. et refertur de consec. dist. 4. Can. 44. *Sanctum, inquit, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem vere fidei sanctæ, ut universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* — Similia habet S. Isidorus Hispalensis, lib. 2. *Officiorum*, cap. 24. *Habet quidem Baptismum Christi hæreticus, sed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodest: ut ubi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem. incipit illi jam prodesse ad salutem.*

PETES: *Quisnam sit ille effectus reviviscentis Baptismi, sublata fictione, et remoto obice indispositionis illius, qui Baptismum susceperat?* — Respondet Doctor præfata q. 5. n. 4. « Et si objicitur, inquit, quomodo habebit iste gratiam baptismalem, vel effectum aliquem Baptismi? Uno modo potest dici, quod illa fictio non dimittitur, nisi per veram pœnitentiam: sed ea dimissa habet Baptismum effectum suum respectu omnium peccatorum præcedentium Baptismum, quæ tamen non erant causa fictionis in Baptismo. V. g. aliquis ante Baptismum commisit septem peccata mortalia, et veniens ad Baptismum sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo attritur: illud septimum solum est causa (positiva) fictionis ejus in

« Baptismo: oportet ergo, quod vere pœniteat de isto septimo, et in se, et in quantum fuit causa fictionis ejus in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia forte peccavit novo peccato mortali (ait forte, quia potuit excusari per ignorantiam) faciens irreverentiam Sacramento Baptismi, recipiendo illud cum tali fictione: sed recedente illa fictione (quæ fuit impedimentum effectus Baptismi), Deus confert gratiam baptismalem in remedium contra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset ». *Et post pauca*: « sicut Deus signo suo prius adstitisset ad causandum effectum ejus, vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente; ita paratus est semper post susceptionem ejus signi assistere ei, qui suscepit, ad causandum effectum ejus, quando cessat illud impedimentum. Quomodo evidentius, et illustrius potuisset Baptismo, recedente fictione, concedere remissionem omnīs culpæ, et pœnæ? » Porro quia hic modus dicendi non carebat difficultate, quam ibidem objicit, et probabiliter solvit, hinc solito sui intellectus acumine rem ponderans, secundum, et tertium modum excogitavit.

Secundum, inquam n. 7. ubi ait: « Aliter potest dici, quod quando vere aliquem pœnitet de fictione illa, gratia infunditur sibi perfectior, quam esset illa, quæ præcise virtute pœnitentiæ infunderetur; ita quod illa includat in se perfectionem gratiæ pœnitentialis, et baptismalis; et hoc modo Baptismus habet effectum; quia gratia æquivalens gratiæ baptismali datur pœnitenti de fictione, simul cum illa, quam meretur de pœnitendo ». *At statim objicit*: « sed contra hoc arguitur, quia tunc ille haberet commodum de fictione sua, majus quam si tunc non fuisset fictus, et post in peccatum cecidisset, simile illi fictioni: nam si cecidisset, et modo pœniteret, non haberet modo gratiam, nisi tantum virtute pœnitentiæ. Tu autem dicis, illum qui tunc fuit fictus in Baptismo, habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam ». Itaque propter has inconvenientias ex illa sententia sequendas, non censet absolute standum huic rationi; quapropter n. 8. aliam proponit sententiam ad explicandam ejusmodi reviviscentiâ Baptismi.

« Tertio modo, inquit, principaliter (*hoc est ad principalem questionem*) potest dici quod ille pœnitens de fictione tantum recipit gratiam virtute pœnitentiæ: et ita non majorem, quam si non fuisset fictus in Baptismo, et post Baptismum cadens resurgeret per pœnitentiam. Non est enim verisimile, quod æque pœnitenti de æquali peccato, vel minori, non detur æqualis gratia: iste autem lapsus post Baptismum, licet quantum ad aliquid gravius peccaverit, quam fictus; tamen fictus quantum ad aliquid gravius peccavit, quia Sacramento irreverentiam fecit: et tunc illa verba, quæ dicuntur de effectu Baptismi, quem sortitur pœnitens de fictione, intelligenda sunt, non quod in pœnitentia illa recipiat gratiam aliquam virtute Baptismi (quia susceptio ejus mortua fuit, et mortuus reviviscere non potest), sed absolutus est a præcepto de Baptismo suscipiendo, quia illud implevit; illa autem impletio nil sibi valuit ad salutem ante istam pœnitentiam ».

Quibus omnibus Doctor tres modos proponit, quibus intelligi posset Sacramentum Baptismi reviviscere, quantum ad effectum, in eo, qui si-

mulata pietate illud susceperat. Primus quidem modus est, quod per Pœnitentiam, quam agit ille qui ficta pietate Baptismum susceperat, remittatur quidem peccatum illius simulatæ et fictæ pietatis, cætera vero peccata, quæ ante susceptum Baptismum commiserat, remittantur virtute Baptismi suscepti, cui assistit Deus, hoc est, qui semper est præsens Deo, ipsumque movens ad producendum effectum; nempe remissionem peccati, et infusionem gratiæ sanctificantis, quem revera produxisset in ipsa reali Baptismi susceptione, si non obfuisset obex simulatæ pietatis. Quem utique modum impugnat ibidem Doctor, *Eo quod, inquit, nullum peccatum mortale, quod inest post Baptismum, potest deleri sine pœnitentia; quia illa est secunda tabula post naufragium, secundum Hieronymum: illa autem alia peccata, quæ non sunt causa fictionis, insunt post Baptismum: ergo non delentur, nisi per pœnitentiam: vel si fingas illa deleri per Baptismum, quando tollitur impedimentum effectus Baptismi, quare non potest ita illa fictio, quæ fuit causa impediendi, tolli, quando cessat impedimentum per ipsum Baptismum?* Proponit autem ibidem duplicem solutionem hujus instantiæ. Primo, quod Pœnitentia et Baptismus simul concurrant per modum unius causæ adæquatæ, ad remissionem omnium peccatorum, tam eorum, quæ præcesserunt Baptismum, quam ipsius fictionis; ita quod si ille, qui fecte accesserat ad Baptismum, antea commisisset sex peccata mortalia, quibus septimum per illam fictionem in susceptione Baptismatis adjiceret, sex illa priora peccata remitterentur a Deo intuitu Baptismi suscepti; septimum autem intuitu pœnitentiæ. Unde, inquit Doctor num. 6. *Secundum hoc esset dicendum, quod illa sex delentur, et quantum ad culpam, et quantum ad pœnam, nec de his oportet habere contritionem, nec Confessionem, nec Satisfactionem, sed solum de illo septimo, quod fuit causa fictionis. — Ad secundam partem instantiæ, nempe quod illa septem mortalia peccata sunt in ipso homine post Baptismum; respondet, non tamen omnia debere per pœnitentiam expungi: quia, inquit, nullum eorum fuit causa, quin essent jam deleta: illud autem septimum fuit causa, quare nec ipsum, nec alia sunt deleta; et ideo rationabile est, quod respectu ejus non habeat Baptismus efficaciam, sed respectu aliorum: quia ipsum formaliter impedit effectum Baptismi, alia non. Et tunc illa propositio (peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per pœnitentiam) debet intelligi de peccato commisso post Baptismum; vel omnino inherente, sic scilicet, quod de ipso non fuerit Contritio, nec Attritio in Baptismo, nec post Baptismum. Quoniam autem hæc responsio varias adhuc patitur difficultates, et instantias, idcirco Doctor proponit secundum modum explicandi ejusmodi reviviscentiam.*

Secundus itaque dicendi modus, quo fictio illa deleatur, est, quod gratia baptismalis restituatur, non quidem in se, sed in æquivalenti; ita quod homini illi, qui ficta pietate ad Baptismum accesserat, ubi per pœnitentiam resurgit, conferatur uberior gratia, quam habuisset virtute solius pœnitentiæ præcise; quia gratia illa æquivaleret simul gratiæ baptismali et pœnitentiali; ita tamen, ut nullam gratiam reciperet virtute Baptismi ex opere operato, sed tantum per modum dispositionis præviæ; ita ut Baptismus eo in casu se habeat per modum dispositionis ad gratiam illam uberiolem per pœnitentiam ex opere

operato producendam; non quidem ex sola virtute propria ipsius pœnitentiæ, sed ratione suscepti Baptismi, tamquam dispositionis præviæ. — Ideo autem Baptismus eo in casu dicitur se habere per modum dispositionis ad gratiam, quia baptizatus per susceptum characterem insignitur nova dignitate, ratione cujus adscribitur in familiam Christi, quo fit ut acceptetur ad illam gratiam magis, quam alius, qui non esset baptizatus. Quod etiam significat auctor Sermonis *De Cœna Domini*, apud S. Cyprianum, ubi loquens de accedentibus ad Baptismum, ait: *Licet indigni sint qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia, et propinquiores ad Deum parant accessum, et ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, et redit effectus munerum; nec alias quæri, aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum.* — Verum huic dicendi modo opponit Doctor, ipsum non posse admitti; quia, *inquit, sequeretur, quod ille, qui fecte accesserat, haberet commodum de fictione sua magis, quam si tunc non fuisset fictus, et post in peccatum cecidisset simile illi fictioni: nam si cecidisset, et modo pœniteret, non haberet modo gratiam, nisi tantum virtute pœnitentiæ; tu autem dicis illum, qui tunc fuit fictus in Baptismo, habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam.* Huic instantiæ respondet Doctor duobus modis: primo, falsum esse, quod ipse commodum habeat ex sua fictione, imo magis habet detrimentum; *Quia tempore Baptismi, et sequenti usque ad pœnitentiam est filius gehennæ, et omnia opera ejus mortua sunt: si autem non fuisset fictus, fuisset tunc, et post usque ad lapsum filius regni, et opera ejus viva, quibus meruisset augmentum gratiæ, et gloriæ.* Secundo, negat quod lapsus post Baptismum rite susceptum, et per pœnitentiam resurgens, reportet aliquid commodum ex suo lapsu; licet recup ret etiam gratiam baptismalem, et aliquid amplius, ut præclare docet dist. 22. ubi agit de reviviscentia meritorum per pœnitentiam, ubi eandem veritatem nos etiam aperte propugnâvimus.

Tertius tandem modus, quem proponit Doctor de reviviscentia Baptismi, per sequentem pœnitentiam, est. quod pœnitens recipit quidem gratiam virtute pœnitentiæ, per quam remittuntur ei peccata, ipsa quidem fictio directè, cætera vero indirectè; nullam autem gratiam recipit virtute Baptismi; quia illud indigne recipit. Nec inde sequitur, Baptismum non valere converso ad salutem; licet enim non valeat quantum ad gratiam, valet tamen quantum ad impletionem præcepti; quæ utique præcepti observatio proficit ad salutem, quando ille fictus pœnitentiam agit; siquidem per susceptum Baptismum fit filius regni, et membrum Christi, nec tenetur de novo ad præceptum Baptismi: unde ibidem observat Doctor, *Quod actualiter peccans mortaliter potest implere præceptum affirmativum, etiam in illo actu:* præceptum enim affirmativum determinat actum quoad substantiam, non vero quoad finem extrinsecum, aut alias circumstantias, quæ separari possunt a substantia actus, prout cadit sub præceptum. Quoniam autem hæc quæstio de reviviscentia Sacramentorum iterum agitanda est ubi erit sermo *De Sacramento Pœnitentiæ*, idcirco ab ampliori illius examine hic persedendum iudico.

ARTICULUS TERTIUS.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS, ET RITIBUS SERVARI SOLITIS
IN SOLEMNI ILLIUS ADMINISTRATIONE.

FELIX *Sacramentum aquæ nostræ* (ait Tertull. initio lib. *De Baptis.*) *quia ablutis delictis pristinae cæcitatibus in vitam æternam liberamur.* Nec unus est hic Baptismi mirandus effectus, alios enim decem egregie delibatur S. Chrysostomus, Homilia ad Neophytos, scribens: *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et justitiæ in sorte versantur, qui fuerant in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti: non tantum sancti, sed et justi: non solum justus, sed et filii: non solum filii, sed et hæredes: non solum hæredes, sed et fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed et cohæredes: non solum cohæredes, sed et membra: non tantum membra, sed et templum: non tantum templum, sed et organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates, et nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem.* — Alias similes, nec equidem his interiores Baptismi prærogativas sparsim invenies apud cæteros SS. Patres, maxime apud S. Augustinum, qui plurimis honoris titulis admiranda fecunditate Baptismum commendat; maxime vero quod sit spiritualis hominis regeneratio, ac resurrectio; ait enim Serm. 163. *De tempore: Resurrecturum humanum genus in sæculi consummatione post mortem, nunc resurgit in Baptismo: suscitandus est tunc Dei populus post soporem, nunc suscitatur post infidelitatem: liberandus est tunc a mortali conditione, nunc liberatur ab ignorantie cæcitate: renascitur tunc ad æternitatem, nunc renascetur ad salutem.* — Verum, quoniam omnes illi mirandi Baptismatis effectus maxime sunt appendices gratiæ sanctificantis per Baptismum divinitus infusæ, necnon et characteris per eundem impressi, de quibus jam multus fuit sermo in priori Disputatione; ideo ne acta agere videamur, ab eis omnibus effectibus explicandis, (utpote quorum declaratio magis ad Concionatorem, quam ad Theologum scholasticum spectare videatur) supersedendum judicamus. Duo itaque præcipue hic discutienda proponuntur: *primo*, utrum Baptismus revera deleat omnia omnino peccata, ac debitam eis pœnam exsolvat, et gratiam æqualem omnibus baptizatis conferat. *Secundum*, quænam sint cæremoniæ servandæ in solempni ejus administratione.

QUÆSTIO PRIMA.

QUALITER BAPTISMUS PECCATUM
ET DEBITAS EI PŒNAS REMITTAT, AC GRATIAM CONFERAT.

NOTANDUM 1. Eam esse erroneam et hæreticam Calvinii sententiam, peccata revera per Baptismum non elui, sed dumtaxat obvelari, siquidem originale peccatum non aliud esse censet, quam concupiscentiam, quæ etiam in renatis perseverat; licet, *inquit*, non eis amplius deputetur ad interitum et damnationem. Et insuper, lib. 4. *Instit.*, cap. 15., ait: « Ex hoc Sacramento (Baptismi) quemadmodum ex aliis,

« nihil assequimur, nisi quantum fide accepimus: si fides deest, erit
 « in testimonium ingratitude nostræ, quo rei coram Deo peragamur,
 « quia promissionis illic datæ increduli fuerimus; quatenus vero con-
 « fessionis nostræ symbolum est, testari eo debemus fiduciam nostram
 « in Dei misericordia esse, et puritatem nostram in peccatorum re-
 « missione, quæ parta nobis est per Jesum Christum, nosque in Ec-
 « clesiam Dei ingredi, ut uno fidei et charitatis consensu cum fide-
 « libus omnibus vivamus unanimes ». Quibus verbis significat nullam
 inesse Baptismo, sicut et aliis Sacramentis, efficacitatem circa remis-
 sionem peccatorum, quam dumtaxat attribuit merito fidei; neque
 etiam vult fidei virtutem integram inesse ad diluenda omnia peccata,
 quippe cum illa censeat in baptizatis perseverare, non solum quantum
 ad eorum appendices, puta calamitates et ærumnas hujus vitæ, sed
 etiam quantum ad eorum peccatorum defectum, licet ipsorum turpitudi-
 non appareat, utpote Christi Domini meritis per fidem apprehensis, et
 nobis applicatis, quasi regio pallio tecta et obvelata.

NOTANDUM 2. Pœnas propter peccatum vel proprium vel alienum
 luendas, esse duplicis generis: aliæ enim sunt æternæ; aliæ vero
 temporales. *Æternæ* sunt nusquam finienda inferni supplicia, quibus
 cruciandi sunt reprobi tam Angeli, quam homines; *temporales* sunt,
 quæ finem obtinent, qualis sunt vel ærumnæ vitæ præsentis, vel
 Purgatorius ignis, et cruciatus propter leviora delicta post mortem
 sustinendus. *Insuper*, pœnæ vitæ præsentis, vel sunt contractæ præter
 voluntatem, vel assumptæ voluntarie. *Contractas* pœnas, seu ingestas
 appello, quæ sunt naturæ per peccatum sauciatae velut appendices,
 quales sunt mortalitas, morbi, fames, etc. *Assumptas* pœnas dico eas
 omnes, quæ voluntarie ab homine pœnitente assumuntur, ut jejunia, et
 alia ejusmodi corporalia exercitia contra naturæ appetitum, et inclina-
 tionem, ut Deo offenso fiat satis. Quæritur autem utrum omnes ejusmodi
 pœnæ per Baptismum una cum peccatis dissolvantur.

NOTANDUM 3. Omnes Theologos consentire, gratiam sanctificantem
 revera ex opere operato conferri per Baptismum, sicut et per alia Sa-
 cramenta, in subjecto non ponente obicem ad illius receptionem. Con-
 veniunt insuper, æqualem gratiam conferri subjectis æqualiter dispo-
 sitis, saltem de lege ordinaria. Utrum autem de lege extraordinaria
 Deus aliter disponat, determinandum est in præsentî Quæstione. Porro
 illa gratiæ inæqualitas considerari potest, vel ex parte Dei illam pro-
 ducentis, vel ex parte Christi illam promerentis, vel ex parte hominis
 illam suscipientis.

Conclusio prima. — PER BAPTISMUM OMNIA OMNINO PEC-
 CATA, TAM ORIGINALE QUAM ACTUALE, SIVE MORTALE SIVE VENIALE,
 REVERA DILUUNTUR. Hæc est de fide, ut

Colligitur ex illis omnibus Scripturæ textibus, in quibus vis re-
 mittendi peccata Baptismo tribuitur; sic Actor. 2. *Baptizetur unus-
 quisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum
 vestrorum*, etc. Traditur pariter in Symbolo Nicæano, et Constantino-
 politano: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Defi-
 nitur in variis Conciliis, maxime Carthaginensi IV, cap. 1. ubi inter
 dogmata fidei, quæ profiteri debet Episcopus consecrandus, *Quæren-*

dum ab eo, si in Baptismo omnia peccata, idest, tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntarie admissa sunt, dimittuntur. Et in Florentino in decreto unionis, ubi agens de effectu Baptismi, ait: Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, etc. Ut autem significaret per culpam actualem etiam venialem intelligere, subjunxit: Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regna cælorum, et Dei visionem perveniunt. Si autem per Baptismum etiam venialia peccata non delerentur, consequens esset, quod neque remitteretur pœna eis debita, neque sine satisfactione baptizatus statim ad regnum cælorum perveniret, siquidem, ut legimus Apocalypsis 21. in Civitatem cælestem Jerusalem non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.

Eandem veritatem aperte definit Concilium Tridentinum, Sess. 4. in decreto de peccato originali; ubi n. 3. ait: *Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. Cujus quidem definitionis hanc rationem subjicit: In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo, per Baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.*

Idipsum aperte docet S. Apostolus ad Ephes. 5. ubi ait: Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ut sit sancta, et immaculata. Quomodo autem Ecclesia esset immaculata et sancta, si baptizati ejus filii essent dumtaxat sepulchra dealbata, intus plena sanie et fœtore peccati? — Idem docet 1. ad Cor. cap. 6. Nolite, inquit, errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt: et hæc quidem fuistis, etc. Subjungit efficaciam Baptismi, qui hæc omnia delevit: Sed Abluti, inquit, estis, etc. Ex quibus colligitur veritas fidei definita a Conciliis, nempe peccata tam originale, quam actualia, quæ præcedunt Baptismum (de his enim agit Paulus) dumtaxat per Baptismum deleri.

Eandem veritatem docent SS. Patres, Martialis Papa, Epist. ad Tolosanos, cap. 1. Vos enim estis membra Christi, et corpus immaculatum, nec aliqua in re coinquinatum, neque sordibus obvolutum, etc. Subdit rationem: Ita enim sanctificati, et mundati estis aqua regenerationis, etc. Cyprianus de ablutione pedum: De abdito et secretissimo Spiritus sancti munere, hujus gratiæ liquor emanat, sic lavans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula sui post ablutionem illam vestigia derelinquat, etc. Lactantius, lib. 7. cap. 5. Cum homo cælesti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe

vite prioris, et incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus et plenus. Rheticius Augustodunensis, apud Augustinum, lib. 1. *Contra Julianum*, cap. 3. *Hanc esse principalem in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in quo antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantie nostræ prisca facinora delemus, etc.* Ubi loquitur de Baptismo. Hieronymus, lib. *Adversus Rufinum*, cap. 6. et Epist. 83. ad Oceanum, cap. 2. *Omnia scorta, et publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, patricidium, et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur, etc.* Omnia in Baptismate condonata sunt crimina: nec post indulgentiam Judicis est metuenda severitas, dicente Apostolo: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri, omnia peccata donata sunt, etc.* S. Ambrosius hanc Baptismi virtutem multis eloquenter prosequitur Serm. 131. *Pauca tantum seligimus: Quenam est illa aqua, quæ consumit flammam, nec ipsa consumitur a peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia? Quæ dum per Baptismum infunditur, et ipsa in hominibus, et tartari restinguit ardorem? Et post aliqua: Sed nec mirum, si in Baptismi Sacramento aperiatur infernus, cum tunc quoque reseretur et cælum. Aperiuntur enim hæc elementa, ut ad lavacrum Christi convenient libertas, et gratia. Libertas enim resurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruantur de pœna, hi assumuntur in gloria, etc.* Et cap. 3. libri *De iis qui initiantur*, cum multa dixisset, ut aquæ baptismalis virtutem efferret, concludit: *Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, sepelitur illic omne vitium, etc.* Idem docet S. Augustinus, maxime in omnibus operibus, quæ adversus Pelagianos edidit, præsertim vero lib. 1. *Ad Bonifacium*, contra duas Epistolas Pelag. cap. 13. ubi refert calumniam Pelagianorum imponentium Catholicis, quod dicerent, *Baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Cui calumniæ respondens S. Augustinus, ait: *Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmat? Dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum reseccanda peccata; nam et istam similitudinem comperi suæ adhibere calumniæ, tamquam hoc nos sentiamus, atque dicamus.*

DICES: Concupiscentia remanet in baptizatis: sed illa dicitur peccatum ab Apostolo Rom. 6. et 8. igitur omne peccatum per Baptismum non aufertur. — Respondet S. Augustinus huic objectioni hæreticorum *ibidem*: « Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel « fallere, cum qua necesse est, ut etiam baptizatus, et hoc si diligen- « tissime proficit, et Spiritu Dei agitur, pia mente configat; sed hæc « etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia « peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque di- « citur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundum « carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, co- « gitantur, quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Et « ista ipsa carnis concupiscentia in Baptismo sic dimittitur, ut quam-

« quam tracta sit a nascentibus, nihil noceat renascentibus ». — Idem egregie docet Concilium Tridentinum, loco supra laudato, ubi ait: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinât. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

INSTANT: S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, usurpans similitudinem oleastri, et oleæ insertæ, et per primum intelligens peccatum, per secundum vero justitiam et gratiam, ait: *Quia tam magnum peccatum fuit, inquit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ. solum genus hominum fecit oleastrum, ut quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus, si quid inde in oleam gratia divina convertit: ibi citium primæ naticitatis, quod erat originale peccatum, de carnali concupiscentia tractum, et tractum, remittatur, tegatur, et non imputetur: inde tamen oleaster nascatur, nisi et ipse in oleam eadem gratia renascatur, etc.* Et cap. 33. *Beata itaque olea, cujus remissæ sunt iniquitates, et cujus tecta sunt peccata: beata cui non imputavit Dominus peccatum, sed illud remissum et tectum est, et non imputatur donec fiat in eternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, unde seminetur amarus oleaster, nisi illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur, etc.* Quibus verbis S. August. docet, peccatum originale ita remitti per Baptismum, ut tantum tegatur, et non imputetur: igitur censet peccata revera non dilui virtute Baptismi. — **Nego consequentiam**, nam S. August. ibidem a cap. 25. usque ad 33. aperte docet, peccata revera per Baptismum remitti, quantum ad reatum, licet remaneant quantum ad inclinationem corruptam, quæ est concupiscentia, et peccati fomes, quia ex peccato oritur, et ad peccatum allicit. Unde quando dicit, peccatum tegi et non imputari, s. u. remitti, vocabula *remissionis, tectiois, et non imputationis peccatorum*, vel accipit et intelligit de ipsa concupiscentia, quæ non imputatur oleæ dulcescenti ex agricultura Christi per gratiam Baptistalem: quia illa concupiscentia, quantumvis ex peccato oriunda, et ad peccatum inclinans, non imputatur ad damnationem homini non baptizato, qui pravis et inordinatis illius motibus non acquiescit: *vel si intelligat de reatu peccati, verba remissionis, tectiois, et non imputationis peccatorum*, eodem modo usurpat, quo usurpantur in Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, etc. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, etc.* ubi *tegi, et non imputari*, idem est quod remitti peccatum per indulgentiam: *Tecta sunt peccata, non sic intelligat, inquit S. August. in illum Psalmum, peccata cooperta, quasi ibi sint, et vivant, etc.* Quod et docent alii Expositores, nempe ita tegi, ut amplius non sint; teguntur enim per charitatem et justitiam et alias virtutes, tamquam per primam stolam candidam et immaculatam, qua tollitur turpitudō peccati: sic enim *charitatis operit multitudinem peccatorum, per Apo-*

stolum. Ita explicant Origenes in cap. 4. Epist. ad Rom. Ambrosius *De Arca Noë*, cap. 31. Gregorius, Hom. 4. in Ezechielem. Igitur non imputari, idem est ac obliterari; imputatur enim peccatum, quamdiu est; sicut et bona opera, et fides dicitur reputari ad justitiam sæpius a S. Paulo, et dicitur imputari merces ad præmium. Ita S. Bernardus, Serm. 1. *De Annuntiatione: Utique quod factum est, Deo tamen non imputante, erit quasi non fuerit,* etc. Scilicet per indulgentiam, et remissionem obliteratum, sanatum, mundatum, ut dicitur de peccatis deletis per Baptismum.

Conclusio secunda. — PER BAPTISMUM SOLVITUR OMNIS PENA ÆTERNA, ET TEMPORALIS QUÆ PER MODUM SATISFACTIONIS ASSUMITUR, NON VERO EA QUÆ PER NATIVITATEM CONTRAHITUR. Hæc est communis, eamque

Docet Magister sententiarum in 4. dist. 4. ubi hanc Conclusionem ex integro docet ita aperte, ut non pigeat hic ejus verba exscribere. « Solet quæri de illis, qui jam sanctificati Spiritu, cum fide et charitate ad Baptismum accedunt, quid eis conferat Baptismus? Nihil enim eis videtur præstare, cum per fidem et contritionem jam remissis peccatis justificati sunt. Ad quod sane dici potest, eos quidem per fidem, et contritionem justificados, idest, a macula peccati purgatos, et a debito æternæ pœnæ absolutos; tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cum autem Baptismum percipiunt, et a peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur, et ab exteriori satisfactione absolvuntur, et adjutrix gratia, omnisque virtus in eo augetur, ut vere novus homo tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo S. Augustinus, Hom. 71. super Joann. dicit, quod fides, quæ fideles facit, in aquis Baptismi datur, vel nutritur; quia non habenti aliquando datur, et jam habenti, ut plenius habeat, datur. Sic et de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, et omni habenti ibi amplius datur. Quod vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius ostendit super illud, Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei, et vocatio,* dicens: *Gratia Dei in Baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: sed omnia gratis condonat.* Quod quidem de exteriori gemitu vel planctu accipiendum est. Nam sine interiore nemo adultus renovatur; sed exteriores satisfactiones, et afflictiones, scilicet sordes pœnitentium ibi dimittuntur. Multum ergo confert Baptismus etiam jam per fidem justificato; quia accedens ad Baptismum, quasi ramus a columba portatur in arcam; qui ante intus erat judicio Dei, sed nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est. Cum vero in Baptismo peccatum deleatur, et satisfactio exterior non imputetur; quæritur, cur pœnalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur? Hoc ideo tradunt fieri Viri Sancti, quia si a pœna homines per Baptismum liberarentur, ipsam putarent Baptismi præmium, non æternum regnum. Ideo soluto reatu peccati, temporalis pœna tamen manet, ut sit fidei, et certandi materia, et vincendi occasio, qui non vinceret, si non pugnaret; nec pugnaret si in Baptismo fieret immortalis ».

Eandem veritatem luculenter explicat et confirmat Seraphicus Doctor, d. 4. p. 1. a. 1. qu. 2. ubi cum dixisset Baptismum solvere omnem peccatis debitam pœnam æternam, et temporalem satisfactionem; non vero omnem contractam, quia Deus ita non ordinavit, subjicit rationem: « Congruum fuit, quod hujusmodi pœnalitates in æquitatem nobis « relinqueret; et hoc ad manifestandam æquitatem divini judicii, ad « demonstrandum fructum Passionis Christi, ad promovendum meritum « liberi arbitrii. *Ad manifestandam æquitatem divini judicii; ut illa « sententia, quam dictaverat de morte Adæ et posteriorum ejus, immo- « bilis permaneret: unde ab illa nemo evadit. Ad ostendendum fru- « ctum Passionis Christi, quia si Dominus curaret naturam, et fomi- « tem, filius nasceretur immunis a culpa, nec indigeret regenerari a « Christo; ideo ut omnes se ipsius passione egere noscant, data est « virtus Sacramento a Passione, sive ad hoc ordinatum est, ut pœnas « remittat personales, non naturales, quia remedium respicit perso- « nam, non naturam, etc. Ad amplificandum meritum liberi arbitrii: « promovent enim ad bonum multipliciter hujusmodi pœnalitates. « Dantur enim propter humilitatem: *Sagittæ Domini militant in me, « quarum indignatio, etc. Propter timoris incussionem, Terrores Do- « mini militant contra me. Propter suipsius cognitionem tantummodo: « Sola vexatio dabit intellectum, etc. Propter stimulationem ad bonum; « Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem. Propter exemplum non « peccandi: *Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Propter exer- « citium virtutum: *Hæ sunt Gentes, quas reliquit Dominus, ut erudiret « Israël. Propter hoc ut sit signum adoptionis filiorum: *Si extra disci- « plinam estis, etc. Propter hoc etiam, ut nemo accipiat hoc in retributionis « præmium, ne scilicet homines propter hoc ad Baptismum venirent. « Si enim datur ibi immortalitas, propter hoc plures accederent, quam « propter gratiam, nec fides tunc haberet meritum, cui humana ratio « præberet experimentum ». — Quamquam autem collata per Bapti- « smum gratia non auferat, nec amoveat omnimode pœnas contractas, seu ingentias, nihilominus eas imminuit; maxime vero concupiscen- « tiam, quam S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis, et Concupiscentia, cap. 25. docet de die in diem magis ac magis minui: *Quamvis, in- « quit, reatu suo jam soluto, manet tamen concupiscentia, donec sanetur « omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die « in diem, cum exterior induerit incorruptionem: non enim substantialiter « manet sicut aliquod corpus, aut spiritus; sed affectio est quædam malæ « qualitatis, sicut languor. Et post pauca: *Quæ tamen concupiscentia quo- « tidie minuitur in proficientibus et continentibus, accedente autem sene- « ctute multo maxime.********

Idem docet Subtilis Doctor, dist. 4. qu. 7. num. 1. ubi cum dixisset in omnibus baptizatis non æqualiter remitti, nec imminui fomitem peccati, explicat modum, quo fiat ejusmodi fomitis seu concupiscentiæ diminutio scribit autem: *Quia fomes, inquit, cum sit in carne, vel in virtute aliqua corporali, per gratiam, quæ est in anima, non potest formaliter diminui, quia non est inter ipsum et gratiam formalis repugnantia, cum non sint nata fieri circa idem. Sed dicitur fomes diminui quantum ad effectum, quem consuevit causare in anima, scilicet peccatum: nam secundum quod gratia augetur, fomes minorem*

habet efficaciam inclinandi ad peccatum. Explicat exemplo lapilli alligati alis aquilæ; Quia, inquit, si cresceret virtus motiva aquilæ, licet non diminueretur gravitas lapilli (quia opposita non sunt, nec in eodem) tamen gravitas lapilli diminitur quantum ad effectum: quanto enim major est virtus in ala, tanto lapillus minus impedit ascensum, vel rotatum.

Conclusio tertia. — BAPTISMUS VIRTUTE PROPRIA ÆQUALEM CONFERT GRATIAM DE LEGE ORDINARIA SUBJECTIS ÆQUALITER DISPOSITIS; IN ÆQUALEM AUTEM SUBJECTIS IN ÆQUALITER PRÆPARATIS; FIERI TAMEN POTEST DE LEGE EXTRAORDINARIA, UT ÆQUALITER PRÆPARATIS IN ÆQUALIS GRATIA CONFERATUR IN COLLATIONE EJUSMODI SACRAMENTI.

Prima pars hujus conclusionis sufficienter probata manet ex priori Disputatione, ubi expresse probavimus Sacramenta inæqualem conferre gratiam subjectis inæqualiter præparatis, estque certissima ex Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 7. ubi loquens de justitia, cujus causa instrumentalis est Baptismus, *Quam, inquit, Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujuscumque dispositionem et cooperationem.*

Suffragatur etiam ratio, enimvero Sacramentum confert gratiam ex opere operato instar causæ naturalis, quæ profecto eo perfectiorem producit effectum, quo subjectum invenit perfectius dispositum. Et certe conveniens fuit, ut Christus Dominus Sacramenta sic institueret, quod accedens cum ampliori fervore, et devotione perfectiori, plus gratiæ reciperet, quam qui remissa cum dispositione ad Sacramentum accederet; inde enim stimulus inest hominibus, ut se debite disponant ad Sacramenti susceptionem, considerantes gratiam ampliorem conferri ex opere operato, secundum propriam cujusque dispositionem; quemadmodum enim lapis, et vitrum, licet æque distent a Sole, vitrum tamen plus luminis recipit, quam lapis; cujus amplioris illuminationis causa est major capacitas ex parte subjecti, etiamsi Sol sit pariter illius majoris illuminationis causa efficiens.

Secundam partem una cum priori egregie declarat ac probat Doctor in 4. dist. 4. q. 7. ubi cum supposuisset ad gratiam Baptismi tres causas concurrere, nempe Deum ut causam efficientem, Passionem Christi ut meritoriam, et ipsum susipientem ut materialem seu passivam; dixissetque æqualitatem vel inæqualitatem gratiæ attendi posse ex parte cujusque; primum declarat, nempe quod etiamsi de lege ordinaria Deus per Baptismum æqualem gratiam conferat æqualiter dispositis: « verumtamen, *inquit,* quia Deus prædestinavit diversos electos « ad diversos gradus gloriæ, et hoc ante determinationem hujus signi « ad tantam vel tantam gratiam conferendam, et ordinato ad majorem « gloriam rationabiliter potest conferri major gratia; potest Deus in « determinando veritatem, seu certitudinem hujus signi, disponere, « conferre alicui susipienti præcise illam gratiam, quæ requiritur ad « certitudinem signi, et alicui majorem, quem prædestinavit ad majorem gloriam; sed ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi; sed de speciali benevolentia divina. Propter hoc dici potest, « quod ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, qui datur virtute Baptismi, quia supponitur, quod de lege

« communi, prima gratia non datur major absque omni differentia
 « extra causam principalē ». Quibus verbis Doctor asserit præter
 effectum gratiæ communis, quæ omnibus baptizatis confertur virtute
 Baptismi, de lege ordinaria, Deum posse ex speciali voluntate, et spe-
 ciali benevolentia erga aliquem majorem conferre gratiam; cujus exces-
 sus non proveniret quidem ex virtute Baptismi, quatenus est instru-
 mentum ordinarium gratiæ producendæ, sed ex benevolentia Dei, quæ
 etiam mediante Sacramento ad hoc specialiter assumpto potest causare
 illum effectum ex opere operato, quem tamen producere posset inde-
 pendentem a Sacramento. Non ergo dicit Doctor de facto dari majorem
 gratiam baptismalem ei qui prædestinatus est ad majorem gloriam, ut
 falso ei imponit Sotus, dist. 6. q. unica, art. 6. sed tantum loquitur
 de possibili cum quo videtur convenire Alensis, 4. p. q. 21. memb. 3.
 et S. Bonaventura, dist. 4. part. 2. art. 2. quæst. 3. — « Quantum autem
 « ad causam meritoriam dici potest, inquit Doctor n. 4, quod illa causa
 « meritoria potest efficacius operari ad gratiam in uno modo, quam in
 « alio: vel quia specialius oblata pro uno quantum ad intentiones offe-
 « rentis, quam pro alio: vel quantum ad executionem pro uno oblata
 « in effectu, pro alio non; nisi in prævisione divina. *Primo modo*
 « Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus novit scientia
 « visionis, et per consequens novit omnes electos, et ad quem gradum
 « gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro prædestinatis ad majorem glo-
 « riam plenius offerre passionem suam, et præcipue cum se offerret
 « pro genere humano ad hoc, ut de eis impleretur divina prædesti-
 « natio. *Secundo modo*, Passio Christi efficacius cooperatur pro nobis,
 « qui sumus in Lege Evangelica, quam pro Patribus in Lege Moysis,
 « quia obsequium præstitum ad majus bonum retribuendum magis
 « acceptatur, quam beneficium prævisum; et illo secundo modo est
 « inæqualitas in suscipientibus gratiam per Circumcisionem et Bapti-
 « smum, propter inæqualem applicationem causæ meritoriæ ad istos,
 « et forte etiam in baptizatis ante Passionem, et post Passionem. Si
 « autem primo modo, scilicet propter specialem oblationem in volun-
 « tate Christi, sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, du-
 « bium est de facto, sed possibilitas est ostensa ». His verbis declarat
 Doctor, quomodo gratia, quæ in Baptismate confertur, possit esse inæ-
 qualis *ex parte offerentis*, vel *ex parte rei oblatæ*. Ex parte quidem offe-
 rentis, nempe Christi Domini, qui aliter pro reprobis, aliter pro Præ-
 destiuatis videtur suam passionem obtulisse: quia pro illis eam obtulit
 quantum ad sufficientiam; pro his vero etiam quantum ad efficacitatem;
 quippe cum nosset, quinam essent, propter finalem justitiam salvandi,
 aut propter finalem impœnitentiam damnandi. *Ex parte vero rei oblatæ*,
 potuit etiam esse gratiæ inæqualitas: quia Christi Domini Passio di-
 versimode applicata fuit Patribus Legis naturæ, et scriptæ, sicut aliter
 applicatur fidelibus Legis Evangelicæ: hinc diversa erat gratia collata
 per Circumcisionem, et longe minor, quam quæ confertur per Bap-
 tismum, propter inæqualem applicationem Passionis Christi. Porro utrum
 revera in Lege Evangelica ratione offerentis et rei oblatæ de facto con-
 feratur major gratia uni, quam alteri baptizato, non definit Doctor, ut
 perperam affirmat Sotus, et quidam alii; sed solum loquitur de pos-
 sibili, ut optime notat Scholiastes. — Quod autem spectat ad susci-

pientem Baptismum, dicit Doctor n. 5. quod vel baptizati sunt parvuli,
 vel adulti: « comparando parvulum ad parvulum, cum nullum habeant
 « motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam, ex parte
 « sui recipendam. Potest tamen in parentibus unius esse major motus,
 « quam alterius pro suo parvulo: vel in aliquibus aliis ministrantibus,
 « vel assistentibus Baptismo, propter quorum merita Deus uni parvulo
 « potest conferre majorem gratiam, quam alteri; sed hoc non virtute
 « Baptismi, sed meriti. Et hoc modo forte parentes S. Nicolai oratio-
 « nibus suis meruerunt sibi majorem gratiam, quæ erat in eo etiam
 « parvulo principium tam mirabilis effectus, ut duobus diebus in hebdo-
 « mada unica tantum lactatione contentus maneret. Et quoad hoc magis
 « optandum est puerum baptizari a bono Sacerdote, quam a malo; quia
 « orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante, et post Baptismum,
 « magis exaudiuntur, et valent illi, pro quo fiunt, quam orationes mali.
 « Si autem baptizati sint adulti, cum illi per motum proprium possint
 « esse inæqualiter dispositi, et in Sacramento confertur gratia secun-
 « dum proportionem dispositionis in suscipiente sequitur inæqualis
 « effectus. Quod si compares parvulum adulto, regulariter parvulus
 « nullum meritum habet; adultus quantumcumque tenuem habeat
 « voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat
 « obicem, videtur habere meritum proprium, et pro tanto magis dispo-
 « situs est, quam parvulis; ergo, etc. Sed esto, quod adultus toto tem-
 « pore Baptismi peccet venialiter: videtur ergo esse indispositus quo-
 « dammodo: parvulus autem nullam indispositionem habet: ergo in
 « illo casu parvulus majorem gratiam recipiet. *Respondeo*: peccatum
 « veniale non prohibet gratiam infundi, nec etiam actum meritorium
 « simul habere: tamen quia anima pluribus actibus non potest simul
 « æque perfecte esse intenta, actus bonus, cum quo concurrat veniale,
 « est minus intensus, et ideo minus meritorius, quam foret sine ullo
 « veniali. Et ad propositum sequitur, quod adultus, si non ponit obicem
 « peccati mortalis, et in susceptione Baptismi consentit, aliquem motum
 « habet disponentem, quo caret parvulus, non obstante, quod ille habeat
 « veniale peccatum simul ». Hac autem postrema sententia significat
 Doctor non esse inæqualem gratiam Baptismi ex parte recipientis si
 non sit adultus, nisi forte ab extrinseco, puta ex impetratione paren-
 tum, vel offerentium, vel ministri, quorum fides et merita ampliorem
 gratiam impetrare possent parvulo baptizato, non quidem merito de
 condigno, sed de congruo, ut optime notat Scholiastes. Nulla enim
 pura creatura promereri potest alteri gratiam de condigno; ac etiam
 ipsemet Doctor asserit, dist. 4. quæst. 2. num. 4. ubi respondens ad
 secundum argumentum dicit: *Quod de facto nulli datur gratia, nisi
 per aliquam causam meritoriam, quæ meruit conjunctionem ejus pri-
 mam cum Deo, et hæc causa meritoria est Christus: sed præter istam,
 non oportet dare aliam intrinsecam in recipiente, qua jungatur Deo.
 antequam recipiat gratiam.*

QUÆSTIO SECUNDA.

DE RITIBUS ET CÆREMONIIS SERVARI SOLITIS
IN SOLEMNI BAPTISMI ADMINISTRATIONE.

CÆREMONIA secundum nominis ethymon ducitur, *inquit* Valerius Maximus. lib. 1. cap. 11. a *Cære* Hetruriæ oppido, eo quod Roma a Gallis expugnata, Vestales quibus ornandorum ac servandorum simulacrorum cura demandata fuerat, partito inter se onere et munere, illuc ea transportarunt; cum autem ab ejus oppidi incolis benigne fuissent exceptæ, in hujus beneficii gratiam et memoriam, Romani, restituta libertate, sanxerunt, ut omnis cultus diis impensus *cæremonia* ab illius hospitii nomine diceretur. Quantum autem ad rei veritatem attinet, cæremonia est exterior circumstantia conducens ad religiosum cultum Dei, et sacrificiorum ornatum instituta, ut nempe majori cum celebritate cultus Deo debitus impendatur. — Cæterum Lutherus, lib. *De Piis Cæremoniis*, negat ullas alias usurpandas esse cæremonias in administratione Baptismatis, præter eas, quas Scriptura commemorat. Idem docet Calvinus, lib. 3. *Instit.* cap. num. 19. ubi impudentissime, non minus quam impie ita scribit: « Quod ad externum symbolum
« pertinet, utinam genuina Christi institutio valuisset quantum par
« erat ad cohibendam hominum audaciam. Quasi enim res esset con-
« temptibilis, ex Christi præcepto, aqua baptizari, inventa est bene-
« dictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pol-
« lueret. Additus postea cereus cum chrismate: exsufflatio vero januam
« ad Baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quam ve-
« tusta sit adventitiæ hujus farraginis origo; respuere tamen mihi
« et piis omnibus fas est quidquid ad Christi institutionem addere
« ausi sunt homines. Cum autem videret Satan stulta mundi credu-
« litate absque negotio fere inter ipsa Evangelii exordia receptas esse
« suas imposturas, ad crassiora ludibria prorupit: hinc sputum et si-
« miles nugæ palam in Baptismi probrum efræna licentia invectæ.
« Quibus experimentis discamus nihil, vel sanctius esse, vel melius,
« vel tutius, quam unius Christi auctoritate contentos esse. Quanto
« igitur satius erat, omissis theatricis pompis, quæ simplici oculis
« perstringunt, et mentes hebetant, quoties baptizandus aliquis esset,
« in certum fidelium ipsum representari, et tota Ecclesia velut teste
« spectante et orante super eum, Deo offerri; recitari fidei confessio-
« nem, quæ sit instruendus Catechumenus; enarrari quæ in Baptismo
« habentur Promissiones; catechumentum baptizari in nomine Patris,
« et Filii, et Spiritus sancti: remitti demum cum precibus, et gratia-
« rum actione? Sic nihil omittetur, quod ad rem faceret, et una
« illa cæremonia, quæ a Deo auctore profecta est, nullis exoticis sor-
« dibus obruta, clarissime effulgeret. Cæterum mergatur ne totus, qui
« tingitur, idque ter an semel, an intusa tantum aqua aspergatur,
« minimum refert; sed id pro regionum diversitate Ecclesiis liberum
« esse debet. Quamquam et ipsius baptizandi verbum mergere signifi-
« cat, et mergendi ritum veteri Ecclesiæ observatum fuisse constat». *Verum* hujus impudentis haeresiarchæ perversitatem sic frangit Concil. Trid. Sess. 7. Can. 13. his verbis: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ*

Catholicæ ritus in solemnî Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mutari posse, anathema sit. Erit itaque pars religionis ac debiti servari solitas in solemnî Baptismi administratione cæremonias hic expendere sub tribus distinctis Paragraphis.

§. I. — DE CÆREMONIIS ANTECEDENTIBUS BAPTISMUM QUOAD SUBSTANTIAM SPECTATUM. — Varia antiquitus servanda erant ab homine adulto, qui Baptismum postulabat: *primo* namque per aliquem ex fidelibus, cui notus esset, deducebatur ad Ecclesiæ Antistites et Ministros, ut suum nomen, sicut et hominis eum deducentis, tamquam sponsoris consignaret, ut refert S. Dionysius, lib. *De Hierarchia*, cap. de Baptismo. *Deinde* baptizandus committebatur ac tradebatur curæ et vigilantia illius, qui edocendis ac catechizandis Catechumenis præficebatur, ut ab eo Christianæ Religionis mysteria, et leges doceretur, juxta illud Christi Domini oraculum: *Docete omnes Gentes baptizantes eos*; quo utique tempore Catechumeni dicebantur, a vocabulo Græco ἀπό του καθήκον, quod significat *viva voce instruere*. Unde etiam appellabantur *Audientes*, sive *auditores*, ut observat Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, c. 6. *Nemo*, inquit, *sibi aduletur; quia inter auditorum tyrocinia deputatur, quasi eo etiam non sibi delinquere liceat; an alius est in tinctis Christus, alius audientibus? Num spes alia, vel merces, alia formido judicîi, alia necessitas pœnitentiæ? Lavacrum illud obsignatio est fidei, quæ fides a pœnitentiæ fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus; sed quia jam desimus, quoniam jam corde noti sumus: hæc enim prima audientis intinctio est, metus integer.* Quibus verbis etiam significat, quod pœnitentiam agere deberent Catechumeni, ut ad Baptismi gratiam fierent idonei. Quod etiam luculenter declarat cap. 20. *Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis, et geneculationibus, et pervigiliis orare oportet.* Ubi autem jam sufficienter instructi et eruditi erant de mysteriis et moribus Christianæ Religionis, appellabantur *Competentes*, ut notat B. Pacianus, Serm. *De Baptismo*, eo quod simul Baptismum peterent. quo alludit his verbis Tertullianus, loco mox laudato: *Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet; qui enim optat, orat; qui præsumit, superbit.* Ad quod etiam spectat illud Concilii Agathensis, cap. 13. ubi legimus: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis una die, idest, ante octo dies Dominicæ Resurrectionis, publice in Ecclesiæ Competentibus prædicari.* Appellabantur etiam *Electi*, ut constat ex Ordine Rom. et Sacramentario B. Gregorii, eo quod ad Baptismum factis scrutinii eligerentur.

Porro scrutinia ante Baptismum sex fiebant Quadragesimæ tempore, ut docet Alcuinus et Amalarius, lib. *De Divinis Officiis*. Primum scrutinium incipiebat a feria quarta Dominicæ tertiæ, quod frequentius iterabatur, ut exploraretur sæpius, an post renuntiationem Satanae sacra verba datæ fidei radicibus corde defixissent. Septimum tandem scrutinium fiebat in vigilia Paschæ juxta ordinem Romanum; quo utique die præcedentia sex scrutinia repetebantur; maxime ob parvulos recenter natos, qui prioribus non interfuerant, ut patet ex Or-

dine Romano, et Amalario, lib. 1. *De Divinis Officiis*, cap. 13. Quare Rabanus, lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. 27. et sequentibus, omnes Baptismi cæremonias simul recenset.

Cui ut morem geramus congruum judicamus illas omnes cæremonias, prout ex Ritualium ordine nunc geruntur, distincte, et enucleate perstringere. *Primo* patrini, et *matrinæ* baptizandum offerunt Sacerdoti; cujus quidem consuetudinis meminit Tertullianus, lib. *De Baptismo*, quos idcirco *sponsores*, et *fidejussores appellat*: similiter Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 2. *Quem*, baptizatum, inquit, *Sacerdotes assignant susceptori suo*. Et c. 7. *Divinis*, inquit, *nostris Ducibus* (idest Apostolis) *ad mentem venit, et visum est suscipere infantes, secundum istam sanctum modum, quod naturales pueri parentes, traderent puerum cuidam docto in divinis Pædagogico, et reliquum sub ipso puer agerèt, sicut sub divino Patre, et salvationis sanctæ susceptore*. Dicuntur autem *susceptores*, vel quod recenter baptizatum susciperent non solum in custodiam et in instructionem; vel quod e sacro fonte emergentem tenerent et abstergerent: unde cum olim baptizarentur adulti, et toto corpore nudi immergerentur, solæ fæminæ fæminas, et viri viros suscipiebant. Postea vero liberum fuit mari muliebrem sexum, et fæminæ virilem adhuc infantem suscipere, ut ait Nicolaus I, Ep. ad Salonitanum Episcopum, ubi scribit: *Nos desideras, inquit, utrum mulier, quæ viri filium ex alia fæmina genitum de sacro fonte leverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo jungi posse decernimus, quia secundum sacros Canones, nisi amborum consensu, nullus Religionis obtentu debet dimittere conjugem*.

Tres autem aliquando admittebantur susceptores, ad sanctissimæ Trinitatis mysterium indicandum. Ita Waldensis, Tom. 3. tit. 5. cap. 49. Verum postmodum, ut divinæ naturæ et Baptismi unitas exprimeretur, Concilium Metense cap. 12. decrevit: *Infantes nequaquam duo, vel plures, sed unus a fonte Baptismatis suscipiat; est enim unus Deus, et unum Baptisma*. Idem statuit Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 2. ubi volens providere cognationis spiritualis impedimento, statuit: *Ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum de Baptismo suscipiant*, etc. Patrius autem esse non potest, nisi adultus, isque baptizatus, ut nempe patrini munus implere valeat. Illud autem officium in his maxime consistit, ut baptizandum Sacerdoti offerat, pro ipso fidei professionem emittat, atque spondeat, baptizandum pie atque religiose victurum: Unde S. Augustinus, Serm. 163. *De Tempore*, ait: *Quicumque viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse, et ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant*. Hinc, ut refert Amalarius, lib. 1. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 2. Neophyti per octo dies sub ducibus, videlicet patrinis, et matrinis deducebantur ad Ecclesiam, ad alia Christianæ pietatis mûnera. Quæ quidem cura haud temporis spatium non concludatur; sed et deinceps cum necesse fuerit, baptizatorum saluti patrini invigilare debebant.

Insuper sponsores baptizando imponunt nomina, ut fiebat in Circumcisione apud Judæos, prout constat exemplo Christi Domini, Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum*

est nomen ejus *Jesus*. Interdum autem adulti propria nomina in Baptismo conservabant, ut liquet exemplo SS. Ambrosii et Augustini; aliquando vero, et plerumque mutabant. Hinc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. 7. *Historiæ*, cap. 12. loquens de S. Joanne Apostolo, ait multos Gentiles propter singularem amorem, quo erga illum affecti erant, et propter æmulationem, qua ad illum invitandum flagrabant, et quod a Domino pari ratione diligere cuperent, Joannis nomen in Baptismo sibi imponi deprecabantur.

Imposito nomine, baptizandus renuntiat diabolo per seipsum, si sit adultus: si vero non sit rationis compos, per patrinum et matrinam. Cujus utique renuntiationis meminit Tertullianus pluribus in locis, maxime, lib. *De corona militis*, cap. 3. ait: *Aquam adituri ibidem sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompe, et Angelis ejus*. Quæ utique renuntiatio, ut testatur Interpres sancti Dionysii, de *Ecclesiastica Hierarchia*, fiebat versus Occidentem, et tertio repetebatur: *Occidentem versus*, inquit, *baptizandum statuens intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conversas, insufflare illum ter Satanam jubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri*. Ejusmodi exsufflationis meminit etiam B. Gregorius in *Sacramentario*; quod utique accedit ad nostram consuetudinem, qua Sacerdos ter sufflat in faciem baptizandi, dicens: *Exi ab eo, Satan*; quo pertinet illud S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 1. *Insufflationis*, inquit, *Sanctorum et nominis Dei invocatio tamquam quedam flamma urit demones, et in fugam convertit*. Illius etiam meminit S. Augustinus, lib. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 18. scribens de Juliano, qui negabat nascentes esse sub diabolo, et debere portari ad Christum, ut eruerentur e potestate dæmonum: *Ac sic*, inquit S. Augustinus, *accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, a quo necesse est, vasa iræ possideantur, cum ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur*. Et cap. 29. respondens Pelagianis dicentibus Manichæum esse errorem, asserere homines origine sua esse vitiatos et malos, scribit: *Non sicut iste, ait, perfecte Manichæus est, qui malum originale defendit; sed perfecte Pelagianus est, qui malum originale non credit; neque enim ex quo esse cepit Manichæi pestilentiōsa doctrina, ex illa ceperunt in Ecclesia Dei parvuli baptizandi exorcizari, et exsufflari, ut ipsis mysteriis ostenderetur, non eos in regnum Christi, nisi erutos a tenebrarum potestate transferri*. Exorcismus autem, inquit S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 20. *sermo increpationis est contra immundum spiritum in energumenis, sive Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus et inveterata malitia expulsa fugetur*. Testatur Josephus, lib. 8. *Antiquitatum Judaicarum*, exorcismum a Salomone originem duxisse. Et S. Epiphanius, Hæresi 30. asserit, Judæos Exorcistas usos fuisse nomine *tetragrammaton*, cujus virtute dæmones fugabant. Quod autem Judæi soliti fuissent energumenos exorcizare, innuit Christus Dominus. Matth. 12. ubi cum ei dixissent Judæi: *In Beezebub principe dæmoniorum ejicis dæmonia*, respondit: *Si in Beezebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* etc. Patet etiam ex illo Actorum cap. 19. *Tentaverunt quidam de circumeuntibus Judæis Exorcistis, invocare super*

eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, etc. Verum non a Judæis Ecclesia ducit ritum exorcizandi, sed ab exemplo Christi Domini, qui Matth. 7. lunaticum increpuit, et exiit ab eo dæmon. Quam utique potestatem fidelibus contulit, maxime vero Ministris ad illud munus ab Ecclesia deputatis, cum dixit Marci 16. *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, etc.*

Post insufflationem et exorcismum, vel, ut solent aliquæ Ecclesiæ, paulo ante utrumque, Minister Baptismi signum crucis imprimit in fronte, et pectore baptizandi, ejus cæremoniæ meminit S. Dionysius Areopagita locis supra laudatis: *Imponet ejus capiti manum, inquit, consignansque illum Sacerdotibus manum dat, virum susceptoremque describant.* Idem testatur Tertullianus, lib. *De corona militis*, et S. Augustinus, lib. 1. *De Symbolo*, cap. 1. dicens: *Per sacratissimum signum crucis vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia.* Imprimitur autem signum crucis in fronte simul, et in pectore, ut tradit S. Gregorius in *Sacramentario*, ut nempe undique muniatur; utque noverit se destinatum ad ferendam crucem, et eam toto corde tamquam mysticam cæli scalam diligendam.

Postmodum Sacerdos sal benedicit, immittitque salis paululum in os infantis, ut nempe, inquit Alcuinus, *putrida et fluxa baptizati peccata sapientiæ sale divino mundentur*: unde Origenes, Hom. 6. in Ezechielem, *Qui renascitur Christo, debet sale saliri.* Et S. Augustinus, lib. 1. *Confess.*, cap. 11. *Signabar jam ejus signo, et condiebar ejus sale.* Sales autem in mysterio Catechumenis dandos a Patribus institutum, inquit Isidorus, lib. 1. *De Officiis*, cap. 20. *ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant a sapore Christi.* Addit Ivo Carnotensis, Sermon. *De Sacramento Neophytorum*: *Datur sal benedictum per os pueri, per typum sapientiæ, ut sale-conditus fectore carere iniquitatis.*

Deinde Sacerdos mittit de saliva oris sui in dexteram aurem infantis, dicens: *Epheta, quod est adaperire.* Demum in nares, dicendo: *in odorem suavitatis*: rursus in sinistram aurem, dicens: *Effugare diabole.* Ita præscribitur in *Sacramentario* S. Gregorii, et Ordine Romano, ejus utique cæremoniæ origo ducta videtur ex Marci 7. ubi Christus Dominus volens sanare surdum et mutum, *misit digitos suos in auriculam ejus, et expuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cælum ingemuit. et ait illi, Epheta, quod est adaperire.* Unde S. Ambrosius, lib. *De initiandis*, Catechumenos alloquens, ait: *Aperite aures, et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis, munere Sacramentorum capite, quod vobis signavimus, cum aperitionis mysteria celebrantes, Epheta diximus, quod est adaperire.* Porro aures et nares tanguntur et inunguntur saliva, ut significetur, quod homo per peccatum Adæ factus surdus ad divina, neque amplius sapiat, quæ Dei sunt, per Baptismum spiritualem auditum olfactum denuo accipiat, ait Hugo Victorinus, lib. 1. *De Sacram.*, cap. 8.

Expulso autem per Exorcismum et alios sacros ritus dæmone a baptizando, Symboli Apostolici traditur ei fides, inquit Alcuinus, *Ut vacua domus, et a prisco habitatore derelicta fide ornatur, et ut præparetur habitatio Deo.* Unde S. Augustinus, lib. 8. *Conf.*, cap. 2. refert quod Victorinus Rhetor ex editiori loco Romæ in conspectu populi

professus fuerit fidem suam; quod etiam facere solebant Competentes. Ad quod alludere videtur Tertullianus, lib. *De corona militis*, cap. 3. dum dicit: *Amplius aliquid respondetis, quam Dominus in Evangelio determinavit.*

Post hæc Sacerdos Catechumenum introducit in Ecclesiam, pannos quibus operitur tangens ac dicens *Ingrederere*, et insuper eum nominatim interrogat: *Abrenuncias Satanæ?* Cujus cæremoniæ meminisse videtur S. Petrus, Epist. 1. cap. 3. his verbis: *Salvos nos fecit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, ut interpretatur S. Cyrillus, lib. 6. in Joan.

Deinde Sacerdos linat pectus, et scapulas infantis oleo Catechumenorum. *Pectus perungitur*, inquit Alcuinus, *ut signo S. Crucis diabolo claudatur ingressus; signantur et scapulæ, ut undiquè muniatur.* Vel ut ait Rabanus, lib. 1. *De institutione Clericorum*, cap. 27. *Ungitur illius pectus de oleo sanctificato, cum invocatione SS. Trinitatis, ut mens ejus confortetur, ungitur et inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Hinc apud Græcos, baptizandus ungebatur toto corpore, ut referunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 2. Chrysostomus, Homil. 6. in Epistolam ad Coloss. ac B. Severus Alexandrinus in *Baptismi ritibus*. Verum in Ecclesia Latina dumtaxat ungi solere caput et pectus indicat S. Ambrosius, lib. *De iis, qui initiantur*, cap. 6. et Isidorus, lib. 2. *De Divinis Officiis*, cap. 8. * " Fuit etiam veteris Ecclesiæ consuetudq, ut sacerdos baptizatum chrismate in vertice, ut docet Amalarius Fortünatus episcopus Trevirensis, lib. *De Officiis ecclesiasticis*, cap. 27. ubi postquam docuit statim a Baptismo ungendum esse neophytum, ita subjungit: *Sicut in gestis pontificalibus legitur Sylvestrum instituisse, ut a presbytero ungeretur chrismate neophytus in cerebro...* Deinde scribit: *hanc fieri posse unctionem a presbytero, episcopo etiam præsentite, cum tamen solus possit episcopus dare baptizatis Spiritum Sanctum per manus impositionem ungerendo chrismate non in vertice, sed in fronte.* Super quo historiam perhibet Philippi diaconi non valentis Spiritum Sanctum Samaritanis a se baptizatis conferre, quia neque apostolus erat neque pontifex. Unde necesse fuit ad istud officium mitti Petrum et Joannem, Act. VIII " *.

Post hæc Sacerdos interrogat baptizandum: *Credis in Deum?* Respondet: *Credo.* Cujus quidem cæremoniæ ac professionis fidei meminit Tertullianus, lib. *De Spectaculis*, cap. 4. ubi ait: *Aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profiteremur.* Solebat etiam antiquitus huic professioni addi solemne juramentum de propugnanda ejusmodi fide ad mortem usque, ut observat Tertullianus, lib. *Ad Martyres*, et lib. *De corona militis*, cap. 11. Quibus completis ministratur Baptismus.

• § II. — *De Cæremoniis concomitantibus, maxime de Loco et Tempore.* — Certum est, Apostolos baptizasse omni tempore, et omni loco, ubi opportuna occurrebat occasio; neque enim post primam S. Petri prædicationem, Judæos ad fidem conversos, et media ad salutem necessaria postulantes, judicarunt alio tempore, et loco esse baptizandos: sed qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt in

die illa animæ circiter tria millia. Neque Philippus quæsit tempus, aut diem, quo Eunuchum baptizaret; nec Petrus quando Cornelium cum omni domo sua baptizavit; scilicet Apostolica prudentiæ non erat, certam ac præsentem messem longius differre, ne passim a Gentilibus aut Judæis, tamquam a furiosis belluis dissiparetur.

Insuper baptizandi nullo egebant tempore, ut fidei mysteria discerent; siquidem Spiritus sanctus docebat eos de omnibus, quæ ad Christianæ religionis, et fidei mysteria spectabant. *Præterea* ingens hominum multitudo ad Baptismum accedebat, et cum aliunde pauci essent Ministri qui eos baptizarent, conveniens erat, ut Baptismus in alterum tempus non remitteretur. Verum cum per orbem propagari cœpisset Ecclesia, et jam plures constituti essent Ministri, qui Baptismum conferre possent; communis Ecclesiæ mos ex Traditione Apostolica obtinuit, ut nemo extra Paschatis, et Pentecostes tempus solemniter baptizaretur, ut testatur imprimis Tertull., lib. *De Baptismo*, cap. 19. ubi scribit: « Diem Baptismo solemniolem Pascha præstat, cum, et « Passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Nec incongruenter « ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus « esset acturus, missis Discipulis ad præparandum, *Invenietis*, inquit, « *hominem aquam bajulantem*, Paschæ celebrandæ locum de signo « aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum « spatium est, quo et Domini Resurrectio frequentata est, et gratia « Spiritus sancti dedicata, et spes adventus Domini subostensa, etc. ». Hinc Baptismi celebrationem in reliquis festivitatibus interdictam fuisse, constat ex Conciliis Gerundensi, cap. 4. Compendiensi, cap. 3. et Vormacensi, cap. 11. Cujus utique observantiæ rationem hanc profert S. Leo, Epist. 4. *Ad Episcopos per Siciliam constitutos*, cap. 3. ubi loquens de festo Paschatis, ait: « Apparere generandis filiis ho- « minum, et in Dei filios adoptandis illum diem esse, et illud tempus « electum, in quo per similitudinem, formamque mysterii ea, quæ ge- « runtur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruerent, « dum in Baptismatis regula, et mors intervenit interfectione peccati, « et sepulturam triduanam imitatur trina demersio, at ab aquis ele- « vatio resurgentis instar est de sepulchro: ipsa igitur operis qualitas « docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in « quo orta est, et virtus muneris, et species actionis. Additur sane « huic observantiæ etiam Pentecostes ex adventu Spiritus sancti « sacra solemnitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo, et cum ad « alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui Re- « surrectione Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodo « auxiliantis gratiæ manum; et eos, quos a die Paschæ, aut molestia « infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas in- « terclusit, invitat, ut quibuslibet necessitatibus impediti desiderii sui « effectum, dono Spiritus sancti consequantur. *Addit* cap. 4. Hoc autem « nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex Apostolica aucto- « ritate servare, satis idoneo probamus exemplo sequentes B. Apo- « stolum Petrum, qui in die, quo omnium credentium numerum pro- « missus Spiritus sancti replevit adventus, trium millium populum « sua prædicatione conversum, lavacro Baptismatis consecravit ». Ra- banus, lib. 2. cap. 38. testatur eam consuetudinem perdurasse usque

ad tempora Caroli, et Ludovici Imperatorum. Unde etiam orationes, et Cantica, quibus ad hoc utinur solempiter in Paschalibus feriis, hanc cæremoniam baptizandi eo tempore resonant; hoc indicat Responsorium, *Vidi aquam*. Hymnus, *Ad cœnam Agni providi*. Introitus Feriæ secundæ *Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac, et mel*. Introitus Feriæ tertiæ, *Aqua sapientiæ potavit eos*; et hujus diei Collecta: *Deus qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas*. Introitus Feriæ quartæ, *Venite Benedicti Patris mei*. Introitus Feriæ quintæ, *Victricem manum tuam, Domine, laudaverunt pariter*, etc. Similiter hujus diei Collecta, et Secreta. Introitus Feriæ sextæ, *Eduxit eos Dominus in spe*; et illius diei Secreta. Introitus Sabbati, *Eduxit Dominus populum suum*. Introitus quoque Dominicæ diei octavæ, *Quasi modo geniti infantes*.

Causam autem cur abrogata sit hæc consuetudo, subodorari licet ex Socrate, lib. 5. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 29. ubi refert in Thesalia plurimos absque Baptismo mortuos, quod diebus Paschæ dumtaxat Baptismata fieri consuevissent. Eandem rationem mutasse etiam de toto tempore Pentecostes, verisimile est ex negligentia subinde aut parentum, aut Presbyterorum Parochialium, ut observat Pamelius ad cap. 19. Tertulliani, lib. *De Baptismo*. Cæterum urgente necessitate citra solemnitatem quovis tempore baptizare licebat, ut ibidem observat Tertullianus: *Cæterum, inquit, omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo, si de solemnitate interest, de gratia nihil refert*. Quod etiam significat Concilium Gerundense, cap. 5. ubi sic statuit: *De Catechumenis baptizandis id statutum est, ut in Paschæ solemnitate, vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis major celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniant: cæteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumque tempore convenit Baptismum non negari*. Idem etiam statuit S. Leo, Epist. 4. cap. 6. *Si qui, inquit, necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, et naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari*.

Quantum autem ad locum, certum est Apostolos, et eorum Discipulos baptizasse in aquis obviis; nam legimus Actor. 8. Philippum baptizasse Eunuchum in aqua, quam obviam habuerat. Et cap. 16. Lydia purpuraria baptizata est juxta flumen. Et in vita S. Marcelli Pontificis, (eujus die sacro hæc scribimus,) legitur, quod S. Cyriacus in sua domo fontem ædificavit, quem consecravit S. Marcellus, ubi frequenter baptizabat. Cum vero Christiana Religio per orbem propagata jam a frequentibus persecutionibus tantillum quievisset, Baptistaria in urbibus, in porticu Ecclesiarum construi cœperunt. Unde Cyrillus Hierosolymitanus baptizandos alloquens: *Jam, inquit, circa Porticum regalis Palatii fuistis*, etc. Post hæc vero in Ecclesiis Baptistaria erecta sunt; siquidem Clodovæum Francorum Regem in Ecclesia baptizatum fuisse, refert Gregorius Turonensis 2. *Historiæ Francorum*.

Baptismus autem conferri solebat antiquitus per trinam immersionem, et totidem emersiones, ut per hoc quod tertio infans ab aquis educitur, Resurrectio triduanæ temporis exprimat, inquit Gregorius, lib. 1. Ep. Nihilominus valebat etiam Baptismus vel per aspersionem, vel per immersionem etiam unicam, ut decernit Concilium Toletanum

quartum, cap. 5. his virbis: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem.* * “ Joannes Diaconus (qui florebat anno 814. plurimum tractatum scriptor, imprimis vitæ S. Gregorii Magni, in sua Epist. ad Senarium quam clariss. Mabillonius publici juris fecit in recensione sui itineris Italicj) respondens quæstionibus a præfato Senario sibi propositis circa cæremonias in baptisate præsertim adultorum servari solitas, postquam præmisisset omnes homines infici peccato originali a quo liberari non possunt nisi per gratiam Salvatoris, addit: « Non est ergo dubium, quod « priusquam aliquis renascatur in Christo, diabolicæ potestati teneatur « adstrictus: cujus laqueis nisi inter ipsa primitus fidei rudimenta ve- « raci professione renuntians exuatur, ad salutis lavaeri gratiam non « accedit. Et ideo hunc oportet prius catechumenorum adjutorium in- « troire. Catechesis enim græce, *instructio* dicitur. Instruitur namque « ecclesiastico ministerio per benedictionem imponentis manum, ut « intelligat quis sit, quisve futurus sit, hoc est, quia ex damnabili « sanctus fiat, ex injusto justus appareat, ad postremum filius fiat ex « servo; ut qui in primo parente perditus fuerat, secundi reparatus « beneficio, hæreditatis paternæ professor existat. Exsufflatus igitur « exorcizatur, ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus; « et a potestate erutus tenebrarum, transferatur in regnum gloriæ cha- « ritatis Dei; ut qui dudum vas fuerat Satanæ, fiat nunc domicilium « Salvatoris. Exsufflatur itaque, quia tali dignus est ignominia deseritor « antiquus. Exorcizatur autem, idest conjuratur, ut exeat et recedat, « illius agnoscens adventum, cujus erectam in paradisi felicitate ima- « ginem prava suasionem dejecerat. Accipiet jam catechumenus benedi- « ctum sal, in quo signatur: quia sicut omnis caro sale condita ser- « vatur, ita sale sapientiæ et prædicationis verbi Dei mens fluctibus « sæculi madida et fluxa conditur, ut ad soliditatem stabilitatis atque « permansionis digesto penitus corruptionis humore divini salis sua- « vitate perveniat. Hoc ergo agit frequens impositio manus, et reve- « rentia Trinitatis, et invocata super caput ejus tertio benedictio Con- « ditoris. Dehinc quodam profectu atque propectu ille qui dudum « exsufflatus diabolicis laqueis pompisque renunciaverat, symboli ab « Apostolis traditi jam meretur verba suscipere: ut qui paulo ante solum « catechumenus dicebatur, nunc etiam vocetur competens vel electus. « Conceptus enim in utero matris Ecclesiæ, et vivere jam incipit, « etiamsi nondum sacri partus tempus explevit. Tunc fiunt illa quæ « ab ecclesiastica consuetudine scrutinia dietantur. Perscrutamur « enim eorum corda per fidem, utrum menti suæ post renuntiationem « diaboli sacra verba defixerint; utrum agnoverint futuram gratiam « Redemptoris; utrum se credere fateantur in Deum Patrem omnipo- « tentem. Et cum hæc ita esse illorum responsione claruerit, quia « scriptum est: *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in « salutem*; tanguntur sanctificationis oleo aures eorum, tanguntur et « nares: sed aures ideo, quia per eas ad intellectum fides ingreditur « Apostolo dicente: *fides per auditum, auditus vero per verbum Dei*: « ut quasi quodam sanctificationis muro aures instructæ, nihil noxium, « nihil quod retro revocare possit admittant. Cum vero tanguntur nares « eorum, admonentur sine dubio, ut quamdiu spiritum vitæ hujus

« naribus trahunt, in Dei servitio mandatisque perdurent. Unde vir
 « ille sanctus dicebat: *Vixit Dominus qui abstulit iudicium meum, et*
 « *omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia*
 « *donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis. non*
 « *loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur men-*
 « *dacium.* Aliud quoque in narium unctione signatur: ut quia illud
 « oleum in nomine benedictum est Salvatoris, ad spiritalem ejus odo-
 « rem quadam ineffabili interiores sensus suavitate ducantur, ut dele-
 « ctati cantent: *Unguentum effusum est nomen tuum: post odorem*
 « *unguentorum tuorum curremus.* Quo mysterio sensus narium præ-
 « munitus, nihil voluptuosum sæculi, nihil quod mentem resolvere
 « queat, possit admittere. Dehinc pectus eorum oleo consecrationis
 « perungitur, in quo est sedes et habitaculum cordis: ut intelligat
 « firma se conscientia et puro corde debere promittere, quod jam, re-
 « licto diabolo, Christi mandata sectentur. Hi etiam nudis pedibus
 « jubentur incedere, ut depositis morticinis et carnalibus indumentis,
 « agnoscant se illius viæ iter arripere, in qua nihil asperum, nihil po-
 « test inveniri nocivum. Hæc igitur Ecclesiastica sollicitudo per suc-
 « cessiones temporum cauta dispositione constituit, quamvis horum
 « vestigia vetus pagina non ostendat. Proinde cum istis quasi vehi-
 « culis spiritualibus electus sive catechumenus in fide processerit.
 « tunc et necesse est unci lavacri baptisinate consecrari, in quo Sa-
 « cramento baptizatus trina demersione perficitur. Et recte. Nam qui
 « in nomine Trinitatis baptizandus accedit, ipsam utique Trinitatem
 « trina debet mersione signare, et Illius se agnoscere beneficiis debi-
 « torem, qui tertia pro eo die resurrexit a mortuis. Sumptis dehinc
 « aliis vestibus, caput ejus sacri chrismatis unctione perungitur, ut
 « intelligat baptizatus regnum in se ac sacerdotale mysterium. Chri-
 « smatis enim oleo sacerdotes et principes ungebantur: ut illi offerendo
 « sacrificia, illi populis imperarent. Ad imaginem quippe sacerdotii
 « plenius exprimendam, renascentis caput lintei decore componitur;
 « nam sacerdotes illius temporis quodam mystico velamine caput
 « semper ornabant. Cuncti vero regenerati albis vestibus induuntur
 « ad ministerium resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dominus et Salvator
 « eorum quibusdam discipulis ac prophetis ita in monte transfiguratus
 « est, ut diceretur: *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta vero ejus*
 « *facta sunt candida sicut nix.* Quo facto splendorem, ut dictum est,
 « resurgentis in futurum figuravit Ecclesiæ, de qua item scriptum est:
 « *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Utuntur igitur albis vestibus:
 « ut quorum primæ nativitatis infantiam vetusti erroris pannus fusca-
 « verat, habitus secundæ generationis gloriæ proferat indumentum: ut
 « ad mensam Sponsi cælestis nuptiali veste circumdatus homo novus
 « occurrat. Illud autem ne prætermissum videatur, ante prædicimus,
 « quod ista omnia etiam parvulis fiant, qui adhuc pro ipsius ætatis
 « primordio nihil intelligunt. Unde scire debetis, quia dum a paren-
 « tibus aut a quibuslibet aliis offeruntur, aliena eos professione salvari
 « necesse est, qui fuerant alieno errore damnati. Ac proinde adjungis
 « ut dicam, cur sanctum chrisma soli pontifici liceat consecrare, quod
 « presbytero non videtur esse concessum. Et merito: quia episcopus
 « summi Pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii

« locum retinere cognoscitur. Omnis enim pontifex est sacerdos, non
 « omnis sacerdos pontifex dici potest. Nam in veteri Testamento, ut
 « alia taceam, etiam indumentorum habitu differabant: ita ut sacer-
 « dotes quatuor quibusdam mysticis vestibus uterentur, quæ illis cum
 « pontifice videbantur esse communes: at pontifex quatuor aliis ute-
 « batur, quibus indui sacerdotibus penitus non licebat. Adjicitur etiam
 « quod in Sancta Sanctorum semel in anno solus pontifex habebat
 « accessum. Unde jam in novo populo episcopus ordinandi presby-
 « teros meruit potestatem. Recte igitur benedictionis et unctionis quo-
 « dammodo potestas apostolica huic traditioni servatur, quam constat
 « ecclesiasticorum ordinum tenerè principium. Illud quoque non præ-
 « tereundum videtur, quia nec eadem benedictionis verba presbyterii
 « consecratio promeretur, quæ pontificalis apex consuevit audire. Nam
 « si nihil speciale reservatum esset episcopo, gradus indifferens esse
 « videbatur: nec opus esset diverso vocabulo, quod eadem benedictio
 « consecraret. Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quæ-
 « dam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri
 « dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma faciant, quod merito mo-
 « veret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde
 « constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta
 « rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo consti-
 « tuit. Illud etiam vultis scire, quos Ecclesiâ Catholica redeuntes non
 « baptizet hæreticos? quod ego pro meo modulo brevi responsione con-
 « cludam: illos venientes baptizari, quos non constiterit in nomine
 « Trinitatis æque suscepisse mysterium. Nam sive Patrem solum quis
 « confiteatur, negans Filium et Spiritum Sanctum, baptizandus omnino
 « est: sive Filium confitens, neget Patrem vel Spiritum Sanctum, sine
 « dubio consequi debet baptismatis Sacramentum: vel si Spiritum
 « Sanctum denegans, Patrem tateatur ac Filium, æque, ut meminimus
 « mystico fonte purgabitur, juxta illam Domini regulam dicentis: *Ite,*
 « *baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*
 « Verum si Trinitatis nomen accepit, inæqualitatis quolibet modo fa-
 « ciens differentiam, velut qui illo in tempore trium sunt secuti, bapti-
 « zari omnino possunt quia illam Dominicam consecuti sunt regulam,
 « licet videantur errasse. Unde hujusmodi docendi sunt potius quam
 « baptizandi, et incorporandi matris Ecclesiæ visceribus benedictione
 « succedente pontificis: ut per charitatem qua Deus proximusque vere
 « diligitur, quid minus habuerint quidve in eis completum fuerit, re-
 « cognoscant. De Pelagianis autem, Eutycianis, sive Nestorianis aperta
 « et vulgata sunt omnia, quæ in lib. *De hæresibus*, cum legeritis, ple-
 « nius poteritis advertere ». * *

§ III. — DE CÆREMONIIS BAPTISMI SUBSTANTIAM CONSEQUENTI-
 BUS. — Baptizatum e sacro fonte emersum amplexabatur Sacerdos, et
 osculabatur, ut colligitur ex Epist. 59. Cypriani ad Fidum Episcopum
 contententem, infantes ante octo dies non esse baptizandos, quod nemo
 sine stomachi fastidio posset eos propter assuetas sordes ex utero con-
 tractos osculari: ad quem ita scribit S. Cyprianus et cæteri Collegæ,
 qui in Concilio ad num. 66. congregati fuerant: *Quod vestigium in-*
fantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti,

quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari; nec hoc putamus ad cælestem gratiam dandam impedimento esse oportere: scriptum est enim: omnia munda mundis; nec aliquis nostrum debet horrere quod Deus dignatus est facere; nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato et recens nato quodammodo exosculamur, quando id, quod Deus fecit, unplectimur.

Post osculum Sacerdos baptizatum ungit in vertice capitis, cujus quidem unctionis meminit S. Ambrosius, lib. *De Initiandis*, cap. 10. necnon, et lib. 2. *De Sacramentis*, cap. 7. et refertur *De Consecr.*, dist. 4. cap. 189. ubi sic recens baptizatum alloquitur: *Emergisti, venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungit in vitam æternam; vide ubi unctus es, in vitam, inquit, æternam. Cujus utique cæremonie rationem profert lib. 3. cap. 1. Accepisti mysterium, hoc est, unguentum supra caput: quare supra caput? Quia sensus spiritualis in capite est. Et infra cap. 2. subdit: Sequitur spiritale signaculum, quod audisti hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Tertiam rationem profert Rabanus, lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. 28. *Postquam, inquit, ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a Presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut regni Christi particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari. Quartam denique rationem adjicit Alcuinus, cap. 19. Tunc sacro Chrismate, inquit, caput perungitur, ut intelligat se diadema Regni et Sacerdotii dignitatem portare, etc.**

Unctum caput panno seu linteolo obvolvitur per octo dies, ut signum sit, inquit Amalarius, lib. 1. cap. 29. *quod sicut ab illorum capite oleum non deficit per octo dies, ita nunquam charitas a mente nostra deficiat.*

*Post Baptismum, inquit Rabanus, lib. 1. cap. 29. traditur Christiano vestis candida, designans innocentiam et puritatem christianam, quam post ablutas veteres maculas stulio sanctæ conversationis immaculatam servare debet: repræsentandam ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ. Idem ibidem: Utuntur ergo baptizati albis vestibus; ut quorum primæ natiuitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat, se diademate regni et Sacerdotali dignitate potiri. Ejusdem consuetudinis meminit S. Dionysius Areopagita, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, agens *De Baptismo: Assumentes autem illum (baptizatum) Sacerdotes, inquit, suique accessu duce consignant, et una cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt; sicque indutum rursus ad Pontificem ducunt. Unde canit. Lactant. carm. De Resurrect. Dom.**

Candulus egreditur nitidis exercitus unctis.

Cui concinit Pontius Paulinus, Baptismum sic describens :

*Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.
Circumdatque rudes festis altaribus agnos.
Pura salutiferis imbuit ora cibis.
Hinc senior sociæ congaulet turba catervæ,
Alleluja novis balat ovile choris.*

Portabatur autem hæc vestis candida per octo dies, nec deponebatur nisi sabbato ante dominicam sequentem festum Paschatis, imo non nisi ipso die octavo Paschæ dimitti solere, indicat sanctus Augustinus, Serm. 197. *De Tempore*, qui est de illa die Dominica, ubi ait: *Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur, et ideo hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.*

Præclarum facinus hæc de re narrat Victor Uticensis, lib. 3. *De Persecutione Wandalorum Arianorum*, de Muritta Diacono Carthaginensi, qui cum baptizasset hominem quemdam nomine Elpidoforum, servavit *Sabana*, idest, linteamina alba, quibus eum de sacro fonte surgentem texerat. Cum autem Elpidoforus ille postmodum a fide excidisset, et Judex, seu potius tyrannus, (qui Catholicos ad fidem ejurandam cohereret) ab Hunnerico Rege delegatus Murittam ad tribunal evocasset, et in fide constantem damnasset ad supplicium: id præsciens Muritta secum detulerat vestem illam albam, quam (ubi audivit prolatam in se mortis sententiam), statim publice expandens, eamque, hujus tyranni oculis obijciens animo generoso, et digno Martyr in hæc verba erupit. *Hæc sunt linteamina, Elpidofore minister erroris, quæ te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea, ad testimoniûm tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssu putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem; hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cum caperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens te amittis veri Baptismatis, et fidei Sacramentum. Quid facturus es, miser, cum servi Patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint invitatos, tunc te aliquando vocatum terribiliter indignum exutum stola Rex conspiciet nuptiali, dicetque tibi: Amice, quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video quod contulit, non nosco quod dedi, perdidisti militiæ clamydem, quam in tela Virgineorum membrorum decem mensibus texi, et pendiculas crucis, quas extendens aquam emundavi, et purpura mei Sanguinis decoravi. Non conspiciunt oculi mei, characterem non video Trinitatis, talis interesse non poteris epulis meis: ligate eum pedibus, et manibus funiculis suis, qui ipse se voluntarie separare voluit a fratribus suis Catholicis.* — * “ Erat autem hæc alba tunica non solum animi candoris et innocentiae indicium, sed insuper referebat concessam in baptisinate Christi meritorum intuitu sanctificantem gratiam aliaque cœlestia charismata, quæ baptizatum Christo veluti membrum capiti conjungebant, eumque ad suos mores Christi Domini moribus et sanetimonie confirmandos stimulabant, adeo ut christianus quisque Christum in omnibus suis actibus et dictis repræsentaret. Hinc Apostolus *ad Romanos*, 13. christianos recens ha-

ptizatos hortatur, ut abjiciant opera tenebrarum, utque ambulent *non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et emulazione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Distinctius vero, et ad scopum nostrum proximius collimat ad Galatas III, 27. cum ait: *Quicumque in Christo baptizati estis. Christum induistis.* Quibus verbis alludit fortassis Apostolus ad morem ethnicorum qui deorum suorum vestes in suis sacris solebant induere. Sic qui in sacris Isidis initiabantur ipsius falsi numinis vestem induebant, nam fores ædis aperiebant, arcanos libros evolvebant, aqua abluebantur, ad sacraria deducebantur, duodecim stolis primo, mox ipsius deæ picto veste induebantur. Iidem fere ritus etiam in sacris Mithræ solebant observari. Quod cum ubique ita obtineret, non mirum si Apostolus Romanos hortetur ad induendum ipsum Jesum Christum, et dicat nos in Baptismate et recens natos ipsum induere. nam apud ipsos ethnicos hoc solebat etiam usurpari, et ipse uterus quo infantes gestarentur jam numinis cujusdam indumento vestiretur, ut mater gr̄avida valeret, feliciter partum eniteretur. et partus ipse quasi jam numini consecratus bono hominē, et bonis avibus Dias luminis prodiret in auras. Est ea de re locus insignis apud Tertullianum, cap. 39. dignus certe qui hic inseratur: « Cui enim hominum « non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua nativitatis ami- « mas aucupabundus, vel qua invitatas, tota illa puerperii supersti- « tione. Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc « uteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmonio- « rum candidata profitentur, » quasi prægnantes mulieres molliorem partum sibi fuissent pollicitæ, si idolorum suorum vestibus et numini indumentis fuissent tectæ et amictæ. « Sed, inquit ibidem Ter- « tullianus, sancti sunt a nativitate christiani, et semine, et exemplo, « et educatione, sed etiam Sacramento Baptismi, in quo Christo con- « secrantur, illius justitiam induunt, imo totum ipsum Christum ». At verosimilius dicendum arbitror Apostolum ita dixisse allusione ad sacerdotes veteris Legis qui loti etiam in templo novis etiam induti vestibus sacra peragebant. Etenim christiani recens baptizati inaugurantur non solum in sacerdotes, sed etiam in reges, ut diserte tradit S. Petrus, Epist. 1. cap. 2. v. 9. ubi recens christianos alloquens ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium;* etc. Quibus significat homines in Baptismate fieri simul reges et sacerdotes et Christi Sanguine veluti Sacra Uctione inaugurari. Hinc S. Joannes Apocal. 1. v. 6. *De Christo, ait: Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo;* quia videlicet recens baptizati Christi Sanguine veluti sacra purpura induuntur, et sacerdotali ac regia dignitate decorantur. in perpetuum cum ipso Christo regnaturi. * *

Post acceptam vestem albam Sacerdos baptizato porrigebat *cereum ardentem*, cujus cæremonie meminit S. Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesi*. ubi baptizatos alloquens ait: *Sponsales vobis lampades donate sunt.* Unde Ivo Carnotensis, Sermon. *De Sacramento Neophytorum: Ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii: Luceat lux vestra coram hominibus.* Ipsi concinit Honorius, in *Gemma Animæ*, lib. 3. *Mox, inquit, de fonte ele-*

ratis lumen dare solent, quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant. Porro cum hac ardente lucerna ac vestibus albis per septem dies recens baptizati ad Ecclesiam properabant, et Ecclesiis assistere solebant, ut refert Alcuinus, Epistola ad Carolum Magnum. Testatur etiam Rhenanus in Occidentis Ecclesiis hanc inolevisse consuetudinem, ut recens baptizatis vinum et lac daretur: idque probat auctoritate S. Hieronymi, lib. *Adversus Luciferianos*. Tertullianus, autem lib. *De Corona Militis*, dicit in Africa solitum esse dari baptizatis lac et mel; *Inde suscepti, inquit, lactis et mellis concordiam prægustamus.* Cujus etiam cæremoniæ meminit ibidem S. Hieronymus.

Solebat etiam antiquitus statim post completas Baptismi cæremonias ministrari Eucharistiæ Sacramentum, ut testatur Tertullianus, lib. 4. *Adversus Marcionem*. ubi dicit: *Nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismatis et Eucharistiæ admittens.* * “Nec solum adultis sed etiam parvulis ministrabatur, ut tradit Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis, Cæremoniis et Observationibus Ecclesiasticis*, cap. 20: « Si ejus valetudinis est, inquit de recens baptizato, Sacramenta unitatis, « hoc est Corpus et Sanguinem Christi debet accipere. Pueris recens natis idem Sacramentum est ministrandum digito sacerdotis, quia « tales naturaliter sugere possunt. Augustinus, *ad Bonifacium*: Contra « hæresim Pelagianorum in Ecclesiâ Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis qui in Baptismo dimittuntur peccata traxerunt, « nec illud cogitatis eos vitam habere posse qui sunt expertes Corporis et Sanguinis Christi, dicente ipso Domino: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem*, etc. Ergo si « sine periculo fieri potest, juxta primariam Ecclesiæ institutionem, Sacramentum Eucharistiæ in specie Sanguinis est tradendum pueris, « unde ignorantia adhuc tormam retinens, sed non rem, dat eis loco « sanguinis vinum: quod penitus supervacaneum arbitraretur si sine « scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in versando Sanguinem Christi vel ministrando pueris immineat periculum, potius super sedendum videtur. Nec terreant vos præmissa Augustini verba; « ipse enim alibi quasi ea determinans dicit: nulli est aliquatenus « ambigendum tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguinisque « Domini participes fieri quando in Baptismo membrum corporis « Christi: nec alienari ab illius panis consortio etiam si antequam « illum panem comedit et calicem bibat. de hoc sæculo in unitate « corporis Christi constitutus abscedat ». Quod autem in Gallia olim obtinuit ut vinum recens baptizatis traderetur, etiam hac nostra ætate viguit in Ecclesia Dordracensi, uti refert Wilhelmus Lindanus, lib. 4. *Panop.*, cap. 25. — Vinum lacte mixtum baptizatis etiam præbebatur. Hujus consuetudinis meminit S. Hieronymus, in cap. 53. Isaïæ illud conma quo invitamur, emere vinum et lac, explicans quod vinum miscuit et Sapia in cratere suo, omnes stultos sæculi, mundique sapientiam non habentes provocans ad bibendum, et ut non solum vinum emamus, sed et lac, quod significat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in occidentis ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur, de quo lacte dicebat et Paulus: *Lac vobis potum dedi, non solidum cibum*; et Petrus: *Quasi*

*modo nati parvuli rationale lac desiderate: unde et Moyses vinum et lac in Christi intelligens passione mystico sermone testatur: gratiosi oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus a lacte. ** — Testatur etiam Tertullianus, loc. cit. solitum fuisse administrari baptizatis Sacramentum Confirmationis: *Dehinc, inquit ibidem cap. 8. manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum sanctum.* Cujus etiam consuetudinis plurimi e veteribus meminerunt, S. Cyprianus, Epist. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque, inquit, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, et manus impositionem, et Spiritum sanctum consequantur, et signaculo divino consignentur.* Idem habet Epist. 70. Similiter S. Hieronymus adversos Luciferianos: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem non asserimus in vero Baptismate tribui, discæ hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Unde Melchiades Papa, Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Ita conjuncta sunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari: et unum sine altero rite perfici non potest: nam unum præveniente morte, salvare sine altero potest, aliud autem non potest.* Denique omnium horum antiquissimus B. Clemens Papa I. *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, et demum consignari ab Episcopo, idest septiformem gratiam Spiritus sancti percipere: quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, si non necessitate, sed incuria, vel voluntate sic remanserit. Quod a B. Petro accepimus, et cæteri Apostoli docuerunt.*

Postremo tandem pulsantur campanæ in signum exultantis Ecclesiæ, propter hominem generatum, et deputatum inter suos filios. Unde Tertullianus, cap. 20. lib. *De Baptismo*, ait: *Ergo et nos dicet aliquis a lavacro jejuna oportet, et quis enim prohibet nisi necessitas gaudii, et exultatio salutis?*

Unde circa finem libri baptizatos sic exultabundus alloquitur: *Igitur benedicti, quos gratia Dei expectat; cum de illo sanctissimo lavacro novæ natalis ascenditis, et primas manus apud matrem cum fratribus aperitis: petite de Patre, petite de Domino peculia, gratias distributiones charismatum subjiciente, etc.* Et S. Augustinus, Serm. 67. *De Dominica Paschali; Hic dies, inquit, lucidior illuxit, in quo Dominus novam plebem regenerationis spiritu conquisivit, in quo singulorum mentes gaudio et exultatione perfudit.*

His omnibus aperte constat, cæremonias sacras in Baptismi administratione etiam nunc servari solitas, non esse novum quoddam figmentum, ut pessime garrunt hæretici, sed tota ipsa antiquitate consecratas, et ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio usurpatas.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VIRTUTE ET SACRAMENTO PŒNITENTIE.

TANTA est humanæ naturæ ad malum proclivitas, et in bono secundo levitas et inconstantia, ut vix innocentie venustatem adeptæ, statim gravioris peccati colluvione deturpetur, et restituta illius sanitas novis succrescentibus morbis evanescat. Curatur equidem sacro baptismatis medicamine genialis morbus, et primi parentis noxa perditæ salutis divini illius Sacramenti virtute reparatur: at non ita radicitus evelluntur morbi reliquie, quin iterum retrudescant, eoque lethalius animam inficiant, quod jam prorsus indigna divino munere in certum, æternumque naufragium præceps impingeret, nisi Pœnitentia veluti secunda tabula naufraganti feliciter occurreret, et in portum divinæ elementie protelaret. Hæc enim est, ait Tertullianus: *Quæ in peccatorem pronuntians pro Dei indignatione fungitur, et temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustratur, sed expungit; cum enim provolvit hominem, magis revelat, cum squallidum facit, magis mundatum reddit, cum accusat, excusat, cum condemnat, absolvit.* — Tantus namque est Pœnitentie vigor, et lacrymarum prerogativa, ut ex deterrimo peccatore delictis turpi, flagitiis infami, demonum mancipio, et gehennæ reo, faciat non modo virum innocentem, immaculatum, et culpis defœctum, sed fere Sanctorum maximum, eumque admirabili metamorphosi, velut in Joannis Baptiste prerogativam et sanctitatem transformet, ut præclare significat S. Laurentius Novariensis, cum de homine, qui Pœnitentie vacat, sic ait: *Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem, ipse tibi esto Baptista,* quasi dicat: Joannes Baptista virgo est, Martyr, Præcursor, Propheta, Anachoreta, quin et Angelus: esto igitur ex impudico virgo, esto Martyr a Pœnitentie acerbitatibus, esto Præcursor annuntians tibi Christum venturum in redemptionem, esto Anachoreta vitæ sanctimonia, Propheta vaticiniis, Angelus puritate, Baptista meritis, verbo dicam, ipse tibi esto Baptista. Nec immerito sane, lacrymis enim Pœnitentie virtutem baptismatis inesse non obscure significant SS. Patres, imprimis S. Ambrosius, cum exclamat: *Bonæ lacrymæ, in quibus est redemptio peccatorum:* quasi lacrymæ sint redemptrices, et vicariæ non solum baptismatis, sed etiam Dominicæ Passionis. Unde apprime quadrat in Pœnitentie lacrymas, quod de saliva Christi ingeniose dicit S. Chrysologus ad illud Joann. 9. *Expuit in terram, et livit super oculos ejus: Dicino, inquit, ore luciferam dat salivam, ut sanitatis gutta baptizaret oculos peccatoris:* piæ enim lacrymæ oculos baptizant, nam eorum fomitem temperant, et contractas ab eis sordes eluunt. Immo totum hominem emaculant, ut advertit Hugo Cardinalis, dicens: *Luctus est mentis humanæ baptisterium:* quasi diceret, nihil aliud esse lavacrum lacrymarum, nisi secundum baptismum, quo totus homo quantumvis criminibus tœdatus, omnino emaculatur, et virtutis ac innocentie pulchritudinem induit. — His eleganter consonat S. Petrus Chrysol. cum de Magdalena pedes Christi lacrymis rigante exclamat: *O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam: delent in omne facinus, latam divina promulgatione sen-*

*tentiam. Nec minus eleganter, sed ad scopum nostrum directius colimat, cum subdit: In peccatricis caput purgantis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in nocum Baptisma suorum dilueret illuminationem peccatorum. Licet ergo cum S. Chrysostomo hic exclamare: O Pœnitentia, quæ peccata, Deo miserente, remittis, et Paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renocas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiore refundis; omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas, etc. Nec minus eleganter et erudite his concinit Auctor libri *De vera et falsa Pœnit.*, cap. 1. ubi scribit: *Quantum sit appetenda gratia Pœnitentia, omnis auctoritas declarat, annis bonorum vita conatur ostendere; languores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitatur, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat, omnia satiat, omnia redintegrat, omnia lætificat, sanitatem auget, quam conservat. Claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum. Temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus. Ignorans se, per hanc se recognoscit: quærens se, per hanc se invenit. Hæc quæ homines ad Angelos ducit, et creaturam reddit Creatori, ista ovem perditam monstravit, quærenti, et decimam drachmam obtulit anxianti. Ilæc dissipatorem filium ad patrem reduxit. In hanc omne bonum innititur, per hanc omne bonum conservatur, fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia ipsa ignis consumens.**

De hoc itaque tam stupendo nobis concesso beneficio ac remedio agendum erit in præsentî Disputatione tribus, ut fieri assolet, Articulis distinguenda: quorum *primus*, erit de essentia, necessitate, et miranda efficacia virtutis Pœnitentiæ; *secundus*, de institutione, materia, et forma Pœnitentiæ Sacramenti; *tertius* denique, de tribus ejusdem Sacramenti partibus, videlicet, Contritione, Confessione, et satisfactione. Quæ omnia, ut ordine convenientiori distribuantur, quilibet Articulus tribus Sectionibus absolvetur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ESSENTIA, NECESSITATE, ET EFFICACIA PŒNITENTIE VIRTUTIS.

EAM specialem prærogativam sibi vindicat Pœnitentia, quod virtutis simul ac Sacramenti dignitatem et rationem obtineat; cætera namque Sacramenta cum sint instrumenta divinitus instituta ad gratiam conferendam, potiusque in actione ministrantis, quam in operatione suscipientis consistant, ex sua ratione formali virtutis nomen et essentiam non obtinent. Secus autem est de Pœnitentiâ, quæ cum ex pœnitentis actibus simul ac Dei beneficio integretur, etiam virtus simul est ac Sacramentum, maxime in Lege Evangelica, in qua Christus Dominus Sacerdotibus auctoritatem contulit absolvendi reos pœnitentes ab omnibus peccatis, quibus inquinabantur, et divinæ justitiæ obstringebantur. — Quamquam autem Pœnitentia, quatenus Sacramentum, longe Pœnitentiæ virtutis meritum et dignitatem excedat, attamen quia virtus Pœnitentiæ (inquit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 1.) *universis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent, quovis*

tempore ad gratiam et justitiam consequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petirissent, ut perversitate abjecta, et emendata. tantam Dei offensionem, et pio animi dolore detestarentur... Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, etc. Ideo prius de Pœnitentia ut virtute, quam ut Sacramento sermo habendus est tribus in sequentibus Sectionibus; quarum prima Pœnitentiæ virtutis naturam: secunda necessitatem; tertia denique illius efficaciam aperiet.

SECTIO PRIMA.

DE NATURA PŒNITENTIÆ VIRTUTIS.

CUM Pœnitentia, qua virtus, sit spiritualis quædam animæ qualitas, cujus entitas, utpote tenuissima, non nisi per ordinem ad objectum in quod tendit, et subjectum in quo residet, aperte possit innotescere, ideoque illius natura est ex utroque investiganda. Porro Pœnitentiæ vocabulum derivatur, vel a *punitio*ne. vel a *pœna*. Priorem derivationem tradit S. Isidorus, lib. 6. *Originum*. cap. ult. *Pœnitentia*, inquit, *appellata est, quasi punitentia, eo quod ipse homo se punit pœnitendo quod male admisit, nam aliud nihil agunt, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerunt, impunitum esse non sinant. Ipsi concinit S. Aug., Epist. 54. scribens: Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi, ut id, quod male fecerit, impunitum esse non sinat, eo quippe modo sibi non parcenti ille parcat, cujus altum. justumque judicium nullus contemptor evadit.* Posterior derivatio, nimirum a *pœna*, traditur ab Auctore lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 19. ubi ait: *Pœnitere est pœnam tenere, ut semper punit in se ulciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim proprie dicitur læsio, quæ punit, et vindicat quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet. Pœnitentia itaque est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.* Huic postremæ derivationi subscribit Doctor in 4. dist. 14. quæst. 1. n. 15. ubi ait: *Pœnitentiam secundum nominis Ethymologiam idem esse ac pœnæ tenentiam: Pœnitere enim, inquit Doctor, idem est, ac pœnam tenere.* Unde *μετάνοια*, latine *pœnitendo*, significat universim dolorem ob aliqua facta, vel omissa, juxta illud Ausonii Epigram:

*Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat: sic Metanoïa vocor.*

Reclamant nihilominus hujus temporis hæretici, maxime Lutherani et Calvinistæ, una cum suis Antesignanis; Lutherus enim in Epistola ad Vicarium sui Ordinis, ait: Pœnitentiam non significare dolorem, aut odium præteritæ vitæ, sed amorem justitiæ, et novæ vitæ instituendæ. Ei subscribit Calvinus, lib. 3. *Instit.*, cap. 3. ubi declarat Pœnitentiæ nomen maxime denotare conversionem vitæ præteritæ, ac mentis mutationem. Eis præiverat Laurentius Valla scribens vocabulum *μετάνοια*, rectius per resipiscentiam, quam per Pœnitentiam latine reddi. Suffragatur etiam Erasmus, qui quoties in textu Græco Bibliorum vocabulum *μετάνοια* repetit, toties illud per resipiscentiam

exprimit: unde in 3. c. S. Matthæi declarat Pœnitentiam idem esse, ac *pœnæ tenentiam*, et pœnitere, quasi *pœnam tenere*, idest, postea sapere, seu resipiscere; resipiscentia namque deducitur ex *re* et *sapientia*, et resipiscere a *re* et *sapere*. Contra quos omnes errores præscribendum est in sequentibus Quæstionibus, quarum *prima* aperiet, quid sit Pœnitentia: *secunda*, qualis sit; *tertia*, quodnam sit illius objectum; *quarta*, in quo subjecto resideat.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIT PŒNITENTIA.

NOTANDUM 1. Pœnitentiam, quatenus a Sacramento distinguitur, esse duplicem, habitualement videlicet, et actualement. *Habitualis* est permanens in anima qualitas, eam promptam et expeditam efficiens, ac cum ipsa concurrens ad eliciendos Pœnitentiæ actus. *Actualis* vero est ipsemet actus Pœnitentiæ, quo peccator vindicare cupit ac detestari peccatum a se commissum; qui utique actus generatim duplex est, interior videlicet, et exterior. *Interior* est ille motus animæ, quo peccator movetur ad eluendum peccatum a se commissum. Hic autem quadruplex a Doctore ibidem n. 15. distinguitur: *primus*, velle vindicare ac punire peccatum, ex prævia cognitione intellectus manifestantis voluntati deformitatem et malitiam, ob quam cognitionem movetur voluntas ad volendum illud vindicare et execrari: *secundus* est illius peccati detestatio et odium: *tertius*, voluntaria acceptatio pœnæ propter illud inflictæ: *quartus*, ejusdem pœnæ sustinentia voluntaria ac perpessio. *Exterior* vero est duplex, nimirum confessio externa peccati admissi, quam comitatur ac sequitur verecundia et pudor, qui non est levis animæ pœna propter admissum peccatum. *Secundus* est omnis actus laboriosus corporalis, quo punitur pœnitens confessus, et satisfacit Deo pro admissio et commisso crimine. Hic autem maxime sermo est de illo quadruplici actu Pœnitentiæ, utrum videlicet quatuor illi actus revera a Pœnitentia virtute eliciantur, ita quod cum habitus distinguantur per actus, sic Pœnitentia per hujusmodi quatuor actus appareat vera virtus, et ab aliis omnino distincta.

NOTANDUM 2. Ex eodem Doctore ibidem, Pœnitentiam ex his quatuor actibus quadruplicem sortiri definitionem vel descriptionem, quarum *prima* est: *pœnitere est vindicare peccatum a se commissum*. Cui utique descriptioni adstipulatur Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, apud S. Augustinum dicens, cap. 8. *Pœnitentia est quædam volentis vindicta puniens in se quod dolet admisisse*. Unde cap. 19. *Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat se ulciscendo quod admisit peccando*. Suffragatur etiam S. Augustinus, Epist. 308. ad Seleucianum: *Est, etiam pœnitentia, inquit, bonorum et humilium fidelium opera, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra*. Accedit Isidorus Hispalensis, lib. 6. *Etymol.*, cap. ult. ubi sic legitur: *Pœnitentia appellata est quasi punientia, eo quod ipsemet homo in se puniat pœnitendo, quod male admisit*. — *Secunda* descriptio est: *pœnitere est detestari vel ulisse peccatum a se commissum*, vel displicentiam habere de peccato a se commisso. Quæ utique Pœ-

nitentiæ descriptio frequentissima est apud SS. Patres, eamque probat Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 6. ubi loquens de dispositionibus ad justificationem necessariis, inter cætera ait: *Propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Et Sess. 14. cap. 6. *Contritio.* inquit, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* — Tertia descriptio est: *pœnitere est pœnam inflictam pro peccato commisso grate acceperare.* Unde Tridentinum ibidem, cap. 1. ait: *Ut perversitate abjecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur:* ubi per pium animi dolorem voluntariam pœnæ acceptionem designat. Quam etiam descriptionem approbat Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 3. dicens: *Hinc peccator semper doleat, et de dolore gaudeat.* — Quartam tandem Pœnitentiæ descriptionem sic efformat Doctor: *Pœnitere est pœnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre.* Quam utique descriptionem una cum præcedenti approbat Tridentinum, Sess. 14. cap. 9. dicens: « docet denique, tantam esse divinæ munificentiae largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis satisfacere valeamus ». Quæritur autem utrum Pœnitentia sub hac quadruplici ratione sit virtus, non quidem generalis, sed specialis.

NOTANDUM 3. Quod ex Arist. 2. *Ethic.*, cap. 6. *Virtus est habitus electivus in medietate consistens, quoad nos, prout vir prudens definiert.* Hæc autem generatim est duplex: generalis videlicet, et specialis. *Virtus generalis* dicitur quatuor modis: primo, per *prædicationem*, quia prædicatur de omnibus aliis virtutibus; qua ratione iustitia communiter accepta dicitur esse virtus generalis et communis, quatenus videlicet est rectitudo animæ dictans qualiter bonum sit faciendum, et malum fugiendum. Unde Christus Dominus dicebat S. Joanni Baptistæ, Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem justitiam*; nulla enim est virtus cui hæc justitiæ ratio non conveniat. Secundo, virtus dicitur generalis per *regulationem*; et sic prudentia dicitur regula omnium virtutum, quia omnes virtutes regulari debent per prudentiam; siquidem prudentia docet tenere medium, et fugere ab extremis. Tertio, virtus aliqua dicitur generalis per *informationem*; quia videlicet aliis virtutibus pretium ac dignitatem confert: et sic charitas est virtus generalis, quia ipsa est quæ alias virtutes informat: easque Deo dignas et gratas efficit. Quarto denique, dicitur generalis per *aggregationem* omnium virtutum, quia omnes aliæ virtutes videntur concurrere ad illius actum: sic Pœnitentia, prout detestativa peccati, dicitur ab aliquibus virtus generalis, quia nulla est quæ vitium sibi oppositum non exeretur.

His ita prælibatis, quæritur, utrum Pœnitentia sit mera animi repipiscencia, et vitæ præteritæ innovatio, aut animi dolor, et peccati vindicta: secundo utrum secundum suum quadruplicem actum virtutis dignitatem obtineat: tertio, utrum sit virtus specialis aut generalis. Quæ utique resolventur in tribus sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — PŒNITENTIA NON EST SIMPLEX RESIPISCENTIA ET NUDA CESSATIO A PECCATO; SED ETIAM DOLOR DE PECCATO AC OFFENSA PRÆTERITA. Hæc est contra hæreticos, eamque aperte docet Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 1. ubi de Contritione sic loquitur: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Quam utique veritatem probat his textibus Ezechielis 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Et statim subdit Concilium: *Certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam antea vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.* Unde Can. 5. sic hæreticorum doctrinam damnat: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem... anathema sit.*

Probatur eadem veritas ex illis omnibus Scripturæ locis, in quibus quoties fit mentio Pœnitentiæ, toties dolor, ac subeunda pœna exprimitur. Sic Job. ult. *Ipse me reprehendo, et ago Pœnitentiam in favilla et cinere.* Cinis autem et favilla dolorem animi et carnis afflictionem indicant. Similiter Matth. 11. Christus Dominus loquens de Pœnitentia neglecta a Chorozaïtis ait: *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere Pœnitentiam egissent.* Porro cinis et cilicium arguunt animi displicentiam et mœrorem de peccatis admissis, non tantum resipiscentiam et sententiæ mutationem, nec solam vitæ novæ instaurationem et institutionem. — Similiter Lucæ 10. Christus Dominus laudat Ninivitarum Pœnitentiam: sed illa Pœnitentia dolorem, lacrymas, et afflictionem corporis importabat, ut legimus Jonæ 3. ubi Ninivite saccos induerunt, et suum caput asperserunt cinere, non tantum ut dolorem suum de peccatis vitæ prioris ostenderent, sed etiam pœnalibus exercitiis et operibus laboriosis aliquo modo suas in Deum offensas et culpas ulciscerentur; et ea Pœnitentia pœnalis et laboriosa non erat tantum mera mutatio consilii, seu resipiscentia, sed resipiscentiam supposebat. — Denique Apostolus 2. Cor. 7. agens de Pœnitentia, quam Corinthii conceperant de peccato fornicarii, ad primam suam Epistolam, ait: *Contristati enim, inquit, estis secundum Deum: quæ enim secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur: ergo tristitia, quæ secundum Deum est, efficit ut Pœnitentia sit salutaris: at tristitia dolor quidam est.*

Idem docent SS. Patres. Nazianzenus, Oratione ad sacra lumina, ubi Pœnitentiam appellat *Baptismum lacrymarum.* Et S.-Augustinus, lib. 3. *De Trinitate*, cap. 4. eam appellat *crucifixionem interioris hominis.* Unde lib. 50. *Homiliarum*, Homil. ult., cap. 5. *Non sufficit*

mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Omnium autem præclarissime id docet S. Isidorus, lib. 6. Etym., cap. 19. ubi ait: Pœnitentia, quasi Pœnitentia dicitur, eo quod ipse homo pœnitentendo quod male admisit: nam nihil aliud agunt illi, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerunt, impunitum esse non sinant: eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcat, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadet.

Suffragatur etiam ratio Theologica: nam Pœnitentiæ nomen significat perfectam antea vitæ correctionem et emendationem; quæ utique tria significat: *primo*, errati cognitionem, quæ causa doloris est: *secundo*, displicentiam prioris vitæ, seu dolorem internum ejus, quod actum aut omissum fuerit: *tertio* denique, spontaneam castigationem, quæ doloris illius interni, seu displicentiæ vitæ prioris est effectus ac perfectio: Pœnitentia autem dicitur præcipue ex hoc effectu punitionis aut ultionis voluntariæ peccatorum in nobis, a veteri et antiquato verbo, *pœnio*, quod idem est ac punio; unde *pœnitet* dicitur quasi *pœnam tenet*.

DICES 1: Ex Tertulliano, lib. 2. *Contra Marcionem*, cap. 24. ubi inquirens, quid significet Pœnitentiæ nomen, respondet: *Nihil aliud intelligitur, quam simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa:* igitur Pœnitentia ex se non importat dolorem et pœnam. — **Distinguo consequens:** si Pœnitentiæ vocabulum accipiatur generatim, et quatenus a Scriptura sacra tam Deo, quam homini tribuitur, *concedo:* si prout homini peculiaris est, et inservit obtinendæ peccatorum remissioni, *nego.* Porro Tertullianus ibidem agit de Pœnitentia, quatenus Deo tribuitur, qui pluries in Scriptura dicitur pœnitere; paulo enim ante dixerat, *superest enim jam agnoscere quid sit pœnitentia Dei:* at longe diversa est illa divina Pœnitentia ab humana: seu (inquit Tertullianus ibidem) *hæc definitio in omnibus aliena formam divinæ Pœnitentiæ statuit: quæ neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni, vel mali operis damnatione reputetur, sicut humana.* Quibus verbis distinguit divinam Pœnitentiam ab humana, quod hæc *primo* in animi levitate seu mobilitate fundetur: *secundo*, quod includat operis omiſsi seu admissi damnationem: *tertio*, quod significet dolorem et vindictam de re commissa, necnon et exhibendam Deo satisfactionem.

INSTABIS: Tertullianus ibidem, ait, Pœnitentiæ nomen significare duntaxat animi demutationem: *nam et in Græco sono, inquit, Pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est:* igitur, etc. — **Respondeo,** id quidem verum esse, si sola attendatur nominis Etymologia, seu derivatio Græca; nam *μετάνοια* dicitur a *μετα*, quod significat, *trans*, seu *post*, et *νοια* quod idem est ac *mens*, et cogitatio, ita quod *μετάνοια*, idem sit ac posterior sententia, vel secunda cogitatio, sententiæ mutatio. Secus vero est si attendatur secundum illius vocabuli usum frequentatum tum in Scriptura, cum apud sacros Auctores; et ut vocabulum istud hominis Pœnitentiam significat; ut sic enim nedum importat simplicem sen-

tentia mutationem, sed etiam animi dolorem. Quamquam etiam in Scriptura sacra interdum Pœnitentia solum significet animi mutationem; hinc efficaces gratiæ, quibus Deus electos ad vitam æternam certo perducit, dicuntur Rom. 11. *Dona Dei sine Pœnitentia*, quia Deus ex quo destinavit eas alicubi, consilium non mutat.

DICES 2: Lactantius, lib. 2. *Instit.*, cap. 24. dicit *μετάνειαν* Latine optime reddi per *resipiscentiam*: igitur Pœnitentia nihil aliud significat quam mentis mutationem et revocationem. — **Nego consequentiam**: Lactantius enim ibidem ait: *Resipiscit, ac mentem suam quasi ab insania revocat, quem errati piget, castigatque seipsum dementiae, et confirmat animum suum ad rectius vivendum: tum illud ipsum cavet, ne rursus in eosdem laqueos induatur*: igitur ex Lactantio Pœnitentia non modo significat agnitionem errati, vitæque prioris emendationem, sed etiam animi dolorem, dementiae seu peccati castigationem et ultionem, cum ipso vitæ in melius componendæ proposito.

DICES 3: Verbum *pœnitet* apud optimos Auctores interdum idem significat ac tædet, pudet, piget, etc. Sic Cicero, lib. *De Senectute*: *Si ad centesimum vixisset annum, senectutis cum suæ pœniteret*. Et in somnio Scipionis: *Ipsa terra, inquit, ipsa parva mihi visa est imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret*. Et Plinius, lib. 1. cap. 17. loquens de Essenis apud Judæos religiosis: *Gens æterna, inquit, in qua nemo nascetur tam fecunda illis aliorum vitæ pœnitentia est*: igitur vocabulum istud non semper significat dolorem peccati punitivum. — **Nego consequentiam**: hæc enim omnia dicuntur per metaphoram, quod videlicet in iis, quæ nobis tædio, pudori, contemptui sunt, pœna quædam, molestia, ac displicentia videatur inesse; unde quidquid tædet, pudet, et piget, etiam dolere aliquatenus censetur.

Conclusio secunda. — PŒNITENTIA SECUNDUM SUAM QUADRUPLICEM ACCEPTIONEM ET DESCRIPTIONEM POTEST ESSE ACTUS VIRTUTIS. Ita Subtilis Doctor, dist. 14. qu. 2. et

Probat primam partem n. 2. ubi ait: « Prima Pœnitentiæ acceptio « est quod sit vindicta peccati commissi ab eo, qui illud commisit: « sed hæc vindicta potest esse actus virtutis, et conformis rectæ rationi: quia, *inquit*, secundum rectam rationem quilibet Legislato « vindicat transgressionem legis: unde et Philosophus in fine libri « 10. Ethicorum, post doctrinam de vitiis et virtutibus, statim intro « duxit legem positivam tamquam ultricem vitiorum, et præmiatricem « virtutum: sed si Legislato recta ratione vindicat, minister recta « ratione exequitur; quia universaliter rectitudo in actu subministra « tionis est ex conformitate ejus ad agens, cui subministrat: ergo « secundum rectam rationem potest aliquis ut minister Legislatoris « vindicare peccatum commissum contra legem: et hoc in illum, in « quem est sibi commissum vindicare, quia alias non est submini « strans: sed unicuique commissum est esse Ministrum Dei ferentis « legem suam ad vindicandum in seipsum pro peccatis, quæ com « misit. *Pœnitere* autem primo modo dicit sic vindicare in seipsum; « tenere enim, quando non additur dativus exprimens *cui* teneatur, « significat quod sibi ipsi tenenti teneatur, ut patet ex communi ser « mone. Ideo Deus licet puniat peccatorem, non dicitur pœnitere;

« quia non sibi, sed alteri pœnam infligit: sed sibi ipsi infligens dicitur pœnitere, idest, pœnam applicando tenere ». *Hæc Doctor.* Nē autem videatur asserere vindictam peccati semper procedere ab habitu virtutis, statim subdit: « Non dico, quod pœnitere primo modo semper sit actus virtutis, idest, elicited a virtute: sed dicitur actus virtutis, quia natus est elici a virtute vel generare virtutem, quia conformis est rectæ rationi, et in hoc est bonitas moralis, quod sit a virtute generata, vel virtutem generans ». Quæ utique omnia cum evidentia sint ex terminis, in eis elucidandis non est quod diutius immoremur.

Idem probat de cæteris tribus Pœnitentiæ acceptionibus, n. 21. et 12. « De secunda, *inquit,* significatione hujus vocabuli pœnitere, scilicet de eo, quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso, dico quod iste potest esse actus virtutis. *Probat*ur ut prius, quia potest esse actus electivus concors rationi rectæ. Ratio enim recta sicut dicitur complacendum esse in bono honesto, ita dicitur displicendum esse in malo inhonesto. — Et ex hoc patet secunda conclusio, scilicet cujus virtutis potest etiam esse actus; quia nullius specialis, sed cujuscumque appetitivæ: quæcumque enim virtus inclinatur ad complacendum in bono honesto, inclinatur etiam ad detestandum, et ad displicendum de malo inhonesto opposito: utpote castitas de aliquo inordinato contra castitatem inclinatur ad displicentiam, et humilitas de actu inordinato superbiæ, et sic de cæteris. Quælibet tamen inclinans ad talem displicentiam est virtus appetitiva, quia nihil est principium odiendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitiva. Ex hoc patet, quod male ponitur detestatio peccati actus Pœnitentiæ virtutis, loquendo de Pœnitentiæ virtute primo modo, ut est species justitiæ; quia iste actus est multum generalior, quam possit esse ille, qui est proprius actus Pœnitentiæ justitiæ elicited ab ea. — *De tertio,* quod est grante acceptare pœnam inflictam pro peccato commisso, dico quod etiam iste actus potest esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundo, quod potest esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitiva, quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquid objectum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum; per diversas autem virtutes potest acceptari aliud et aliud objectum in ordine ad quod possit pœna inflictæ pro peccato acceptari. Nam si ex charitate amatur Deus, ex charitate potest acceptari pœna, in quantum reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus ut bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pœna ut ordinans ad istud præmium attingibile. Si ex virtute timoris cavetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa potest acceptari pœna, ut excludens illam amissionem. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi munditiam et innocentiam, ex illa potest acceptare pœnam, quæ solvit reatum, qui infuit. — *De quarto,* scilicet patienter ferre pœnam inflictam, patet quod potest esse actus virtutis, et specialis virtutis, quia patientiæ ». *Ita Doctor.* Quibus omnibus aperte fatetur Pœnitentiam secundum quadruplicem illius acceptionem in secundo Notabili superius expressam, sortiri posse rationem et appellationem virtutis actualis, vel quatenus a virtute imperatur aut elicited, vel prout ad eam ordinatur et dirigitur. Verum

sola primaria illius acceptio ad virtutem Pœnitentiæ præcise spectat; nam tres alii actus, qui interdum inveniuntur in perfecta ac suis omnibus numeris absoluta Pœnitentia, elici possunt ab aliis virtutibus, ut apparebit ex dicendis in tertia Conclusionè. — Quod autem Pœnitentia generatim accepta, prout nempe tendit ad detestationem et destructionem peccati, quatenus est offensivum Dei, sit virtus, *probatur primo*: non datur divinum præceptum, nisi de actu studioso et laudabili: sed divinum præceptum est de Pœnitentia agenda. Matth. 4. ubi Christus cepit prædicare, et dicere: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Marci 1. *Pœnitimini, et credite Evangelio.* Igitur Pœnitentia est virtus. *Insuper*, nullus actus est laudabilis et meritorius, nisi sit actus virtutis: sed pœnitere est laudabile et meritorium: igitur, etc. *Denique*, ex Aristotèle 2. *Ethic.*, cap. 6. *Virtus est habitus, qui facit bonum habentem, et ejus opus reddit bonum*: sed Pœnitentia bonum facit habentem; imo sæpe illum meliorem et sanctiorem reddit, quam erat ante elapsum: nam, inquit S. Paulus ad Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Unde Petrus Damianus, Serm. 56. *Consuevit Deus honorare pœnitentes magis, quam innocentes*: nam, ut ait S. Gregorius, lib. 11. *Moral.*, cap. 19. *Discretus quisque ex eo quod mala se egisse intelligit, ad discretionis regulam reducitur; et inde altius ad justitiam proficit: unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur.* Quod utique præclare confirmat S. Ambrosius, in Sermone *De Cathedra S. Petri*, ubi inter cætera, ait: *Fidelior profecto factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit; atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit.* Cui præclare concinit S. Maximus, Homil. 4. *Petrus, inquit, tentationibus suis proficit, defectibus suis gaudet, periculis suis crescit: tamquam bonus enim Pastor Petrus gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Constat igitur, Pœnitentiam esse summe laudabilem, et pœnitentem reddere bonum habentem; ac proinde virtutis dignitatem et rationem obtinere.

DICES 1: Virtus est dispositio perfecti ad optimum: sed Pœnitentiæ actus hanc rationem non obtinet; siquidem primarius actus pœnitendi est tantum velleitas, seu conditionata voluntas, qua peccator vellet, si fieri posset, se non commisisse peccatum; quod utique non potest velle absolute, utpote cum sit impossibile: igitur, etc. — **Nego minorem**: licet enim *pœnitere* sit mera velleitas, quatenus tendit in peccatum præteritum et factum, si tamen spectetur peccatum ut actu permanens in conversione ad creaturas, et aversione a Deo, et prout est animæ macula ex offensa Dei, sic est absolutus aliquis actus, quo voluntas avertens se a creatura, quam nimio et inordinato amore dilexerat, ad Deum sese recipit, ut pro viribus ei ablatum honorem restituat, et quantum se glorificavit in deliciis, tantum subeat tormentum et luctum: qua ratione pœnitens non habet simplicem velleitatem, sed voluntatem absolutam.

URGBIS EX ARISTOTELE, *Ethic.*, 4. Nihil est stultum aut stolidum eorum quæ sunt secundum virtutem: at velle peccatum non fuisse, sive voluntate absoluta, sive conditionata, est aliquid stultum et stolidum et ineptum; quippe cum præteritum non esse præteritum sit omnino impossibile: igitur, etc. — **Distinguo minorem**: velle ut id

quod præteritum est non fuerit, est aliquid ineptum, *transeat*: velle reprobare malum admissum, et optare ut non fuisset, est ineptum, *nego*. Pœnitentia : utem non tendit in præteritum, quasi pœnitens existimet fieri posse, ut actus commissus de facto commissus non fuerit: sed ipsum reprobat ut male factum; nam est dolor Pœnitentis, seu displi- centia, ac reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequen- lam ipsius, idest offensam Dei, et reatum pœnæ. Quod utique ineptum non est, sed prudentissimum.

DICES 2: Omnis virtus propter se, seu propter finem sibi proprium est expetenda: atqui Pœnitentia non expetitur propter se, sed propter malum culpæ eluendum: igitur non est censenda virtus. — **Nego minorem**: Pœnitentia enim expetitur propter se, hoc est præter finem sibi proprium, qui est delere malum culpæ, et Deo offenso satisfacere: non autem expetitur propter: liquem alium finem a fine sibi proprio distinctum.

URGEBIS: Id quod tendit in malum, quatenus malum est, non potest expeti propter se, seu propter bonitatem et perfectionem propriam: sed Pœnitentia tendit in peccatum, quod est per se malum: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: quod tendit in malum motu prosecutionis, *concedo*: motu aversionis, et fugæ, *nego*. Et sic *distincta minore, neganda est consequentia*: medicina enim tendit in morbum, et tamen est expetibilis, et quidem ante morbum conditionate, post morbum vero absolute; quia medicina tendit in morbum, non ut faciat aut conservet, sed ut destruat. Ita etiam a simili Pœnitentia tendit in peccatum, non ut admittat, sed ut avertat. Unde pœnitens vult quidem peccatum, non utique faciendum, sed destruendum.

DICES 3: Omnis virtus debet habere bonum pro objecto: sed Pœnitentia non habet bonum pro objecto, quia versatur circa peccatum; igitur non est dicenda virtus. — **Negat majorem Doctor Seraph.**, dist. 11. art. 1. qu. 1. ad 3. contrarium enim, *inquit*, apparet in temperantia, misericordia, et fortitudine, quæ versantur circa id quod malum est. Aliter *distinguo majorem*: virtus debet habere objectum bonum, prosecutiva, *concedo*: aversativa, *nego*. Nam prosequi malum, et fugere bonum, equidem malum est: at vero prosequi bonum, et aversari malum, est rectum et bonum. Hac ratione potestas punitiva bona est, licet tendat in malum puniendum; *non est enim potestas, nisi a Deo*, inquit S. Paulus ad Rom. 13. Unde subdit: *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram Dei, qui malum agit*. Cum ergo virtus Pœnitentiæ sit aversiva ac destructiva mali, hac ratione virtutis dignitatem sortitur. *Addo quod* Pœnitentia duplicem habet actum, inquit Seraphicus Doctor, scilicet refugere ac detestari malum, et peccatorem emendare, ac in meliorem sortem ac vitam reformare; quod per se bonum est; et sic ratione hujus actus Pœnitentia tendit in bonum.

DICES 4: Omnis virtutis actus delectationem quandam infert: at Pœnitentia non ingerit delectationem, sed dolorem: igitur non est virtus. — **Distinguo majorem**: virtus delectationem infert ratione sui actus, *concedo*: ratione sui objecti, *nego*. Fortitudo enim ratione peculiaris objecti; puta periculorum in bello sustinendorum, aut ag- grediendorum, molestiam infert; siquidem illud objectum tristativum

est ac dolorificum; nihilominus actus illius per se virum fortem delectat; enimvero prompta animi alacritate pericula aggreditur. Ita a simili, tametsi pœnitere triste ac molestum habeat objectum ratione sui; tamen delectat ob alacritatem et promptitudinem, qua voluntas ex agendi frequentatione suos actus exercet, et voluntarie sese ad peccati detestationem determinat. — Quod, ut percipiatur evidentius, observandum est cum Doctore, loco supra laudato n. 4. quod ad perfectam Pœnitentiam quinque concurrunt actus per ordinem: quos sic præclare expendit noster Pitigianus ad dist. 11. qu. 2. art. 2. *Primum*, est velle imperativum, imperans atque conjungens causas tristitiæ ad invicem: *secundum* sunt ipsæ causæ tristitiam causantes: *tertium*, est ipsa tristitia: *quartum*, est complacentia, et velle, seu acceptatio illius tristitiæ: *quintum* ex illo velle sequitur gaudium de illa tristitia, juxta dictum S. Aug. *Peccator de peccato doleat, et de dolore gaudeat*. V. gr. Petrus peccavit peccato fornicationis; in pœnitendo hunc ordinem habet, primo habet velle imperativum, quo imperat causas tristitiæ, quæ sunt duæ, nempe fornicationis apprehensio, et nolle, seu odio habere fornicationem illam. Tum dico quod velle illud imperativum, quo voluntas imperat intellectui, ut consideret, et apprehendat illam fornicationem, et sibimetipsi, ut illam detestetur, est *primum*; *secundum* est apprehensio illius fornicationis, et nolitio, seu odium illius: *tertium* est tristitia, quæ ex apprehensione fornicationis, et ejusdem nolitione causatur; *quartum* est unum velle, quo voluntas vult tristitiam illam habere. *Quintum*, ad illud velle, quo vult habere tristitiam, sequitur gaudium, et tunc verificatur dictum S. Augustini: *Peccator de peccato doleat, etc.* Porro inter ista quinque Doctor ponit hujusmodi ordinem, seu distinctionem: quia *primum* se habet ut causa principalis tristitiæ, sed remota: *secundum* se habet ut causa proxima, et immediata tristitiæ: *tertium* se habet ut effectus: *quartum* se habet tamquam effectus sequens ex illo actu. Primum itaque distinguitur a secundo, sicut causa principalis et remota a causa secundaria et propinqua; secundum distinguitur a tertio velut causa ab effectu, seu actio a passione: tertium a quarto, sicut objectum ab actione, quæ transit super ipsum: et primum a quinto, sicut objectum a passione appetitiva illius objecti.

Conclusio tertia. — PŒNITENTIA EST VIRTUS SPECIALIS, NON AUTEM GENERALIS. Hæc est Doctoris loco supra laudato n. 1. ubi ait: *Pœnitere est actus specialis virtutis. Probat, quia ille actus natus est habere speciale objectum, et speciales circumstantias ordinatas. Objectum quidem, nempe peccatum vindicabile; circumstantias vero, quæ conveniunt actui, ut recte tendenti in tale objectum.* Quasi diceret: virtus illa specialis est, cujus objectum formale non est commune aliis virtutibus: sed objectum Pœnitentiæ, nempe peccatum vindicabile, non convenit aliis virtutibus, nulla siquidem alia virtus tendit in peccatum, ut vindicabile et expiabile per debitam satisfactionem: igitur Pœnitentia est virtus specialis.

Confirmatur: Ubi specialis est difficulus tendendi in objectum, quæ non reperitur in aliis virtutibus, ibi debet esse virtus specialis: at in offensa Dei ut vindicabili et expiabili per satisfactionem, et injuriarum

compensationem, specialis est difficultas, quæ non reperitur in objectis aliarum virtutum, in eo scilicet quod qui peccavit, doleat de offensa, et qui peccati voluntatem expertus est, pro eo velit satisfacere, ac pœnam subire: igitur Pœnitentia est virtus specialis.

Confirmat iterum Doctor ex circumstantiis: virtus enim illa specialis est, quæ aliter tendit in suum objectum, quam quæcumque alia virtus: sed Pœnitentia aliter tendit circa peccatum, quam cæteræ virtutes; siquidem nulla alia virtus præter Pœnitentiam versatur circa peccatum ut vindicabile et expiabile per debitam satisfactionem: igitur, etc.

DICES 1: Illa virtus non est specialis, quæ se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum: sed Pœnitentia versatur circa objecta aliarum virtutum: igitur non est virtus specialis, sed generalis. *Major constat. Minor vero probatur*; Pœnitentia respicit omne peccatum; siquidem illius vindictam et destructionem auspicatur: sed peccatum secundum totam suam latitudinem involvitur in objectis aliarum virtutum; siquidem virtus omnis media stat inter duo extrema vitiosa, quorum fugam et destructionem intendit: ergo Pœnitentia non est specialis virtus. — Distinguo majorem: si se extendat ad objecta aliarum virtutum, sub eodem motivo, quo ab aliis virtutibus respicitur, *concedo*: sub motivo distincto, sub quo a nulla alia virtute attingitur, *nego*. Et similiter *distincta minore, nego consequentiam*; nam, inquit Seraphicus Doctor, dist. 14. art. 1. qu. 2. in corpore: « Etsi Pœnitentia respiciat malum in communi, tamen respicit sub propria ratione, et habet specialem actum, qui indiget virtute, non tantum præcipiente, sed elicente; ita ut sicut ira per zelum, quæ detestatur omne peccatum in proximo, est specialis virtus, quia respicit illud sub ratione digni pœna, et obedientia est specialis virtus, quia respicit exequendum sub ratione mandati: sic etiam Pœnitentia specialis est virtus, quia respicit peccatum sub ratione mali proprii a se contra Deum perpetrati, prout homo ex hoc dignus est puniri ». Unde respondens ad tertium, dicit: « ad illud, quod objicitur de objecto, dicendum, quod etsi non contrahatur ad speciale peccatum, tamen illud considerat sub speciali et propria ratione, hoc est in quantum a se perpetratum, et Dei offensivum, cui vult reconciliari, et emendationem facere, et ideo est virtus specialis, quia virtus ponitur specialis, vel generalis, non ratione objecti, quod est materiale, sed secundum quod habet rationem *motivi* ».

DICES 2: Quod contrariatur omnibus peccatis non est virtus specialis; sicut enim virtus habet determinatum bonum, a quo specificatur, ita etiam habet determinatum malum, cui opponitur: at Pœnitentia contrariatur omnibus peccatis, quod enim aliquid expellit a subjecto, nec est cum illo compatibile, ei contrarium est; Pœnitentia autem omnia peccata expellere nititur ab anima: igitur non est virtus specialis. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem* universaliter acceptam: siquidem charitas contrariatur cuilibet peccato mortali, nec minus propterea est virtus specialis. *Respondeo secundo distinguendo majorem*: quod contrariatur, et aliud expellit formaliter, *concedo*: effective, *nego*. *Ad minorem* dico, omnem quidem virtutem expellere vitium sibi oppositum formaliter, sicut frigus calorem, et albedo nigredinem; quia habitus vitiosus et studiosus circa idem objectum forma-

liter opponuntur; Pœnitentia vero expellit omnia peccata solum effective, quatenus videlicet operatur ad destructionem peccati, prout remitti potest ex divina gratia sibi suffragante. Unde non sequitur, eam non esse specialem virtutem.

URGEBIS: Omnis virtus non solum formaliter, sed etiam effective tendit in destructionem vitii et peccati sibi oppositi: igitur ad id non est necessaria specialis virtus Pœnitentiæ. — **Distinguo antecedens:** tendit in destructionem vitii sibi oppositi secundum rationem, sub qua specialiter ei opponitur, ut fides v. g. tendit in destructionem infidelitatis, quatenus infidelitas est, *concedo*: tendit in illius destructionem, quatenus non habet specialem virtutem oppositam cum ipsa virtute, videlicet quatenus est offensa Dei vindicanda, et resarcienda per debitam satisfactionem, *nego*. Igitur ut peccatum destruat secundum rationem offensæ Dei, necessaria est aliqua specialis virtus, nempe Pœnitentia.

INSTABIS: Potiori jure non desideratur specialis virtus, quæ tendat in destructionem mali, quatenus est offensivum Dei, quam ut tendat in prosecutionem boni, quatenus est honorificum Deo: sed ad hoc non est necessaria specialis virtus; siquidem omnis virtus refertur ad Dei honorem et gloriam, alioquin irrita esset et vana: igitur, etc. — **Nego minorem:** siquidem virtus Religionis ad id specialiter ordinatur, ut tendat in bonum, quatenus est honorificum Deo, idque habet pro objecto peculiari ac fine speciali; etsi enim cæteræ virtutes ad eum referri debeant, ut veræ sint, non tamen referuntur ad ipsum, tamquam ad finem proximum et objectum immediatum: igitur a simili necessaria est aliqua specialis virtus, quæ tendat in peccatum vindicandum, quatenus est offensa Dei.

Conclusio quarta. — PŒNITENTIA EST TANTUM SPECIALIS VIRTUS SECUNDUM PRIMARIAM SUI ACCEPTIIONEM, NON VERO SECUNDUM TRES ALIAS. Hæc est pariter Doctoris ibid. n. 11. ubi concedit quidem, quod detestatio peccati possit esse actus virtutis, *Quia, inquit, potest esse actus electivus concors rationi rectæ: ratio enim recta sicut dicitur complacendum esse in bono honesto, ita dicitur displicendum esse in malo inhonesto.* Negat tamen ibid. quod illa detestatio sit actus specialis virtutis ab aliis distinctæ, quia potest esse actus cujuscumque virtutis appetitivæ: « Quæcumque enim virtus, *inquit.* inclinatur ad « complacendum in bono honesto, inclinatur etiam ad detestandum, et « ad displicendum de malo inhonesto opposito; utpote castitas de « aliquo inordinato contra castitatem inclinatur ad displicentiam, et « humilitas de actu inordinato superbiæ, et sic de cæteris. Quælibet « tamen inclinans ad talem displicentiam est virtus operativa; quia « nihil est principium odiendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitur. « Ex hoc patet, quod male ponitur *detestatio peccati* actus Pœnitentiæ « virtutis, loquendo de Pœnitentia virtute primo modo, ut est species « justitiæ, quia iste actus est multum generalior, quam possit esse ille, « qui est proprius actus Pœnitentiæ justitiæ elicited ab ea ». Quibus Doctor, non negat equidem detestationem cujuscumque peccati posse esse actum imperatum a virtute Pœnitentiæ, sed tantum vult quod non sit actus ab ea elicited. — Idem n. 12. docet de tertia acceptione Pœnitentiæ, nempe quatenus est voluntaria acceptatio pœnæ inflictæ

pro peccato commisso: « Dico, *inquit*, quod etiam iste actus potest
 « esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundo, quod potest
 « esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitiva;
 « quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquod objectum,
 « potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum: per
 « diversas autem virtutes potest acceptari aliud et aliud objectum,
 « in ordine ad quod possit pœna inflictæ pro peccato acceptari. Nam
 « si ex charitate amatur Deus, ex charitate potest acceptari pœna, in
 « quantum reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei
 « desideratur Deus ut bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pœna
 « ut ordinans ad istud præmium attingibile. Si ex virtute timoris ca-
 « vetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa potest acceptari pœna, ut exclu-
 « dens illam amissionem. Si ex amicitia honesta ad seipsum, diligit
 « quis sibi munditiam et innocentiam, ex illa potest acceptare pœ-
 « nam, quæ solvit reatum, qui infuit ». — Quantum autem ad quartum
 actum ibidem docet Doctor, illum non esse specialem actum Pœnitentia-
 tiæ virtutis. sed patientiæ; siquidem patientia est constanter ferre pœ-
 nam inflictam, et adversa quæque patienter tolerare. — Ex iis itaque
 sequitur, Pœnitentiam habere rationem specialis virtutis, quatenus in-
 clinat ad vindicandum peccatum, non autem prout est peccati dete-
 statio, seu nolle peccasse, ut volunt Thomistæ: quippe illa peccati
 detestatio elici potest a quacumque virtute, cui peccatum in genere
 aut specie repugnat, ejusdem enim virtutis est prosequi bonum, et
 fugere a malo, seu illud detestari, et in eo displicere: sed cujus est
 displicere de aliquo, ejusdem est de eodem dolere, quatenus præsens
 est et applicatur, ac proinde ejuſcumque virtutis est detestari pec-
 catum, et vitium sibi oppositum.

REPONUNT THOMISTÆ, id equidem esse verum si illa detestatio fiat
 quatenus peccatum opponitur rectæ rationis dictamini, et honestati
 speciali, quæ per quamlibet virtutem intenditur: secus vero si pec-
 catum delendum ac detestandum consideraretur quatenus est offensa
 Dei, ut sic enim, inquirunt, est specialis actus virtutis Pœnitentiæ, qui
 alteri virtuti non convenit. — **Contra**, non solius est Pœnitentiæ do-
 lere de peccato, quatenus est offensa Dei, et illud execrari, sed etiam
 charitatis; quia ejusdem est virtutis prosequi bonum, et illud aver-
 sari et execrari quod ei opponitur; at omne peccatum sub ratione
 offensæ opponitur Deo, qui est objectum charitatis: igitur sub hac ra-
 tione illud execrari debet charitas. *Probat minor*: eatenus dolet cha-
 ritas de peccato, quatenus est contrarium suo objecto, seu ultimo fini,
 et Deo in quem tendit: sed peccatum est præcise contrarium Deo in
 ratione offensæ: eatenus enim est offensa, quatenus tollit amicitiam
 Dei cum homine, et avertit ab ultimo fine, et convertit ad creaturam:
 sed hæc duo maxime opponuntur charitati, quæ tendit in Deum sub
 motivo amicitia et conversionis: igitur charitas non aliter execratur
 peccatum, quam quia est offensa Dei; ac subinde hæc detestatio dum-
 taxat eatenus spectat ad virtutem Pœnitentiæ, quatenus ab ipsa saltem
 remote imperatur: ac proinde ad eum actum præsupponi debet actus
 imperans, qui sit proprius Pœnitentiæ.

DICES 1: SS. Patres et Concilia plerumque non aliter Pœnitentiam
 exprimunt, quam per dolorem et detestationem de peccatis, asse-

runtque hanc detestationem esse ultimam et perfectam dispositionem ad justificationem, tam in Sacramento, quam extra Sacramentum. Sic enim Concilium Trid., Sess. 14. cap. 6. Contritionem definit per dolorem ac detestationem; *Contritio, inquit, dolor animi, ac detestatio est de peccato commisso.* Unde Sess. 6. cap. 6. assignans modum præparationis ad justificationem, non meminit vindictæ peccati, sed solius detestationis; *Moventur, inquit, adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: igitur, etc.* — **Respondeo**, Patres et Concilia sic loqui, quod dolor et detestatio de peccato includatur tamquam effectus primarius in voluntate vindicandi, quæ si sit efficax ad remissionem peccatorum, debet infligere pœnam, ac subinde imperare dolorem; cum enim pœnitere secundum nominis etymologiam, idem sit ac pœnam tenere, cumque teneatur pœna dum elicitur dolor, et formatur detestatio, ideo tunc Pœnitentia censetur dumtaxat completa, cum habet suum terminum, seu effectum, et obtinet rationem justitiæ, quæ per vindicationem restituit jus suum Deo; sub qua utique ratione SS. Patres et Concilia considerant Pœnitentiam, dum illam dolorem animi ac detestationem de peccato commisso appellant. — Ad posteriorem auctoritatem Concilii Trid. dico ipsum agere de peccati detestatione, quæ oriatur non ex motivo pœnitentiæ, sed charitatis, ut patet ex verbis antecedentibus; ait enim, *Illumque (id est, Deum) tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem.* Quibus verbis significat, motivum et causam illius odii ac detestationis esse dilectionem Dei, ac subinde non esse actum elicitum a virtute Pœnitentiæ, sed imperatum.

DICES 2: Velle vindicare peccatum, et illud detestari, est unus et idem actus; qui enim detestatur peccatum, quantum in se est, vult illud abesse, ac subinde vult vindicare: igitur si actus vindictæ sit actus virtutis pœnitentiæ, itidem erit actus detestationis. — **Nego antecedens;** nam actus vindictæ est actus prosecutionis, quia est volitio pœnæ infligendæ in ultionem peccati; actus vero detestationis est actus fugæ, quia est nolitio peccati; igitur sicut amor alicujus honestatis, et odium turpitudinis oppositæ, non sunt a parte rei unus et idem actus, sed plures saltem formaliter distincti, quamvis forte ab eadem virtute eliciantur, pari ratione velle vindicare et detestari peccatum non sunt unus et idem actus, maxime quando procedere possunt a diversa virtute, quemadmodum contingit in præsentibus; detestatio enim peccati provenire potest ex motivo tantum charitatis, spei, vel alterius virtutis ipsi peccato oppositæ, qua ratione non potest esse actus vindictæ, quia hic postulat motivum justitiæ.

URGEBIS: Saltem detestatio peccati virtualiter continet voluntatem vindicationis peccati, ac proinde saltem virtualiter sunt unus et idem actus. — **Respondeo**, hic sermonem esse de actu formaliter spectato, prout a speciali virtute procedit, ac subinde *instantiam* non esse ad propositum. *Deinde*, si detestatio peccati solum virtualiter includat voluntatem vindicationis, consequens est, quod illi duo actus sint formaliter distincti, quemadmodum omnis actus formaliter distinguitur a causa, in qua virtualiter continetur.

Ex his igitur sequitur, Pœnitentiam non esse virtutem generalem, neque per modum *prædicationis*, quasi esset quædam conditio generalis, ac prædicatum transcendens ad omnes virtutes, ut volunt Altisiodorensis, Major, et quidam alii Theologi; neque per *aggregationem* omnium virtutum, ut innuere videtur Alensis noster, qui fatetur quidem Pœnitentiam esse virtutem specialem, quatenus est actus punitionis ipsius pœnitentis, in compensationem delicti; existimat autem eam esse generalem in ordine ad actum odii et detestationis peccatorum omnium. cum enim ad actum odii omnium peccatorum singulæ concurrant, saltem illud imperando, ex amore enim objecti alicujus virtutis nascitur odium objecti ipsi contrarii, quod est peccatum; unde existimat Alensis Pœnitentiam dici posse virtutem generalem per concomitantiam, et aggregationem omnium virtutum. Verum contrarium apparet non solum ex his quæ diximus, sed etiam ex hac ratione; quia si virtus Pœnitentiæ esset generalis ex concomitantia et aggregatione aliarum virtutum, sequeretur pœnitentem non posse unico actu elicitō a virtute Pœnitentiæ detestari omnia peccata; cum enim unaquæque virtus habeat objectum suum limitatum et distinctum, nec possit in objectum alterius virtutis tendere, consequens esset, quod ad detestanda peccata contra omnes virtutes requireretur actus omnium virtutum: atque ita peccator non posset justificari per Pœnitentiam unico instanti, qui non posset justificari, nisi detestetur omnia peccata; non posset autem omnia peccata detestari nisi exercendo actus omnium virtutum. quos in instanti exercere nequit; hoc autem absurdum est: igitur et illud unde sequitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS SIT PŒNITENTIA, ET AD QUAM EX VIRTUTIBUS REDUCATUR.

TRIA maxime hac in Quæstione occurrunt determinandū: *primum*, utrum Pœnitentia sit virtus acquisita vel infusa, theologica aut moralis; *secundum*, ex hypothesis quod sit moralis, ad quam ex quatuor capitalibus reducat: *tertium*, dato quod reducenda sit ad aliquam ex speciebus justitiæ, utrum comprehendatur sub justitia commutativa, vel distributiva: quæ ut facilius et evidentius innotescant.

NOTANDUM 1. Virtutes generatim per ordinem ad Deum, esse in triplici differentia: *Aliæ* enim habent Deum pro objecto et fine proximo: ita quod de ratione earum virtutum sit referre actus suos in Deum; cujusmodi sunt virtutes theologicæ, quarum objectum est ipsemet Deus vel credendus, vel sperandus, vel diligendus, *Aliæ* nec pro objecto, nec pro fine proximo Deum habent, ut fortitudo, cujus objectum est mors aut quid simile, finis vero proximus saltem intrinsecus non est Deus, sed aliquid aliud, puta cum quis sese morti objicit pro Patria, ut hoste depulso pacifice vivatur; hujus enim actus fortitudinis objectum materiale est mors: formale vero aut finis intrinsecus est pax seu vita pacata et quieta: unde si talis actus refertur in Deum, hæc relatio erit dumtaxat ad finem extrinsecum, fietque per virtutem non fortitudinis, sed charitatis, aut Religionis. *Aliæ* denique sunt, quæ etsi non habeant Deum pro objecto, habent tamen ipsum

pro fine cui, seu proximum, ad quem videlicet omnes earum actus diriguntur, quales sunt Religio, et Pœnitentia, quarum actus proxime ordinantur ad Deum; quæ propterea virtutibus theologicis proximæ sunt, et ab eis plerumque imperantur.

NOTANDUM 2. Ex Doctore, dist. 14. q. 3. n. 5. « virtutem non idcirco censi moralem, ex eo quod sit nota, et eliciatur ex prævia cognitione dumtaxat naturali, non vero ex revelatione vel fide, quia, *inquit*, secundum Philosophum virtus Moralis dicitur ex hoc quod est more, vel ex consuetudine generabilis: quacumque autem notitia sive ex lumine naturali habita, sive ex fide, potest secundum illam appetitus inclinari, et ex frequenti actione generare in se habitum sic inclinantem, qui erit habitus electivus, quia appetitivus, et secundum rectam rationem, licet non naturalem, sed aliam rationem; et hoc modo paupertas, humilitas, castitas, et hujusmodi sunt virtutes morales, quia secundum perfectam et rectam rationem, licet non pure naturalem, ex more, idest, frequenter sic eligere, generantur ». *Unde concludit*: « supposita igitur ista regula nota ex Evangelio, *Pœnitentiam agite*, Matth. 3. potest voluntas ex frequenti elicitioe actus conformis isti regulæ generare in se habitum inclinantem ad consimiles actus; et ille vere erit virtus, quia rectæ rationi, imo rectissimæ consonus; et tamen moralis, quia ex more et consuetudine generatus ». — Hæc Doctor, quibus significat, quod etsi Pœnitentia, ut sit Christiana virtus, debeat elici propter Deum offensum ex præsupposito divino præcepto per revelationem cognitio, non minus propterea erit virtus moralis ex frequentatis actibus genita et comparata. Unde ad virtutem infusam et supernaturalem non sufficit, quod præsupponat cognitionem mutuam ex revelatione, sed ultra requiritur, ut ejus acquisitio humanas omnino vires excedat, nec nisi Deo donante ac infundente possit obtineri.

NOTANDUM 3. Omnes virtutes morales revocari ad quatuor ex capitalibus, quæ idcirco vocantur Cardinales, quia cæteræ in eis, sicut janua in cardinibus volvuntur, suntque Justitia, Fortitudo, Temperantia et Prudentia. Constat autem Pœnitentiam non reduci ad Prudentiam, Fortitudinem, aut Temperantiam, quia illæ dumtaxat occupantur circa moderandas ac regulandas Passiones appetitus sensitivi. Pœnitentia vero versatur circa omnia peccata, tum spiritualia, cum corporalia. Unde sola superest libranda difficultas de reductione ipsius Pœnitentiæ ad Justitiam, cujus cum ratio formalis consistât in obligatione et munere debiti reddendi secundum rectam rationem, ad varias virtutum species sese extendit: numerantur enim 22. virtutes tam immediata, quam mediata, de quibus justitia tamquam de suis speciebus prædicatur; quæ sunt Latria, Pietas, Dulia, Hyperdulia, Legalis Justitia, Epicheia, Benevolentia, Affabilitas, Beneficentia, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Pœnitentia, Reverentia, Observantia, Misericordia, Vindicatio, Gratitude, ac Justitia punitiva, restitutiva, distributiva, et commutativa. Quarum omnium sufficientia et justa enumeratio colligitur ex quadruplici capitali debito, quod habere potest homo, vel per ordinem ad causam, a qua pendet tamquam effectus; vel per ordinem ad propriam conditionem et naturam, vel quantum ad perfectionem secundam et superadditam, vel quantum

ad actionem voluntariam. Quoniam autem hic potissimum sermo est de ordinatione hominis quoad obligationem, quæ consurgit per actionem voluntariam, idcirco sciendum est quod actio illa voluntaria præsupponit factum, aut non. Si factum præsupponit, vel illud est sibi bonum, vel malum: si sibi bonum, obligatur ad recompensandum secundum possibilitatem, quod reddit per virtutem *gratitudinis*: si autem est malum, obligatur quis ex officio ad corrigendum, ad quod inclinat *Justitia punitiva*. et specialiter obligatur qui malum gessit, si sit læsivum proximi, ad satisfaciendum, ad quod inclinat *Justitia restitutiva*. Si vero actio voluntaria non præsupponit factum, sed sit de pari; tunc potest oriri duplex obligatio, scilicet vel ad æqualitatem secundum proportionem geometricam, et hanc exercet *Justitia distributiva*, vel ad æqualitatem secundum proportionem arithmetica, et hanc exercet *Justitia commutativa*.

Conclusio prima. — PŒNITENTIA EST VIRTUS MORALIS, NON THEOLOGICA; ACQUISITA, NON INFUSA. Hæc est Doctoris quoad utramque partem, quarum

Primam declarat dist. 14. q. 2. n. 9. ubi ait: « Ex hoc posset esse « dubium de habitudine istius virtutis ad charitatem; ex quo enim Pœnitentia per actum suum imperat actum charitatis, videtur esse superior charitate: sed oppositum est manifestum; quia objectum per se « charitatis est Deus sub ratione objectiva nobilissima; proprium autem objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est « dicandum ». Unde concludit, quod « Pœnitentia non tantum non est « virtus theologica, sed nec virtus simpliciter nobilissima inter illas, « quæ sunt circa objectum creatum; hinc n. 20. ait: ad ultimum dico, « quod non est virtus theologica; imo circa objectum creatum ».

Probatur itaque hæc veritas ratione Doctoris petita ex dist. 26. lib. 3. q. 1. n. 15. ubi ait: *Tres conditiones ponuntur pertinere ad virtutem theologicam: primã, est respicere Deum pro objecto: secunda, habere pro regula primam regulam humanorum actuum: non autem regulam acquisitam: tertia, immediate infundi a Deo, sicut a causa efficiente: sed nulla ex his regulis competit Pœnitentiæ. Non quidem prima; si quidem Pœnitentia non tendit immediate circa Deum, sed in peccatum vindicandum et puniendum: est enim, ut statim dicemus, justitia punitiva, seu vindicativa, quæ pro objecto formali habet correspondentiam pœnæ ad culpam; pro materiali vero ipsam pœnam et culpam.*

DICES: Pœnitens in vindicando peccato intendit satisfacere Deo pro injuria illata: igitur Pœnitentia tendit in Deum tamquam in objectum. — Nego consequentiam, non enim intendit satisfacere Deo, quasi ipsa satisfactio vel punitio sit finis proximus, et motivum ultimum, quod sibi proponat; sed tantum quia satisfacere Deo et punire peccatum bonum est, et ipsi satisfaciendi, ac proinde satisfaciendi, et puniendi seipsum, habet pro objecto formali cui, non quidem Deum, quem illo actu non amat, sed voluntatem, qua desiderat satisfacere Deo, quæ utique est aliquid creatum. Unde sicut obedientia licet velit obedire Deo, et Religio Deum colere, non sunt tamen propterea virtutes theologice, eo quod proxime non versentur circa Deum, sed obedientia circa rem præceptam; Religio vero circa cultum divinum,

quæ sunt entia creata; ita Pœnitentia licet intendat satisfacere Deo, tamen hac ratione cœnseri non debet virtus theologica; quia non immediate versatur circa Deum, sed circa peccatum vindicandum.

URGBIS: Pœnitentia intendit placare Deum: sed illa placatio est quid increatum, est enim actus divinæ voluntatis acceptantis obsequia nostra, et condonantis offensas: ergo, etc. — **Distinguo** minorem: illa placatio est quid increatum ex parte Dei, et in facto esse, *concedo*, quia solius Dei est condonare peccata: ex parte pœnitentis, et in fieri, *nego*: pœnitens enim non immediate versatur circa illam placationem et remissionem, sed tantum circa opera apta ad placandum Deum, quæ vult exhibere ad obtinendam illam peccatorum remissionem; quæ utique exhibitio operum in se est bona et honesta, etiamsi inde nulla sequeretur peccatorum condonatio; unde actus primarius Pœnitentiæ est velle punire peccatum, ac exhibere opera satisfactoria, quibus Deus placari possit.

Secunda etiam conditio ad virtutem theologicam non reperitur in Pœnitentia; siquidem non regulatur per primam regulam actuum humanorum, nempe vel Deum sub aliqua ratione essentiali, aut attributali, vel divinam voluntatem per revelationem cognitam, sed per dictamen rationis insinuantis pœnam esse proportionandam peccato, et satisfactionem offensionis gravitati.

Multo minus habet tertiam conditionem, nempe quod infundatur a Deo tamquam a causa efficiente; nam, ut ait Doctor præfata dist. 14. q. 2. n. 20. *Ex multis actibus vindicandi in se juste reum, potest acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, et posset acquiri ante deletionem peccati mortalis, nisi forte quia Deus justificat, antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem Pœnitentiæ.* Quæ utique sententia sic probatur: virtutes infusæ solum admittuntur, ut inclinent suscipientem ad actus necessarios ad salutem: sic habitus fidei ad credendum, spei ad sperandum, et charitatis ad diligendum Deum, sicut oportet; sed habitus Pœnitentiæ si in se consideretur, non posset inclinare suscipientem ad actum pœnitendi necessarium ad salutem: igitur esset frustraneus. *Major constat. Minor probatur:* eatenus Pœnitentiæ actus dicitur necessarius ad salutem, quatenus disponit animam ad infusionem virtutum in instanti justificationis: sed actus ille qui est causa dispositiva subjecti ad susceptionem habitus infusi produci non potest ab ipso habitu infuso: igitur, etc. *Majorem* tradit Concilium Trid., Sess. 6. cap. 9. et 7. ubi Pœnitentia recensetur inter dispositiones prærequisitas in adulto ad suscipiendam justificationem. Et Sess. 14. cap. 4. de attritione, quæ ex gehennæ et pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, dicitur quod non faciat hominem hypocritam, et magis peccatorem, sed verum esse Dei donum, et Spiritus sancti impulsum, *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi parat ad justitiam.* *Minor vero probatur:* omnis forma introducenda est posterior dispositione ad ipsam: igitur actus pœnitentis necessarius ad salutem non potest elici ab habitu Pœnitentiæ infusæ, ad quam est dispositio, maxime in sententia Thomistarum, qui admittunt virtutes morales per se infusas, quas asserunt non infundi, nisi in justificatione.

DICES 1: Ad deletionem culpæ non sufficit Pœnitentia naturalis et acquisita: igitur ad id requiritur Pœnitentiæ infusa. *Probatur antecedens* ex Concilio Trident., Sess. 3. Can. 3. *Si quis dixerit, sine præcipiente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit:* igitur sicut credere, sperare, et diligere sunt actus supernaturales in substantia, ita etiam pœnitere, ut sit legitima dispositio ad remissionem peccatorum, debet esse supernaturalis. — *Distinguo antecedens:* non sufficit Pœnitentia naturalis tam in substantia, quam in modo, *concedo:* naturalis in substantia, et supernaturalis in modo, *nego.* Igitur actus Pœnitentiæ, qui est præparatio ad justificationem, est equidem supernaturalis in modo, quia nempe non elicitur, nisi beneficio gratiæ, et auxilio Spiritus sancti qua ratione actus virtutum moralium, quatenus meritorii sunt, dicuntur supernaturales; non quidem in substantia, sed in modo, quia non possunt esse Deo grati et accepti in ordine ad salutem, sine beneficio gratiæ. Nec aliud voluit Conc. ibi enim tantum definit contra Pelagianos et Semi-Pelagianos hominem non posse justificari ex solis viribus naturæ sine speciali Dei adjutorio; unde non ex eis colligitur Pœnitentiæ supernaturalitas in substantia, sed tantum in modo: quæ utique necessaria est ad Pœnitentiam fructuosam.

INSTABIS: Habitus acquisiti naturaliter inclinant ad producendos actus similes illis, a quibus sunt geniti: igitur si ex actibus Pœnitentiæ concurrentibus ad salutem generetur habitus naturalis, consequens erit, quod habitus ille inclinabit ad producendos actus sufficientes ad salutem, et subinde, quod ex solis naturæ viribus poterimus pœnitere, quod est pelagianum. — *Distinguo antecedens:* Inclinant ad producendos actus similes, quantum ad substantiam, *concedo;* quantum ad modum, *nego.* Quemadmodum enim servari potest præceptum divinum, quantum ad substantiam actus, licet non observetur quantum ad finem Dei præcipientis: v. g. si quis jejundet tempore Quadragesimæ in statu peccati mortalis, implet quidem præceptum quantum ad substantiam actus, non autem quantum ad finem Dei præcipientis et intendentis quod ille actus sit meritorius; ita habitus Pœnitentiæ acquisitus poterit equidem inclinare voluntatem ad actum pœnitendi, quantum ad entitatem et substantiam actus, nempe nolle peccasse: non tamen inclinatur quantum ad finem præcipientis, nempe Dei intendentis, quod ille actus pœnitendi sit ultima dispositio ad gratiam.

Conclusio secunda. — PŒNITENTIA REVOCATUR AD JUSTITIAM. Hæc est Doctoris, dist. 14. q. 2. n. 5. ubi probat, quod *velle punire peccatum* non sit actus amicitiae instaurandæ hominis cum Deo, quia non est actus virtutis appetitivæ ordinantis ad seipsum, sed ad alterum. « Sequitur, *inquit*, alia conclusio, quod *pœnitere* non est « appetitivæ virtutis ordinantis ad seipsum, cujusmodi sunt temperantia, et fortitudo: ergo virtutis ordinantis ad alterum, cujusmodi « est justitia. Hoc argumentum tenet, supponendo illam famosam virtutum appetitivarum distinctionem, quod ad duo genera omnino « reducantur. *Antecedens* probatur, quia actum istum vindicandi po-

« test aliquis eodem modo secundum rationem rectam exercere in
 « alterum, sicut in seipsum. Si etiam exerceat in seipsum, non exercet
 « in se, nisi ut in alterum; quia non exercet in se, nisi in quantum
 « sibi committitur a Legislatore in istum reum vindicare. Sed accidit
 « quod iste, cui committitur ut ministro Judicis, sit iste reus, quia
 « eodem modo exercet secundum rectam rationem ministri in reum,
 « si esset omnino alius in persona: ergo ista virtus, cujus natura est
 « iste actus, continetur sub justitia, prout in generali dicitur justitia
 « omnis virtus ordinativa ad alterum ». Quibus verbis Doctor declarat,
 quod iste actus, qui est *vindicare peccatum*, potest aliquis elicere circa
 alium, sicut circa seipsum, et quod dum aliquis vindicat peccatum
 suum, tunc se habet circa se, ac si ageret circa alterum; ac subinde
 actus ille non spectat ad virtutem ordinantem ad se, sed ad alterum.
Si autem objicias, quod velle vindicare peccatum non sit actus circa
 alterum, sed ejusdem hominis erga seipsum; *respondet* ibidem Doctor,
 non ob stare, *quod ille in actu suo, inquit, ordinetur ad seipsum; quia
 non ad se, nisi ut ad alterum, ut scilicet minister Judicis in reum
 contra legem, in quem commissa est sibi auctoritas a Judice*, hoc est,
 dum aliquis punit seipsum propter peccatum, agit ut minister Dei;
 unde quamvis sit simul reus et iudex, tamen ut castigat seipsum,
 quasi virtualiter distinguitur a se, ut reus est.

DICES 1: Pœnitentia reducitur ad charitatem: igitur non refertur
 ad justitiam. *Probat*ur antecedens: ad eam virtutem reducitur Pœni-
 tentia, a qua elicitor proprius Pœnitentiæ actus, qui est contritio:
 sed hic elicitor a charitate; dolor enim de peccatis propter Deum
 summe dilectum est actus contritionis; nam ejusdem virtutis est gau-
 dere de bonis amici, et de malis illius dolere et tristari: igitur actus
 contritionis a charitate procedit. — **Nego** antecedens: et ad ejus *pro-
 bationem* dico, contritionem spectari posse dupliciter: nempe quatenus
 est dolor de peccato per simplicem displicentiam peccati, vel qua-
 tenus est dolor de peccato cum intentione illud vindicandi, et satisfac-
 iendi Deo offenso: priori modo spectat ad charitatem, non vero po-
 steriori.

INSTABIS: Ejusdem est virtutis odisse, ac intendere destructionem
 illius quod opponitur objecto, cujus est objectum illud sectari: sed
 charitas intendit Deum ut summum bonum, cui peccatum opponitur:
 igitur dolere de peccato cum intentione illud destruendi spectat ad
 charitatem. — **Distinguo** majorem: sub ea ratione, sub qua malum
 illud opponitur bono ab ipsa virtute intento, *concedo*: sub alia, *nego*.
Ad minorem dico, charitatem dolere de peccato cum intentione illud
 destruendi sub ea ratione, sub qua opponitur bono divino, quod cha-
 ritas intendit: dolere autem de peccato cum intentione illud vindi-
 candi ac puniendi non est actus charitatis, sed Pœnitentiæ; ut jam
 demonstratum est.

DICES 2: Justitia consistit in medio, cum sit virtus moralis: sed
 Pœnitentia non consistit in medio; siquidem in excessum tendit, juxta
 illud Hieremiæ 6. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*: igitur
 non revocatur ad justitiam. — **Respondeo** primo ad majorem, non id-
 circo virtutem dici consistere in medio, quasi necessario media stare
 debeat inter duo vitia, quorum unum exorbitet a recto dictamine

per excessum, aliud vero p̄ defectum; nam virginitas, quæ est nobilissima virtus, non solum temperat, sed omnem prorsus excludit veneream delectationem, atque adeo non versatur circa passiones delectabiles reserando excessum vel defectum, sed omnino delectationem excludendo: igitur virtus generatim dicitur consistere in medio. quatenus commensuratur recto rationis dictamini. *Respondeo secundo*, explicando *minorem*: medium enim justitiæ est æqualitas, quæ intercedit inter illos, inter quos reperitur justitia, ut ait Aristoteles 5. *Moral.* At in quibusdam æqualitas perfecta constitui non potest, ob alterius excellentiam; puta inter patrem et filium, inter Deum et hominem; quare qui deficiens est in talibus, debet facere quidquid potest, ut id pro viribus exequatur, quod ad æqualitatem conducit. Et sic Pœnitentia debet intendi quantum fieri potest, ut nempe pœnitens pro viribus jus divinum resarciat. Ideo quantumcumque aliquem pœniteat. talis Pœnitentia ex parte justitiæ non erit vitiosa. Unde quantumvis quis detestetur peccata sua propter Deum, non peccat; imo quanto erit major detestatio et peccati vindicta, tanto perfectior erit Pœnitentia. *Respondeo tertio* cum Pitigianis, quod virtus generatim possit consistere in medio alterutro ex his quatuor modis: « *Primò* « quidem tam ex parte objecti, quam ex parte circumstantiarum, ut « temperantia, contra quam peccari potest per excessum, aut defectum; « sicut et contra quasdam circumstantias, videlicet nimis vel minus « comedendò, et quando, et ubi non oportet. *Secundo*. quædam sunt « quæ ex parte objecti habent superabundantiam, sed ex parte circum- « tantia sunt in medio. Dicit enim Philosophus 4. *Ethic.*, cap. 4. quod « magnanimus quidem magnitudine extremus est, eo tamen quod ut « oportet medius. ut magnanimitas, et fortitudo: tum, quia magna- « nimitas est circa maxima, et fortitudo respicit ultimum terribilium « pro objecto: tum, quia si magnanimus dignificaret se plusquam « oportet, esset vanus; sin autem minus, esset pusillanimis: et fortis « si exponeret se morti pro inani gloria, esset audax, etc. *Tertio*, quæ- « dam sunt virtutes, quæ sunt in defectu ex parte circumstantiæ, ut « virginitas, quæ negat omnem veneream delectationem; atque adeo « tenet extremum quoad materiam; sed tenet medium quoad circum- « stantias, quia hoc observat pro tempore, quo hoc expedit observare, « hoc est, pro tempore, quo non præcipitur, nec a Deo consulitur vacare « carnali copulæ, et etiam observat hoc propter quod oportet, scilicet « ut mens liberius vacet spiritualibus. *Quarto*. quædam sunt virtutes, « quæ habent superabundantiam, et non defectum, ut magnanimitas. « et fortitudo; quædam e converso, quæ plus habent de superabundantia, « ut latria; quædam, quæ plus habent de defectu, ut temperantia ».

« Quibus ita præmissis dici potest, quod Pœnitentia consistat in « medio, per defectum, et excessum, v. g. si quis magis detestetur « parvum peccatum, quam magnum; vel si magis tristetur de pec- « cato propter amissionem alicujus boni temporalis, quam spiritua- « lis ». Ita Pitigianis.

Conclusio tertia. — PŒNITENTIA NON EST JUSTITIA COM-
MUTATIVA PROPRIE DICTA, NEQUE DISTRIBUTIVA, SED VINDICATIVA.
Hæc est Doctoris, dist. 14. q. 2. n. 8. ubi loquens de actu Pœni-

tentiæ, ait: *Est ergo iste actus justitiæ punitivæ, quæ distinguitur contra justitiam commutativam, et etiam contra amicitiam.*

Probantur simul duæ priores Conclusionis partes, nempe quod Pœnitentiâ non sit justitia commutativa, et distributiva; enimvero virtutes, quæ habent diversa objecta formalia, sunt invicem distinctæ: sed Pœnitentiâ et justitia tam commutativa quam distributiva respiciunt diversa objecta formalia: justitia enim commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, idest, debitum strictum ad æqualitatem reddendum; justitia vero distributiva respicit æqualitatem præriorum, vel suppliciorum cum proportione ad actus laudabiles et culpas: sed Pœnitentiâ non potest reparare jus divinum læsum per peccatum ad æqualitatem; quia offensa contra Deum commissa per quamlibet hominis satisfactionem non potest sufficienter expiari, nisi interveniat Dei clementia gratuito ac ex misericordia offensam condonantis: igitur Pœnitentiâ ad neutram illius justitiæ speciem reducitur. — *Confirmatur*, maxime quantum ad Justitiam *distributivam*, quia hæc est superioris ad inferiorem; siquidem ad superiorem pertinet distribuere inferioribus de communibus bonis et pœnis unicuique proportionally ad suum meritum, vel demeritum: Pœnitentiâ autem est potius inferioris, scilicet creaturæ in ordine ad Deum. *Deinde* justitia distributiva pœnas vel bona taxat uni per respectum ad alterum; quem etiam punit vel præmiatur; Pœnitentiâ vero non punit unum pœnitentem per respectum ad alium, sed per respectum ad culpam in Deum commissam: igitur, etc.

Probatur denique tertia pars, nempe quod Pœnitentiâ sit justitia *vindicativa*; primo quidem auctoritate petita ex lib. *De vera et falsa Pœnitentiâ*, supra à nobis laudato, qua sic definit Pœnitentiâ: *Est dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse*: si est vindicta, ergo est *vindicativa*. — *Insuper* Sacramentum Pœnitentiæ est tribunal Justitiæ: sed non alterius, quam vindicativæ: igitur, etc. *Majorem*, et *minorem* simul approbat Concilium Trid., Sess. 14. c. 2. ubi sermonem faciens de baptizatis, ait: *Nãm hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat: sed ante hoc tribunal (Pœnitentiæ) tamquam reos flecti voluit.... Plenam et integram peccatorum remissionem consequentes, ad quam per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, et laboribus divina id exigente Justitia (vindicativa) pervenire nequaquam possumus.* Et c. 5. insinuat peccatorem publice posse confiteri sua peccata in eorum vindictam: *Cæterum, inquit, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit,* etc. Et c. 8. *De Operibus Satisfactoriis*, ita statuit: *Habeant (Sacerdotes) præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* — *Confirmatur*: Deus ex justitia vindicativa ordinat, ut peccatum per pœnam et actus pœnitentiales in Sacramento Pœnitentiæ remittatur: igitur peccator actus pœnitentiales exercendo, eundem finem, idemque motivum habere debet. *Consequentia patet*: quia Minister ut ordinate procedat in-

fligendo pœnam, debet agere ex fine legis et legislatoris; cum is sit finis potestatis ministerialis, qui intenditur a principali causa delegante: sed peccator exequendo pœnam in se mediante virtute Pœnitentiæ, agit ut Minister Dei Judicis: nam, inquit, Tertull., lib. *De Pœnitentia*: hæc virtus in peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione fungitur; igitur sicut Deus præscribit pœnam ex motivo Justitiæ vindicativæ, ita pœnitens ex eodem motivo debet pœnam sibi præscribere.

Hæc præclare docet S. Augustinus, cum monet lib. 50 *Homiliarum*, Homilia. 50. *Ascendat homo adversus se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet non exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat uniusquisque, quæ corpus gessit, sive bonum, sive malum: constituat se ante faciem suam, atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profuat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis, et Sanguinis Domini. Ut qui separari a regno cælorum per ultimam sententiam summi Judicis metuat, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cælestis patriæ interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sibi contremiscenda sit pœna illa, qua percipientibus aliis vitam æternam, ipse cum aliis in mortem præcipitur æternam.*

DICES 1: Pœnitentia non reducitur ad justitiã commutativam: sed ex Doctore, dist. 19. quæst. 1. num. 26. justitia punitiva eadem est cum commutativa, ait enim: *Dico ergo, quod sicut in aliis commutationibus justitia commutativa habet aliquam latitudinem, ita quod non respicit in commutationibus invisibile, sed medium rectæ rationis: ita justitia punitiva, quæ est commutativa pœnæ pro culpa, non respicit necessario gradum indivisibilem pœnæ correspondentem hæc culpæ, sed est ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non sufficit, et ultra pœna major non est imponenda.* Similia habet in 4. dist. 16. quæst. 1. num. 4. *Ad propositum, inquit, commutativa justitia proprie respicit punitionem et præmiationem, ut scilicet pro meritis, quasi commutando reddantur præmia, et pro peccatis supplicia.* — **Respondeo**, Doctorem eis in locis non accipere justitiã commutativam stricte, et quatenus respicit medium servandum in rebus, et mercimoniis proprie dictis; ut sic enim a punitiva distinguitur, quia hæc æqualitatem quandam servat in pœnis ad debitum culparum, illa vero in commutationibus rerum. Unde etiam signanter addit, *quasi commutando*, quibus significat punitionem non esse actum justitiæ commutativæ stricte sumptæ, sed in latiori quadam significatione, quatenus videlicet servat æqualitatem quantitatis, et respicit arithmetice proportionem instar justitiæ commutativæ stricte dictæ; non autem servat proportionem geometricam, sicut distributiva; unde potius ad commutativam, quam ad distributivam reducitur; quamvis proprie neutra sit, sed tantum quadam proportione et similitudine.

DICES 2: Justitia vindicativa solum est in Judice, vel superiori infligente pœnam; non autem in subdito et reo: igitur peccator puniens seipsum per Pœnitentiam, id non præstat ex justitiã puni-

tiva. — **Distinguo antecedens:** est in superiore magis principaliter et auctoritative, *concedo:* ministerialiter et executive, *nego:* hoc enim posteriori modo est in subdito, et inferiori.

URGEBIS: Exequi et infligere pœnam non est pœnitere proprie loquendo: igitur neque etiam executive Pœnitentia est justitia vindicativa. *Probatur antecedens:* posset aliquis velle assumere pœnam pro peccatis, nec tamen habere propositum iterum non peccandi, nec dolorem de præteritis, quæ utique Pœnitentia necessario exigit. — **Nego antecedens,** et ad illius *probationem* dico, talem assumptionem pœnæ non fore veram vindictam pro peccatis præteritis, saltem in hac vita, quoniam non fieret secundum leges justitiæ vindicativæ et punitivæ a Deo præscriptas, quæ primo omnium postulant dolorem et propositum emendationis; unde sicut non colit vere Deum, tametsi habeat voluntatem colendi, qui cum externo cultu actum internum Religionis non adhibet; sic nec vere pœnitet, neque vindicat peccatum, qui non adhibet media ad id ordinata.

DICES 3: Pœna quam pœnitens infligit debet esse voluntaria in ipso suscipiente, utpote cum sit actus virtutis in ejus voluntate existentis: sed pœna quam infligit justitia vindicativa est involuntaria respectu patientis: igitur Pœnitentia non est justitia vindicativa. — **Respondet Doctor,** dist. 14. qu. 1. num. 13. Pœnam quidem esse involuntariam comparative ad voluntatem sequentem affectionem commodi: *Tamen, inquit, potest esse voluntaria voluntate antecedente, scilicet voluntaria applicatione causarum, ad quas sequitur. Potest etiam esse voluntaria voluntate justa acceptante, et hoc voluntate sequente affectionem Justitiæ, quia sic acceptat quidquid habet ordinem ad per se volendum jûste: ista autem tristitia potest esse ad aliquid per se jûste volendum.* Præmiserat autem num. 11. quod involuntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas simpliciter remurmurat. et per consequens per oppositum. *Voluntarium potest intelligi tripliciter: Uno modo, contra quod non omnino voluntas remurmurat, sed patienter sustinet: secundo modo, quod voluntarie acceptat: tertio modo, quod voluntarie causat: et hoc dupliciter, scilicet vel ut causa proxima partialis, et non intendens junctum effectum: vel ut causa remota principalis, et intendens effectum, et sic habentur quatuor membra.* Subjicit rationem hujus distinctionis: *Quia, inquit, in primis duobus modis tristitia est objectum tantummodo volitionis; in tertio est effectus tantum, et non objectum: in quarto vero objectum est, et etiam effectus, nisi aliquid impediatur.*

QUÆSTIO TERTIA.

QUODNAM SIT OBJECTUM PŒNITENTIÆ.

NOTANDUM 1. Quod cum virtus habitualis dumtaxat innotescat per actus, actus vero per objecta, non potest melius declarari, nec apparere Pœnitentiæ virtutis entitas et natura, quam per notitiam illius objecti. Est autem duplex objectum: unum quidem *materiale*, alterum *formale*: sic appellatum per analogiam cum materia, et forma physice constitutiva alicujus totius. Quemadmodum enim materia est de se indifferens ad varias formas, et subinde ad varia composita constituenda;

per formam autem ad certum compositum determinatur, ita res, circa quam virtutes occupantur, cum ex se sit indifferentis ad varias rationes amoris aut odii, et consequenter ad varias virtutes constituendas, dicitur objectum materiale: ipsa vero ratio motiva amoris, vel odii, per quam illa res determinatur ad certam virtutem constituendam, dicitur objectum formale. Sic pecunia v. g. danda homini indigenti dici potest objectum materiale, quia est indifferentis ad virtutem eleemosynæ, liberalitatis, ut justitiæ restitutivæ; at datio istius pecuniæ propter sublevandam illius indigentis miseriam ex compassione, determinat ipsam pecuniæ largitionem ad virtutem eleemosynæ sicut ejusdem largitio, ut restituatur ablatum, ipsam pecuniam determinat ad virtutem justitiæ restitutivæ.

NOTANDUM 2. Objectum materiale virtutis rursus esse duplex, nempe remotum, et proximum. Objectum *proximum* appello circa quod primo virtus occupatur: sic actus internus vel externus cultus divini, qui assumitur in signum summæ Dei excellentiæ, et nostræ in eum observantiæ et subjectionis, dici potest objectum proximum virtutis Religionis; similiter objectum materiale proximum Pœnitentiæ, ut est justitia vindicativa, dici potest id omne quod assumitur ad constituendam æqualitatem inter culpam et pœnam, nempe ipsa pœna culpæ correspondens. Quæ utique nihil aliud est, quam actus internus, vel externus assumptus ad vindicandum: pœna enim est id, circa quod primarius effectus Pœnitentiæ versatur, hoc est, quod immediate Pœnitentia intendit: siquidem intendit pœnam infligere pro peccato commisso. Objectum autem *remotum* illud voco, inter quod et internum actum a virtute Pœnitentiæ elicited aliquid mediat: sic inter peccatum, seu malum ut vindicabile, et actum internum Pœnitentiæ, nempe voluntatem vindicandi, intercedit vindicta; unde sequitur malum ut vindicabile, esse objectum remotum.

NOTANDUM 3. Malum vindicabile nihil aliud esse quam id quod meretur pœnam in vindictam, quodque Deus vult puniri; quo fit ut omne peccatum non solum mortale, sed etiam veniale, sub ratione mali vindicabilis comprehendatur: licet enim peccatum veniale non offendat Deum graviter, nec ideo mereatur gravem pœnam, seu punitionem, nihilominus certum est ipsum pœnam aliquam mereri; siquidem pœna correlativa est culpæ: ergo ubi culpa levis, saltem levis debet esse pœna, levisque pœnitio. Hæc autem pœna tamdiu debetur peccato, quamdiu remanet sub ratione peccati et offensæ Dei, et consequenter donec per Pœnitentiam eluatur; « Nam, *inquit* Doctor, « dist. 14. qu. 1. num. 7. nihil aliud est post actum peccati, cessante « offensa, macula, et reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio « ad pœnam, ut est disconveniens ipsi animæ, dicitur ejus macula, « sicut per oppositum pulchritudo; ut autem est obligatio formaliter « ad illam pœnam, dicitur reatus; et ut est actus voluntatis divinæ, « in qua est tota ista realitas, per quem actum ordinatur ad talem « pœnam, dicitur offensa. Nihil enim aliud est offendi vel irasci in « Deo, quam velle vindicare ista pœnâ; et licet Deus dicatur figurative iratus, vel offensus, tamen accipiendo istam rationem irasci pro « velle vindicare, exclusâ passione concomitante istius velle, Deus « formaliter est iratus, vel offensus; quia formaliter est volens vin-

« dicare peccatum commissum contra legem suam ». Unde subdit n. 8. « illud quod dictum est remanere post actum in peccatore, potest de-
« leri, et quandoque deletur, juxta illud symboli, *Remissionem peccato-*
« *rum*. Et num. 9. Dico quod non remittitur sine pœna, vel æquivalente
« in acceptatione divina, quia per quodcumque peccatum offenditur
« Deus, sicut Scriptura satis clamat: offensa autem ejus vel ira, ut dic-
« tum est, est ejus velle vindicare, vel aliquid sufficiens ad placandum
« exigere: ergoposito quocumque peccato, Deus vult vindicare de pec-
« cante; sed velle vindicare est velle punire: ergo post peccatum com-
« missum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens
« in acceptatione divina ». *Ita Doctor*, quibus verbis significat etiam
peccatum habituale comprehendi sub objecto virtutis Pœnitentiæ.

His præmissis, tria supersunt determinanda: *Primum*, quodnam sit
objectum proximum, in quod tendit Pœnitentiæ: *secundum*, quodnam
sit ejus objectum materiale remotum: *tertium*, quodnam sit ejus objec-
tum formale.

Conclusio prima. — OBJECTUM PROXIMUM PŒNITENTIÆ VIR-
TUTIS EST QUILIBET ACTUS PŒNITENTIS, SIVE INTERNUS SIVE EXTER-
NUS, QUI ELICITUR, ET ASSUMITUR AD VINDICANDUM PECCATUM.

Patet hujus assertionis veritas ex secundo Notabili; quemadmodum
enim objectum proximum materiale justitiæ commutativæ est illud
omne, quod assumitur ad constituendam æqualitatem inter datum et
acceptum; justitiæ vero distributivæ sunt præmia seu bona com-
munia, quæ juxta uniuscujusque meritum distribuuntur; pari ratione
objectum materiale proximum Pœnitentiæ, ut est justitia vindicativa,
erit id quod assumitur in ultionem admissæ offensæ: hoc autem nihil
aliud est, quam actus internus vel externus pœnalis, qui assumitur
ad vindicandum: igitur hic uterque actus censi potest objectum pri-
mariæ Pœnitentiæ:

Deinde, illud est objectum primarium materiale virtutis Pœnitentiæ,
quod primum per eam intenditur: sed illa primario intendit penam
infligendam in ultionem criminis; illud enim primario Pœnitentiæ in-
tendit, a quo ipsa suam rationem formalem ac denominationem obtinet:
sed utrumque habet a pœna in ultionem assumpta: siquidem Pœni-
tentiæ dicitur a pœnæ tenentia; et ejus ratio formalis, quatenus est
specialis virtus, maxime consistit in ratione vindictæ: igitur ab ea
pœna in ultionem assumpta suam mutuatur rationem formalem.

DICES: Pœna est effectus pœnitentiæ: igitur non potest censi illius
objectum primarium. — **Nego consequentiam:** siquidem in virtutibus
moralibus iidem actus externi, qui a virtute fiunt, et sunt effectus
internorum actuum voluntatis elicitorum a virtute, iidem, inquam,
actus, quatenus priores in ordine intentionis, sunt objectum, seu ma-
teria aliarum virtutum, ut patet exemplo justitiæ distributivæ et com-
mutativæ; quidni igitur pœna in ultionem assumpta, quæ est quasi
effectus ipsius Pœnitentiæ, censi poterit ejusdem primarium objectum?

INSTABIS: Objectum primarium habet rationem finis saltem imme-
diati: sed finis et effectus non possunt esse unum et idem: igitur cum
actus, quibus assumitur pœna in ultionem peccati, habeant rationem
effectus Pœnitentiæ, non possunt censi illius objectum primarium. —

Nego minorem; tritum est enim apud Philosophos, finem et effectum posse in idem coincidere sub diversis respectibus; sanitas enim potest esse simul effectus, et finis ambulationis; et cultus divinus, seu actus internus, vel externus, qui assumitur in signum summæ Dei excellentiæ, et nostræ subjectionis est effectus virtutis Religionis, et simul finis proximus, qui ab ea intenditur, seu objectum, quod ipsa proxime intendit: quidni igitur eadem pœna, quam pœnitens sibi infligit, poterit esse simul effectus, et finis proximus, seu objectum, quod proxime Pœnitentia intendat?

Conclusio secunda. — OBJECTUM MATERIALE REMOTUM VIRTUTIS PŒNITENTIÆ EST OMNE PECCATUM, TAM ACTUALE QUAM HABITUALE A PŒNITENTE COMMISSUM.

Probat: Illud est objectum materiale remotum virtutis Pœnitentiæ, quod ipsa intendit aliquo medio: sed Pœnitentia fertur in peccatum mediante pœna in vindictam assumpta: igitur peccatum proprium et a pœnitente commissum censetur objectum remotum Pœnitentiæ. Dici tamen posset objectum proximum, quatenus attingitur ab actu elicitō ipsius Pœnitentiæ; nam, ut optime advertit noster Bosco, disp. 6. Sect. 1. Conc. 7. Pœnitentia ex vi ejusdem affectus, et effectus, qui proxime ab ipsa emanat, eodem motu, quo versatur circa aliquam operationem, attingit etiam peccatum; non enim pœnitentiæ virtus consistit in nuda illa operatione, idest, in voluntate vindicandi, quæ significatur per hanc locutionem, *volo vindicare*, sed per illam transit in ipsum peccatum, ita quod hæc voluntas, *volo vindicare peccatum*, applicet de facto pœnam debitam peccato. — Dixi *omne peccatum, tam actuale quam habituale*, esse objectum virtutis Pœnitentiæ: quamquam enim interdum remaneat habitus vitiosus etiam in justificatis, nihilominus, ut docet Lugo disp. 3. num. 15. hic habitus sic perseverans potest esse materia Pœnitentiæ, quantum ad actum retractationis; possum enim velle non fuisse illud peccatum, ne offenderetur Deus; quemadmodum post vulneris vel morbi curationem dolere possum de causa, quæ morbum aut vulnus intulit. Insuper velle possum illud peccatum vindicare, ac pro eo satisfacere, si remissio sit dubia, vel sub conditione, ex hypothesi quod dimissum non sit. Quod utique multo verius est de peccato habituali remisso: nam, ut præclare docet Doctor, dist. 14. q. 1. « illud quod remanet post actum in peccatore, potest deleri, et « quandoque deletur, juxta illud Symboli: *credo remissimem peccatorum*. Deus est remissivus peccatorum, et quandoque remittens peccata; et hoc probatur sic: quia aliquando prædestinatus labitur in « peccatum mortale. Patet de David, Petro, et Paulo, et quasi innumeris. Non autem potest beatificari, ad quod principaliter ordinatur « per prædestinationem, nisi deletō peccato, accipiendō peccatum modo « prædicto; quia nullus beatificatur, remanens obligatus ad pœnam « solvendam, quia vel simul solvendam cum gloria, quod est impossibile, quia ad minus secundum dispositionem divinam, gloria illa, « et pœna quæcumque repugnant; vel post glorificationem solvendam, « quod similiter est impossibile, quia Deus disponit illam gloriam in « quocumque finalem esse, ita quod non sequetur aliqua pœna: ergo « oportet ante glorificationem remitti, vel deleri istam obligationem

« ad pœnam quandoque sustinendam. *Secundo* dico, quod non remittitur sine pœna, vel æquivalenter in acceptatione divina, quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, sicut et Scriptura satis clamat; offensa autem ejus, vel ira, ut dictum est, est ejus *velle vindicare* vel aliquid sufficiens ad placandum exigere: ergoposito quocumque peccato Deus vult vindicare de peccante: sed velle vindicare est velle punire; ergo post peccatum commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens in acceptatione divina ». *Hæc Doctor*, quibus verbis significat non solum reatum culpæ remanentem post actionem peccaminosam, sed etiam habitum vitiosum esse vindicabilem, seu ordinabilem ad pœnam; ac subinde esse objectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

DICES: Virtus specialis debet habere objectum speciale: sed Pœnitentia est virtus specialis: igitur debet habere determinatum objectum; at omne peccatum non est determinatum objectum alicujus virtutis, sed omnium: siquidem omnes virtutes generatim sumptæ militant in omnia peccata, quælibet enim habet aliquod determinatum vitium, cui opponatur. — *Distinguo consequens*: debet habere objectum determinatum formale, *concedo*: materiale, *nego*. Licet autem Pœnitentia tendat in omnia peccata, quæ ab aliis virtutibus seorsim ac distributive impugnantur, attamen speciali aliqua ratione pœnitentia tendit in peccata, sub qua ab aliis virtutibus non attinguntur, nempe sub ratione vindicabilis et punibilis, ut apparebit ex sequenti Conclusionē.

Conclusio tertia. — OBJECTUM FORMALE AC SPECIFICATIVUM VIRTUTIS PŒNITENTIÆ EST PECCATUM UT VINDICABILE. Hæc est Doctoris, dist. 14. q. 2. num. 4. ubi ait: « Pœnitere est actus specialis virtutis. *Probat*ur, quia ille actus natus est habere speciale objectum, et speciales circumstantias ordinatas: objectum quidem, nempe peccatum vindicabile; circumstantias vero, quæ conveniunt actui. ut recte tendenti in tale objectum, scilicet finem, modum, et ejusmodi ». *Et infra* n. 9. demonstrat Pœnitentiam esse minus perfectam, quam sit actus charitatis, « quia, *inquit*. per se objectum charitatis est Deus sub ratione objectiva nobilissima; proprium autem objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est vindicandum ».

*Probat*ur autem **Conclusio**: Peccatum, in quod tendit Pœnitentia, speciali ratione debet attingi, sub qua non attingatur ab aliis virtutibus: sed illa ratio non est alia, quam vindicabilitas, seu obligatio ad puniendum peccatum: igitur, etc. *Major constat. Probat*ur minor: si aliqua esset ratio, sub qua Pœnitentia tenderet in peccatum, maxime illius malitia, quatenus detestanda et execranda: sed hæc ratio non est peculiaris Pœnitentiæ; siquidem omnes virtutes, saltem quæ tendunt in Deum, etiam tendunt in detestationem peccati; charitas enim illud execratur, quatenus est malum oppositum infinite Dei bonitati, quam ipsa considerat; omne namque peccatum est malum Dei, saltem extrinsece, quia displicet Deo, et ipsius gloriæ adversatur: cum autem ejusdem virtutis sit detestari malum oppositum objectum, cujus est objectum illud prosequi, hæc ratione charitas detestatur quodlibet peccatum. Similiter cum omne peccatum nos privet supernaturali beatitudine, et subjiciat pœnis æternis a Deo vindice infli-

gendis, detestatio peccati ex ejusmodi motivo spectabit non ad Pœnitentiam, sed ad spem. Potest etiam peccatum considerari quatenus militat in Dei honorem, observantiam, et cultum; et sic illius detestatio spectat ad virtutem Religionis, et sic dicendum de cæteris virtutibus, quæ tendunt in Deum, ac subinde ratio detestationis non potest esse propria soli virtuti Pœnitentiæ, ac consequenter peccatum, ut detestabile, non est formale et specificativum ipsius virtutis objectum.

Deinde: Peccatum, ut vindicabile, debet attingi ab aliqua virtute: sed non potest attingi ab alia, quam a Pœnitentia: igitur ut sic est illius objectum specificativum. *Major constat;* nam, inquit S. Augustinus, lib. 1. *Confess. Jussisti, Domine, et ita est, ut pœna sit sibi quisque peccator.* Et merito quidem; cum enim, ut supra dicebat Doctor, per quodcumque peccatum offendatur Deus, ac propterea moveatur in peccatorem affectu vindictæ; velle: utem vindicare idem sit ac velle punire: inde fit quod homo peccator non possit reconciliari Deo, nec eum placare, quin prius in se peccatum vindicet et puniat. *Minor etiam constat:* nulla siquidem virtus tendit in peccatum, quatenus puniendum, ut Deo fiat satis, nisi sola Pœnitentia: igitur, etc.

DICES: Jus divinum læsum, per offensam, et resarciendum per satisfactionem et compensationem quamdam, est objectum formale Pœnitentiæ: igitur illud objectum non est peccatum, ut vindicabile et punibile. — **Respondeo,** *negando antecedens:* jus enim divinum sic spectatum dici quidem potest finis Pœnitentiæ, non vero illius objectum: idcirco enim Pœnitentia tendit in vindictam peccati, ut quantum in peccatore est, cum Dei auxilio, faciat satis Deo, et illata ei injuria resarciatur; sicque illa divini juris restitutio ac reparatio offensæ est finis movens pœnitentem ad vindicandum peccatum; unde illud jus divinum, ut compensandum, potius habet rationem finis, quam objecti respectu virtutis Pœnitentiæ.

QUÆSTIO QUARTA.

QUODNAM SIT SUBJECTUM TAM IMMEDIATUM, QUAM MEDIATUM VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

NOTANDUM 1. Habitus generatim distribui in *intellectivum* et *appetitivum*. *Intellectivus* est, qui subjective in intellectu recipitur; isque est duplex, alius *acquisitus* propriis ac geminatis actibus; alius divinitus *infusus*, et ex speciali Dei liberalitate. *Infusus* iterum duplex, nempe vel *quoad substantiam*, qui videlicet nullo prorsus humano studio comparari potest, sed ex sola Dei liberalitate, quales sunt virtutes theologicæ; vel *quoad modum*, qui videlicet proprio labore comparari possent, et ex repetitis actibus generari; sed non cum tanta facilitate, nec temporis brevitate; tales sunt habitus scientiæ, aut virtutum moralium interdum a Deo hominibus concessi. *Acquisitus* similiter duplex, videlicet *speculativus*, et *practicus*. *Speculativus* ille est, qui ad nudam objecti contemplationem inclinatur, nec circa illud aliquid molitur, quod ad regulandam voluntatem spectet. Isque iterum duplex, nempe *realis*, ut metaphysicus, mathematicus, et physicus; vel

rationalis, ut grammaticus, rethoricus, et logicus. *Practicus* est, qui circa agibilia versatur, ut prudentia; vel circa factibilia, ut artes tam-mechanice, quam liberales. *Habitus appetitivus* ille est qui subjective in appetitiva facultate residet. Qui iterum duplex; scilicet acquisitus, et infusus. Acquisitus rursus duplex, scilicet in ordine ad se, ut fortitudo, temperantia; vel in ordine ad alterum, ut Justitia. Infusus similiter est duplex, nempe in ordine ad se, ut spes; et in ordine ad alterum, ut charitas. Quæritur autem ad quem hujusmodi habituum ordinem revocanda sit Pœnitentia.

NOTANDUM 2. Duplex generatim esse cujuslibet habitus virtutis subjectum, videlicet immediatum et mediatum. *Primum* est facultas, in qua habitus ille immediate residet, quamque promptam et expeditam efficit ad eliciendos suos actus; quod utique subjectum triplex ab aliquibus distinguitur, videlicet intellectus, voluntas, et appetitus sensitivus; prudentia namque subjectatur in intellectu, justitia in voluntate, temperantia vero et fortitudo, secundum S. Thomam, in appetitu sensitivo. Verum reclamat Subtilis Doctor contendens, eam pariter in voluntate recipi. *Secundum* sunt personæ, seu supposita, in quibus virtutes illæ resident. Quæritur ergo quodnam sit subjectum immediatum et mediatum virtutis Pœnitentiæ, seu in qua facultate, et in quibus personis ipsa resideat.

NOTANDUM 3. Virtutem appetitivam esse habitum, qui voluntatem inclinât ad aliquid volendum, et fugiendum. Qui utique duplex generatim assignatur, juxta duplicem ordinationem; quam habitus ille intendit: quidam enim ordinat subjectum ad se, nempe ad recte yolendum ea, quæ spectant ad subjectum in quo residet, quales sunt temperantia, et fortitudo; istæ namque virtutes ordinant hominem circa ea, quæ ipsi conveniunt. Alius vero ordinat ad alterum, nempe ad præstandum et tradendum ei quod suum est, qualis est justitia, quæ inclinat habentem ad volendum alteri quod suum est. Unde ex virtutibus quædam sunt, quæ hominem rectum faciunt in seipso absque ulla ordinatione ad alium. ut temperantia, cujus effectus est moderatio passionum appetitus concupiscibilis in ordine ad seipsum; quædam vero faciunt hominem rectum in ordine ad alterum, ut justitia, cujus munus est hominem regere, ut alteri reddat quod suum est.

His ita observatis, duo restant determinanda, nempe quodnam sit subjectum tam immediatum, quam mediatum virtutis Pœnitentiæ.

Conclusio prima. — VIRTUS PŒNITENTIE RESIDET IMMEDIATE IN VOLUNTATE, PROUT ORDINATUR AD ALTERUM. Ita Doctor, dist. 14. q. 2. n. 5. ubi ait: *Pœnitere non est actus alicujus virtutis intellectualis, quia est actus appetitus, ut appetitus, qui imperat intellectui, ut consideret, et voluntati ut detestetur... Porro hoc imperare non convenit nisi appetitui, vel voluntati; neque enim aliqua vis sensitiva potest imperare intellectui, et voluntati, et conjungere eos in actibus suis; neque intellectus sibi, et voluntati: sed sola voluntas, sibi. et intellectui imperat: hoc est, Pœnitentia est velle vindicare peccatum: sed hoc velle soli voluntati convenit, quia imperare intellectui ut consideret, et voluntati ut detestetur gravitatem offensæ non competit, nisi soli voluntati; non enim convenit potentiæ sensitivæ, quia*

nulla facultas sensitiva potest imperare intellectui, vel voluntati; siquidem appetitus sensitivus rationali subicitur, juxta illud Genesis: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius*: neque etiam convenit intellectui, quia intellectus non potest imperare sibi ipsi, neque voluntati: igitur illud imperium, seu velle vindicare peccatum, spectat dumtaxat ad voluntatem.

Quod utique confirmat Doctor: quia sola voluntas potest imperare sibi ipsi, necnon et intellectui, ut docet S. Augustinus, lib. 11. *De Trinitate*, cap. 3. ubi scribit, quod *Voluntas copulat parentem cum prole*, id est, conjungit intellectum secundum speciem intelligibilem cum cognitione actuali, quæ est ejus proles: unde parens cognitionis est memoria fecunda, nempe intellectus ab objecto seu specie intelligibili fecundatus: proles autem est actus intelligendus, vel ipsa intelligentia: ita quod voluntas copulat parentem cum prole, dum præcipit intellectui, ut una cum objecto producat actum intelligendi. Similiter voluntas sibi ipsi imperat; siquidem nihil est magis in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas, id est, ejus actus: igitur cum ad voluntatem spectet imperare, consequens est, quod velle imperativum, seu voluntas vindicandi peccatum, quæ est ipsemet virtutis Pœnitentiæ actus, ad voluntatem, non autem ad intellectum spectet.

Probat secundo Doctor *ibidem*: virtus intellectualis ordinatur ad cognitionem veri, ut verum est: virtus enim intellectualis judicat verum esse, vel non esse verum, sive in speculandis, sive in agendis, et dicat hoc esse speculandum vel non esse speculandum, agendum vel non agendum: sed Pœnitentia, seu velle vindicare peccatum, non est actus, quo sic dictetur aliquid agendum vel fugiendum, speculandum vel non speculandum; sed quo imperetur peccatum esse puniendum: igitur velle vindicare non est actus intellectus, neque appetitus sensitivi, sed voluntatis; ac subinde virtus Pœnitentiæ in sola voluntate residet.

Probat secundam partem *ibidem* Doctor, nempe quod velle vindicare peccatum a se commissum sit actus virtutis appetitivæ ordinantis ad alterum, cujusmodi est justitia; « quia, *inquit*, actum istum « vindicandi potest aliquis eodem modo secundum rectam rationem « exercere in alterum, sicut in seipsum: si etiam exerceat in seipsum, « non exerçet in se, nisi ut in alterum; quia non exerçet in se, nisi « quantum sibi committitur a Legislatore in istum reum vindicare. « Sed accidit, quod iste, cui committitur ut ministro judicis sit iste « reus, quia eodem modo exerçet secundum rectam rationem ministri « in reum, si esse omnino alius in persona: ergo ista virtus, cujus « natus est esse iste actus, continetur sub justitia, prout in generali « dicitur justitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quasi ad al- « terum. Nec obstat, quod ille in actu isto ordinatur ad seipsum, quia « non ad se, nisi ut alterum, ut scilicet minister Judicis in reum « contra legem, in quem commissa est sibi auctoritas a Judice ». *Ita Doctor*, quibus verbis significat, quod quando pœnitens vindicat peccatum a se commissum, agit erga seipsum tamquam si esset persona distincta, ut enim sibi pœnam præscribit et infligit, refert personam Judicis; ut vero illam patitur, reum repræsentat, cui a Judice præscribitur pœna luenda.

DICES 1: Pœnitentia est iudicium, quo intellectus dictat pœnam esse pro peccato subeundam, ut quantum peccator se glorificavit in deliciis, tantum subire debeat tormentum et luctum: sed iudicium istud est actus intellectus, non vero voluntatis: igitur Pœnitentia residet potius in intellectu, quam in voluntate. — **Distinguo majorem:** est tate iudicium præsuppositive, *concedo:* formaliter et entitativo, *nego.* Fateor equidem, quod ad veram Pœnitentiam exercendam præsquiratur, ut intellectus cognoscat peccati malitiam et gravitatem, quatenus pœnam luendam pro condignitate dictitet; nam *Deuteronomii 25. Pro mensura peccati erit et plagarum modus:* verum in hoc dictamine non consistit ratio formalis Pœnitentiæ, sed ultra requiritur, ut voluntas imperet peccati vindictam per animi dolorem, cordis contritionem, et mortificationem corporis; in quo quidem imperio maxime consistit ratio formalis Pœnitentiæ.

DICES 2: Pœnitentia ordinatur ad eluendum omne peccatum: sed non potest peccatum eluere et expellere, nisi sit in eo subjecto, in quo peccatum inest; non enim potest expellere peccatum, nisi quatenus ei contrariatur; habitus autem virtutis, et vitii, sicut et alia contraria, non censentur oppositi et incompatibiles, nisi respectu ejusdem subjecti, cui possunt inexistere: igitur ut Pœnitentia peccatum expellat, debet esse in eodem subjecto in quo peccatum residet: at peccatum est in qualibet facultate; nam per cujuslibet facultatis operationem peccatur: igitur Pœnitentia debet in qualibet facultate residere. — **Distinguo majorem:** debet eluere et expellere, formaliter, *nego:* effective, *concedo.* *Minorem similiter distingo:* non potest eluere peccatum formaliter, nisi sit in eo subjecto, in quo peccatum residet, *concedo:* non potest eluere effective et imperative, *nego.* Unde neganda est *consequentia.* Cum enim ratio formalis Pœnitentiæ consistat in velle vindicare peccatum, istudque velle ratione dominii voluntatis in alias animi et corporis facultates, in eas omnes sese extendat, ac suum imperium dirigat; idcirco non est necesse quod in eis facultatibus formaliter existat: sed sufficit, quod resideat in voluntate, quæ est princeps, et moderatrix aliarum facultatum. *Adde quod* peccatum formaliter non existat in alia facultate, quam voluntate; omne siquidem peccatum eatenus peccatum est, quatenus est liberum.

Conclusio secunda. — PŒNITENTIA POTUIT ESSE IN STATU INNOCENTIÆ, ET IN ANGELIS AC BEATIS, SALTEM SECUNDUM ALIQUAM SUI RATIONEM: PROPRIE VERO AC FORMALITER EST IN PECCATORIBUS PŒNITENTIBUS POST LAPSUM. Hæc est Doctoris quoad omnes partes, quarum.

Primam declarat dist. 11. q. 2. num. 19. ubi loquendo de Angelis, et primis parentibus in statu innocentiae, postquam dixit: « *Ad tertium* argumentum potest responderi dupliciter: uno modo, ex quo « virtus est in nobis supplementum defectus naturalis (unde non potest « nuntur virtutes morales a quibusdam in Angelis), nec in statu Innocentiae fuissent tales in natura, quales nunc; nec ergo tunc fuisset « necessitas habendi omnes virtutes, quas et nunc; et hoc specialiter « de virtutibus, quæ non habent bonum pro objecto, sed malum, ut « Pœnitentia; quia in statu illo non fuisset illud malum, sicut forte

« nec tunc fuisset Patientia, quia nec materia patientiæ »; subdit aliam sententiam: « *Aliter dici potest, quod Pœnitentia est habitus inclinans ad faciliter vindicandum in se reum, et quod in se, hoc est, materiale, quia formalis ratio virtutis esset eadem, si committeretur sibi vindicare in alium reum: Beatus autem, et Innocens possunt habere habitum prompte vindicandi in alium reum: ergo et in se, si tamen reatus inesset; et sic potest concedi, quod in statu Innocentiæ et Beatitudine manet ista virtus.* Ubi, ut perspicue manifestum est, Doctor utramque sententiam tamquam probabilem proponit. — Similiter 3. dist. 33. qu. 1. problematice disputat, an in Angelis dentur veræ virtutes morales. « *Ad primum, (inquit num. 16.) concedi potest, quod si Angelus esset creatus in puris naturalibus, non habens in voluntate virtutes morales, possent generari in eo ex multis rēctis electionibus, non quidem citra passiones in appetitu sensitivo sibi inextente, nec etiam quæ infuerunt vel inerunt, vel possunt inesse; sed solum circa tales passiones in universali ostensas per intellectum; qua ostensione posita, et dictato quid esset eligendum, si possibile esset eas haberi ab eis, voluntas ejus consona tali dictamini ex multis electionibus posset habere habitum moralem rectum.* » *Ita Doctor, quibus satis aperte significat Pœnitentiam, sicut et alias virtutes morales, versari posse circa objectum, non solum quod est, vel infuit, vel inerit, aut potest inesse; sed etiam circa objectum ipsis proprium et universale. Unde Pœnitentia, quatenus inclinatur voluntatem ad vindicandum peccatum in universali, et abstrahendo ab eo quod sit commissum a propria, vel aliena persona, nedum in Angelis, sed etiam in Adamo esse potuit in statu innocentiae. Addo, Pœnitentiam revera potuisse vere ac proprie reperiri in statu innocentiae; cum enim in eo statu Adamus potuerit peccare venialiter, ut docet Doctor in 2. dist. 21. qu. 1. num. 73. planum est Adamum de illo peccato veniali potuisse pœnitere, ac sumere vindictam, ut ibidem satis aperte innuit Doctor; respondens enim ad secundum argumentum in oppositum, quod erat de pœna arcenda ab eo felici statu, et subinde etiam arcendum omne peccatum veniale, ait: *Alia pœna quam mors potest respondere veniali, puta displicentia aliqua vel aliquid hujusmodi. Vel potest dici quod pœna sibi proprie non correspondet, sed committens veniale est debitor ferventioris actus voluntatis, quam prius, qui fervor consumeret peccatum veniale. Nec obfuisse innocentiae Adæ habuisse pœnam debitam veniali præter mortem.**

DICES: Scriptura sacra, SS. Patres, et Concilia, quoties sermonem instituunt de Pœnitentia, per eam semper intelligunt vindictam de proprio peccato, seu detestationem et dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: igitur virtus Pœnitentiæ non potest esse in iis, in quibus non est peccatum; ac subinde non potuit esse in Angelis, nec in Adamo in statu innocentiae. — **Respondeo**, id quidem verum esse, quia videlicet loquuntur de Pœnitentia, quatenus de facto est necessaria dispositio ad remissionem peccatorum, non autem prout est virtus aliqua moralis inclinans voluntatem ad procurandam æqualitatem inter pœnam et culpam, quatenus illam usurpat. Doctor in secunda sua responsione, quo sensu Pœnitentia etiam esse potuit in voluntate B. Virginis, imo et Christi Domini circa peccatum

in universali per intellectum ostensum; qua ostensione posita simul cum dictamine ejusdem intellectus circa id quod esset eligendum, in hypothesi quod possibile esset peccatum illud, voluntas etiam consona tali dictamini, posset pluries habere electionem circa vindictam peccati; et ex hac multiplici electione sibi comparare posset habitum moralem rectum virtutis Pœnitentiæ, quo illa voluntas inclinaretur ad procurandam æqualitatem inter penam et culpam, ex hypothesi quod ipsa culpam admitteret. Unde quamvis voluntas Christi, necnon et B. Virginis, esset impeccabilis, nec consequenter potuissent habere actum absolutum vindicandi peccatum in se, tamen habere potuerunt actum conditionatum, dicendo: *Si ego peccassem, vindicarem in me peccatum*: cum enim actus illi quatenus sunt absolute elicitii a nobis sint veri ac perfecti actus Pœnitentiæ, et ex talibus in nobis generetur perfectus Pœnitentiæ habitus; simili ratione ex illa voluntate conditionata generari potuit in Christo, necnon in B. Virgine; quippe cum nulla appareat ratio disparitatis.

Fateor tamen Pœnitentiam, quatenus significat animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, quemadmodum illam describit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 4. eamque dividit in contritionem charitate perfectam, et contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, posse dumtaxat existere in voluntate hominis peccatoris; quia ipsi dumtaxat competit præcisus et hujus Pœnitentiæ actus, nempe velle vindicare peccatum a se commissum, cum dolore et laboriosa satisfactione, necnon proposito non peccandi de cætero; ac subinde subjectum denominationis seu mediatum Pœnitentiæ virtutis, quatenus vulgo usurpatur a Theologis, esse dumtaxat hominem peccatorem in statu vitæ.

SECTIO SECUNDA.

DE NECESSITATE PŒNITENTIÆ.

TERTULLIANUS, lib. *De Pœnitentia*, cap. 4. Pœnitentiæ necessitatem ac summam utilitatem ex divino præcepto commendat: *Audaciam, inquit, existimo de bono divini præcepti disputare; neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit: ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est poenitere, an non? Quid revolvis? Deus præcepit: at ille non præcepit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio salutem; jurans etiam Ezechielis 33. Vivo dicens. cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miseros, si nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat: quod etiam humano more sub deuratione testatur, summa utique gravitate, et aggredi. et custodire debemus: ut in asseveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus, et emolumento proinde perseverare possimus. Quibus verbis Pœnitentiæ necessitatem ex solo divino præcepto colligit. Quoniam autem duplex solito rerum ad salutem deservientium necessitas occurrit, alia quam appellamus *modii*, altera vero quæ *præcepti* necessitas dicitur; idcirco duplex potissimum hæc in Sectione instituenda est quæstio, utrum videlicet hoc utroque modo Pœnitentia sit necessaria peccatori ad salutem.*

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM, ET QUÆ RATIONE PŒNITENTIA VIRTUS PECCATORI SIT NECESSARIA AD SALUTEM CONSEQUENDAM.

NOTANDUM 1. Duplicem, ut mox dictum est, quantum ad præsens attinet, esse necessitatem in ordine ad salutem; nempe finis seu *medii*, et *præcepti*, seu divini mandati. Illud dicitur necessarium necessitate finis seu medii, quod est simpliciter necessarium ad vitæ æternæ consecutionem, etiamsi nulla extet obligatio præcepti; sicut e converso illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod ordinatur ad salutem dumtaxat ex divino præcepto. Unde si quis excusatur ab obligatione præcepti, vel propter mentis inopiam, vel corporis infirmitatem, poterit absque tali medio vitam æternam consequi. Sic infantes, et amentes, propterea quod non sint rationis compotes, salvari possunt absque observantia præceptorum Dei et Ecclesiæ; sic pariter infirmi salvari possunt, etsi non faciant satis præcepto jejunandi, a quo excusantur propter infirmitatem.

NOTANDUM 2. Quod ea, quæ sunt necessaria necessitate finis, sunt in duplici differentia: quædam habent necessitatem *intrinsecam* ex intrinseca connexionione, quæ reperitur inter ipsa media, et finem ultimum, nempe vitam æternam; et hoc modo gratia, sive charitas sunt necessaria necessitate finis. Quædam vero necessaria ex sola *institutione Dei* ita statuentis ac ordinantis medium aliquod tamquam necessarium ad salutem pro aliquo determinato tempore, quod alias ita necessarium non erat; sic Baptismus in Lege Evangelica necessarius est ad salutem, cum antea talem necessitatem non induceret, sub Lege naturali, et scripta seu Mosayca. Porro inter ista duo media hoc discrimen intercedit, quod media prioris in omni statu, et omnibus modis sunt necessaria ad salutem æternam; media autem secundi generis non item, sed pro illo statu dumtaxat, pro quo fuerunt instituta. Quæritur ergo, utrum Pœnitentia virtus necessaria fuerit ad salutem ex necessitate intrinseca, et in omni statu; an dumtaxat ex ordinatione divina, et pro aliquo statu determinato.

NOTANDUM 3. Quod inter ea, quæ sunt necessaria necessitate finis ex institutione Dei, quædam sunt simpliciter necessaria; ita ut neque per se, neque per accidens vita æterna possit obtineri absque hujusmodi mediis; sic Baptismus in re susceptus necessarius est parvulis; Quædam vero sunt quidem per se necessaria ad vitam æternam; per accidens tamen in aliquo particulari casu, vel propter ignorantiam invincibilem, vel quia non adest facultas applicandi ejusmodi media, inde fit quod reddantur non necessaria: ita quod absque hujusmodi mediis adhibitis possit haberi salus; qua ratione Baptismus in re susceptus non dicitur necessarius aliquibus adultis, qui facultatem non habent illum sibi procurandi. Quærimus ergo, utrum Pœnitentia virtus, quatenus sumitur vel generatim pro detestatione et dolore de peccatis, vel speciatim, seu prout est specialis virtus ab aliis distincta, sit per se necessaria ad salutem, et peccati remissionem.

Conclusio prima. — PŒNITENTIA, QUATENUS EST SPECIALIS VIRTUS A CÆTERIS DISTINCTA, ET IMPORTAT DUMTAXAT VELLE VIN-

DICARE PECCATUM, NON EST ABSOLUTE NECESSARIA AD PECCATI REMISSIONEM. Hæc est Doctoris, dist. 14. q. 2. num. 23. ubi ait: *De secundo principali, scilicet an pœnitere, ut actus virtutis est, requiratur ad deletionem peccati; dico quod non, ut actus unius determinatæ virtutis. Quod utique sic*

Probat: *Quia, inquit, pœnitere secundum quamcumque quatuor significationum* (puta vindicare peccatum commissum, illud idem peccatum detestari, et acceptare pœnam inflictam, et patienter illam ferre) *sufficit. ut probatur auctoritate Ezechielis; 18. et 33. Quacumque hora ingemuerit peccator, etc. Actus autem primus et alii non necessario sunt alicujus ejusdem determinatæ virtutis; sed primus justitiæ, ultimus patientiæ, duo intermedii cujuscumque virtutis appetitiæ.* Quibus verbis significat virtutem Pœnitentiæ, quatenus ab aliis distinctam, non esse absolute necessariam ad remissionem peccati; ac proinde nec absolute necessariam ad salutem, quippe cum peccatum remitti possit non solum per actum amoris Dei, ut dicemus infra, sed etiam per Pœnitentiam generatim sumptam, quatenus importat detestationem ac dolorem de peccato commisso; quod utique procedere potest ab alia virtute, quam Pœnitentia, ut diximus in superiori Sectione. — *Confirmatur hæc veritas ex divinis testimoniis, quæ quoties meminerunt necessitatis Pœnitentiæ, toties Pœnitentiam exprimunt per aversionem a peccatis, et eorum detestationem, ut videre est apud Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 20. ubi colligit varia Scripturæ testimonia ad adstruendam Pœnitentiæ necessitatem. Significat autem cap. 4. quænam sit illa Pœnitentia, quam tantopere necessariam affirmat: Fuit autem, inquit, quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Declarat autem ibidem quid intelligat per illam contritionem, cum ait initio capituli: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Unde Contritionem sic definit: *Est animi dolor, et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Porro hic dolor, illaque detestatio elici potest a diversis virtutibus, puta Charitate, Spe, Religione, etc. Unde cum Pœnitentia absolute necessaria dicitur ad remissionem peccati, tum ex Scriptura, tum in Conciliis, tum a SS. Patribus, id per se non debet intelligi de Pœnitentia, prout est specialis virtus a cæteris distincta.

Conclusio secunda. — PŒNITENTIA GENERATIM SUMPTA, ET QUATENUS, EST ANIMI DOLOR, AC DETESTATIO DE PECCATO COMMISSO, CUM PROPOSITO NON PECCANDI DE CÆTERO, FUIT NECESSARIA PECCATORIBUS QUOVIS TEMPORE AD IMPETRANDAM VENIAM PECCATORUM: Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 1. ubi ait: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui potuissent: ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur; unde Propheta ait: convertimini et agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus pec-*

catonibus Baptismo initiandis Pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.

Hanc Conclusionem luculenter declarat Doctor, dist. 14. quæst. 1. n. 9. ubi loquens de remissione peccati mortalis, ait: « Secundo dico « quod non remittitur sine pœna æquivalenter in acceptatione divina; « quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, sicut Scriptura satis « clamat: offensa autem ejus, vel ira (ut dictum est) ejus velle vindicare, vel aliquid sufficiens ad placandum exigere: ergo posito quocumque peccato, Deus vult vindicare de peccante: sed velle vindicare est velle punire: ergo post peccatum commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens in acceptatione divina. *Et infra:* de potentia ordinaria ista est via universaliter præfixa a lege divina ordinante, scilicet, peccatum punire per pœnam, tamquam per proprium correspondens. *Præterea* n. 10. de re, *inquit,* « est ista conclusio, quod ad deletionem peccati regulariter requiritur « pœna, vel punitio voluntaria ».

DICES 1: Christus Dominus pluries peccata dimisit absque ulla prævia Pœnitentia: igitur ad remissionem peccati de via ordinaria non est necessaria Pœnitentia. *Probat*ur antecedens ex Lucæ 5. ubi legimus, quod cum aliqui homines paraliticum portantes eum deposuissent per tectum ante Jesum, ei dixit: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Similiter Joannis 8. mulier adultera, cui Christus peccata dimisit, nulla dedit antea Pœnitentiæ signa, ubi enim ab ea requisivisset: *Nemo te condemnavit?* Illaque respondisset: *Nemo Domine:* statim dixit: *Nec ego te condemnabo. vade, et noli amplius peccare:* igitur ad peccati remissionem non est necessaria Pœnitentia. — **Nego consequentiam,** et ad antecedens dico primo quidem, Christum Dominum per absolutam suam et divinam in peccatis dimittendis auctoritatem potuisse peccata remittere et condonare absque prævia formali Pœnitentia, sed solum virtualem, quam utique virtualem habebat ille paraliticus; quippe fides et spes in ipso maxime elucebat, nam de eo legitur Matth. 9. quod Domino ipsi dixerit: *Confide, fili. remittuntur tibi peccata tua.* Illa enim vox *confide.* non innuit tantum portantium fidem et fiduciam, sed et ipsius paralitici spem veniæ ex fide, quia nisi credidisset, et confisus esset; nequaquam passus fuisset se dimitti per tegulas; ideoque cum fides et spes in peccatore Pœnitentiam efficiant, videtur ille Pœnitentiam saltem virtualem habuisse. *Ad secundum* dico, mulierem illam habuisse pariter Pœnitentiam et dolorem de peccato commissio, ut innuit S. Ambrosius, Epist. 52. ubi ait: *Mulier adultera meruit absolvi, quæ recedentibus Judæis accusatoribus suis sola cum Christo remansit, ex ea quippe remansio videtur confessa crimen, et testata per sinceram Pœnitentiam.*

DICES 2: Christus Dominus, Lucæ 11. ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Et Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, ita Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra:* igitur ad remissionem peccati de via ordinaria non requiritur Pœnitentia. — **Nego consequentiam:** perfecta enim charitas peccatis opponitur, et ea destruit extra Sacramentum, non autem imperfecta: perfecta autem charitas Pœnitentiam aut supponit, aut facit, aut saltem virtualiter complectitur: unde dum eleemosynarum largitio, et inju-

riarum condonatio dicuntur habere vim remittendi peccata, necessario supponunt perfectam charitatem, ac subinde Pœnitentiam saltem virtualem.

DICES 3: Quod Deus potest in pueris, potest etiam in adultis; non enim minor est ejus virtus erga adultos, quam circa infantes: atqui Deus peccata remittit infantibus absque Pœnitentia: ergo etiam in adultis. — **Distinguo majorem:** circa ea, quæ sunt ex æquo utrisque communia, *concedo*: secus, *nego*. Non est autem par ratio de justificatione infantis, et adulti; in infantibus enim tantum est originale peccatum, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed dumtaxat in habituali quadam naturæ depravatione; quare peccatum iis remittitur cum sola habituali immutatione per infusionem gratiæ et virtutum; non cum actuali per exercitiûm alicujus actus. Secus vero est de adulto, in quo sunt actualia peccata, quæ cum consistant in actuali deordinatione voluntatis, ut remittantur etiam per Baptismum, prærequirunt actualem voluntatis immutationem, quæ non fit nisi per Pœnitentiam.

Conclusio tertia. — REMITTI POTEST PECCATUM MORTALE PER SOLAM PŒNITENTIAM VIRTUALEM, PUTA PER ACTUM EXIMIÆ CHARITATIS, IN QUO VIRTUALITER DOLOR DE PECCATIS INCLUDITUR. Hæc est communior contra Sotum in 4. dist. 15. quæst. 1.º art. 2. ubi docet Pœnitentiam formalem ita necessario prærequiri ad remissionem peccati, ut ad id nullus sufficiat charitatis actus, quantumvis egregius, excepto actu Martyrii; necnon et contra Canum, qui relect. de Pœn. p. 3. § *De Charitate*, nequidem excipit actum Martyrii. *Probat*ur primo auctoritate Christi Domini dicentis Joann. 14. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum*, etc. Et Matth. 10. *Qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo... Qui perdidit animam suam* (idest, corporis vitam) *propter me, inveniet eam*. Quibus aperte significat, actum amoris, necnon et martyrii, sufficere ad salutem et remissionem peccatorum.

Eandem veritatem explicat Doctor n. 17. ubi loquens de Pœnitentia, quam dixerat esse necessariam ad remittenda peccata, ait: « *Intelligitur etiam conclusio de requiri non simpliciter necessario, cujus oppositum includit contradictionem; quia posset Deus remittere sine omni actu illius, cui remittitur; sed nec de requiri necessario supposito actu hominis, cui remittit; posset enim Deus per aliquem motum ferventem dilectionis in Deum absque quocumque quatuor prædictorum actuum sub propria ratione, utpote in actu fervoris ad Martyrium statim sustinendum, ubi forte non esset cogitatio de aliquo peccato mortali prius commisso, nec per consequens aliquod pœnitere prædictum; et hoc formaliter, licet virtualiter in illo motu esset pœnitere, juxta secundam significationem. Et istud probatur, quia nullus excluditur a regno cælorum, qui facit illud quod simpliciter est necessarium: sed est possibile aliquem usque ad instans A, existentem in peccato mortali ab instanti A, necessitari ad toto corde insistendum circa actus distrahentes a cogitatione de peccato commisso, utpote statim exposito Martyrio arctissimo. Et propter hoc dictum est in conclusione, quod requiritur ad*

« hoc, ut peccatum mortale regulariter deleatur; quia dicitur regu-
 « lariter fieri, quod fit secundum regulas determinatas a Sapientia di-
 « vina, quarum hæc est una: quod peccatum commissum non deleatur
 « sine displicentia de peccato commisso: quæ apparet multum ratio-
 « nabilis; quia sicut peccatum avertit a fine, convertit ad creaturam;
 « ita rationabile est, quod non deleatur, nisi per motum oppositum
 « avertentem a peccato, sive a creatura, ut circa illam fuit peccatum,
 « et convertentem ad Deum. Ad hoc autem, quod est displicere de
 « peccato commisso, possunt reduci alia tria membra ejus, quod est
 « punire, etc. »

Quibus omnibus Doctor tria docet: *primum*, quod Pœnitentia de via ordinaria necessaria sit ad peccati remissionem; quoniam videlicet Deus ita statuit, ut non feret peccati remissionem secundum communem et ordinariam rerum dispositionem. — *Secundum*, quod de potentia absoluta Deus posset condonare peccatum absque ullo actu doloris, aut detestationis ex parte pœnitentis. Quod utique insuper confirmari potest: tum quia Pœnitentiæ antecedens infusionem gratiæ, et peccati remissionem habet tantum rationem dispositionis congruæ ex ordinatione divina, si enim ex natura rei requiretur, sequeretur quod infantibus non posset conferri gratia baptismalis: quippe cum non possint habere actus Pœnitentiæ, quam ante Baptismum exercere tenentur adulti; ac subinde tantum actus illi requiruntur ad justificationem ex ordinatione divina: sed quod requiritur dumtaxat ex ordinatione divina, amoveri potest de potentia extraordinaria: igitur independenter ab eis actibus pœnitentis Deus potest conferre gratiam sanctificantem, et remissionem peccati. Tum quia justificatio, ut dēfinit Concilium Tridentinum, includit de facto remissionem peccati, et infusionem gratiæ, seu renovationem interioris hominis: sed neutrum illorum consistit in actu peccatoris, ut optime observat Hiquæus in Commentario ad præfata verba Doctoris; quia remittere peccatum præcise convenit Deo, sicut et gratiam infundere gratis: igitur sine actu peccatoris fieri potest justificatio. Tum denique quia si esset aliqua connexio absolute necessaria inter actus pœnitentis et justificationem, maxime in ratione meriti, aut satisfactionis: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, alioquin peccatores justificationem mererentur, nec illa fieret gratis, contra Concilium Trid., Sess. 6. cap. 8. Non etiam secundum; potest enim Deus per absolutam suam potentiam non exigere talem satisfactionem, et eam ex clementia gratis relaxare peccatori: igitur, etc. — *Tertio* tandem, docet Doctor etiam interdum fieri justificationem, et peccatorum remissionem per solum actum dilectionis Dei super omnia, sine dolore expresso, et formali Pœnitentia de peccato, ut constat exemplo hominis, qui inopinato casu raperetur ad Martyrium, et oblitus esset alienjus peccati mortalis, cujus non recordaretur, dum æstuanti charitatis igne flagrans Martyrium subiret; eo namque in casu hic homo justificaretur per actum charitatis, justificaretur per Martyrium, absque actu formalis Pœnitentiæ.

Confirmatur illis omnibus Scripturæ testimoniis, in quibus formali dilectioni Dei tribuitur efficacia remissionis peccatorum, nulla facta mentione Pœnitentiæ, seu doloris, aut detestationis de peccato. Sic Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui*

autem minus dimittitur, minus diligit. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Eccl. 34. *Oculi Dei in diligentes se.* Joan. 1. cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et vers. 16. *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Joann. 14. *Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo.* Et vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus (per gratiam sanctificantem) et apud eum mansionem faciemus.* Zach. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Quis autem sanæ mentis dubitare potest, quin per solum amorem Dei propter se super omnia, homo perfecte convertatur ad Deum? Ubi ergo Dominus bonus est, non sit nequam oculus noster, invidens remissionem peccatorum his, quibus Deus illam promisit. *Nec obstat quod in aliis locis Scriptura meminerit pœnitentiæ, tamquam necessariæ ad remissionem peccatorum: Ezechielis 28. Convertimini, et agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Hoc, inquam, non obstat, quia commode intelligi possunt, vel de Pœnitentia formali et explicita, vel de actu illi æquivalente, qualis est actus dilectionis Dei super omnia: alioqui cui nullum peccatum occurreret in genere, vel in specie, quod esset detestandum, non posset justificari, nec per consequens salvari. Non abnuo tamen in actu amoris super omnia contineri actum Pœnitentiæ virtualiter; *tum quia* ad illum determinat data occasione, repugnat enim stare perfectam charitatem cum consideratione peccati, quin habeatur dolor de peccato, quatenus est offensa Dei: *tum quia* actus amoris Dei super omnia totum motivum istius doloris continet, nam amare Deum super omnia, est amare illum super omne peccatum; insuper est illum præferre omnibus non solum pro tempore futuro et præsentî, sed etiam pro præterito ac proinde ibi est implicite nolle peccasse: hoc autem est odio habere, quod peccaverit, ac dolere se fecisse illud: igitur talis actus amoris Dei sufficiet ad justificationem.

DICES: Non minus Pœnitentiæ necessaria est peccatori ad salutem, quam fides infideli: sed fides est necessaria necessitate mediî, ita ut sine fide impossibile sit placere Deo: igitur etiam sine Pœnitentia formali impossibile est peccatorem justificari. — **Nego** majorem: quamquam enim Pœnitentia sit necessaria peccatori necessitate mediî de via ordinaria ad justificationem, sicut et fides infideli; tamen hoc intercedit discrimen inter fidem et Pœnitentiam, quod fides non possit suppleri per aliquem alium actum, in quo virtualiter contineatur, sicut Pœnitentia suppleri potest per actum dilectionis Dei, in quo virtualiter continetur.

INSTABIS: Actus dilectionis, vel ideo sufficit ad justificationem sine formali Pœnitentia, quia ex natura sua habet repugnantiam ad peccatum per modum formæ, vel quia ex voluntate divina acceptatur, ut meritum de congruo: sed neutrum dici potest. Non primum, alioqui formaliter justificaret, et non solum dispositive. Non etiam secundum; nam exinde sequeretur, quod conferret ad justificationem, et ad eam requireretur secundum ordinariam Dei dispositionem, quod utique non est verum. — **Respondeo**, actum dilectionis censeri sufficientem dispo-

sitionem ex divina voluntate, sicut et Pœnitentiam, cujus efficacia desumitur ex radice charitatis, quando est perfecta. At hæc Dei dilectio super omnia nunquam est cum consideratione et memoria peccati, quin annexam habeat Pœnitentiam in viatore alicujus criminis reo; nemo enim Deum diligit super omnia, quin vehementer doleat, quod illum offenderit, quo in casu uterque actus concurret ad justificationem.

Conclusio quarta. — PŒNITENTIA, QUATENUS EST ANIMI DOLOR, AC DETESTATIO DE PECCATIS, EST NECESSARIA AD REMISSIONEM PECCATORUM, ITA QUOD NON SUFFICIAT VETERIS VITÆ ABJECTIO, ET NOVÆ INSTAURATIO. Hæc est contra Lutherum, ut apparet ex ejus articulis damnatis per sacram Facultatem Parisiensem, quorum hic unus erat: *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem: hæc, inquam, contritio facit hominem hypocritam, imo magis peccatorem.* Quam utique propositionem sic damnat sacra Facultas: *Hæc propositio est falsa, viæ ad Pœnitentiam impeditiva, Scripturis sacris, et doctrinæ Sanctorum difformis.*

Et merito quidem; enimvero Scriptura sacra oraculis testatur necessariam esse Pœnitentiam ad placandam divinam indignationem, et assequendam peccati remissionem. Sic Ezechielis 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam, vita civet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Quibus verbis Deus spondet peccati remissionem homini pœnitenti, et judicium ac justitiam facienti: peccatorem autem Pœnitentem facere judicium et justitiam, nihil aliud est, quam vindicare peccatum. et facere Deo satis per debitam satisfactionem, et revocationem a creaturis, ac conversionem ad Deum, quæ revocatio et conversio maxime fieri debet per opera laboriosa ac pœnalia, juxta illud Dei apud Joëlem monentis oraculum: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra,* etc. Hæc autem cordis contritio et planctus non est dumtaxat de novæ vitæ instauratione, sed maxime de peccatis purgandis, juxta illud Apocal. 2. ubi Joannes jubetur scribere ad Episcopum Ephesi nomine Dei: *Habeo adversum te, quod charitatem primam reliquisti, memor esto itaque unde excideris, et age Pœnitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Quibus verbis ad salutarem Pœnitentiam non solum præcipitur vitæ innovatio, sed et præteritæ recordatio, ac planctus. — Quapropter David, Psal. 50. non solum exorat pro præsentī, et futuro: *Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis:* sed pro præterito inlclamat: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.... Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Unde Christus, Lucæ 13. non solum a peccatore exigit novæ vitæ institutionem, sed etiam priõris vindictam et emendationem, cum ait: *Nisi Pœnitentiam*

egeritis, omnes simul peribitis. Pœnitentiæ autem nomen significat pœnam tenere: non tenetur autem pœna propter institutionem novæ vitæ, quæ bona est, sed propter malitiam præteritæ; pœna enim non nascitur, nisi ex malo nolito.

Igitur merito Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 4. sermonem faciens de contritione, ait: *Declarat sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et novæ vitæ propositum, et inchoationem: sed reteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis iniquitates vestras; in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Unde Can. 5. proscribens Lutheranorum dogma, ait: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et deestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fertilitatem, amissionem æternæ beatitudinis, æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium, anathema sit.*

Eandem veritatem docent SS. Patres, imprimis S. Cyprianus in libello *De lapsis*, ubi spondet quidem fidelibus, qui in idololatriam lapsi fuerant, sui errati veniam, dummodo illam laboriosa Pœnitentia exorent: *Putas, inquit, tu Dominum cito posse placare, quem verbis perfidis abnuisti? etc. Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet eum impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere ciperi, in cilicio et sordibus volitari, post indumentum Christi perditum, nullum jam hic velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, elemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur.* Et paulo post: *Si precem quis toto corde faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, et continuis operibus inflectat, misereri talium potest, etc. potest ille indulgentiam dare, sententiam potest ille deflectere.* — Subjungit S. Ambrosius, lib. 1. *De Pœnitentia*, cap. 4. *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos: expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Et lib. 2. cap. 5. *Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire, et tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum; ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus Deus noster ingemiscentes, etc.* — Idem præcipue docet S. Augustinus variis in locis, maxime Serm. 34. *De diversis*, cap. 12. *Sunt quædam, inquit, gravia, et mortifera, quæ nisi per vehémentissimam molestiam humiliationis cordis, et contritionis spiritus, et tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur.* Unde Serm. 4. *De Communibus*, Pœnitentiam sic definit: *Est Pœnitentia medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam provocatur, Pœnitentia a pœna nomen accepit, quia anima cruciatur, et caro mortificatur.* Unde Serm. 7. *De Tempore præclare* ait: *Multi assidue se dicunt peccatores, et tamen adhuc delectat eos peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, et non sanatur.*

Pronuntiatur offensa, sed non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei. Quando fit ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante in vita fuit dulce, et quod te prius delectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde, jam tunc bene ingemiscis ad Deum, et dices: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: Bene tibi soli peccavi: quia nullus hominum sine peccato. Et ideo tibi soli peccavi: quia tu solus es sine peccato. Da misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem per movere non potuit diuturnitas peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Aspice ad infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem mansuetudinis, qui tamdiu suspendidisti gladium ultionis. Dèle numerositatem criminum, multitudo misericordiarum.

Idem docent cæteri SS. Patres, qui ad veram et sinceram pœnitentiam, non solum vitæ novæ institutionem, sed etiam prioris expiationem requirunt. Cujus utique præclaram hanc rationem subministrat Tertullianus, cap. 9. lib. *De Pœnitentia*, nempe quod nostra Pœnitentia debeat vices gerere divinæ Justitiæ, idcirco peccatorem punire debet, et dolore ac lacrymis priora delicta emendare: « Hæc omnia, *inquit*, « Exomologesis, ut pœnitentiam commendat, ut de periculi timore « Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indi- « gnatione fungatur, et temporali afflictione æterna supplicia non « dicam frustretur, sed expungat. Et cap. 11. Deliqui dicito in Deum, « et periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, et maceror, et « exerucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. *Et* « *initio* cap. 12. Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde con- « sidera, quam tibi Exomologesis extinguet, et pœnæ prius magnitu- « dinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. *Et paulo* « *post*, Exomologesim in effectu suo, et efficacia comparat Bâptismo: « igitur, *inquit*, cum scias adversus gehennam post prima illa instru- « ctionis Dominicæ monumenta esse adhuc in Exomologesi secunda « subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias « mederi tibi? » Exomologesim autem accipit pro actu externo, et pro laboribus omnibus, quibus Ecclesia peccatorem purgat, ut ipse eam definierat cap. 9. paulo ante verba primum relata, ad quæ spectant hæc omnia, etc.

Idem docet S. Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 8. ubi descri- ptis afflictionibus et laboribus, quos pœnitendo subire debet, subdit: *Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, a Deo illi parcitur, et si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* Subscribit S. Prosper, lib. 2. *De vita contemplativa*, cap. 7. de Laicis, qui ultro crimina confitentur, et de eis Pœnitentiam libenter suscipiunt: *Quod si ipsi Judices fiant, et velut suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animæversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* Concludendum ergo cum S. Petro Damiano, cap. 2. libri quem inscripsit Gomorrhianus: *Quisquis quolibet eorum modo, quos supra distinximus nefandæ turpitudinis se contagione fœclaverit, nisi fructuosæ pœnitentiæ fuerit satisfactione purgatus, numquam ha-*

berè Dei gratiam poterit, numquam Christi Corpore et Sanguine dignus erit, numquam cœlestis patriæ limen intrabit.

OBJICIT LUTHERUS varia Scripturæ oracula, in quibus Deus nihil aliud a peccatore exigit, quam cessationem a peccatis, mandatorum observationem, et vitæ novæ institutionem. Sic Isaïæ 55. *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est: derelinquat impius viam suam, et cir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum; quoniam multus est ad ignoscendum.* Sic Matth. 19. Christus homini petenti, quid opus esset ad salutem, respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serra mandata: nullum autem est mandatum in toto Decalogo, quod nobis præcipiat vitæ prioris recordationem, seu detestationem: ergo ad remissionem peccati satis est, quod homo novam vitam instituat, et ambulet in via mandatorum Dei.* Similiter ad Galatas 5. et 6. In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura: igitur ad peccatorum veniam obtinendam non est necessaria detestatio prioris vitæ, sed sufficit innovatio præsentis et future. — **Nego consequentiam,** et ad *primum oraculum* dico, opus esse impio, quod derelinquat vias suas, non tantum negative desistendo dumtaxat a peccatis, sed positive, videlicet per propositum cavendi deinceps a peccato, quod utique propositum refertur ad contritionem, et vitæ prioris detestationem; ille enim quiescere, seu deserere peccata dicitur proprie, cui peccata displicent, et qui dolet se illa admisisse, quæ deserere peroptat. *Ad secundum nego minorem,* nam, ut apparebit Quæstione sequenti, præceptum de agenda Pœnitentia includitur saltem virtualiter in præcepto de diligendo Deo: non potest enim quis Deum perfecte diligere, quin velit ablatum illius honorem resarcire, et ei debitam satisfactionem impendere. *Ad tertium* dico, valere quidem ad salutem novam vitam per gratiam instauratam: at illa non potest esse perfecta, quin præsupponat detestationem prioris, et debitam satisfactionem Deo pro injuriis illatis impendendam.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM SIT PRÆCEPTUM ALIQUOD DE AGENDA PŒNITENTIA, ET QUANDO IMPLENDUM.

NOTANDUM 1. Præcepta divina esse in duplici differentia: quædam enim sunt negativa, alia vero affirmativa. *Negativa* sunt, quæ verbis negativis exprimuntur, et remouent ab actione; *affirmativa* autem, quæ actionem aliquam imperant, et stimulant ad actum aliquem ponendum. Porro inter utrumque hoc maximum discrimen intercedit, quod negativa obligant semper, et pro qualibet temporis differentia, non solum quantum ad animi præparationem et affectum, sed etiam quantum ad actum negativum. Sic v. g. præceptum de non furando obligat non solum ad nusquam habendum propositum furandi, sive ad semper habendum propositum non furandi; sed etiam obligat ad nusquam committendum furtum. Præceptum vero affirmativum obligat quidem semper, quantum ad præparationem et effectum animi; non ita quantum ad exercitium actus affirmativi: id enim dumtaxat exigit tempore a Deo, vel Ecclesia determinato. Sic præceptum honorandi

parentes obligat quidem semper, quantum ad illum animi affectum, quo semper tenemur habere illam animi propensionem erga honorem, observantiam, et obsequium eis exhibendum tempore congruo; non tamen semper obligat ad actum, sed tantum pro illa temporis differentia, in quo parentes illi nostro egere possunt adminiculo et subsidio. Quæritur ergo, utrum de agenda Pœnitentia sit aliquod præceptum affirmativum, aut negativum.

NOTANDUM 2. Quod omne præceptum affirmativum secum importat unum negativum de non eliciendo actu contrario huic præcepto. Sic præceptum honorandi parentes includit præceptum negativum eos nusquam inhonorandi, sive contumeliis afficiendi verbo aut facto. Dixi de *actu contrario*, præcepta enim affirmativa non important negationem actus contradictorii: siquidem præceptum fidei v. g. includit quidem negationem infidelitatis, hoc est præceptum negativum, ne simus infideles, habendo actum fidei contrarium, prohibet enim infidelitatem positivam: verum non prohibet negativam, aut privativam, qualis est in illis, quibus nondum affulsit Lex Evangelii, nec quidquam de Christo Domino audierunt; similiter præceptum de diligendo Deo includit quidem negativum contrarium de nusquam odiendo Deum, non autem includit contradictorium, nempe nusquam esse non amans Deum, inde enim sequeretur, quod teneremur ad continuum actum amoris Dei, quod utique videtur impossibile.

NOTANDUM 3. Præcepta divina posse dupliciter impleri, nimirum vel quantum ad substantiam actus præcepti, vel quantum ad finem præcipientis. Sic v. g. qui jejunit in statu peccati mortalis implet quidem præceptum, quantum ad substantiam actus, nempe abstinentiam ab esu carnum, necnon ad parsimoniam cibi, aut potus; non tamen implet quantum ad finem præcipientis, nempe Dei indicentis, quod jejunium istud sit meritorium vitæ æternæ, propter quam comparandam præcipitur. Hinc in quolibet præcepto duplex exurgit obligatio: alia quidem ex parte operis, altera vero ex parte finis, propter quem actus debet elici. Movetur ergo difficultas, an utroque hoc modo sit aliquod præceptum de pœnitentia agenda, et quoniam tempore illud obliget. Unde duo hic maxime sunt determinanda: *primum*, quod de pœnitentia agenda sit aliquod præceptum divinum: *secundum*, quando illud impleri debeat, an videlicet statim post admissum peccatum, an vero dumtaxat diebus festivis, aut in manifesto mortis periculo.

Conclusio prima. — TENETUR PECCATOR SUB PŒCEPTO AGERE PŒNITENTIAM, ITA QUOD NOVUM PECCATUM COMMITTAT SI ILLAM NEGLENERIT TEMPORE QUO TENETUR EXERCERE. Ita conveniunt omnes Doctores Catholici cum Subtili, dist. 17. q. unica n. 13. ubi ait: « Quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti, et hoc illius, *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. agere quantum in se est ad ejus recuperationem; et etiam virtute illius præcepti, « *diliges teipsum*: sed iste peccator in peccato mortali amisit primam gratiam, et potest eam recuperare suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo arbitro, quia hoc est institutum, ut remedium efficax ad recipiendam primam gratiam, ex illo verbo Joan. *Quorum remisit ritis peccata*, etc. Et sic concluditur necessitas præcepti confessionis

« non ex isto verbo tantum, *Quorum remisistis peccata*, etc. sed ex isto, et illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. simul juncto. « Quibus verbis Doctor declarat, Sacramentum Pœnitentiæ ex præcepto esse suscipiendum, ac subinde etiam ex præcepto esse agendam Pœnitentiam per eandem rationem ».

Probatur itaque auctoritate Scripturæ sacræ: primo quidem ex illo Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Quæ utique verba non solum significant Pœnitentiam esse necessariam ex parte medii, ut volunt aliqui, sed etiam necessitatē præcepti; nam Doctores Catholici colligunt præceptum de suscipiendō Baptismate in re vel in voto ex illo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. Necnon præceptum de suscipienda Eucharistia ex Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Ergo cum idem sit loquendi modus Scripturæ de agenda Pœnitentia, idem pariter præceptum inferri debet. — Fateor tamen, oraculum istud magis insinuare Pœnitentiæ necessitatē sub ratione medii, quam sub ratione præcepti, ita quod omnes peccatores qui non egerint pœnitentiam necessario perituri sint, non quidem propter peccatum impœnitentiæ, sed propter peccata præterita non remissa. Unde verius dicendum existimo cum Doctore, quod præceptum de agenda Pœnitentia potius deducatur ex dilectione Dei, et nostri; nam ex præcepto dilectionis nostri tenemur nobis procurare beatitudinem æternam, et consequenter ad amovenda ea omnia, quæ ab ejusmodi consecutione removeant, qualia sunt peccata; quæ dumtaxat per pœnitentiam possunt elui. Idem pariter colligitur ex dilectione Dei; siquidem Christus Dominus Joann. 11. dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum*. Fieri autem non potest, quod peccator velit revera amare Deum, non autem velit implicite amorem Dei erga se; adeoque tollere omne illud, quod divinum illum amorem impediret: nec sane videretur sincere amare Deum, qui nollet amovere, cum potest, id quod novit Deo summopere displicere, et illius aversionem ac odium erga se provocare. *Unde ex ratione Doctoris* superius expressa sic in forma probatur Conclusio: quicumque gratiam sanctificantem et divinam amicitiam perdidit, tenetur ex necessitate præcepti de diligendo Deo agere quantum in se est, ad ejusmodi divinæ gratiæ et amicitie recuperationem: sed peccator per mortale peccatum gratiam et amicitiam Dei perdidit, nec utramque recuperare potest, nisi pœnitentiam egerit: igitur ex illo præcepto de diligendo Deo, simul juncto cum necessitate agendæ Pœnitentiæ, colligitur præceptum de illa exercenda.

DICES: Si præceptum esset de agenda Pœnitentia, sequeretur quod nullus posset damnari propter unum solum peccatum mortale: sed hoc falsum est: ergo et id unde sequitur. *Patet sequela majoris:* peccator enim, qui moreretur post commissum peccatum mortale, non acta pœnitentia, necessario damnandus esset, non solum propter istud mortale peccatum, sed etiam propter omissionem præcepti de agenda Pœnitentia, quæ quidem omissio esset speciale peccatum, quia in speciale præceptum militaret: igitur etc. — **Respondeo primo,** nihil quidem absurdi sequi, quod peccator non damnetur propter unicum dumtaxat mortale peccatum, quamvis unicum solum ad damnationem sufficeret; exinde enim magis elucesceret divina Jüstitia, quæ potiori

jure hominem sic dupliciter reum pœnis æternis addiceret. *Respondeo secundo*, posse negari *majorem*: fieri namque potest quod peccator pro uno dumtaxat mortali peccato damnetur, etiamsi omittat præceptum de agenda Pœnitentia, puta si statim, ac in peccatum mortale decidit, deperdat usum rationis, atque ita moriatur: talis enim damnabitur propter solum admissum mortale peccatum; non autem propter omissionem præcepti de agenda Pœnitentia: quippe cum perduto rationis usu, impossibilis ei fuerit talis præcepti observatio. *Adde quod* etsi aliquândiu rationis compos vivat in statu peccati mortalis, et in eo moriatur, non propterea damnandus erit propter omissum præceptum de agenda Pœnitentia; quod utique præceptum non tenetur implere statim ac peccavit, ut indicabit.

Conclusio secunda. — PRÆCEPTUM DE AGENDA PŒNITENTIA NON OBLIGAT PER SE PECCATOREM AD PŒNITĒNDUM PRO PRIMA OPPORTUNITATE POST ADMISSUM PECCATUM. Hæc est Doctoris, dist. 17. n. 21. ubi determinat præceptum de confessione faciendâ, ac subinde de agenda Pœnitentia, obligare dumtaxat in certo ac determinato tempore, maxime in articulo mortis. Quod autem non statim obliget post peccatum commissum, docet n. 28. ubi rejicit opinionem Alensis affirmantis, l. p. q. 77. memb. 4. art. 2. præceptum faciendæ confessionis, ac subinde agendæ Pœnitentiæ obligare statim, ac occurrit oportunitas: quod utique negat Doctor, *Quia*, inquit, *præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda. nec invenitur quando præceptum istud affirmativum liget, vel obliget nisi ad aliquando*, etc.

Probatur autem Conclusio, primo quidem, quia si teneretur homo statim ac peccavit agere pœnitentiam, sequeretur quod in singulis illis momentis in quibus posset pœnitere, peccaret mortaliter, quia in singulis illis momentis esset transgressor præscripti sibi præcepti: sed hoc falsum apparet ex communi praxi fidelium, qui confitentes peccata sua, nusquam accusant pœnitentiæ dilationem aut protractionem, nisi forte talis dilatio protracta fuerit ultra tempus determinatum ab Ecclesia de faciendâ peccatorum accusatione, et agenda Pœnitentia; neque de ejusmodi dilatione a Confessariis interrogantur: non est autem verisimile hunc accusationis defectum oriri ex minus perfecta instructione pœnitentium, et Confessariorum; alioqui culpanda esset Ecclesia, quippe quæ hujus accusationis defectum novit, nec tamen emendat et corrigit: igitur signum est illam accusationem non esse necessariam ad salutem.

Deinde, si talis dilatio esset contra præceptum et vitiosa, sequeretur Baptismum olim adultis collatum non contulisse eis primam gratiam, ad quam tamen principaliter ordinabatur: quia olim Ecclesia non permittebat baptizari Catechumenos solemniter, nisi in Paschate, et Pentecoste; ac subinde si debuissent confiteri, statim post peccatum actuale commissum, non potuissent accedere cum peccato ad Baptismum; quia jam peccatum illud debuisset dilui et expungi per Contritionem, quæ sufficeret ad justificationem; non enim sermo est de simplici retractatione peccati, sed de ea retractatione et Pœnitentia, qua peccator constituatur extra periculum æternæ damnationis; idcirco enim adversarii requirunt Pœnitentiam statim post peccatum commis-

sum, ne videlicet homo exponat se manifesto periculo æternæ damnationis, tempore intermedio inter peccatum et mortem.

Denique, præceptum de agenda Pœnitentia est affirmativum: igitur non obligat pro quolibet tempore; sed tantum pro determinato. *Antecedens constat*: præceptum enim de agenda Pœnitentia est quo jubetur elicitio actus virtutis: sed virtutis actus jubetur elici dumtaxat per præceptum affirmativum: igitur, etc. *Consequentia patet* a paritate rationis de aliis præceptis affirmativis, quæ obligant dumtaxat aliquo determinato tempore, ut constat de amore Dei, veneratione parentum, auditione Missæ, etc. Quæ omnia præcepta non obligant ad eliciendum actum positivum quolibet determinato tempore, licet ita obligent ad negationem actus contrarii. « Nam, *inquit* Doctor præfatus n. 28., semper « oportet habere voluntatem confitendi tunc, pro quando præceptum « obligat; hoc dico, si quod pro numquam voluntatem habeat ».

DICES 1: Scriptura sacra sub gravissima interminatione et comminatione peccatores admonet, ne Pœnitentiam differant: igitur censet eam non esse protrahendam citra peccatum. *Patet antecedens* ex illo Isaïæ 65. *Omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis. Idem habet Hieremias, c. 8. Confusi sunt, inquit, qui abominationem fecerunt; quinimo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt, idcirco cadent inter corruentes, et in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus — Respondeo*, his et similibus Scripturæ sacre oraculis non damnari dilationem Pœnitentiæ, cessante omni affectu actuali erga peccatum præteritum, de qua solum hic loquimur; sed perstringi perseverantiam in peccato actuali: nam Isaïas immediate subjicit: *Et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. Similiter Hieremias ibidem continuo attexit: Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.*

URGBIS: Eadem Scriptura sacra sub gravissima interminatione prohibet, differendam Pœnitentiam: igitur nulla solutio. *Probatur antecedens* ex illo Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Et cap. 21. Quasi a facie colubri fuge peccatum. Et Apocal. 2. monet Angelus Episcopum Ephesi: Memor esto unde excideris, et age Pœnitentiam, et prima opera fac: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris: igitur non potest differri Pœnitentia citra peccatum. — Respondeo 1.* illa omnia oracula, et his similia, significare, quidem saluberrimum esse consilium statim Pœnitentiam agere de peccato; non autem quod illud fieri debeat sub præcepto. *Deinde* dico, quod etsi divinum præceptum de agenda Pœnitentia referant; non tamen significant aliquem obligari quocumque momento ad eam agendam, sed dumtaxat opportuno tempore, et ubi necessitas aliqua postulaverit; ille quippe non existimatur tardare, qui non facit quod potest, sed qui non facit illud quando faciendum est; nam, ut *inquit* S. Petrus, Epist. 2. cap. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, etc.* Quibus verbis significat Deum non differre affectum suæ promissionis, etsi statim illam non impleat, quando potest implere, quia tempore convenienti illam implebit, nec ultra dif-

fert quam oporteat. Ita a pari illè dici non debet Pœnitentiam tardare, qui eam agit tempore opportuno, et quando necessitas id exigit.

SUBSUMES: Scriptura sacra aperte significat Deum condemnare et punire Pœnitentiæ procrastinationem, ut constat ex illo Proverb. 1. *Vocari vos, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum. et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum id, quod timebatis. acciderit.* — **Respondeo,** Scripturam intelligendam esse de peccatoribus perseverantibus in peccato actuali. ut colligitur ex verbis præcedentibus, siquidem paulo ante dixerat: *Usquequo parvuli diligentis infantiam, et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt scientiam?* Simili ratione intelligendus est S. Paulus ad Rom. 2. cum ait: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impietens cors thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Ibi namque non loquitur de sola dilatione Pœnitentiæ, sed de iteratione peccatorum. Præmiserat enim antea: *Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei?* Unde etiam mox post laudata verba subdit: *Qui reddit unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quæerunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* Loquitur ergo Apostolus contra eos, qui actu prosequabantur eadem opera prava.

INSTABIS: Non alius est Scripturæ sacræ sensus, quam qui a SS. Patribus usurpatur: at ex eis divinis oraculis SS. Patres docent obligationem statim pœnitendi, asseruntque Pœnitentiam prorogatam fore inutilem, ut præ cæteris affirmat S. August., lib. 50. Honil. 42. ubi cum dixisset Pœnitentiam sinceram et veram valere quocumque temporis momento, subdit seram Pœnitentiam esse valde dubiam: *Agens, inquit, Pœnitentiam, et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc erit: agens Pœnitentiam ad ultimum reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus, unde securus do securitatem: unde non sum securus, non do securitatem: Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum, etc.* — **Respondeo,** S. Augustinum ibi tantum eos arguere, qui Pœnitentiam nimis differunt, et ad mortem usque eam prorogant: unde Serm. 57. *De Tempore præclare ait: Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ a moriente petitur, timeo ne et ipsa moriatur.* Quapropter, Serm. 110. *De Tempore,* prudenter admonet: *Præveniendus est dies, qui prævenire consuevit: ipse se illud, et de morte sua ludit, qui cogitat quod potest extremi temporis indulgentia subvenire. Insanum est hoc: primum, quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde stultissimum est, ut causa qua de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deditis committatur extremis: odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia Pœnitentiæ in senectutem reservata liberius peccat.* Cui subscribit Eucherius Lugdunensis: *Stultissimum est, inquit, ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.* Verum quam periculosa sit ejusmodi Pœnitentiæ

procrastinatio usque ad mortem, aperiemus circa finem hujus Quæstionis.

DICES 2: Majori charitate quis tenetur erga seipsum, quam erga proximum: sed ex præcepto charitatis teneor statim adhibere correctionem fraternam peccanti proximo, quando opportunitas et spes subest emendationis: ergo multo magis teneor mihi ipsi subvenire per Pœnitentiæ remedium statim ac commode fieri potest. — **Respondeo ad minorem,** eam duntaxat esse veram, quando adest periculum relapsus, et suspicio gravis, ne si propinquus emendetur, statim in aliud peccatum incidat; siquidem peccatum præteritum non est materia faciendæ correctionis fraternæ, neque etiam peccatum permanens in suo reatu, ubi non subest periculum relapsus; sed tantum peccatum quod prævidetur futurum, ut docet Ecclesiasticus, cap. 19. his verbis: *Corripi amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripi proximum, ne forte non dixerit, et si dixerit, ne forte iteret. Corripi amicum, sæpe enim fit commissio.* Quibus verbis significatur peccatum futurum esse materiam correctionis, non autem præteritum, quando non est periculum iterationis; ac subinde falsum est, quod quis absolute loquendo teneatur corrigere proximum statim ac peccavit. — Quod utique confirmatur: quia non teneor corripere proximum, nisi quando ipse tenetur audire et correctionem suscipere, siquidem præceptum correctionis fraternæ sub hac conditione præscripsit Christus Dominus, Matth. 18. ubi significat, nos non teneri ad corripendum eum, qui non tenetur audire, sed oportere illum Ecclesiæ denuntiare: at non tenetur proximus statim ac peccavit sese emendare: igitur nec me corripientem audire: nec consequenter ego ipse teneor eo in casu emendare; nisi, ut præfatus sum, instet periculum relapsus. *His adde* quod fieri potest, ut tenear subvenire proximo in rebus maxime temporalibus, esto non obliget erga meipsum; quia videlicet proximus est absolute vel irrationabiliter voluntarius, ego autem voluntarius rationally ac prudenter.

DICES 3: Qui abstulit alicui debitum honorem, aut rem aliquam, statim tenetur illi restituere: sed qui peccat, aufert honorem Deo debitum: igitur tenetur statim Deo satisfacere per Pœnitentiam. — **Distingo antecedens:** si periculum imminet ex dilatione restitutionis famæ, ne detrimentum proximo illatum augeatur, *concedo:* si non adsit ejusmodi periculum, *nego.* Quare si periculum sit, ne violatio divini nominis augeatur per dilationem Pœnitentiæ, puta si quis pravam doctrinam sparserit, tenetur statim Pœnitentiam agere, et illa prava dogmata a se disseminata revocare: secus autem est, si nullum tale periculum imminet, ut plerumque contingit.

INSTABIS: Qui rem alienam abstulit per furtum, tenetur quantocius illam suo domino restituere, et illatum proximo damnum reparare: ergo multo magis injuriam Deo factam per mortale peccatum compensare per debitam pœnitentiam, et ablatum illius honorem resarcire. — **Nego consequentiam:** ratio disparitatis est, quod homo per furtum patitur damnum in rebus necessariis, et utilibus; unde per dilationem restitutionis novam patitur injuriam, eamque realem, quia cogitur carere aliquo sibi necessario, vel utili; Deus autem per nostra peccata realem non patitur injuriam; unde ex dilatione contritionis no-

stræ, non cogitur aliqua re carere necessaria sibi vel utili, juxta illud Psalmi 50. *Bonorum meorum non eges*. Et Job. 22. *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confert, si immaculata fuerit via tua?*

URGEBIS: Idcirco tenetur fur rem ablatam statim restituere, quia quamdiu illam detinet injustitiam facit, injustum enim est rem alienam detinere: sed quamdiu peccator est in statu peccati, divinum honorem retinet injuste, peccatum enim est de injustitia contra Deum: ergo tenetur statim Deo satisfacere, et debitum illi honorem per Pœnitentiam restituere. — **Nego minorem:** peccatum enim, regulariter loquendo, non est vera injustitia contra Deum, magis quam contra Legislatorem humanum: non enim Deus expresse declaravit, quod ubi præcipit rem aliquam faciendam, aut omittendam, utatur potestate dominativa, seu dominio proprietatis, quo posset omnes actus humanos exigere tamquam debita ex stricta justitia.

SI URGEAS: idcirco qui furatur, facit injustitiam, quia rem aufert ab altero, quæ erat sub illius dominio: sed illa res multo magis erat sub dominio Dei, quam hominis: ergo qua ratione facit injustitiam respectu hominis, et tenetur eam statim resarcire per debitam restitutionem, sic etiam tenetur statim reparare per debitam Pœnitentiam injuriam Deo illatam. — **Negabo paritatem,** et ratio disparitatis est, quod qui rem aufert ab homine invito, etiam dominium aufert istius hominis in rem suam: at per furtum Deus non perdit dominium in rem ablatam: ac subinde non est paritas: illud equidem est contra præceptum Dei: *Non furtum facies*, sicque respectu illius est quidem inobedientia, non autem injustitia.

DICES 4: Peccatum mortale est, esse in periculo peccati mortalis: sed quamdiu peccator non penitet, est in periculo incidendi in aliud peccatum mortale: igitur quantocius tenetur pœnitere. *Major patet ex illo Ecl. 3. Qui amat periculum, peribit in eo. Minor vero probatur auctoritate S. Gregorii, Homil. 11. in Ezech., ubi ait: Peccatum, quod per Pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati; omne enim quod prius committitur, peccatum est, sed citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo, et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare; peccatum ergo quod Pœnitentia lamento non diluitur, peccatum simul est, et causa peccati; quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur.* — **Distinguo majorem:** si periculum sit imminens et proximum, *concedo:* si dumtaxat remotum, *nego.* Periculum enim ex Arist., 2. Rhetoric. est *appropinquatio rei timendæ:* quare si quis agnoscat sibi non imminere proximum lapsum ex dilatione Pœnitentiæ, non videtur peccare Pœnitentiam differendo. Unde *ad S. Gregorium dico,* illum his aut similibus verbis monere ne diu differatur Pœnitentia post commissum peccatum: non autem asserere illam statim esse necessariam; quod utique colligitur ex verbis immediate præcedentibus; ait enim: *Distincta sunt omnipotentis Dei judicia, et qui peccatorem diu expectat ut redeat, non redeunti, atque contemnti ponit adhuc ubi gravius impingat.*

DICES 5: Præcepto negativo tenemur non esse inimici Dei, sicut

revera sumus per peccatum: sed præcepta negativa obligant semper, et pro semper: ergo homo sub præcepto tenetur nusquam esse in peccato, et consequenter peccat quamdiu in peccato permanet. — **Respondeo ad majorem**, contingere posse tripliciter, quod quis sit inimicus Dei: *primo* quidem active, quando videlicet homo Deum odio habet: *secundo*, passive, quando habetur odio a Deo: *tertio*, demeritorie, quando dignus est qui odio habeatur a Deo. Unde ad argumentum *distinguo majorem*: tenetur homo sub præcepto negativo non esse inimicus Dei, active, *concedo*, quia tenemur Deum numquam odio habere: passive, aut demeritorie, *nego*: *tum quia* vitare hanc inimicitiam non est in nostra potestate, nisi mediante actu Pœnitentiæ, quem statim non tenemur elicere: *tum etiam*, quia hæc inimicitia Dei est tantum penes statum hominis peccatoris: at non meremur, neque demeremur secundum statum, nec ulla præcepta dantur de statu aliquo tenendo; nullum enim est præceptum, quod semper existamus in statu gratiæ, sed tantum consilium.

INSTABIS: Qui Deum non amat, ipsum odio habet; sed peccator quamdiu in statu peccati permanet, Deum non amat, ac proinde ipsum odio habet: igitur non solum passive et demeritorie, sed etiam active est inimicus Dei. — **Nego majorem**; aliud enim est Deum non amare, et aliud Deum odio habere; nam inter amicum et inimicum datur medium, nempe non amicus; quemadmodum etiam inter pœnitentiam et impœnitentiam datur medium, nempe non pœnitere, est enim pœnitentia displicentia de peccato commissio, et impœnitentia est complacentia in ipso peccato; quapropter non est idem esse non pœnitentem, et esse impœnitentem, sicut non idem est Deum odisse, et Deum non amare: unde quamvis præceptum affirmativum de diligendo Deo includat unum negativum de actu contrario, scilicet numquam habere Deum odio, quod obligat semper et pro semper, non tamen includit negativum de suo contradictorio, scilicet numquam non amabis Deum, hoc est, semper amabis. Ex quibus constat, quod quamvis differens Pœnitentiam non habeat actualem amorem Dei, non tamen habet illius odium, nec reus est illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum*.

URGEBIS: Nolle amari a Deo, opponitur amoris Dei: sed peccator quamdiu in peccatis perseverat non vult amari a Deo; siquidem eo in statu odio habetur; abominabilis est enim Deo impius et impietas ejus: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: id nolle per actum positivum, quo quis divinum amorem repudiaret ac sperneret, *concedo*: per actum negativum per suspensionem actus, quo quis sciens se non esse in amicitia Dei, negligeret sese revocare ab eo statu, quo divinam indignationem promeretur, *nego*: in eo enim statu perseverare non est prohibitum per præceptum de diligendo; quia cum illud sit affirmativum, non obligat semper et pro semper.

INSTABIS RURSUS: Saltem illa Pœnitentiæ dilatio sine justa causa repugnat amicitiae et reverentiæ Deo debitæ; etenim si filius graviter patrem offendisset, aut servus dominum, certum est, quod ejus majorem animadversionem provocarent, si absque ulla causa different, etiam ad modicum tempus, veniam exorare et reconciliationem. — **Respondeo negando antecedens**, si sermo sit de nova offensa, nec urget quidquam exemplum, forte enim inter homines viget obligatio, sal-

tem indirecta statim satisfaciendi; quia cum homines non judicent de occultis, præsertim mere internis, dum non vident externam veniæ petitionem, quando nulla adest justa causa differendi, judicant affectum internum adhuc perseverare, adeoque merito de novo indignantur; secus est autem de Deo erga hominem; cum enim Deus perfecte noverit corda hominum, dum videt hominem omnino cessasse a volitione libera peccati, non habet circa illum novam displicentiam, ex eo quod aliquamdiu in peccato habitualiter maneat.

SUBSUMES: Nullus remanet voluntarie in peccato habituali, quin in ipso complaceat; tãndiu enim complaceat in peccato, quamdiu peccatum ei non displicet: non displicet autem quamdiu illud non detestatur, nec dolet, illud commisisse, sed complacentia et affectus erga peccatum divinam indignationem provocat: igitur, etc. — **Distinguo majorem:** quin complaceat per novam voluntatem, qua scilicet velit illud peccatum, istudque approbet, *nego:* complaceat per negationem actus displicentiæ, *concedo.* Unde non valet *consequentia:* peccatum in eo statu non displicet: ergo placet: quia inter placere, et displicere datur medium, nempe non displicere per negationem actus.

SUBSUMES ITERUM: Sed peccator in eo statu nedum habet negationem actus, sed revera habet volitionem et affectum actualem erga peccatum, eo enim ipso quo non vult agere Pœnitentiam, vult manere in statu peccati; qui enim vult antecedens bonæ consequentiæ, vult etiam consequens, si enim Petrus vult currere, vult etiam moveri: velle autem manere in eo statu, est complacere in peccato: igitur, etc. — **Nego subsumptum,** nec enim consequens est, quod si peccator non velit positive agere Pœnitentiam, eo ipso velit esse in statu peccati. *Ad probationem autem dico,* quod illa regula, *qui vult antecedens boni consequentis, vult etiam consequens,* non sit universaliter vera: etenim bene quidem sequitur: Christus Dominus redemit homines: ergo illi peccaverunt: non tamen sequitur: Christus voluit redimere homines: ergo voluit quod peccarent. Similiter bene sequitur: ago Pœnitentiam: ergo peccavi, et tamen volo agere Pœnitentiam, quod est antecedens, et tamen nolo peccasse, quod est consequens; imo vero, ipsum, quod est agere Pœnitentiam est velle non peccasse; ergo hæc regula solum est vera, quando antecedens ordinatur ad consecutionem consequentis: aut e contra; unde bene sequitur: vis beatitudinem: ergo vis media ad beatitudinem, et e contra. In proposito ergo, licet ex hoc quod non agatur Pœnitentia, colligatur: ergo est in statu peccati; non tamen sequitur: volo non agere Pœnitentiam: ergo volo esse in statu peccati; quia non agere Pœnitentiam non ordinatur ad consecutionem talis status: quia hunc statum non consequimur non pœnitendo, sed potius quando actualiter peccamus: atque ita, velle non pœnitere tempore quo teneor, non est actus bonus, neque malus secundum suam speciem; proindeque non est novum peccatum.

DICES 6: Gravior est jactura vitæ spiritualis, quam temporalis: sed si quis incidat in ægritudinem corporis, aut vulnus accipiat, statim ex obligatione naturæ, et ex præcepto de dilectione sui, et mandato, *Non occides,* tenetur statim adhibere medicamenta, ne vitam amittat: ergo multo magis ubi accepit vulnus lethale peccati, debet adhibere remedium Pœnitentiæ, ne vitam spiritualem deperdat. — **Respondent aliqui,**

quod etsi præstantior sit vita spiritualis corporea, attamen disparitas est quantum ad obligationem ejus conservationis, vel recuperationis; quia, *inquiunt*, homo non est dominus vitæ corporeæ, quemadmodum dominus est vitæ spiritualis, quam acquirit, et sibi comparat propriis actibus. Verum licet forte in eo esset disparitas, quod qui auferret sibi vitam corporalem, peccaret contra justitiam, quia rem auferret, quæ non esset proprii dominii, non ita autem peccaret, si vitam spirituales sibi auferret; nihilominus certum est, quod auferre sibi vitam spirituales sit contra præceptum charitatis erga seipsum, quæ obligat unumquemque ad evitandum quodque malum, sive corporis, sive animæ, quantum commode fieri potest; ac subinde obligat ad Pœnitentiã necessariam, ut recuperetur vita spiritualis per peccatum perditã; maxime cum mors spiritualis sit gravissimum damnum efficiens hominem obnoxium æternæ damnationi. Unde *respondent alii distinguendo minorem*: unusquisque tenetur statim adhibere medicamenta, si necessitas urgeat, et periculum sit in mora curationis; secus vero si talis non urgeat necessitas. Porro non semper homini existenti in statu peccati incumbit periculum vel relapsus vel damnationis; quippe ex plurimis peccatoribus rarissimi sunt, qui statim moriantur post peccatum commissum, et antequam possint agere Pœnitentiã; alioquin si valeret hoc argumentum, etiam probaret Baptismum non posse ullatenus differri, saltem in parvulis, cum possint de repente mori; et tamen certum est, quod per aliquot dies possit differri.

Conclusio tertia. — PŒCEPTUM FACIENDÆ PŒNITENTIÆ PER SE OBLIGAT SUB NOVO PECCATO MORTALI, QUOTIES IMMINET MORTIS PERICULUM; PER ACCIDENS VERO IN PLURIMIS ALIIS OCCASIONIBUS.

Probatur prima pars, primo quidem auctoritate, et exemplo S. Augustini, qui (ut refert Possidius) dicere solebat, *neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine Pœnitentiã migraret e vitã*: unde etiam ipse cum imminere sibi discessum intellexisset, Pœnitentiales Davidis Psalmos in conspectu positos effusis uberrime lacrymis recitabat.

Suadet etiam ratio: quia instante mortis periculo, tenetur homo ex præcepto Pœnitentiæ satisfacere Deo pro suis in eum offensis, et injurias ei factas compensare: enimvero si aliquando, maxime ea urgente necessitate, ista debet exequi, ut sibi divinam indulgentiam conciliet. Quæ tamen ita sunt intelligenda, si homo eo instanti non præveniatur aliquo nobiliori affectu erga Deum, puta per æstuans desiderium subeundi Martyrii, aut ardentissimum motum charitatis, vel elevationem mentis in Deum per cælestis contemplationis delicias, eo enim in casu non teneatur justus ad exercendum actum Pœnitentiæ et doloris de peccatis.

Quod autem per accidens citra mortis periculum etiam pluries homo teneatur agere Pœnitentiã, suaderi potest: primo namque cum sancta sancte tractari debeant et recipi, tenetur peccator agere Pœnitentiã, ut illius beneficio peccatum diluat, et gratiam sanctificantem obtineat, quoties ministranda sunt Sacramenta, necnon et quando Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, sunt suscipienda: minister enim qui absque pœnitentiã Sacramentum aliquod administrat, peccat mortaliter, ut diximus agendo de Ministro Sacramentorum,

multo autem gravius peccabit, qui ejusmodi Sacramenta in statu mortalisi peccati susciperet. — Similiter viget obligatio agendæ Pœnitentiæ, quando vehementer urget tentatio, et grave peccandi periculum imminet: non enim est opportunius vitandi peccati subsidium, quam detestatio præteritorum: quippe cum hæc detestatio non solum animum revocet a titillante concupiscentia, et ingesta tentatione, sed etiam nova conciliat gratiæ auxilia, quibus ejusmodi periculum evanescat. Urget etiam agendæ Pœnitentiæ obligatio, cum adest publica necessitas, et imminens divina ultio in communitatem tam propter propria, quam propter aliena peccata; tunc enim unusquisque tenetur ex affectu et amore erga communitatem per suam pœnitentiam, quantum in se est, divinam iram amollire et avertere, quia membra debent esse sollicita pro se invicem, necnon et pro toto corpore, cujus sunt.

QUÆRES: *Utrum periculosum sit Pœnitentiam ad extremum vitæ prorogare?*

AFFIRMO una cum SS. Patribus, qui hanc veritatem unanimi calculo constanter prædicant. Maxime S. August., in lib. 50. *Homiliarum*, Hom. 41. et S. Ambrosius, lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 12. ubi scribitur: *Si quis positus in ultima necessitate cœgritudinis suæ, voluerit accipere Pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia bene exit: non præsumo, non vos fallo: Fidelis bene vivens securus hinc exit: baptizatus ad horam securus hinc exit: agens Pœnitentiam, et reconciliatus, cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit: agens Pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego sum securus; unde securus sum do securitatem: unde non sum securus Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. — Eandem rationem suppeditat S. Cæsarius Arelatensis, Homil. 13. et 41. ubi cum dixisset, se dubium habere an prosit Pœnitentia in extremis pœnitenti: *Quid tibi dicam, inquit, nescio: dixi: non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate; statim subjungit: Vis te, frater, a dubio liberare? vis, quod incertum est recedere? age Pœnitentiam dum sanus es, si enim agis veram Pœnitentiam dum sanus es, invenerit te novissimus dies, currito, ut reconcilieris. Si sic agis, securus es; quare securus es, vis dicam tibi? Quia egisti Pœnitentiam, eo tempore, quo et peccare potuisti. Ecce dixi, quare securus es: si autem tunc agere vis ipsam Pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata dimiserunt, non tu illa. — Idem docet S. Eligius, Homil. 6. cum agens adversus eos, qui ad finem vitæ Pœnitentiam differunt, scribit: *Cum omnes homines Pœnitentiam velint in fine vitæ suæ accipere, vix paucos videmus, eam secundum quod desiderant adipisci. Postmodum colligit. — Verum nemo fusius et eloquentius incertitudinem illam narrat, et exaggerat Salviano Massiliensi Epist. Ad Ecclesiam Catholicam, ubi scribit: Non quidem ulli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putem, si cum usque ad mortem in flagitiis conseruerit, in obitu bene cuncta dispenset; nisi antea et peccatis renuntiaverit... alioqui peccare non desinit, quem in extremis situm, recedere a criminibus sola tantum fecit impossibilitas, non voluntas: qui enim a malis actibus tantum in morte discedit, non relinquit scelera, sed re-***

*linquitur a sceleribus; quia quantum ad animum, nec dum desiit, qui adhuc peccare velit, si possit. Et post, plura subjungit: « Quod si aut « tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis « labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam nescio, quid pro- « mittam penitus ignoro: revocare ab inquisitione ultimi remedii pe- « riclitantes, durum, et impium: spondere autem aliquid in tam sera « curatione temerarium; sed melius tamen absque dubio, quamvis diu- « turna paralyti aridas manus, aliquo tamen nisu ad cælum erigi, « quam lethali penitus desperatione dissolvi: melius est nihil inex- « pertum relinquere, quam morientem non curare; maxime quia ne- « scio an in extremis aliquod tentare medicina sit, certe nihil tentare « perditio ». — Idem docent Isidorus Hispalensis, lib. 2. *Sent.* cap. 13. et S. Bernardus, lib. *De modo bene vivendi*, cap. 27. ubi ait: *Quando homo peccare potens pœnitet, et vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem: qui autem male vivit, et in morte Pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, remissio illius est dubia. Qui ergo securus cupit esse in mortē de indulgentia, in sanitate Pœnitentiam agat, et in sanitate peccata sua luceat: igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est.**

— Tres alias hujusce periculi causas assignat Subtilis Doctor in *Reportatis* dist. 20. libri quarti *Sent.* Primam repetit ab infirmitatis et periculi effectibus, qui animum ob sui vehementiam ita occupant, nempe infirmitas dolore, periculum timore, ut vix aliud cogitare possit: « Sed, *inquit*, nolendo peccatum oportet, quod sit magna consideratio « intellectus, et detestatio, ad hoc quod sit attritio sufficiens ex con- « gruō ad remissionem peccati, sicut fuit vehemens delectatio prior « in peccato ». Quam etiam rationem subjicit S. Raymundus ex aucto- ritate S. Hieronymi, et S. Augustini, lib. 3. *De Pœnitentiā*, § 23. *In extrema ægritudine*, *inquit*, *vix potest aliquis pœnitere, vel etiam cogitare, ait enim Hieronymus? Cum ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare, quam quod sentis, et illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris. Multa enim (ut ait Augustinus) occurrunt tunc impedimenta: nam morbus urget, pœna terret, filii, quos illicite dilexit, uxor et mundus eum ad se vocant.* Quam utique rationem egregie urget quisquis est Eusebius scribens ad Damasum de morte S. Hieronymi, ubi ait: « Forte quis iterum dicet: Vir qui toto tempore, quo vixit, male fecit, « in mortis articulo accepta Pœnitentia a Deo veniam obtinebit. Heu « quam vana suspicio, et falsa meditatio! vix de centum millibus ho- « minum, quorum mala semper fuit vita, meretur a Deo habere in- « dulgentiam unus. Vir totus in peccatis genitus et nutritus, qui nec « Deum vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec se peccasse « cognoscit, nec quid Pœnitentia sit, nisi forte dormiendo novit, totus « adhuc sæcularibus innodatus negotiis, quem angustia premit filiorum « quos deserit, quem infirmitas conterit, quem dolor divitiarum et « temporalium bonorum concutit, cum eis non posse frui amplius se « cernit; quam acceptam Deo accipit Pœnitentiam, quam non acci- « peret, si adhuc se posse sanari crederet; certe vere concludam, qui « dum sanus est et juvenis Deum offendere non formidat, in morte « non merebitur divinam obtinere indulgentiam ».

Secundam rationem petit Doctor a timore, qui tunc temporis totum hominem occupat, qui que non est sufficiens dispositio ad promerendam gratiam: *Oportet enim, inquit, quod sit voluntaria detestatio, et debita circumstantia finis, ut quod homo non solum pœniteat propter timorem pœnæ, sed timore filiali: sed difficile est tunc dolere, nisi ex timore solum; et si non sit cum amore, non disponit ex congruo: ideo difficile est.* Eandem rationem profert Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 17. *Quem vere pœnitet, inquit, oportet non solum timere Deum Judicem, sed et Justum diligere: non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria.* Concludendum est ergo cum Thoma ab Argentina art. 1. *In rei veritate valde est difficile in extremis sic mentem colligere, quod homo non solum timore pœnæ, sed ex Dei dilectione doleat se Deum per peccatum offendisse, et proponat etiam, si diu deberet vivere, semper de hoc in futurum cavere: in his enim duobus consistit verum et salutiferum pœnitere.*

Tertiam rationem petit Doctor ab habitu in peccatis contracto, qui non potest non esse vehemens. *Igitur difficile est tunc maxime contra istum habitum inclinari detestando quæ prius erant delectabilia. Denique scribit multo majorem in infirmitate requiri displicentiam, quam in sano, quia liberius pœnitet sanus. Ideo, inquit, credo, quod ad hoc, quod infirmus mereatur gratiam ex congruo, multo majorem attritionem requireret, cum sit interitui proximus, quam si esset sanus. Sed difficile est habere tantam attritionem sicut in sanitate, non solum majorem.* Hinc tandem colligit, cum quis in ejusmodi statu vere pœnitet, rarissimum esse, et instar miraculi. Cui certe consentit Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 17. *Convertitur, qui jam totus, et omnino vertitur, qui jam non tantum pœnas non timet, sed ad bonum Deum contendere festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix, vel raro est tam justa conversio, timendum est de pœnitente sero. Quem enim morbus urget, pœna terret, ad veram vix venit satisfactionem, maxime cum filiis, quos illicite dilexerit, sint presentes, uxor et mundus ad se vocent.*

SECTIO TERTIA.

DE EFFICACITATE VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

MIRANDAM ac proprie divinam Pœnitentiæ virtutis efficaciam egregie commendat S. Chrysostomus, Serm. *De Pœnitentia*; ubi inter cætera sic exclamat: *O Pœnitentia, quæ peccata Deo miserante remittis, et Paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorum refundis! Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas! Per te, o Pœnitentia, David afflictus vel contritus factus est sanctus: per te filius prodigus paternum amplexum meruit: per te, Petrus, postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit: per te o Pœnitentia, latronem subito Christus ad regnum æternum rapuit, etc.* Quæ omnia dignitatis elogium, cum maxime ad peccatorum remissionem collineent,

idecirco potissimum hæc in Sectione sermo erit de efficacia Pœnitentiæ circa generalem peccatorum omnium remissionem: *primo* quidem circa remissionem omnium mortalium: *secundo*, circa remissionem venialium: *tertio*, circa solutionem et relaxationem pœnæ eis peccatis debita; quibus annectemus quintam Quæstionem de reviviscencia peccatorum per Pœnitentiam remissorum: et sextam de reviviscencia meritorum per peccata mortificatorum.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM PER PŒNITENTIAM OMNIA PECCATA MORTALIA, QUANTUMCUMQUE GRAVIA, REMITTI POSSINT.

NOTANDUM 1. Circa præsentem Quæstionem quinque potissimum fuisse erroneas sententias: *Primus error* quidem Novatianorum, qui affirmabant peccata post Baptismum esse omnino irremissibilia, ac subinde Pœnitentiam nihil quidquam peccatoribus suffragari, ut referunt S. Cyprianus, lib. 1. Epist. 1. Hieronymus, Epist. *Ad Marcellam*, Eusebius, lib. 6. *Histor. Eccles.*, cap. 33. Verum quoniam illi hæretici maxime impugnabant efficaciam Pœnitentiæ ut Sacramentum est; idcirco eorum errorem referre ac retellere auspicabimur, ubi sermo erit de efficacia Sacramenti Pœnitentiæ. *Secundus error* fuit quorundam Judæorum affirmantium tertium quidem peccatum post acceptam remissionis gratiam esse remissibile; secus autem de quarto, et cæteris subsequentibus. Quod utique confirmabant ex primo et secundo capite Amos, ubi pluries testatur Deus, se condonaturum tertium, non vero quartum peccatum. *Tertius error* fuit Armachani, lib. 9. *De quæstionibus Armenorum*, cap. 27. ubi docet aliquos viatores ita in malitia obfirmatos, ut secundum communem dispositionem, salutarie pœnitere non possint, quemadmodum Apostoli in gratia confirmati nullatenus mortaliter peccare poterant. *Quartus error* est et quorundam affirmantium, certum esse numerum peccatorum, quem qui impleverit, secundum præscriptas ordinarias divinæ justitiæ ac misericordiæ leges non potest veniam assequi, tametsi nec cursum hujus vitæ, nec statum viatoris absolverit, nisi forte ei suffragetur superexcellens misericordia Dei. *Quintus tandem error* fuit impii Lutheri, docentis omnia opera nostra esse peccata, id volente et consentiente Deo; ea tamen non imputari ad pœnam, præter unum peccatum infidelitatis. Contra quos omnes, ut secundum Catholicam doctrinam præscribamus

NOTANDUM 2. Hic non esse sermonem *De Pœnitentia Sacramentali*, quæ maxime consistit in absoluteione peccatorum a pœnitente confessorum, sed de Pœnitentia virtute, quam SS. Patres appellant *Pœnitentiam cordis*, quæ utique solito duplex distinguitur, imperfecta videlicet, et perfecta: prima dicitur *attritio*, quæ idcirco imperfecta Pœnitentia appellatur, non quod sit mala, sed quia insufficientis est extra Sacramentum Pœnitentiæ ad perfectam peccati remissionem: perfecta vero dicitur *contritio*, ea quæ sufficit ad remissionem peccati cum voto, ac proposito faciendæ confessionis, et absoluteionis suscipiendæ, a tempore Legis Evangelicæ. Utrum autem hæc Pœnitentia necessaria sit et valeat ad remissionem cujuslibet peccati, quantumcumque gravis; utrumque enim negat Lutherus, ut patet ex articulis dam-

natis per sacram facultatem Parisiensem, necnon et per Leonem X Summum Pontificem: in eis namque damnatur Lutherus, *primum*, quod asseruerit ad remissionem peccati satis esse vitam novam inire, absque ulla Pœnitentia, et peccatorum detestatione: *secundum*, quod, ut mox diximus, docuerit solum peccatum infidelitatis deputari ad pœnam.

NOTANDUM 3. Aliquos esse peccatores ita in malo obfirmatos, ut eis Pœnitentia, etsi non sit impossibilis, sit tamen factu valde difficilis. Quæ utique difficultas oritur ex parte peccatoris, et ex parte Dei. Ex parte quidem peccatoris, dum propter consuetudinem delinquendi jam obduruit, juxta illud Prov. 38. *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnet, nempe peccare; quia videlicet flagitia, præ nimia peccandi consuetudine, leviora delicta ei apparent. Unde fit, ut amplius de peccatis non erubescat, juxta illud Hieremiæ 3. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Cum autem habitus ex variis actibus genitus velut novam naturam ingerat, inde fit, quod peccatores quasi naturali impetu, et velut agentia naturalia ferantur in peccatum, a quo vix possunt recedere, juxta illud Hieremiæ 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Difficultas vero provenit ex parte Dei juste punientis peccatores, ac eis denegando plerumque auxilia specialia ad pœnitendum. De utraque hac difficultate loquitur S. Paulus, Actor. 13. ubi visa Judæorum perfidia et obstinatione ad repellendum Dei verbum, dixit: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.**

His ita præmissis, duo supersunt determinanda: *primum*, utrum quodlibet peccatum, quantumvis grave, possit remitti per Pœnitentiam: *secundum*, an unum peccatum mortale remitti possit absque altero.

Conclusio prima. — NULLUM EST PECCATUM TAM GRAVE, QUOD PER PŒNITENTIAM PERFECTAM NON POSSIT DELERI. Hæc est de fide. et

Colligitur primo ex Scripturæ testimoniis, in quibus absque ulla limitatione aut restrictione promittitur vere contritis ac pœnitentibus remissio omnium peccatorum. Sic Sapientiæ 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata omnium propter Pœnitentiam.* Et Ezechiel, cap. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et statim subdit: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, idest, nullius impii volo mortem, quacumque impietate fuerit reus.*

Probatur secundo auctoritate Conciliorum, maxime Concilii Lateranensis sub Innocentio III, et refertur cap. *Firmiter, De Summa Trinitate*, ubi dicitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari.* Et ex Tridentino, Sess. 19. Can. 2. ubi decernit per Pœnitentiam posse remitti omnia peccata post Baptismum commissa.

Eandem apertissimis testimoniis tuentur SS. Patres: Chrysostomus, Homil. 33. in Matth. *Non est aliquod peccatum, quod non cedat virtuti Pœnitentiæ.* Et Homil. 9. in Psalm. 50. *Peccasti? pœnitere: millies peccasti? millies pœnitere.* Item S. Ambrosius, lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 5. *Tanta est, inquit, Dei erga homines propitiatio, ut Judas potuisset non excludi a venia, si Pœnitentiam non apud Judæos egisset, sed apud Christum.* Ideo scribit eum indignum fuisse veniam, quia non intima conversione pœnituit, nec sedulo egit Pœnitentiam; siquidem *Christus tantæ pietatis est, ut veniam ei donasset, si Judas misericordiam expectasset.* Et S. Augustinus in *Enchiridio*, cap. 65. *Sed neque in his criminibus quamvis magnis remittendis, inquit, in sancta Ecclesia, de misericordia Dei desperandum est agentibus Pœnitentiam, secundum modum sui cujusque peccati.* Quam utique veritatem luculenter colligit S. Petrus Chrysologus ex parabola filii prodigi, ubi ait, Serm. 3. *Delicta non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu. Certe si abscessimus, si substantiam Patris totam luxuriose dispersimus, si quid unquam commisimus facinoris, et delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, et ad talem Patrem, tali invitati redeamus exemplo.*

Suadetur etiam ratione: si aliquod peccatum per Pœnitentiam deleri non posset, maxime *vel* quia de eo non posset peccator pœnitere, quemadmodum dæmones et damnati, quamquam summe displiceant de pœna quam patiuntur propter peccatum. cum tamen eorum affectus in malo sit obfirmatus, idcirco dolere non possunt de peccato per veram Pœnitentiam, quæ habeat spem veniæ: *vel* quia Pœnitentia non posset delere aliquod peccatum: sed quamdiu vivimus in via vitæ mortalis neutro modo peccatum ullum dici potest irremissibile. *Non quidem primo*, quamdiu enim homo viator est, flexibile habet liberum arbitrium ad bonum et malum, et divina gratia cor cujusvis peccatoris quantumvis obdurati potest ad veram Pœnitentiam flectere; unde egregie S. August., Homil. 50. ex 50. Homiliis. « Fortasse dicis: Ego « jam baptizatus sum in Christo, a quo mihi omnia præterita peccata « dimissa sunt. Vilis factus sum nimis iterans vias meas, ut canis abominabilis coram oculis Domini, conversus ad vomitum suum. Quo « ibo a spiritu ejus, et a facie ejus quo fugiam? Quo, frater, nisi ad « ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccata committendo contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo, nisi ad illum, « ab ejus severitate ad ejus bonitatem. Quis enim locus excipiet fugientem, ubi ejus præsentia te non inveniat? Si ascenderis in Cælum, ibi est; si descenderis ad infernum, adest. Recipe ergo pennas « tuas in directum, et habita in spe in extremo hujus sæculi; etenim « illuc manus sua deducet te, et illuc perducet te dextera sua. Quid « quid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, « unde et omnino Deus, si sanare nolle, auferret. Cur ergo ignoras, « quia patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando « tibi persuasit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas ». — *Hæc S. August.* quibus aperte significat nullum omnino peccatum esse, cujus veniam per veram Pœnitentiam obtinere non possimus, quamdiu hanc mortalem vitam ducimus. — Non potest etiam pecca-

tum dici irremissibile *secundo modo*: hoc enim repugnaret divino illi amorì æterni Patris erga homines, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat*, quique ait Apostolus ad Rom. 8. *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Quo pacto enim pro nobis omnibus tradidisset Filium, ut omnis qui in eum credit non pereat, si per veram conversionem in Christum omnia peccata non possent deleri? *Secundo*, id repugnaret divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joël 2. quod Deus *benignus sit, et misericors; et patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia*: Deus enim aliquo modo vinceretur ab homine, si vellet homo peccatum deleri, quod Deus delere nollet. Derogaret etiam virtuti Passionis Christi et copiosæ ejus redemptioni, a qua nullus mortalis quantumcumque peccator excluditur, et ad quam pertinet, ut sit universalis Redemptor omnium peccatorum. Hinc S. Johannes, Epist. 1. cap. 2. indefinite pronuntiat: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Cum ergo Deus suam de conversione peccatoris et salute voluntatem exprimat, et veniam ei, si convertatur, promittat, argumentum est omne peccatum in hac vita per Pœnitentiam posse deleri.

OBJICIEBANT 1. Novatiani illud ex 1. Reg., cap. 2. *Si peccaverit vir in circum, placari ei potest Deus: si autem peccaverit in Dominum vir, quis orabit pro eo?* Igitur peccata quæ sunt directe contra Deum non possunt ullatenus condonari. — **Nego consequentiam**: responderi enim potest *primo*, verba illa non esse Prophetæ, sed Heli Sacerdotis increpantis filios suos ob gravia eorum peccata, quæ cum essent in scandalum publicum, removebant Israëlitas a sacrificiis et divino cultu. *Secundo*, dici potest, quod ibi discrimen statuatur inter peccata, quæ directe lædunt Deum, et ea quæ directe proximum offendunt, quod hæc utique leviora sint illis, possitque facile reperiri vir aliquis justus, qui veniam a Deo per peccatum offenso, necnon et gratiam conversionis peccatori suis precibus impetret; peccata vero directe in Deum commissa graviora sint, possitque difficillime reperiri, qui veniam horum a Deo obtineat. Unde particula interrogativa, *quis*, non significat idem ac *nullus*, ut optime notat S. Ambrosius, lib. 1. *De Pœnitentia*, cap. 8. « Non enim, *inquit*, scriptum est: *nullus orabit pro eo, sed quis orabit pro eo?* Hoc est, quis ille sit, qui in tali causa possit orare, quæritur, non excluditur. Sic Psal. 14. dicitur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis requiescet te monte sancto tuo?* « Non enim nullus, sed probatus habitabit: nec ait, quod nemo requiescat, sed quod requiescat electus. Et Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Idest, non qui cunque de vulgo, nec plebejæ vilitatis aliquis, sed egregiæ vitæ singularisque meriti vir. Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, et meruit, et impetravit. » Quare hæc interrogatio: *quis orabit pro eo?* requirit solum hominem eximiæ sanctitatis, et singularis vitæ, qui debeat orare pro eo, qui directe peccavit in Dominum, maxime per apertum et manifestum sacrilegium, qualia erant peccata filiorum Heli. Ibidem enim dicitur, quod

dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi, et quod tollerent carnes per vim ab offerente animalia in sacrificium, priusquam immolata essent Domino, unde inferitur: Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini.

OBJICIEBANT 2. Illud lib. 2. Machabæorum, cap. 9. ubi Antiochus Rex, post plurima patrata scelera gravi ac lethali correptus morbo Pœnitentiam egit: humiliatus enim coram Domino, testatusque *justum esse, hominem subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* agnoscit sua crimina, de eis dolet, spondet satisfactionem Judæis pro rebus ablatis, *templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstiturum; super hæc et Judæum se futurum, et omnem locum terræ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem;* attamen ibidem dicitur: *Orabat hic scelestus ad Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* — **Respondeo,** pœnitentiam Antiochi fuisse frustraneam, quia erat imperfecta, et dumtaxat naturalis; dolebat siquidem de culpa præterita propter morbi acerbitatem, non autem propter offensam Dei. Quod utique indicat Auctor libri Machabæorum, ibidem; cum enim recensisset sævientem in eum Dei vindictam, et acerbum illius corporis dolorem, *Ita ut, inquit, de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et fœtore exercitus graveretur, et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare;* statim subdit: *Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, etc.* Quibus significat, eam afflictionem fuisse pœnitentiæ causam, non vero Dei offensam, ac proinde non mirum si illius inutilis et invalida fuerit pœnitentia, cum ejus motivum esset omnino naturale.

OBJICIEBANT 3. Illud oraculum Dei monentis 1. *Proverb.* Peccatores, qui propter dilationem pœnitentiæ Dei consilium et increpationes neglexerunt: *Cum irruerit, inquit, repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio, et angustia, tunc invocabunt me, et non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me.* Idem dicit Hieremiæ 14. *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, et si obtulerint holocausta et victimas, non suscipiam ea.* Et Eccl. 7. *Considera opera Dei, quia nullus potest corrigere, quem Deus despexerit:* igitur sunt aliqua peccata, quæ per pœnitentiam non possunt expiari. — **Nego consequentiam:** illis enim omnibus oraculis solum agitur de peccatoribus, qui spretis diu monitionibus Dei, temporalium pœnarum aversione, magis quam intima conversione cordis ad eum confugiunt; ut plurimum enim illi sui tantum amore, declinandarum pœnarum gratia, non humilitate vera, neque sincera peccati displicentia, seu pœnitentia Deum invocant; sicque sincere convitantur, et doleant de offensa Dei, Deus eos excipit ad se redeuntes, quacumque peccatorum atrocitate, seu multitudine teneantur. Isaïæ 1. *Si fuerint, peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

OBJICIEBANT 4. Tria testimonia Apostoli, quibus videtur docere nullum pro peccatis post Baptismum commissis dari in Ecclesia Christi

remedium, quo expiari et deleri possint. Primum habetur ad Heb. 6. ubi sic ait Apostolus: *Impossibile est eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Secundum sumitur ex cap. 10. ejusdem Epistolæ, ubi sic dicitur: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquuntur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Tertium sumitur ex cap. 12. *Scitote, inquit, quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* — **Respondeo ad primum,** Apostolum loqui de Pœnitentia, quæ fieri debet ante Baptismum ab adultis, non vero de ea, quæ post Baptismum necessaria est ad justificationem hominis peccatoris. Duplex enim est Pœnitentia hominis adulti, una quæ antecedit Baptismum, de qua loquitur S. Petrus, cum ait: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum;* quæ utique Pœnitentia numquam iteratur, sicut nec Baptismus: alia vero Baptismo posterior, de qua sermonem facimus; quam utique non improbavit ipsemet S. Paulus, quippe qui Corinthium incestuosum, licet post Baptismum peccantem, absolvere non dubitavit. Quam etiam approbavit et suavit S. Petrus, dum Simoni Mago jam baptizato, Act. 8. dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui,* etc. Imo ipsemet S. Petrus, quando ter negavit Christum, jam erat baptizatus, jam Sacerdos inauguratus; et tamen per lacrymas et Pœnitentiam reconciliatus est. Porro hujus duplicis Pœnitentiæ meminit Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 14. ubi ait: *Unde docendum est, Christiani hominis Pœnitentiam post lapsum, multo aliam esse a Baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccato, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ Litteræ docent, non ita semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti* (ac si diceret: qui gustaverunt donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti et prolapsi sunt). De qua Pœnitentia scriptum est: *Memor esto unde excideris: age Pœnitentiam, et prima opera fac. Et iterum: Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus: Pœnitentiam agite.* — * “ Porro sanctum Apostolum de Pœnitentia baptismali locutum esse, de contextu totius loci perspicuum est. Etenim in antecedentibus verbis hæc habet: *non rursus jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni.* Eandem secundo loco intellexit. Idem colligitur ex his verbis: *Qui semel sunt illuminati, rursus renovari;* quæ ostendunt

totam sententiam ad Baptismum referri, qui Sacramentum illuminationis et renovationis a Patribus priorum sæculorum vocabatur, ut constat ex S. Gregorio Nazianzeno, *Orat. in sancta lumina*, et ex aliis antiquioribus. Idem ostendunt illa verba: *Rursum crucifigentes sibi in tipsis Filium Dei*, nam in Baptismo configuramur Christo crucifixo; unde sicut Christus non potest in æternum crucifigi, ita Baptismus non potest repeti: quod si quis tentaverit, is Filium Dei iterum crucifigit sibi ipsi, idest ad suam renovationem quam ex altero Baptismo sperat. Ita hunc locum Apostoli exponit S. Ambrosius, lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 2.: De Baptismate autem dictum, *inquit*, verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari ad Pœnitentiam. Per lavacrum enim renovamur, per quod nascimur, sicut ipse Apostolus Paulus dicit: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Unum ergo Baptismum docet sicut alibi: *una fides, unum baptisma*, inquit, illud quoque evidens quod in eo qui baptizatur crucifigitur Filius Dei, quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. *Denique* scriptum est: quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus, etc. Ergo quod ait in hac Epistola quæ scribitur ad Hebræos, impossibile esse lapsos renovari in Pœnitentiam, ac rursus crucifigentes Filium Dei et ostentatione triumphantes, eo spectat ut de Baptismo dictum credamus: in quo crucifigimus Filium in nobis, ut per illum nobis mundus crucifigatur: quia quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis ejus assumimus, qui principatus et potestates in sua cruce ostentavit ac triumphavit, ut in morte ejus similitudine, nos quoque de principibus, quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel mortuus, et ideo unum, non plura baptismata. — Eodem modo locum præfatum interpretatur S. Augustinus in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, ubi sic ait: eos qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per Pœnitentiam, non renovari; quia renovatio in Baptismo est, ubi quidem operatur Pœnitentia, sed tamquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest; si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, qui ex novo Testamento ad sacerdotium vetus declinasse videbantur: ideoque remittentes, inquit, initio Christi verbum, in consummationem respiciamus. Non iterum jacentes fundamentum Pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei in Deum, lavaeri doctrinæ, impositionis manus, resurrectionis etiam mortuorum, et judicii æterni. Ista omnia in Baptismo traduntur, quo negat esse repetenda utique in consecrandis fidelibus. Legatur et S. Joannes Damascenus, lib. 1. *De fide orthodoxa*, c. 10. * — Eodem sensu solvitur secundum, *Voluntarie peccantibus non relinquitur hostia pro peccatis*, hoc est, alia Christi mors et Passio, quæ per Baptismum repræsentetur, et iterum applicetur ad integram remissionem culpæ, et totius pœnæ; siquidem S. Paulus ibidem videtur loqui de Judæis in fide cespitantibus, volentibusque Legem Moysis et Christi conjungere, quibus denuntiat eis jam nullam superesse hostiam pro peccato; quia neque deficientibus ad Moysem pro Christo prodesse

poterat hostia in altari crucis oblaa, neque etiam legales hostiæ; quippe quæ jam per Christi Domini sacrificium essent expunctæ et abolitæ. * " Ita etiam hunc locum exponit S. Chrysostomus, in Homilia in cap. 10. Epistolæ ad Hebræos: « Non enim dixit: non est amplius « Pœnitentia, neque est amplius remissio; sed: non est amplius hostia, « hoc est, non est amplius crux, hoc enim vocat hostiam ». Eumdem locum pariter exponit S. Augustinus in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, ita scribens: « Nam et illud ad Hebræos qui diligentius « pertractant, sic intelligunt, ut non de sacrificio contribulati per Pœ- « nitentiam cordis accipiendum sit, quod dictum est, hoc adhuc pro « peccatis relinquitur sacrificium; sed de sacrificio de quo nunc lo- « quebatur Apostolus, idest holocausto dominicæ passionis, quod eo « tempore offert quisque pro peccatis suis, quo ejusdem passionis fide « dedicatur, et christianorum fidelium nomine, baptizatus imbuitur; « ut hoc significaret Apostolus, non posse deinceps eum qui pecca- « verit, iterum baptizando purgari. Quo intellecto non intercluditur « pœnitendi locus, ita sane ut eos qui baptizati sunt, nondum plenam « scientiam veritatis accepisse fateamur. Ex quo conficitur ut omnis « qui scientiam veritatis accepit, etiam baptizatus intelligatur. Non « autem omnis baptizatus, etiam scientiam veritatis accepit, propter « quorundam posteriorum profectum, vel miserabilem negligentiam; « et tamen illud sacrificium de quo loquebatur, idest holocaustum « Domini, quod tunc pro unoquoque offertur quodam modo, cum ejus « nomine in baptizando signatur, iterum si peccaverit, offerri non « potest. Non enim possunt denuo baptizari qui semel baptizati sunt, « quamvis etiam post Baptismum per ignorantiam veritatis peccave- « rint ». " * *Ad tertium respondeo*, Pœnitentiam ibi usurpari ab Apo- stolo non pro dolore de peccatis commissis, sed pro mutatione operis facti, vel propositi, seu dispositionis animi erga factum aliquod: quo sensu Deus pœnitere dicitur, ut explicat S. August., Psal. 109. ubi ait: *Pœnitentia, mutatio rerum significatur. Quomodo ergo tu, cum aliquid te pœnitet, doles factum quod fecisti, quando aliquid Deus præter spem hominum, idest, præterquam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit: usque adeo, ut de pœna nostra pœniteat eum, si de vita nostra nos mala pœnituerit: idem docet Serm. 10. Numquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed Pœnitentia dicitur in Deo, mutatio in rebus creatis, ipso immutabili manente.* Quo sensu Apostolus dixit ad Roman. 11. *Dona Dei sunt sine Pœnitentia*, idest, Deus non mutat sententiam benefaciendi, dum eam semel habuit. Itaque dum Apostolus ait, Esau non invenisse locum Pœnitentiæ, loquitur de Pœnitentia Isacci Patris, idest, revocatione benedictionis datæ Jacobo, quam non potuit impetrare Esau, tametsi cum lacrymis inquisisset eam: Legimus enim Genes. 27. quod cum Isaac largitus esset benedictionem suam Jacob, quem existimabat esse suum primogenitum: *Auditus Esau sermonibus Patris, irrugit clamore magno, consternatus ait: Benedic etiam et mihi, pater mi.* — *Respondeo secundo*, quod etsi ibi Pœnitentia acciperetur proprie, mirum non est, quod in Esau fuerit frustranea; quippe habebat annexum pravum mentis affectum, nempe animum occidendi fratrem, nam Genes. 27. legimus: *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo:*

Venient dies luctus Patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. Quo- circa Apostolus ante verba in objectione posita scripserat: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quo nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut profanus, aut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua, etc.*

OBJICIEBANT 5. Illud Christi Domini oraculum Matth. 12. *Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemiae non remittetur. et quicumque dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Igitur Pœnitentia non eluit omne peccatum. — * “ *Probatur consequentia auctoritate Patrum qui verba illa Scripturæ ad litteram et juxta sensum quem statim ingerunt, interpretantur.* Sic S. Athanasius libro in illum Evangelii locum, crimen aliquod irremissibile esse concedit: « At illi, inquit, qui putantes se legis scientiam tenere, qualis erant hujus temporis pharisæi in insaniam versi, et verbum quod in corpore est prorsus abnegant, et Divinitatis opera diabolo ejusque demoniis imputant, merito istius impietatis indeprecabilem pœnam luunt; cum et diabolus pro Deo accipiant, et unum certumque Deum, nihil plusquam dæmonem operari credant. In istiusmodi impietatem delapsi erant ejusdem temporis Judæi, et inter Judæos pharisæi... unde consequenter illos Salvator noster invenibiliter blasphemare ostendit ». Ita quoque S. Pacianus, Epist. 3. *Ad Sympronianum Novatianum*, eundem locum interpretatur: « Habes supra scriptum, inquit, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, et virtutes multas speciali vigore completeret, dixisse pharisæos: *Hic non expellit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Hoc est in Spiritum Sanctum deliquisse, in eo blasphemasse, quæ per Spiritum Sanctum gerebantur. In cæteris quippe peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est non videre quod videat, et Sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur: reliqua bonis pœnitentibus, Symproniane frater, donantur ». — Idem habet S. Ambrosius, lib. 2. cap. 4: « Responsum est igitur, inquit, a Domino blasphemiae pharisæorum, et ideo his potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissionem peccatorum est, qui cælestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent, eos quoque asserit diabolico uti spiritu, qui separent Ecclesiam Dei, ut omnium temporum hæreticos et schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat, quod omne peccatum in singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt qui volunt solvere gratiam Christi, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam passus est Dominus Jesus, Spiritusque Sanctus datus est nobis. Denique ut sciatis quia de dispersoribus dicit, sic habemus scriptum: *Qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum dispergit.* Et ut sciremus de his dictum statim subjunxit: *Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur hominibus.* Cum dicit: *ideo dico vobis*, nonne evidenter hoc præ cæteris a nobis intel-

« ligi voluit? » — Denique S. Hilarius, Canone 12. in Matth. ita scribit: « Pharisaeorum sententiæ, et eorum qui ita cum his sentiunt per-
« versitatem severissima definitione condemnat; peccatorum omnium
« veniam promittens, et blasphemiæ spiritus indulgentiam abnegans,
« nam cum cætera dicta gestaque liberali venia relaxentur, caret mi-
« sericordia si Deus negetur in Christo: et in quo sine venia peccatur
« benevolentiam iteratæ admonitionis impendit, omnino peccata cu-
« jusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum sanctum non
« remittendam. Quid enim tam extra veniam est, quam in Christo ne-
« gare quod Deus sit, et consistentem in eo paterni Spiritus substan-
« tiam adimere? » — **Respondeo primo distinguendo:** blasphemia
contra Spiritum sanctum est irremissibilis per se, et per ordinem ad
Dei misericordiam et clavium Ecclesiæ potestatem, *nego*. Est irremis-
sibilis per accidens, vel quia ad extremum usque spiritum peccator
in ea perseverat, vel quia blasphemia illa nil aliud est quam ipsamet
impenitentia finalis, *concedo*. Hæc explicatio loci citati in objectione
est divi Augustini, ut constat ex ipsius Epistola 50. *Ad Bonifacium*,
ubi contra Donatistas, qui Christi verba de blasphemia in Spiritum
sanctum pravo sensu interpretabantur, ita scribit: « Intelligent ergo,
« *inquit*, non omnia, sed aliquod significatum esse peccatum in Spi-
« ritum sanctum, quod omnino non remittetur; sicut enim cum di-
« xisset: *si non venirem, peccatum non haberent*; utique non omne
« peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magni-
« sque peccatis, sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent,
« possent illis omnia dimitti quæ habebant, id est quod in eum ven-
« nientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum si non
« veniret: sic etiam cum dixit qui peccarent in Spiritum sanctum,
« vel qui verbum dixerit adversus Spiritum sanctum, non utique omne
« quod in Spiritum sanctum peccatur, facto sive dicto, sed aliquod
« certum et proprium intelligi voluit; hoc est autem durtitia cordis
« usque ad finem hujus vitæ qua homo recusat in unitate Corporis
« Christi quod vivificat Spiritus sanctus, remissionem accipere pecca-
« torum. Cum enim dixisset discipulis: *Accipite Spiritum sanctum*,
« continuo subjecit: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cui*
« *tenueritis, tenebuntur*. Huic ergo dono gratiæ Dei quicumque resti-
« terit et repugnaverit, vel quomodocumque fuerit ab eo alienus usque
« in finem hujus temporalis vitæ, non remittetur ei neque in hoc sæ-
« culo, neque in futuro, hoc scilicet tam grande peccatum, ut eo te-
« neantur cuncta peccata: quod non probatur ab aliquo esse commis-
« sum, nisi cum de corpore exierit; quamdiu vero hic vivit, eum,
« sicut dicit Apostolus, *patientia Dei ad Penitentiam adducit*. Sed si
« ipse per se vexantissima iniquitate, sicut consequenter adjungit Apo-
« stolus, *secundum durtitiam cordis sui, et cor impenitens thesaurizat*
« *sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei*: non remittetur
« ei neque in hoc sæculo, neque in futuro ». Et in *Enchiridio*, cap. 82.
« Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam
« divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit
« extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in
« quo Christus peccata dimittit ». Denique Sermone 11. *De Verbis Do-*
mini, ubi hanc de irremissibili in Spiritum sanctum blasphemia quæ-

stionem data opera expendit, postquam præmisit verba Christi de omni blasphemia intelligi non posse, ne paganis, Judæis, hæreticis, omnique hominum generi, qui diversis erroribus et contradictionibus suis blasphemant in Spiritum sanctum, spes remissionis, si se correxerint, auferatur; subjunxit cap. 12: « Hanc blasphemiam in Spiritum sanctum cui numquam ignosci potest, secundum Christi verba, esse impœnitentiam finalem. Contra hoc donum, inquit, contra istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est Spiritus blasphemia; quæ non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro. Hæc ergo impœnitentia, sic enim uno aliquo nomine possumus uti, eamque appellare et blasphemiam, et verbum contra Spiritum sanctum, quod remissionem non habet in æternum..... hæc omnino impœnitentiæ non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia Pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo quæ valeat in futuro. Séd ista impœnitentia vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit ». Post multa tamen sic concludit: « Unum ergo suffugium est ne sit irremissibilis blasphemia ut cor impœnitens caveatur nec aliter pœnitentia prodesse credatur nisi ut teneatur Ecclesia; remissio peccatorum datur, et societas Spiritus in pacis vinculo custoditur ». — Sic intelligendi sunt Patres adducti in objectione. Una enim est eorum mens, quod scilicet qui peccant in Spiritum sanctum nullam habeant peccati excusationem, qualis est in aliis plerisque criminibus ignorantia aut infirmitas. *Misericordiam consecutus sum*, inquit Apostolus, *quia ignorans feci in incredulitate. Et Deus cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus*, inquit Regius Vates. Hanc autem fuisse S. Athanasii sententiam patet ex lib. *De communi essentia Patris et Filii et Spiritus sancti*. fol. 392, ubi aperte dicit nullum peccatum, neque ipsam blasphemiam in Spiritum sanctum, esse penitus irremissibile. « Sunt, inquit, alii qui in Spiritum sanctum impingunt, atque ita in Christi deitatem blasphemias dicunt, nimirum quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia. De istis intelligendum est quod ait: non remittetur neque in præsentis sæculo, neque in futuro; quin et hoc observandum est non dixisse Christum blasphemanti et Pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, et in blasphemia manenti, quandoquidem nullum est peccatum irremissibile aq̄d Deum in illis qui vere et ex animo. et ut par est, Pœnitentiam agunt ». — Ad S. Pacianum dico eum absolute non negare quod blasphemia contra Spiritum sanctum possit remitti. Ibidem enim in verbis antecedentibus sic urget Novatianum illum ad quem scribit: « Post hæc proponis, inquit, scriptum esse per Dominum: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus. Qui autem in Spiritum sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic neque in futuro. Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te valet. Nam si omne peccatum et blasphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam: *Et in Filium hominis peccaverit remittetur ei*. Quid hoc amplius de clementia judicantis? » —

Ad S. Ambrosium, dico ex sola totius contextus lectione aperte quæ fuerit ipsius mens colligi posse. Verba enim quæ contra nos citantur hæc sunt: « Perlatum est ad nos, inquit, etiam illud vos objicere « solere quod dicatis scriptum esse: *Omne peccatum et blasphemia « remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur,* « etc. Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur et absolvitur, « scriptum est enim: *Omne peccatum et blasphemia remittetur homi-* « *nibus, cur igitur non remittitis? cur ligatis vincula quæ non sol-* « *vitis? cur nodos nectitis quos non relaxatis? Remittite cæteris, et* « *agite de iis quos peccantes in Spiritum sanctum evangelica aucto-* « *ritate in perpetuum adstringi putatis, et tamen quos astringat con-* « *sideremus...* » Denique Petrus Simoni, qui magicæ artis consuetudine depravatus putasset quod gratiam Christi per impositionem manuum atque infusionem Spiritus sancti compararet pecunia, ait: « *Non est « tibi pars neque sors in hac fide, quia cor tuum non est rectum apud « Deum. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et precare Do-* « *minum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Vides quod « hunc magica vanitate blasphemantem in Spiritum sanctum aposto- « lica auctoritate condemnet, et eo magis quia puram conscientiam « fidei non habebat, et tamen non interclusit ei spem veniæ quem « invitavit ad Pœnitentiam ». Et post verba laudata in objectione, in quibus videtur declarare duo crimina irremissibilia esse, nempe pharisæorum qui diabolum Christo comparabant, et schismaticorum qui Ecclesiam Christi discernunt, subjungit, ne quis ipsam veniæ spem talibus adinere existimaret: « Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si « qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam, « quia scriptum est: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini,* « *salvus erit.* Denique etiam Judæorum populus qui dicebat de Do- « mino Jesu: *Dæmonium habet, in Beelzebul eiecit dæmonia,* qui « crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocabatur ad Bapti- « smum, ut sceleris tanti merita deponat ». — Eodem sensu accipienda sunt S. Hilarii, verba quæ etsi duriora prima fronte videantur, tamen peccatum illud blasphemiam in Spiritum sanctum nusquam remitti, aut absolute irremissibile esse non significant, siquidem ibidem ait: « Sub- « secreto indulgentiæ Dei repositam esse veniam qua omne peccatum « sit remittendum. Sed solum innuunt Judæos sic blasphemantes magis « indignos fuisse veniam quam gentiles apud quos Christus nec Evan- « gelium suum prædicavit, nec ulla miracula edidit ». Quod prolata comparatione divinitatum et reginæ Saba quam Christus eodem in cap. 12. Matth. urget, S. Hilarius ostendit: « Cumulat igitur invidiam « comparatio, inquit, et Judæos sine excusatione facit fides gentium: « ut cum illis prophetis, idest Jonæ Salomoneque crediderint, Christo « isti non credant Jona Salomoneque potiori. Et ideo in resurre- « ctione eos judicabunt, quia in iis repertus timor Dei fuerit, quibus « lex non erat prædicata, hoc magis indigni veniam, quia ex lege sunt « infideles, quo plus fidei in eis qui legem ignoraverunt, sit re- « pertum ».

INSTABIS: Blasphemia, qua Dei opera diabolo tribuuntur, est blasphemia in Spiritum sanctum: sed hæc est irremissibilis absolute: igitur sola impœnitentia non est blasphemia irremissibilis. *Probat*

minor ex S. Hieronymo Epist. 149. ad Marcellam dicta, in qua exponit quodnam sit illud peccatum quod Christus dixit irremissibile, et probat contra Novatianos Christi negationem tormentorum metu non esse inexpiabile peccatum. « Unde, *inquit*, de toto ipsius Scripturæ ordine con-
 « vincendus est, non iis irremissibilem dictam esse blasphemiam. qui
 « tormentis compulsi, et variis eviscerati cruciatibus, Dominum dene-
 « gassent; sed iis qui cum in virtutibus videant opera Dei, calum-
 « niantur et clamitant dæmonis esse virtutem, et omnia signa quæ
 « facta sunt, non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum per-
 « tinere... Probet itaque Novatianus aliquem de iis qui sacrificare
 « compulsi sunt ante tribunal iudicis, respondisse omnia quæ in Evan-
 « gelio scripta sunt non a Filio Dei sed a Beelzebul principe dæmo-
 « niorum fuisse perfecta, et tunc poterit approbare irremissibilem in
 « Spiritum sanctum esse blasphemiam ». Et infra: « Manifestum est
 « peccatum in Spiritum sanctum ideo non posse dimitti, quod habeat
 « blasphemiam: ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebul calum-
 « nieris in factis. Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebul negasse
 « Christum et ultro referam gradum negatorem non posse veniam
 « consequi post ruinam; quia aliud est tormentis cedere et se chri-
 « stianum negare; aliud Christum diabolum dicere, sicut tibi ipsa
 « Scriptura atque contextus lecta attentius potuerunt demonstrare ». Ex quibus sic colligo: statuit S. Hieronymus blasphemiam in Spiritum sanctum a se expositam inexpiabilem esse, eo sensu quò Novatianus contendebat negationem Christi vi aut metu tormentorum exortam, irremissibilem esse: atqui Novatianus contendebat negationem Christi esse penitus irremissibilem, non solum quod difficulter expiari posset: Sanctus igitur Hieronymus existimavit irremissibilem esse absolute blasphemiam in Spiritum sanctum a se expositam. — **Respondeo:** *distinguo majorem:* et S. Hieronymus figura concessionis utitur, ut ostendat verba Christi de irremissibili blasphemia in Spiritum sanctum Novatianis non favere, *concedo:* et id concessit absolute, *nego.* Scilicet Novatiani peccata quælibet a christianis post Baptismum commissa inexpiabilia esse contendebant, maxime negationem Christi et nominis christiani, hoc freti argumento: peccatum blasphemie in Spiritum sanctum est irremissibile: sed negatio Christi nominisque christiani, et idololatria est peccatum in Spiritum sanctum: est itaque irremissibilis. Marcellæ pientissimæ et doctissimæ necnon illustrissimæ femine difficultatem faciebat istud argumentum, cui non poterat respondere. **Quamobrem** S. Hieronymum consuluit. Quid ad hæc S. Hieronymus? negat primo idololatriam et negationem Christi nominisque christiani esse blasphemiam in Spiritum sanctum, quia sequeretur alioqui nullum esse discrimen inter blasphemiam quæ dicitur in Filium hominis et blasphemiam in Spiritum sanctum. Secundo blasphemiam eorum qui Christum negant remitti posse probat exemplo S. Petri cui peccatum negationis dimissum est. Tandem semota illa difficultate quam tunc se non posse expendere asserit, quia aliis studiis ac curis detinebatur, an blasphemiam in Spiritum sanctum sit absolute irremissibilis, ait, etiam si illud Novatianis concederet, ipsos non evicisse quod contendebant: dato, inquam, et non concesso quod blasphemiam in Spiritum sanctum esset absolute et natura sua irremissibilis, negat sequi quod omnia

peccata mortalia irremissibilia baptizatorum, quia non sunt blasphemiae in Spiritum sanctum. Nam tunc solum dicitur blasphemia in Spiritum sanctum, cum quis Christum in virtutibus, idest in miraculis videns, Beelzebub calumniatur in factis, idest opera Dei refundit in diabolum, ut faciebant Judaei dicentes: *in Beelzebub principe demoniorum ejicit demonia*. Hæc constant ex totius Epistolæ contextu. Quod autem non omnia scripserit ibi S. Hieronymus quæ ad illius quæstionis solutionem erant necessaria, sed solum quæ ad illud Novatianorum argumentum diluendam sufficiebant, constat ex fine epistolæ. « Fuerat quidem prolixius disserendum, *inquit*, sed quoniam amicis et qui ad nostrum hospitium convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus, et tibi non statim respondere, visum est arrogantis, latam disputationem brevi sermone comprehendimus ».

URGEBIS: Blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro, est quodcumque mortale peccatum a baptizatis admissum: ergo nullum crimen baptizatorum expiari potest Pœnitentia. *Probat*ur antecedens auctoritate Origenis et Theognosti quos laudat S. Athanasius, lib. *In illud Evangelium*: « *Quicumque dixerit verbum in Filium hominis, etc.*: His verbis prisci igitur homines, inter quos et Origenes, vir multarum disciplinarum, et multum industrius, et Theognostus ille admirandus et per quam studiosus, tradunt nobis hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, cum qui dignati sunt per Baptisma donis Spiritus sancti, recurrunt ad peccata, atque inde esse quod remissionem non consequuntur ». — **Respondeo**, Origenem et Theognostum irremissibilia dixisse crimina baptizatorum, non absolute, sed comparate ad peccata ethnicorum; et hic forte occultior ille sensus est quem in eorum verbis quærendum S. Athanasius ait: Arbitror, *inquit*, utriusque sententiam nonnulla adhuc inquisitione et observatione indigere, num occultior sit aliquis et profundior in eorum verbis intellectus. Et certe Origenem in ea non fuisse sententia, quod peccata post Baptismum commissa irremissibilia essent, constat ex innumeris locis quibus fideles ad Pœnitentiam et confessionem peccatorum adhortatur; sed ad id evincendum insignis est locus ex lib. 3. *Contra Celsum*: Jam erga peccantes, *inquit*, quam severa est disciplina, præcipue contaminatos libidine quos e sua Republica ejiciunt nostri, quantumvis Celsus eos nugacibus circulatoribus similes faciat, et Pythagoreorum quidem veneranda schola ponebat cenotaphia disciplinæ suæ desertoribus, nimirum quod haberet eos pro mortuis: hi vero ut perditos Deoque mortuos lugent eos qui libidine, aliove simili modo, victi fuerint: ac rursus resipiscentes, haud secus quam redivivos recipiunt, tandem post longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem descendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur imposterum ab omnibus dignitatibus et magistratibus ecclesiasticis. — Et infra Celso objicienti christianis quod sentirent hominem injustum, si se propter miseriam suam humiliaverit, a Deo recipi, respondet: neque de injusto docemus sufficere ad hoc ut a Deo recipiatur, si agnoscat suam miseriam; sed qui damnata cum præterita sua vita convertat se ad meliorem frugem, eum a Deo recipi. — *Denique*, eodem in libro neminem malum nisi ad virtutem conversum, docet a Deo sublevari:

sed qui peccata sua damnant toto pectore, inquit, seque ipsos desunt ac lugent, tamquam ob male facta merito perditos, ac mox mutationem præferunt quæ respicientes deceat, eis demum, propter mutatam in melius mentem, condonat errata præterita; eam præteritorum oblivionem impetrante virtute, quæ in locum profligatorum ex anima vitiõrum successit. Hæc autem omnia evidenter ostendunt, Origenem existimasse, peccata post Baptismum admissa, a Deo et ab Ecclesia remitti. — Sed quidquid ea de re senserint Origenes et Theognostus ante ortum Novatianæ hæreseos durius locuti, falsa est illa sententia quæ ipsis tribuitur: falsum, inquam, est blasphemiam in Spiritum sanctum quæ non remittitur, esse quodlibet peccatum a baptizatis commissum, ut multis rationibus probat S. Athanasius in libro superius laudato. *Primo*, quia sancta Trinitas indivisa est, unde sequitur ut necessariois qui peccat in Filium et blasphematur, peccet in Patrem et in Spiritum sanctum. *Secundo*, quia in Patre et Filio et Spiritu sancto Baptisma tribuitur; unde necessum rursus est eos qui post Baptisma prævaricantur, in sanctam et individuum Trinitatem blasphemiam facere. *Tertio*, quia hæc verba Christi: *Quicumque dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non sunt dicta de baptizatis, sed de pharisæis; unde non poterit hoc dictum pertinere ad eos qui post Baptisma prævaricantur: et præsertim quia eos, non in genere de peccatis, sed de blasphemia increpabat. In quibus hoc differentiae est, quod qui peccat legem transgreditur, qui blasphematur contra ipsam Deitatem impie agit, inquit S. Athanasius. *Quarto*, si de iis qui post Baptismum peccant id dictum est, cur apud Corinthios pœnitenti communionem restituit Paulus, inquit idem Athanasius? Et cur Galatas retrorsum abeuntes parturirit donec iterum formaretur in illis Christus? cum in hoc vocabulo *iterum* deprehendere liceat etiam primam eorum in Spiritu sancto initiationem. Aut quid est quod Novato succenseamus tollenti Pœnitentiam, dicentique nullam eos veniam obtinere qui post lavaerum peccant? ” *

OBJICIEBANT 6. Ex Epistola S. Joannis, cap. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccati non ad mortem: est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis: igitur peccatum illud non potest remitti.* — **Nego consequentiam:** peccatum enim illud ad mortem varias patitur interpretationes; primo namque plurimi sacri Interpretes per illud intelligunt impenitentiam finalem, et finalem in malo obstinationem, ut etiam interpretatur S. Augustinus, lib. *De correptione et gratia*, cap. 12. ubi cum præmisisset præfata Apostoli verba, subdit: *De quo peccato, quoniam expressum non est, possunt multa et diversa sentiri: ego autem dico, id esse peccatum, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Quæ utique impenitentia merito dicitur irremissibilis, quia est negatio Pœnitentiæ, et est peccatum hominis jam extra statum viæ; ac subinde non minus frustraneum esset pro eo orare, quam pro peccato dæmonum, ut docet idem S. Augustinus, lib. 21. *De Civitate Dei*, cap. 24. ubi scribit: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso, sed quia de nullo certa est,*

orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus exauditur. Si autem peccatum illud ad mortem intelligatur aliquod peculiare peccatum ab ipsa finali impœnitentia distinctum, S. Joannes dicit non decere, ut quis roget pro ipso: quia quicumque deprecator non sufficit pro obtinenda venia ejusmodi peccati ad mortem: sed requiritur aliquis intercessor eximiæ sanctitatis, ut illius condonationem possit obtinere. Duplicis enim generis peccati Scriptura meminit, quorum aliqua dici possunt non ad mortem, quoniam facile curantur, qualia sunt ea, quæ neque fidem, neque desiderium salutis extingunt, pro quibus Apostolus consulit orare, et spondet veniam: alia sunt, quæ difficillime curantur, ut positiva infidelitas, qualis maxime est in hæresiarchis, pro quibus peccatis licet Apostolus non prohibeat orare, non audet tamen consulere, ut quis pro eis roget: quia nisi ejusmodi oratio valde excellens fuerit, frustrabitur suo effectu. — Quod autem revera S. Joannes id intellexerit, præclare demonstrat S. Ambrosius, lib. 1. *De Pœnitentia*, c. 9. ubi respondens ad præfatam Novatianorum objectionem, ait: « Joannes non ad Moysen et Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium peccatorem deberet adhibere, cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam justorum orationibus reservandam putet: nam quomodo Joannes diceret, non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysen rogasse, et impetrasse, ubi erat prævaricatio voluntaria, qui sciret etiam Hieremiam rogasse? Quomodo Joannes diceret, non esse orandum pro peccato, quod esset ad mortem, qui ipse in Apocalypsi scripsit mandatum Angelo Ecclesiæ Pergami: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum? Similiter Pœnitentiam age: alioquin veniam tibi cito?* Vides quod Deus, qui Pœnitentiam exigit, veniam polliceatur? Dominique et ibi dicit: *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum.* Nonne ipse Joannes cognoverat Stephanum pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecatum, cum de ipsis, a quibus lapidabatur, diceret: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* Cujus precatio effectum in Apostolo videmus: Paulus enim, qui lapidantium Stephanum vestimenta servabat, non multo postea per gratiam Christi factus est Apostolus, qui fuerat antea persecutor. Hæc S. Ambrosius, quibus aperte docet nullum esse tam grande peccatum, cujus per salutarem Pœnitentiam non possimus veniam impetrare

INSTABIS: S. August., lib. 1. *De Serm. Domini in monte*, cap. 22. ait: *Peccatum ad mortem esse puto, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidentiæ faucibus agitatur: illius peccati tantu labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum mala conscientie cognoscere, et adjuvare cogatur: igitur censet, aliquod esse peccatum, quod per Pœnitentiam nulla ratione possit auferri.* — **Respondeo**, S. Augustinum nihil aliud velle, quam peccatum illud non posse facile sanari, nec per hominis vires cum communi Dei adjutorio

dilui; non autem quod absolute, et per extraordinariam Dei virtutem sanari non possit; nam perditissimos quosque peccatores posse a Deo converti, docet ipsemet S. August. explicans illa verba Psal. 76. *In profundum maris: « Convertit eos, inquit, qui in profundo hujus sæculi jacent demersi pondere peccatorum, ad eos liberandos, qui sunt « desperatissimi peccatores ».*

* “ **OBJICIES 7:** Ex Clemente Romano, lib. 2. *Constitut. Apostol.*, cap. 23. dicente: *Si quis ex acie delinquat, tentans Deum quasi non insequatur pœnis improbos, is veniam non impetrabit, quamvis illud secum dicat, bene mihi vertat, Deus, quoniam ambulabo in conservatione cordis mei, etc.* Est igitur aliquod peccatum irremissibile. — **Respondeo**, *Constitutiones Apostolicas*, nec Apostolorum esse, nec Clementis Romani ut Tom. 1. probatum est. Sed eujuscumque sint, nego quod eorum auctor peccatum aliquod irremissibile absolute et ex genere suo agnoverit. Neque verba in argumento allata id probant, sed solum illum qui ad finem usque vitæ tam prave affectus est, ut Dei judicium videat, veniam non impetraturum. Sic illa verba intelligenda esse constat ex doctrina ejusdem auctoris, cap. 24. ejusdem libri, ubi iis irascitur vehementer qui pœnitentiam peccantibus denegant. *Episcopus. inquit, conservet suos pro viribus, ut qui non deliquerunt extra peccatum maneat: et qui deliquerunt a delictis reversos recipiat, medicinam adhibendo. Quod si pœnitentiam crudelis non admiserit, peccabit in Dominum Deum suum, justificans seipsum supra illius justitiam, et non recipiens hominem quem Deus per Christum recipit... hunc provocant ad iram, qui non recipiunt pœnitentes.*

OBJICIES 8: Ex S. Cypriano, libro *De lapsis* dicente Moysen et Daniele et Job orasse pro peccatoribus, nec impetrasse, dicente Domino: *Et si tres in medio eorum fuerint, Noë, Job et Daniel, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli salvi erunt.* Orationes igitur sanctorum veniam peccatoribus non impetrant, adeoque ipsorum peccata sunt irremissibilia. — **Respondeo**, Novatianos illo S. Cypriani testimonio abusos fuisse, illiusque verba pravum in sensum detorsisse, ut ostendit S. Pacianus, Epist. 5. *Ad Sympronianum.* « Ille enim cum « lapsos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes a « confessoribus sive martyribus accepisse se pacem, docuit et ostendit « quod nec patriarchæ illi pœnitentibus impetrarint. Etenim quis li- « berare possit invitum? Quis pro superbis humiliari, quis pro non « pœnitentibus impetrare? Quod utique cum diceret, ad pœnitentiæ « cogeat remedia. Nec contra se locutus est aliquid vir illius gra- « vitatis et meriti, sed fundendas a peccatoribus preces docuit, et « exomologesim diligendam ». Id ex ipsis exemplis quibus S. Cyprianus usus est, Pacianus probat. « Non vides Moysen, inquit, pro « quibus non impetraverit? Reversus ad populum quid audit in ca- « stris? Voces ebriorum, et cantus idolothyti personabant. Adhu: per- « s-verabat in nequitia populus, adhuc in ipso crimine permanebat, « ac pœnitere non noverat. Attamen quis tibi nostrum dixit quod « Moyses non impetraverit? Dixerat quidem illi Deus: *deliquit ante « me, delebo eum de libro.* Dixerat tamen auctoritate judicis, et Do- « mini potestate; sed vide quam cito reflexerit sententiam adversus « populi malitiam irrogatam. Ausculta Prophetam statim ibidem: et

« precatus est, *inquit*, Moyses in conspectu Domini Dei sui; quare,
 « Domine, irasceris ita in populum tuum?... Et propitius factus est
 « Dominus de malignitate quam dixerat facere populo suo. Vides le-
 « nitam esse iram Dei? Vides offensam esse placatam? Sed Noë, in-
 « quis, et Daniel et Job filios et filias liberare non potuerunt. Et hoc
 « tale est; si pro non rogantibus petant; si pro perseverante in crimine
 « deprecantur: si non singulos, si non paucos, sed millia multa defen-
 « dant. Cæterum Noë domum suam a ruina publica liberavit: et Job
 « recepit cuncta quæ perdidit: et Daniel instantem illum sapientibus
 « Babylonie gladium, oratione decussit. Loth certe pro salute oppidi,
 « Paulus pro rectoribus navis orat. Sic absolvuntur a justis qui pœni-
 « tere noverunt. Postremo vel illud aspicio quod scriptum ait, ipsi soli
 « salvi erunt. Qui illi? ipsi utique qui pro peccatoribus deprecantur,
 « impune pro talibus postulabunt. Et cur Ecclesiam damnas? Cur pro
 « pœnitentibus prohibes deprecari: si etiam pro his petere licet, pro
 « quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum
 « meum. Lege totam de lapsis Epistolam: lege aliam quam ad Antonia-
 « num dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus uretur, jam scies quid
 « de pœnitentium curatione pronuntiet ». Hæc S. Pacianus. ” *

Conclusio secunda. — NON POTEST DE VIA ORDINARIA UNUM PECCATUM MORTALE REMITTI ABSQUE ALIO PER PŒNITENTIAM, POSSET TAMEN PER VOLUNTATEM ET POTESTATEM DEI EXTRAORDINARIAM. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum

Prima communis est apud Theologos, colligiturque ex Scriptura sacra, quæ passim inculcat remissionem omnium peccatorum mortali-um fieri per Pœnitentiam. Sic Ezech., cap. 18. *Et cum averferit se impius ab impietate quam operatus est, et fecerit iudicium, et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur.* Non posset autem vita vivere, hoc est, plenam et perfectam habere vitam, si partim esset in statu mortis, partim in statu gratiæ, per præsentiam unius peccati, et expiationem alterius: siquidem monet S. Jacob., cap. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, qui enim dixit, Non murchaberis, dixit et non occides, quod si non murchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis:* singula autem peccata mortalia inferunt mortem ipsi animæ, juxta Ezechielis 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Unde merito Concilium Trid., Sess. 5. in decreto de peccato originali, ait: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum vadi, aut non imputari, anathema sit: in renatis enim nihil audit Deus, quia nihil est dominationis iis, qui vere consecuti sunt cum Christo per Baptismum in mortem, etc.* Igitur omnia peccata mortalia simul remittuntur ac condonantur.

Hanc veritatem sic declarat et probat Innocentius III, ut refertur c. *Majores* de Baptismo, ubi quærens, quare non saltem originale peccatum amentibus et dormientibus in Baptismo sicut et parvulis dimittatur, ait: *Ad hoc est taliter respondendum, quod Dominus,*

*qui totum hominem saluum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit, et ab hoc peccato non ex parte, sed ex toto dimittit. Addit alteram rationem; Præterea pœna peccati est carentia visionis Dei; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus: unde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis: sed hæc tamquam impossibilia sese minime patiuntur, imo sibi mutuo adversantur. Hæc Innocentius, quibus apertissime nostram assertionem tuetur, ex eo maxime, quod peccati remissio non fiat absque infusione gratiæ justificantis: illa autem est omnino incompatibilis de facto cum quolibet peccato mortali, utpote cum per eam formaliter constituatur homo amicus et filius Dei, ac hæres vitæ æternæ, ut docet Concilium Trid., Sess. 6. cap. 7. his verbis: *Hanc dispositionem, seu præparationem justificationis ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio hominis interioris per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum: unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ: quodlibet autem peccatum mortale hominem Dei inimicum et filium gehennæ constituit, ac subinde non potest consistere cum infusione gratiæ sanctificantis, per quam homo Dei filius et amicus constituitur.**

Eandem assertionem egregie declarat et probat quisquis est Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 9. ubi cum dixisset Christum numquam aliquem sanasse, quem omnino non liberaverit ab omni infirmitate, concludit: *Quædam enim, inquit, impietas infidelitatis est ab illo, qui justus et justitia est, dimidiam sperare salutem.*

DICES 1: Revera Deus interdum dimittit unum peccatum absque alio; quod utique indicat per Prophetam Amos, cap. 4. ubi ait: *Plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui: pars una compluta est, et pars, super quam non pluit, arguit.* Quæ verba sic exponit S. Greg., Hom. 16. in Ezechielem: *Cum ille, inquit, qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, et ex parte manet arida: quia sunt, qui cum quedam vitia reseccant, in aliis graviter perdurant: igitur unum peccatum ex mente S. Gregorii, ac secundum Scripture sensum, remittitur absque alio. — Nego consequentiam, et ad S. Gregorium dico, quosdam esse, qui equidem unum vitium reseccant quoad cessationem ab actu, non vero quoad remissionem culpæ; ita quod ille, qui plura peccata committere consuevit, deserit quidem unum, non tamen aliud: quo fit ut ad remissionem culpæ non pertingat.*

DICES 2: Peccata dimittuntur maxime hominibus per charitatem: sed aliqui pœnitentes præstantiorem habent actum dilectionis Dei, quam alii: igitur plurimum peccatorum quam alii remissionem obtinent, ut significat Christus Dominus Lucæ 7. dicens: *Cui minus dimittitur, minus diligit: et consequenter pro amoris intensione vel remissione plura vel pauciora peccata remittuntur. — Distinguo majorem: dimittuntur per charitatem magis vel minus intensam, quantum ad intensionem vel remissionem pœnæ. concedo: culpæ, nego.* Ita quod quo ferventiori actu dilectionis penitens Deum prosequitur, ea ampliore pœnæ pro peccatis luendæ relaxationem obtinet; secus autem

est de reatu culpæ, qui per quemlibet actum perfectæ contritionis aut dilectionis Dei propter se, et super omnia potest dilui.

Secunda pars, nempe quod per potentiam absolutam et extraordinariam dispositionem Deus possit remittere unum peccatum sine alio. jam satis superque probata est in Tract. *De Gratia* disp. 3. art. 2. q. 4. ubi ex Subtili Doctore probavimus Deum posse remittere peccatum per solam extrinsecam et gratuitam condonationem, et absque ulla infusione gratiæ sanctificantis: probavimus etiam Conclusionem præcedenti gratiam sanctificantem de potentia absoluta posse simul subsistere cum peccato. Ex quibus sic ratiocinari licet: qui potest peccatum remittere per solam condonationem extrinsecam, et gratiam simul conservare cum peccato, potest unum peccatum remittere non remittendo aliud: at utrumque Deus præstare potest: igitur, etc. *Majorem* ultro admittunt Thomistæ, et merito quidem; illa namque extrinseca condonatio omnino arbitraria est, potestque pro libito condonantis sese extendere vel ad omnem prorsus offensam, vel dumtaxat ad partem illius. Et quamvis hæc ita non essent, quæ tamen esse verissima demonstravimus, et quamquam, ut volunt Thomistæ, fieri non posset peccati remissio absque infusione gratiæ. attamen cum Deus, ut probavimus, possit de via extraordinaria conservare gratiam simul cum peccato, inde liquet quod possit infundere gratiam necessariam ad remissionem unius peccati, puta adulterii, conservando tamen seu non remittendo aliud peccatum v. g. homicidium, ab eodem adultero perpetratum: quæ omnia cum jam plenissime probata sint locis supra laudatis, non opus est hic diutius immorari.

QUÆSTIO SECUNDA.

PER QUID ET QUOMODO REMITTATUR PECCATUM VENIALE
TAM IN VITA, QUAM POST MORTEM.

NOTANDUM 1. Certum esse quod peccatum quodlibet etiam levissimum necessario debeat elui aut consecutionem felicitatis æternæ, nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum, neque ullus ascendet in montem Domini aut requiescet in monte sancto ejus, nisi innocens manibus, et mundo corde: hinc beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. At controvertitur inter Theologos quibus mediis ac remediis leviora peccata, quæ venialia dicuntur, possint dilui, et remitti: nam ea multis modis expiari posse apertissime docet Concil. Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. ubi ait: *Venialia, quibus a gratia non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quanquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Porro quæ sint ista remedia cum Concilio non exprimat, inde ansam sumpserunt Theologi varios proferre modos, quibus ejusmodi peccata deleri ac remitti posse existimant.

NOTANDUM 2. Tria esse præcipua et capitalia remedia, quibus maxime censerî potest peccatum veniale posse expiari, nempe virtutem Pœnitentiæ, frequentationem Sacramentorum, maxime Pœnitentiæ, et

Eucharistiæ, necnon et sacras quasdam actiones, quas Theologi *Sacramentalia* appellant, suntque numero decem, juxta veteres Theologos; nempe confessio communis, quæ fieri solet initio Missæ, et in fine completorii, pectoris percussio in signum doloris et pœnitentiæ, aquæ benedictæ aspersio, actus doloris interni de peccatis ejusdem, oratio, maxime Dominicalis, signi crucis impressio, comestio panis benedicti, Eleemosynæ largitio, Extrema-Unctio, pœnæ constans percussio, et opera misericordiæ; quæ omnia his versibus comprehenduntur:

*Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro,
Liquor, edo, dono, per quæ venialia tollo:
Unctio, pœna levis, compassio quæ fit egenis.*

Alii vero Theologi, maxime recentiores, sex dumtaxat ejusmodi actiones sacras peccati venialis relaxativas numerant, quas completitur sequens versus:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Quæ significant *primo*, orationem Dominicam, in qua culpas quotidianas nobis dimitti oramus: *secundo*, aquam benedictam, quæ, ut diximus in prima Disputatione, varios habet effectus, maxime efficaciam dimittendi peccata venialia, ex opere operantis: *tertio*, panem benedictum: *quarto*, Confessionem generalem: *quinto*, largitionem eleemosynæ: *sexto*, benedictionem Episcopi, vel Abbatis consecrati. Quæritur ergo, utrum non solum per virtutem Pœnitentiæ speciatim, aut communiter acceptæ, necnon et per receptionem Sacramentorum, sed etiam per ejusmodi Sacramentalia peccatum veniale diluatur.

NOTANDUM 3. Ex Doctore in 4. dist. 21. qu. 1. num. 8. peccatum veniale præter obligationem ad pœnam, relinquere in anima aliquam maculam, seu reatum culpæ; cum enim dixisset num. 6. duplicem esse sententiam circa remissionem peccati venialis, quarum prior est: *Quod nihil aliud est, inquit, culpæ venialis remissio, quam solutio pœnæ temporalis debitæ pro ea: quia post actum transeuntem, culpa quæ manet, nihil aliud est, nisi reatus ad pœnam debitam: iste autem reatus venialis non est nisi ad pœnam temporalem: subdit n. 8. Sed iste modus non placet, quia videntur Sancti distinguere inter remissionem culpæ cujuscumque, et pœnæ, et maxime inter remissionem culpæ, et solutionem pœnæ debitæ illi culpæ.* Hæc autem veritas a posteriori manifeste colligitur ex universali praxi Ecclesiæ, quæ imponit Pœnitentiam Sacramentalem pro solis venialibus confessis, et per absolutionem quoad culpam remissis. Ratio a priori est, quia peccatum veniale est vera et realis Dei offensa, juxta illud Jacobi Apostoli, cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Sicut ergo peccatum mortale, quia gravis offensa, relinquit post se maculam habitualement gravem; pari utique ratione peccatum veniale, quia levis offensa, relinquit post se habitualement maculam levem. Utrumque ergo displicet Deo, quia per utrumque violatur lex Dei, adeoque est virtualis quidam contemptus Dei, qui non potest ei non vere et realiter displicere, licet inæqualiter: quæritur autem qualiter hic reatus culpæ venialis dilui possit tam in vita, quam post mortem.

Conclusio prima. — PECCATUM VENIALE REMITTITUR IN HAC VITA QUANTUM AD REATUM CULPÆ ET PŒNÆ, NON SOLUM PER ACTUM PŒNITENTIÆ FORMALIS AUT VIRTUALIS, SED ETIAM PER RECEPTIONEM SACRAMENTORUM, ET QUODLIBET OPUS MERITORIUM, AC SUBINDE ETIAM PER SACRAMENTALIA. Hæc Conclusio quatuor partibus constat, quarum

Probatur prima, nempe quod peccatum veniale remittatur per actum Pœnitentiæ formalis aut virtualis; siquidem per id remitti potest peccatum veniale, per quod mortale potest expungi: at ad deletionem peccati mortalis sufficit actus Pœnitentiæ, non solum formalis, sed etiam virtualis, ut dictum est in Quæstione præcedenti: igitur multo magis utriusque Pœnitentiæ actus ad id sufficiens erit. *Deinde,* id sufficit ad remissionem peccati venialis, quod ei opponitur: sed Pœnitentia virtualis sufficienter opponitur virtuali peccato; nam in veniali est recessus non quidem ab amicitia, quam tantum solvit peccatum mortale, sed a familiaritate Dei, propterea quod peccatum istud sit conversio aliqua inordinata ad creaturam: sed in Pœnitentia virtuali, qualis est actus charitatis, est recessus a creatura, et accessus ad familiaritatem Dei: igitur ad ejusmodi peccati expiationem sufficit Pœnitentia virtualis.

DICES: Peccatum veniale non tollitur, nisi per id quod ipsi oppositum est: sed Pœnitentia virtualis ipsi non opponitur; si quis enim actus sit Pœnitentiæ virtualis, maxime actus ferventissimæ charitatis: sed hic non opponitur peccato veniali: *tum,* quia potest cum eo subsistere: *tum,* quia devotio erga res divinas, et mendacium jocosum nullam habent oppositionem; siquidem mendacio opponitur veritas, non autem devotio: igitur, etc. — **Nego minorem,** et ad ejus probationem dico, quod quamvis actus ferventissimæ charitatis aut devotionis non opponantur formaliter peccato veniali, opponuntur tamen virtualiter, et secundum rationem genericam; nam utraque illa virtus prompte tendunt in Deum, et cum animi alacritate; ac subinde opponitur retardationi, seu languori tendentiæ motus in Deum, quam infert peccatum veniale.

Probatur secunda pars, nempe quod peccatum veniale remitti possit per receptionem Sacramentorum novæ Legis: *Tum,* quia omnia novæ Legis Sacramenta ex primaria Christi Domini hæc instituentis intentione ordinantur in remedium peccati mortalis; ad quod eluendum duo maxime instituuntur, nempe Baptismus, et Pœnitentia; cætera vero ordinantur ad illud præcavendum, ut diximus initio hujusce Tractatus: igitur cum venialia peccata longe facilius quam mortalia remittantur, consequens est, quod per receptionem ejusmodi Sacramentorum peccata venialia possint remitti. *Tum,* quia omnia Sacramenta nobis applicant fructum Passionis Christi, sunque instituta ad sanctificandas animas, easque perfecte disponendas ad gloriæ æternæ consecutionem: igitur et ad tollenda omnia impedimenta, quæ possunt ab ejusmodi consecutione remorari: cum igitur venialia ab ea retardent, inde fit, quod per Sacramenta possint remitti. *Tum denique,* quia singula Sacramenta habent specialem vim et efficaciam circa remissionem peccati venialis: nam *Baptismus,* cum sit regeneratio spiritualis, transmutat omnino hominem a statu peccati ad statum gratiæ; unde Concilium Florentinum dicit, effectum hujus Sacramenti esse remissionem omnis culpæ, tam originalis, quam actualis;

sub culpa autem actuali continetur veniale peccatum. Idem constat de Sacramento *Pœnitentiæ*, quod ordinatur maxime ad deletionem peccatorum mortalium; ergo potiori jure ad remissionem venialium. Unde Concil. Trid. docet peccata venialia esse materiam sufficientem absolutionis Sacramentalis, ut declarabimus infra, agendo de Confessione. Idem patet de *Confirmatione*, cujus virtus propria maxime ordinatur ad conferendum incrementum vitæ spiritualis; et per consequens ad ea removenda, quæ ejusmodi incremento et perfectioni opponuntur, qualia sunt peccata venialia. Constat pariter de *Eucharistia*, quæ instituta est per modum cibi et nutrimenti spiritalis, cujus propria virtus est restaurare quod deperditur per calorem concupiscentiæ; ac subinde eluere peccata venialia, quæ ejusmodi spiritualem vitam infestant. Adde quod proprius hujus Sacramenti effectus sit excitare fervorem charitatis; ac subinde amovere venialia, per quæ ejusmodi fervor imminuitur. Unde Concilium Trid., Sess. 13. cap. 2. appellat hoc Sacramentum *antidotum*, quo liberemur a *culpâ quotidianis*, et a *peccatis mortalibus præserremur*. Patet denique de cæteris Sacramentis, quæ sanctitatem specialem animæ conferunt, et vigorem spiritualem, non solum ad declinanda, sed etiam ad eluenda leviora delicta, quæ ejusmodi vitæ perfectioni et conservationi opponuntur.

Tertia pars, nempe quod peccatum veniale remitti possit per quodlibet opus meritorium, traditur a Doctore n. 8. supra laudato, ubi ait: *Potest dici alio modo, quod peccatum veniale in ista vita remitti potest non tantum per pœnam interiorem, vel exteriorem, quia illi non est necessaria ad hoc: sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quam peccatum veniale displiceat; et hoc vel relatum ab ipso operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed a Deo acceptante in ordine ad illud*. Quibus verbis Doctor significat peccatum veniale, non solum posse condonari per actum Pœnitentiæ, sive internæ sive externæ, sed etiam per quemcumque actum bonum et meritorium, qui magis sit acceptus Deo, quam odiosus ipsi fuerit actus peccati venialis. Quæ utique Doctoris sententia probatur primo, quia si ad id quodlibet opus bonum non sufficeret, maxime quia ad id requireretur actus Pœnitentiæ actualis aut virtualis: sed ita non est. *Probat*ur: si Pœnitentia actualis aut virtualis ita necessario pre-requereretur ad remissionem peccati venialis, sequeretur inde, quod veniale peccatum non majori facilitate solveretur, quam mortale; siquidem mortale peccatum potest tolli, et condonari per actum charitatis, necnon et per martyrrium, absque ulla formali detestatione prævia; quidni igitur pari ratione per quodlibet opus meritorium procedens ab eximia charitate, possit expiari? *Deinde*, peccatum veniale non deletur per Contritionem actualem, aut habitualem: igitur ad illius expiationem non requiritur Pœnitentia formalis aut virtualis. *Consequentia patet. Antecedens probatur*: peccatum illud non remittitur per contritionem, quod cum illa potest subsistere: sed veniale peccatum subsistere potest cum actu contritionis: ergo, etc. *Major constat*; eatenus enim peccatum per Pœnitentiam deletur, quatenus Pœnitentiæ actus ipsi opponitur, nec cum eo subsistere potest. *Minor vero probatur*: peccatum tamdiu non deletur quamdiu peccator in ipso

complacet : at qui elicit actum contritionis, per quem obtinet remissionem peccati mortalis, potest revocare in memoriam aliquod peccatum veniale sine proposito emendationis ; ac subinde peccatum veniale subsistere potest cum actu contritionis : igitur, etc. *Denique*, quidquid confert Contritio extra Sacramentum, conferre potest attritio juncta Sacramento Pœnitentiæ : sed omnia peccata venialia per attritionem cum peccato non semper delentur, ut docet Conc. Trid., Sess. 14. c. 5. verbis in primo Notabili a nobis laudatis, ubi significat peccata venialia in Confessione taceri posse citra culpam, *multisque aliis remediis expiari posse* : hæc autem remedia distincta a Confessione et Pœnitentia debent habere efficaciam delendi ipsa, non aliter quam per satisfactionem, et consequenter per exhibitionem alicujus operis æquivalentis in finem remissionis ipsorum : sed opus æquivalens potest esse in materia cujuscumque virtutis, v. g. fidei, eleemosynæ, orationis, jejunii, quia hæc opera sunt satisfactoria, ut ex Scriptura constat; jejunium autem, eleemosyna, et oratio numerantur a Patribus, et Doctoribus inter partes satisfactionis; imo et quodcumque opus bonum potest hunc effectum habere: ergo maxime pro peccatis levibus. Porro ut quicumque actus meritorius habeat efficaciam ad delenda peccata venialia, opus est quod per modum satisfactionis et compensationis eliciatur et offeratur in eum finem; si enim actus Pœnitentiæ et contritionis, necnon et dilectionis Dei, non sit sufficiens ad deletionem peccati venialis, quando ad illud implicite vel explicite non dirigitur, ut mox dictum est, multo minus eam efficaciam obtinebit quilibet alius actus bonus minoris ordinis et dignitatis. *Adde quod* si ad exhibendam satisfactionem pro peccato proprio debitam per jejunium, necesse sit, ut jejunium istud, quod varios ob fines posset fieri, dirigatur ad ejusmodi satisfactionem intendendam; sic etiam ut opus satisfactorium valeat pro dimittendis peccatis venialibus, requiritur, ut fiat ea intentione, quæ non tribuit quidem operi bono valorem, sed applicationem.

Probatur denique quarta pars, nempe quod Sacramentalia vim habeant remittendi peccatum veniale; illa namque non solum a Theologis, sed etiam a summis Pontificibus, et SS. Patribus dicuntur ex benedictione Ecclesiæ sanctificare et mundare: sed non mundant a peccatis mortalibus: igitur mundare debent a venialibus. *Minor constat*: si enim mundarent a peccatis mortalibus, conferrent primam gratiam; sicque haberent veram ac perfectam rationem Sacramenti. *Minor* vero jam probata est de aqua benedicta, necnon et de pane benedicto q. ult. a. 1. præced. Tractatus. — *Probatur* vero de cæteris, imprimis vero de oratione Dominica; nam S. August. in *Enchiridio*, c. 71. et ex eo Toletanum quartum c. 9. ait: *De quotidianis brevioribus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum enim est dicere: Pater noster, qui es in cælis, etc. delet omnino hæc oratio minima, et quotidiana peccata. Nec valet reponere cum Vazquezio id esse intelligendum de oratione, quæ habeat annexum motum contritionis et Pœnitentiæ: hæc enim responsio omnino fictitia est; alioquin talis levium remissio non esset magis tribuenda orationi Dominicæ, quam aliis orationibus, ex quibus excitari potest contritio, v. g. Psal. Miserere mei, Deus, necnon et aliis Psalmis.*

Pœnitentialibus. *Adde quod non contritioni, sed huic petitioni: Dimitte nobis debita nostra, talis remissio tribuitur, quod maxime significat S. Aug., in lib. De Correptione et Gratia, cap. 5. ubi ex illis verbis orationis Dominicæ probat, neminem esse sine peccato, idque confirmat auctoritate S. Cypriani, qui hunc locum Dominicæ orationis exponens, ait: Quam necessarie autem, quam providenter, et salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia suæ animus recordetur. Ne quis quasi sibi innocens placeat, et se extollendo plus pereat, instruitur, et docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique et Joannes in epistola sua ponens, dicit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* — Idem constat de Confessione generali, quæ fieri assolet in principio Missæ et Completorii; hæc enim peccatorum publica et generalis accusatio efficaciam habet, dum ex animo et affectu pietatis ac Religionis fit, remittendi non solum peccatum veniale, sed etiam satisfaciendi pro mortalibus dimissis, ut docet S. Aug., lib. 50. *Homiliar.* Homil. ult. c. 9. et Epist. 108. — Ad id etiam maxime confert eleemosynæ largitio, ut præclare docet S. Hieronym. ad c. 4. Danielis, ubi inter cætera ait: *Sciendum est, quod si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur, nullo magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiserunt.* — Tandem ad id confert Episcopalis benedictio, ut communiter docent Theologi. — Sciendum est autem, quod hujusmodi Sacramentalia non habent illam efficaciam remittendi veniale peccatum, nisi prævium vel conjunctum habeant motum animi ex parte ea sibi applicantis: siquidem ad id requiritur, ut nobis mediante fide nostra, et cultu Religionis applicentur, quia sunt cæremoniæ sacræ, quorum usus debet esse religiosus, et fieri humano modo; ideo in amentibus aut dormientibus forte non habent effectum talem, licet in infantibus habeant alios effectus, ut fugandi dæmones, et similia.

PETES: *Utrum Sacramentalia remittant peccatum veniale ex opere operato, vel ex opere operantis?* — **Respondeo,** quod si remittere peccatum ex opere operato, idem significet, ac illud præstare nedum intuitu dignitatis et meriti actus elicitum ab operante, sed etiam ex suffragante alterius merito, sic Sacramentalia dici possunt ex opere operato illam remissionem efficere; quia habent hanc efficaciam, quatenus Ecclesiæ sanctitas ipsis moraliter applicatur median-
tibus precibus, quibus hunc effectum ipsis impetrat a Christo Domino. — Si vero dicatur ex opere operato effici, quod de condigno, et infallibiliter ex meritis alterius datur vel operatur, tunc ista Sacramentalia dici non possunt agere ex opere operato: tum quia tantum hanc efficaciam suis precibus eis obtinet Ecclesia, quatenus videlicet exorat Deum, ut conferat auxilia quædam supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant, et revocentur; eatenus enim censentur remittere venialia, quatenus cæremoniæ sunt sacræ, quarum usus religiosus excitat in nobis vel attritionem, vel devotionem seu fervorem charitatis, quo ipsa remittantur: cum enim venialia opponantur fervori

charitatis, cujus ardorem imminuunt, cumque nulla privatio possit tolli, nisi per positionem formæ oppositæ, non videntur aliter Sacramentalia remittere peccatum veniale, quam obtinendo ex meritis Christi per preces Ecclesiæ auxilia quædam supernaturalia, quibus homo excitetur et juvetur ad eliciendos ferventes actus charitatis, vel Pœnitentiæ, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retractentur. Unde in amentibus aut dormientibus adultis, eorum applicatio forte non haberet illam efficaciam remittendi venialia, licet in infantibus habeant alios effectus, puta fugandi dæmones, et præpediendi infestationes maleficiorum.

DICES: Si Sacramentalia solum remitterent peccatum veniale excitando fervorem charitatis, sequeretur nullam esse differentiam inter illa et sacras imagines; siquidem illæ etiam in nobis excitant pios motus, necnon et charitatis fervorem: sed hoc videtur absurdum: ergo et illud unde sequitur. — **Nego sequelam majoris;** et ad ejus probationem dico, hoc interesse discrimen inter Sacramentalia et sacras imagines, quod hæc in nobis fervorem charitatis excitent solum objective, quatenus ad earum conspectum excitatur recordatio meritorum ac virtutum eorum quos representant; Sacramentalia vero id efficiunt etiam impetrative, quatenus ex meritis Christi per preces Ecclesiæ impetrant a Deo auxilia supernaturalia quibus homo ferventes actus charitatis eliciat.

Conclusio secunda. — GRATIA HABITUALIS PRÆREQUITUR ANTECEDENTER, NON AUTEM FORMALITER, AD PECCATI VENIALIS REMISSIONEM: ACTUALIS VERO CONCOMITANTER. Hæc Conclusio tres habet partes, quarum

Primam indicat Subtilis Doctor, cum ait dist. 15. q. 1. n. 7. « De potentia ordinata Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam, nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, scilicet Christi; quia, sicut tactum est supra, non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam offensa ejus erat sibi displicens; et tale obsequium ejus est Passio Christi, vel meritum ejus; et sicut non disposuit dare gratiam peccatori sine Passione, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio (*reconciliativa*) omnino, quia nec æquivalens aliquo modo, nec simpliciter; nec in divina acceptance; ideo multo magis de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato, nisi in virtute Passionis Christi ». Quibus verbis significat Doctor, non posse satisfieri, nec reconciliari Deo, nisi beneficio et applicatione Sanguinis Jesu Christi; ubi etsi loquatur dumtaxat de reconciliatione et satisfactione, quæ fiat propter peccatum mortale; attamen idem dici potest, proportionem servata, de peccato veniali: pietati enim ac Religioni conveniens est, credere quod non remittantur peccata venialia, nisi gratis, et intuitu meritorum Christi. Quod utique satis aperte indicat S. Joann., Epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Post quæ continuo subjungit modum remissionis eorum peccatorum dicens: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Quod vero hæc remissio fiat propter Christum, significat

cap. sequenti, dum ait: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Hanc veritatem indicat Apostolus, cum ait 1. Cor. 13. *Si tradero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: ex hoc enim inferre licet, quod homo non possit satisfacere pro reatu culpæ venialis, qui sufficit ad impediendam et differendam consecutionem vitæ æternæ; alioquin multum sibi prodesse posset, si extra charitatem illam satisfactionem posset impendere.*

NEC OBSTAT, quod, ut dicemus infra, possit homo citra charitatem satisfacere pro pœna temporali; ex quo videtur inferri, quod sine charitate aliquid prodesse potest. — **Respondeo enim**, quod non multum sibi proficiat qui solvit pro pœna temporali quod lege statutum est; quia quantum bonum est liberatio a pœna, tantum malum est solutio æquivalentis; non enim multum prodest furi, quod suspendatur, licet per suspendium satisfaciat pro pœna temporali, vel potius satis patiatur: quamvis igitur status peccati mortalis non tollat potestatem satisfaciendi pro pœna temporali, tollit tamen satisfactionem reconciliativam pro culpa; quoniam hæc gratia est. et misericordia per Christum, quam non convenit concedi, nisi ei, qui per gratiam sanctificantem est vivum membrum Christi.

Hanc autem assertionem expresse tradit S. Bonaventura 4. dist. 21. p. 1. art. q. 1. « Dicendum, *inquit*, quod aliquorum positio fuit, quod « venialia sine gratia gratum faciente deleri possint per gratiam gratis « datam. Et rationem hujus ostendere voluerunt pro eo videlicet, quod « veniale peccatum non repugnat gratiæ gratum facienti, sed gratis « datæ: nec offendit Majestatem divinam, quia ibi non diligitur ali- « quid supra Deum, sed aliquantulum inordinate sub Deo; et ideo « sicut mortale potest deleri per gratiam, quia ei repugnat, et quia « gratia Deo offenso reconciliat, et quia Deum contemptum amare « facit super omnia; sic veniale potest deleri per gratiam gratis datam, « quæ illam modicam inordinationem removet, et illam occasionem « minus amandi Deum, ab ipsa anima tollit; nec oportet ibi esse gra- « tiam elevantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per « veniale nihil amatur supra Deum. Sed hæc positio, licet probabilis « videatur, a veritate tamen deviat, si quis inspiciat: omne enim « peccatum, eo ipso quod est peccatum, aliquo modo animam defodit, « et aliquo modo ipsam deordinat; et necesse est ex hoc, quod aliquo « modo Deo displiceat. Quoniam igitur nota displicentiæ minima, quæ « esse possit sine habitu, qui reducit ad complacentiam, et ad aini- « citiam, auferri non potest, tenendum est omnino de omni peccato « generaliter, quod nullum omnino potest deleri sine gratia gratum « faciente; sic enim decrevit nos sanare divina misericordia. Et hoc « dicunt Sancti, et sonat Scriptura, quæ maxime ponit gratiam esse « necessariam ad delenda peccata ». *Hucusque Doctor Seraphicus.* Qui confirmat suam sententiam auctoritate S. Augustini 21. *De Civitate*, cap. 27. ubi ait: *Verumtamen nec ipsa magna (peccata) a quibus omnino, mulatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur; quanto magis multis et magnis criminibus involuti,*

etiamsi ea perpetrare jam desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis, quod in eos quisquam peccaverit, inexorabiles fuerint, cum dicat Dominus: Si autem non dimiseritis hominibus peccata, neque Pater vester dimittet vobis? Ex quibus infert Seraphicus Doctor, quod non alia ratione qui non remittit offensam a fratre acceptam, non potest a Deo sperare indulgentiam offensam ipsi irrogatam, quam quia qui non vult dimittere est in statu peccati mortalis, in quo nullam remissionem meretur quamdiu in eo habet complacentiam.

Probatur secunda pars, nempe quod nova infusio gratiæ habitualis et sanctificantis non requiratur formaliter ad remissionem peccati venialis: id enim requiritur formaliter, quod requiritur ut forma tollens privationem, quæ prius inerat: sed gratia sanctificans non est forma tollens maculam peccati venialis: quippe cum illud cum ea subsistat in viatore: ac subinde ad peccati venialis remissionem non est necessaria infusio gratiæ sanctificantis.

PETES: *Utrum saltem concomitanter aut consequenter illa remissio venialium requirat specialem gratiæ sanctificantis infusionem?* — **Respondeo,** id non esse necessarium: siquidem cui peccatum veniale remittitur, jam in eo existit gratia sanctificans: ac subinde non opus est, ut ei de novo infundatur.

DICES: Peccatum veniale imminuit fervorem charitatis: ergo ut remittatur necessum est fervorem illum restitui: sed non potest restitui, nisi per gratiam habitualement: igitur necessum est, ut aliquis illius gratiæ gradus in hujus peccati remissionem infundatur. — **Nego minorem:** nam ut restituatur ille ardor charitatis, sufficit gratia actualis, quæ hominem inordinate adhærentem rebus temporalibus ab eis revocet, et ad Deum per actum dilectionis convertat.

Probatur tertia pars, nempe quod gratia actualis necessaria sit ad remissionem peccati venialis: quia 1. Joann. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato:* ergo tam a veniali, quam a mortali. Porro Christi Sanguis absque gratia non agit. 1. Joann. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem.* Et Arausicano 2. Can. 4. *Purgamur a peccato per operationem S. Spiritus,* quia ex Salomone, *Præparatur voluntas a Domino.* Et ex Apostolo: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Et Can. 7. *Qui dicit per naturæ vigorem bonum aliquid ad æternæ vitæ salutem pertinens nos cogitare, ut expedit, aut eligere posse, sine illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, non intelligit vocem Domini dicentis in Evangelio Joann. 15. Sine me nihil potestis facere.* Nec illud Apostoli: *Non sumus idonei cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis.* 2. Corinth. 3. Can. 14. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur,* ut dicitur Psalm. 78. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine.* Et Psalm. 52. *Deus meus misericordia ejus præveniet me.* Can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quis homo veritatem et justitiam habet, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut non deficiamus in via.*

OBJICIES CONTRA PRIMAM PARTEM: Veniale peccatum non includit privationem gratiæ, et cum ipsa subsistat: igitur ad illius remissionem non requiritur gratia habitualis. — **Distinguo consequens:** non requirit

gratiam habitualem per modum causæ formalis, physicæ, aut moralis, *concedo*: per modum prærequisitæ dispositionis, *nego*; nam, ut diximus, ut quis dignus sit consequendæ remissionis peccati venialis quantum ad reatum culpæ, debet esse acceptus Deo, ac proinde debet esse in statu gratiæ sanctificantis.

OBJICIES 2. Peccata venialia remittuntur per Sacramentalia: sed illa ex æquo applicantur tam justis, quam peccatoribus, ut patet de aqua benedicta, et pane benedicto, qui tam justis, quam peccatoribus traditur: igitur ad remissionem peccati venialis non prærequiritur gratia habitualis. — **Distinguo minorem**: Sacramentalia applicantur tam justis, quam peccatoribus ex intentione Ecclesiæ in ordine ad remissionem peccati venialis, quasi ex æquo utrisque illa competent, *nego*: propter alias utilitates, quas ex ejusmodi Sacramentalium applicatione accipere possunt peccatores, *concedo*: aspersio enim aquæ benedictæ, v. g. eis prodesse potest ad abigendas et removendas dæmonum et maleficorum infestationes.

OBJICIES 3. Peccatum veniale remittitur in inferno; siquidem damnatis relaxatur pœna peccatis venialibus debita: sed damnati nullam habent gratiam habitualem: igitur hæc ad peccati venialis remissionem non prærequiritur. — **Distinguo majorem**: remittitur quantum ad reatum culpæ, *nego*: quantum ad reatum pœnæ, propter rationes quæst. seq. subjiciendas, *concedo*.

OBJICIES 4. Remissio venialium, quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponit gratiam habitualem; siquidem hæc non præcedit illam mortalium remissionem: igitur peccator in venialium remissio non requirit necessario gratiam habitualem. — **Distinguo consequens**: non requirit prioritatem temporis et durationis, quia prius gratia habitualis non debet esse in peccatore, quam ei peccata dimittantur, *concedo*: non requirit per exigentiam et simultaneam existentiam, *nego*: non potest enim de via ordinaria remitti peccatum, quin adsit gratia habitualis, per quam restituimur in amicitiam Dei, et in jus ad hæreditatem æternam.

OBJICIES 5. Contra ultimam partem: unum contrarium tollitur per aliud: veniale peccatum est actus naturalis, alicui sæpe naturali virtuti contrarius, ut jocosum mendacium veracitati, excessus in cibo et potu temperantiæ. — **Nego minorem**: in eo quippe statu, quo vivimus ad ordinem gratiæ, gloriæque supernaturalem promoendi, non solum veniale opponitur naturali perfectioni, sed etiam supernaturali, puta fervori charitatis, et familiaritati cum Deo. Quare tolli non potest, nisi per divinæ charitatis fervorem, et actum supernaturalem, quo familiaritas illa Dei restituatur.

OBJICIES DENIQUE: Veniale peccatum est tantum nimia quædam ad creaturas adhæsiō: sed naturaliter, et absque auxiliis gratiæ potest quis tollere hanc nimiam adhæsiōnem, per actum scilicet amoris Dei, ut Creatoris: igitur naturaliter absque divinæ gratiæ auxilio potest quis consequi peccatorum venialium remissionem. *Major constat*: non enim peccatum veniale evertit ordinem ad ultimum finem, sed solum peccator per illud nimis inhæret creaturæ, salvo tali fine. *Minor etiam patet*: nam in statu naturæ puræ, quem in quinto volumine pag. 69. diximus esse possibilem, potuissent esse peccata venialia: in eo autem

statu non potuissent elui alio modo, quam per actum amoris Dei, ut Creatoris. — **Nego minorem:** illa enim nimia adhæsiō creaturis, et retardatio ab ultimo fine, non solum est contra virtutem naturalem, sed etiam opponitur alicui perfectioni supernaturali, nimirum fervori charitatis, et familiaritati hominis cum Deo, subindeque tolli non potest, nisi per aliquem charitatis fervorem, aut alterum actum supernaturalem aliquo modo avertentem hominem a creaturis, et convertentem ad Deum: quæ utique conversio fieri non potest, nisi per aliquod auxilium supernaturale. Ad illius probationem dico, *primo* dubium esse, utrum revera in statu naturæ puræ possent esse quædam peccata venialia, nam status ille talis dicitur, maxime ex eo quod sit immunis ab omni peccato, et gratiæ auxilio. *Secundo* dico, quod si forte in eo statu fierent venialia peccata, illa essent diversæ rationis a nostris, eo quod tunc non fuissent opposita fervori charitatis, et familiaritati hominis cum Deo, sicut ea quæ modo fiunt in statu naturæ elevate ad ordinem supernaturalem: ideoque potuissent remitti per amorem naturalem Dei, ut Creatoris, aut per actum cujuscumque virtutis naturalis.

Conclusio tertia. — REMITTITUR PECCATUM VENIALE, VEL POST MORTEM, VEL IN INSTANTI MORTIS, INTUITU MERITORUM PRÆCEDENTUM, NON AUTEM RATIONE MERITI DE NOVO ELICITI. Hæc Conclusio tres habet partes, quarum *prima* est, quod revera peccatum veniale quantum ad reatum culpæ possit remitti in purgatorio, et post mortem, aut in instanti mortis: *secunda*, quod hæc remissio fiat ratione operis meritorii præcedentis: *tertia*, quod non fiat intuitu actus meritorii de novo eliciti.

Prima pars docetur non solum ab omnibus Theologis, sed etiam a SS. Patribus, illamque expresse tradit Doctor in Reportatis dist. 21. q. 1. n. 2. « In ista quæstione, *inquit*, conclusio est certa, quod peccatum aliquod potest dimitti post mortem, non tantum quantum ad « pœnam, quia scilicet pœna illi peccato debita, non fuit hic soluta; « sed etiam quantum ad culpam in se; quod utique probatur, quia « nullus salvabitur cum aliquo peccato: sed existens cum aliquo peccato veniali potest dormire, et dormiendo mori; et similiter potest, « aliquis venialiter peccare usque ad ultimum instans, quo anima « egreditur a corpore. Constat autem, quod sic morienti numquam « fuit dimissum peccatum hoc veniale: igitur vel intraret gloriam sine « remissione culpæ talis venialis, vel ibi remittetur ei: at non intrabit « gloriam sine remissione talis venialis; quoniam *non intrabit in eam* « *aliquod coinquinatum.* Apoc. 21. ergo ibi remittetur ei ».

Eandem sententiam colligit **Magister Sententiarum** in 4. d. 21. ex illis verbis Christi, Matth. 12. *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum, non dimittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro;* ex quo, *inquit*, datur intelligi, sicut SS. Doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur, quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam vero parvæ etiam in futuro, quæ quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt, ut dimittantur eis. Illi autem Doctores sunt maxime SS. Patres, præsertim S. Augustinus, *De Civitate*, cap. 24. ubi ait: « neque

« enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque « in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, « tamen remitteretur in futuro. » Idem colligit S. Gregorius Magnus, lib. 4. *Dialogi*, cap. 39. ubi expendens præfata S. Matthæi verba, ait: *in qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari, quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Idem docent S. Isidorus, lib. *De officiis Ecclesiasticis*, cap. 18. S. Bernardus, *Serm.* 16. in *Cantica*, etc.

DICES 1: Nullus justus potest peccare post mortem: ergo nec a reatu peccati surgere. *Patet antecedens. Consequentia probatur: tum*, quia eadem est ratio de potentia ad peccandum, et resurgendum a peccato: *tum*, quia facilius est cadere, quam resurgere: *tum denique*, quia resurgere a peccato non videtur ei competere, qui non potest mereri, sed qui non potest in aliquo statu cadere non potest etiam mereri: igitur, etc. — **Negat consequentiam Doctor**, in 4. dist. 21. q. 1. n. 11. « Intelligendo, *inquit*, resurgere, pro liberari a peccato ». Ad primam autem probationem, ait, non esse simile inter posse peccare, et resurgere a peccato: quia peccare est libere agere, et pro statu via (intellige de peccato demeritorio), nam docet Doctor. in 2. dist. 7. q. 1. « damnatos velle peccare, licet per illud peccatum nihil de novo « demereantur: resurgere autem, idest, immunes fieri a peccato, non « requirit libere agere etiam in via; quia vel secundum primam opi- « nionem, non est nisi solvere pœnam, et hoc est pati eam. vel juxta « secundam, non est nisi per merita prius habita in via, et pro tunc « accepta, culpam nunc dimitti », *Ad secundam probationem consequentiæ, ait*: « Concedo, quod facilius est cadere, quam resurgere, prout resurgere dicit actum ordinatum in potestate simpliciter resurgentis: sed sic non accipitur resurgere in ista remissione peccati venialis. » *Ad tertiam probationem*, ait, falsum supponere, scilicet quod resurgere tunc est per actum voluntatis meritorium, qui tunc insit, sed per actum meritorium, qui prius insuit in vita, juxta secundam opinionem, vel per nullum actum meritorium. sed tantum per pati pœnam condignam pro illo peccato, secundum primam opinionem.

DICES 2: Nullum peccatum mortale post hanc vitam potest remitti: igitur nec veniale. *Consequentia patet*: videtur enim esse eadem ratio mortalis, et venialis, quippe cum dumtaxat differant secundum magis et minus. — **Negat consequentiam Doctor**, n. 12. « Quia, *inquit*, « merita facta in vita non possunt acceptari in instanti mortis, ut per « ea deleatur mortale, quia Deus disposuit mortale non delendum, « nisi per susceptionem voluntariam Sacramenti, vel per aliquam di- « spositionem, tamquam per meritum de congruo, tunc vel usque « tunc inhærentem, quando peccatum deletur: non sic est in eo, qui « discedit in mortali ». *Ad probationem consequentiæ respondet*, « quod « etsi peccatum mortale et veniale quandoque opponantur eidem vir- « tuti, et privent eadem bonitate in genere naturæ, aut moris. sed « bonitate physica, aut morali, non tamen privant eadem bonitate « morali theologica, quia peccatum mortale ex divina ordinatione « opponitur gratiæ justificanti, et privat amicitia divina: sæcus autem « est de peccato veniali »: non igitur mirum si unum remittatur post mortem, non vero alterum.

DICES 3: Peccatum veniale remitti potest per quæcumque pœnam, maxime vero per pœnam mortis: igitur non remanet dimitendum post mortem. — Respondet Doctor, n. 13. quod potest bene concedi, quod mors voluntarie accepta sit pœna sufficiens pro pœna cujuscumque peccati venialis, et forte pro magna parte pœnæ debitæ pro mortalibus dimissis. Nec obstat, quod est pœna necessaria: quia aliquis potest necessarium voluntarie acceptare, et sic consonat, quod dictum est in secunda opinione, quod peccatum veniale deleatur in instanti mortis. Unde addit in Reportatis num. ult. quod mors posset imponi lâtroni pro satisfactione Sacramentali: « Et credo, *inquit*, quod « si fur illam voluntarie sustineat, tanta posset esse illius contritio « et displicentia, quod statim evolare in cœlum ».

Secundam partem probat Doctor, n. 8. « Quia, *inquit*, qui mori-
« tur in charitate, etsi post mortem non referantur ipsius opera me-
« ritoria ad veniale, in quo moritur, dimittendum; nec ipse etiam ha-
« beat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale,
« tamen illa opera prius facta possunt esse a Deo relata ad remissionem
« istius venialis post mortem ». Quod sic probat: « quia, *inquit*, causa
« impedibilis, dum est impedita non ponit effectum, dum vero non
« est impedita, ponit: sed merita istius morientis in charitate essent
« causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel
« a Deo acceptante in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste
« vivit, si semper actu manet in peccato veniali: post mortem vero
« tunc non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati ve-
« nialis: igitur per illa debebuntur venialia post hanc vitam, hoc est, in
« instanti separationis animæ ». Ex quibus infert duo: « primum, quod
« in instanti mortis remittuntur venialia, quia tunc non manet actus
« peccati venialis, et per consequens tunc cessat impedimentum. Aliud,
« quod omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in
« hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis usque ad mor-
« tem, vel ad instans mortis ». Quibus omnibus Doctor significat,
quod sicut justus per bona opera meretur gloriam, si moriatur in
gratia; ita etiam meretur, si decedat cum gratia, ut consequatur veniam
suorum levium delictorum, sine qua non potest consequi gloriam,
quam meretur: igitur habet jus ex meritis præcedentibus hujus vitæ,
ut post mortem remittantur ei venialia, aut in instanti mortis, si quam-
diu vivit in eis non complacet.

Tertia denique pars probatur ex illo Eecl., cap. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.* Quibus significatur, nullum amplius esse locum meriti, vel demeriti post mortem; quod ultro fatentur omnes Theologi affirmantes statum hujus vitæ esse dumtaxat merito vel demerito præfixum. Hinc improbat sententia S. Thomæ affirmantis quæst. 7. De malo art. 11. peccata venialia remitti in purgatorio per actus contritionis, vel charitatis, quibus anima illa peccata detestatur, et retractat: inde enim sequeretur animas in purgatorio patientes posse adhuc mereri, cujus contrarium docent Theologi communiter.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM, REMISSA CULPA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS PER PŒNITENTIAM, REMANEAT REATUS PŒNÆ TEMPORALIS, ET QUOMODO HIC SOLVI POSSIT.

NOTANDUM 1. Certum esse, quod remissa culpa mortali per pœnitentiam, semper etiam remittatur reatus, seu obligatio ad pœnam æternam luendam: siquidem numquam de via ordinaria remittitur mortalis culpa, quin infundatur gratia sanctificans, per quam homo justificatur: *Ipsa autem justificatio* (inquit Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 7.) *non est sola peccatorum remissio; sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum; unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Repugnat autem, saltem de lege ordinaria, ut aliquis sit hæres regni cælestis, et simul addictus pœnæ æternæ; alioquin simul esset dignus vita et morte æterna: ac subinde repugnat pariter, quod remissa per pœnitentiam culpa peccati mortalis, remaneat in justificato reatus pœnæ æternæ.

NOTANDUM 2. Controversiam moveri inter Catholicos, et Hæreticos utrum remissa per pœnitentiam culpa tam mortali, quam veniali, supersit aliqua obligatio ad luendam pœnam temporalem. Affirmant omnes Catholici Doctores cum Concilio Trident., ibid. c. 14. ubi asserens peccatores rursus justificari posse per pœnitentiam, *quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam* SS. Patres apte nuncuparunt, subdit, illa peccata solvi posse per debitam satisfactionem subeundam: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ, ut sacre Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum S. contristaverunt, etc.* Verum negativam partem tuentur hæretici hujus temporis, maxime Calvinistæ cum nefario suo Antesignano, qui lib. 3. *Instit.*, c. 4. n. 25. ubi præmisit sententiam Catholicorum, de debita pro remissis peccatis solutione, subdit impudenter: *Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in Scriptura clarius prædicatur: quid enim est remissio, nisi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha testatur sibi numeratam pecuniam: sed qui nulla solutione ultro sua beneficentiâ nomen expungit; cur deinde gratis additur, nisi ad tollendam omnem satisfactionis opinionem? qua igitur confidentia suas satisfactiões adhuc erigunt, quæ tam valido fulmine prosternuntur?*

NOTANDUM 3. Triplicem esse Doctorum sententiam circa pœnam peccato veniali debitam. Quidam enim cum Alensi 2. part. qu. 124. memb. 9. volunt ipsi deberi per se pœnam æternam; per accidens vero temporalem. Aliqui vero cum Angelico Doctore 102. qu. 87. art. 5. et Seraphico in 2. dist. 42. art. 2. qu. 2. affirmant deberi pœnam temporalem per se; æternam vero per accidens, quando videlicet aliquis decedit cum peccato mortali, et veniali, inde enim fit ut peccatum veniale junctum mortali perpetuo puniatur, quia in inferno nulla est redemptio. At Subtilis Doctor, dist. 21. n. 6. expugnata utraque præ-

missa sententia, contendit nec per se, nec per accidens pœnam æternam esse veniali peccato debitam. Duo itaque hic sunt statuenda: *primum*, quod remisso reatu culpæ adhuc ut plurimum supersit pœna temporalis per satisfactionem exsolvenda: *secundum*, quod peccatum veniale non sit puniendum pœna æterna.

Conclusio prima. — DIMISSO PER PŒNITENTIAM REATU CULPÆ PECCATI TAM MORTALIS, QUAM VENIALIS, REMANET IN PŒNITENTE SÆPE SÆPIUS REATUS PŒNÆ TEMPORALIS. Hæc est de fide determinata in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi decernitur tertiam pœnitentiæ partem esse satisfactionem pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quæ præcipue fit per orationes, jejunia, et eleemosynas: ac subinde supponit aliquam pœnam, remissa culpa, esse superstitem. Apertissime eam definit Tridentinum, Sess. 6. Can. 130. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, ve' in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit.* Unde Sess. 11. cap. 8. *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam Traditionem hic error, quam manifestissime revincitur. Hæc autem divina oracula, quibus ejusmodi veritas confirmatur, repetuntur præcipue ex cap. 32. Exodi, ubi Israëlitis in adorationem aurei vituli lapsis Deus peccatum ad preces Moysis remittit; nam ibidem dicitur: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Nihilominus ibidem dicitur, Deum reservasse pœnam infligendam isti populo propter illam noxam; subditur enim: *In die ultionis visitabo, et hoc ob peccatum eorum: percussit ergo populum Dominus pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* — Similiter Num. 13. et 14. iisdem Israëlitis in peccatum murmuris lapsis intercedente Moyse pepercit Deus, ait enim: *Dimisi juxta verbum tuum;* attamen omnibus, qui ex Ægypto fuerant egressi, reservatur ultio, subditur enim: *Attamen omnes homines, qui viderunt Majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obediunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Unde Psal. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam?* Eadem pœnam ibidem cap. 20. decernitur contra Moysen, et Aaron, ob eorum peccatum ad aquas contradictionis; legimus enim: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et infra: *Pergat Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël, eo quod incredulus fuerit ori meo ad Aquas contradictionis.* Et statim mors ejus ibi describitur. Moysi vero Deuter. 32. dicit Deus: *Ascende in montem istum Abarim, idest, transituum, in montem Nebo.... quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor: et appositus populis suis: quia prevaricati estis contra me.... ad Aquas contradictionis in Cades deserti**

Sin: et non sanctificastis me inter filios Israël: e contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam dabo filiis Israël. Certum est autem, quod illius peccati veniam obtinuerunt Moyses et Aaron; *Absit enim* (inquit Augustinus, lib. 16. *Contra Faustum*, cap. 16.) *ut credamus Moysen esse alienatum, qui cum S. Elia meruit clarificato Christo assistere.* — Patet eadem veritas ex 2. *Regum*, cap. 12. ubi Davidi pœnitenti remittit Deus peccatum adulterii cum Bersebea, et homicidii Uriæ; cum enim dixisset David ad Nathan Prophetam: *Peccavi Domino: statim reposuit Nathan: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris;* quibus verbis sine dubio totam peccati culpam remisit Deus; unde S. Ambrosius in priori Apologia Davidis, cap. 2, ait: *Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: quemadmodum pœnituit te, et Dominus abstulit peccatum tuum: maturitas itaque venie profundam Regis fuisse Pœnitentiam declaravit. quæ tanti erroris offensam traduxerit.* Nihilominus ejusmodi criminum temporalem pœnam luit David morte filii ex adulterio suscepti; nam ibidem Nathan ait: *Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Quibus verbis significat Davidem fuisse punitum non tantum ut caveret in futurum, vel ad terrorem aliorum, vel ad virtutis et patientiæ exercitium, ut comminiscuntur hæretici, sed propter peccatum et scandalum datum: inferre autem pœnam peccatori, quia peccavit, est proprie punire peccatum, et non solum infligere pœnas medicinales; unde S. Augustinus, in Psal. 50. ait: *Veritatem dilexisti, idest, impunita etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti.*

UT HÆC DIVINA TESTIMONIA ELEVET CALVINUS, reponit num. 31. et 32. Deum equidem interdum dimisso reatu culpæ pœnam peccatori justificato infligere, non in vindictam, sed in emendationem. Duplex enim distinguendum est judicium: unum vindictæ, alterum castigationis. « Porro (*inquit*) judicio vindictæ sic intelligendus est Deus « inimicos suos ulcisci, ut iram adversus illos suam exerceat, confun- « dat, dissipet, in nihilum redigat. Id ergo sit nobis proprie Dei vin- « dicta, ubi punitio cum ejus indignatione conjuncta est. Judicio ca- « stigationis non ita sævit ut irascatur: nec vindicat ut perdat, vel « fulminet ad interitum. Unde non est supplicium proprie aut vin- « dicta, sed correctio, et admonitio. Alterum judicis est, alterum pa- « tris. Judex enim cum facinorosum punit, in ipsum delictum ani- « madvertit, et de facinore ipso pœnam expendit. Pater cum filium « severius corrigit, non hoc agit ut vindicet aut mulctet, sed magis « ut doceat, et cautiorem in posterum reddat. Paulo diversa similitu- « dine Chrysostomus alicubi utitur, quæ tamen eodem recidit. Verbe- « ratur, *inquit*, filius: verberatur et famulus: sed hic ut servus, quia « peccavit, punitur: ille vero, ut liber, et filius disciplina indigens, « castigatur. Huic correptio in probationem et emendationem cedit; « illi in flagella et pœnas. Ut breviter et expedite rem notam tenea- « mus, hæc ex duabus statuatur prima distinctio: ubicumque pœna « est ad ultionem, ibi maledictio, et ira Dei se exerit, quam semper « a fidelibus continet. Castigatio contra, et Dei benedictio est, et amoris « habet testimonium, ut docet Scriptura. Hoc discrimen satis Dei verbo « passim notatur. Quidquid enim afflictionum in presenti vita susti-

« nent impii, nobis depingitur ceu quoddam inferorum atrium: unde
 « æternam suam damnationem eminus jam prospiciunt: tantumque
 « abest, ut inde emendentur, aut fructum aliquem percipiant, ut po-
 « tius talibus præludiis ad dirissimam, quæ tandem eos manet, gehen-
 « nam apparentur ». — **Verum hæc Calvinii responsio mera est elusio,**
 et illusio; quam enim perverse et præpostere divinam Scripturam in-
 terpretetur, apparet ex præfatis divinis oraculis, quibus apertissimis
 verbis significatur Deum plagas et calamitates hominibus jam in gra-
 tiam receptis inferre in viudictam et ultionem dimissorum criminum;
 non autem in solam emendationem et patientiæ exercitium. Hujus
 veritatis nulla quidem proferri potest ratio *a priori*, quippe cum hoc
 pendeat ex sola ordinatione Dei, qui sicut pœnam æternam una cum
 mortali culpa gratis semper remittit, ita posset, si vellet, semper omnem
 pœnam remittere. Varias tamen congruentias hujus divinæ ordinationis
 proferunt SS. Patres: *primo* quidem, ut peccati gravitas magis inno-
 tesceret, et ab offensa timore pœnæ induendæ peccator removeretur.
 Quam utique rationem subministrat S. Aug., Tract. 124. in Joan. di-
 cens: *Ne culpa putaretur parva, si cum ea finiretur et pœna, proli-*
xiorem voluit esse pœnam, quam culpam, temporaliter enim detinet
pœnam, quem jam reum ad damnationem non detinet culpa. — *Se-*
condo, ut debitam Deo satisfactionem peccator exolveret, intellige-
 retque quam benigna fuisset Dei misericordia pœnam æternam con-
 donando. Quod utique luculenter explicat S. Augustinus, lib. 22.
Contra Faustum, cap. 67. ubi ait: « Quando correptus (David) per
 « Prophetam, dixit: *Peccavi*, continuo adhuc verbum audire meruit,
 « quod receperit veniam: ad quam rem, nisi ad sempiternam salu-
 « tem? Neque enim prætermissa est in illo secundum Dei commina-
 « tionem, flagelli paterni disciplina; ut, et confessus in æternum li-
 « beraretur, et afflictus temporaliter plecteretur. Haud vero mediocre
 « fidei robur fuit, aut parum mitis, et obedientis animi indicium, cum
 « audisset a Propheta, quod sibi Deus ignovisset, et tamen quæ fuerat
 « comminatus, consequenter evenissent, non se dicere deceptum esse
 « Prophetæ mendacio, nec murmurare adversus Deum, quasi falsam
 « peccatorum indulgentiam esse pronuntiaverit; intelligebat enim vir
 « alte sanctus, et non contra Deum, sed ad Deum elevans animam
 « suam, nisi Deus esset confitenti, pœnitentique propitius, quantum
 « pœnarum æternarum ejus essent digna peccata, pro quibus cum
 « temporalibus emendationibus ureretur; videbat erga se et manere
 « veniam, et non negligi disciplinam ». — *Tertio*, ad frænandam pec-
 candi licentiam, quæ certe longe major esset, una si cum culpa omnis
 pœna relaxaretur. Quam utique rationem profert S. Chrysostomus,
 Homil. *De Pœnitentia*, dicens: *Ne peccantes, et inulti manentes effi-*
ceremur deteriores: non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc mani-
festè, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit, non puniri; et pro-
pter hoc inponit pœnam. — *Quarto*, decens erat, ut vitiosos habitus
 male vivendo contractos, per contrarios actus tolleremus; id autem
 fieri non poterat efficacius, quam pœnam temporalem luendo. Unde
 S. Augustinus, lib. 2. *De Peccatorum Meritis et Remiss.*, cap. 34.
Propter hoc, inquit, Adam ejectus de Paradiso contra Eden habitavit,
idest, contra sedem deliciarum; ut significaret quod in laboribus qui

sunt deliciis contrarii erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit. — Denique, conveniens erat, ut esset quædam proportio membrorum cum capite. Cum igitur, Christus pro nostris peccatis acerbissimos cruciatus temporales subierit, pari ratione debebat, ut pro ejusmodi peccatis pœnam aliquam pateremur.

Has omnes rationes disertissime explicat Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 8. his verbis: *Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, et dæmonis servitute liberati in accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii, et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum penitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt... Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et glorificabimur.*

OBJICIUNT 1. HERETICI: Deus Ezechielis 18. testatur se poenitus obliturum peccatorum ejus, qui Pœnitentiam egerit, *Omnium, inquit, iniquitatum ejus non recordabor.* Similiter cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* Quibus concinit Apostolus ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu:* sed Deus haud dubie iniquitatum peccatoris recordaretur, ipsaque impietas noceret impio, et aliquid superesset damnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, si dimissa culpa superesset luenda pœna temporalis: igitur remisso reatu culpæ, nullus pœnæ luendus reatus permanet. — Nego minorem, et ad duo priora Scripturæ loca dico, quod ut iniquitatum peccatoris obliviscatur Deus, satis est, ut eum in suam amicitiam recipiat, et ei pœnam æternam condonet, sic enim Deus oblitus est perduellionis Adæ, quia Sapientiæ 10. dicitur eum de delicto eduxisse. et tamen ei reservavit, et posteris pœnam mortis: Num. 10. Mariam Moysis sororem, ad ejus orationem absolvit a peccato murmuris, et tamen eam extra castra septem diebus separari jussit. Similiter 3. Reg. 13. Vir Dei seu Propheta Domini propter inobedientiam occisus est a leone; videtur tamen antea, peccati veniam obtinuisse pœnitendo. nam in argumentum sanctitatis illius, leo nec ejus cadaver, nec asinum attigit; et alius Propheta senex, qui prædixerat ei mortem istam in Bethel, corpus ejus in suum intulit sepulchrum, et planxit eum, et moriens prope ipsum sepeliri voluit. *Respondeo secundo,* Prophetam in illis oraculis comparationem instituere inter justum et impium in ordine ad vitam æternam; unde eorum sensus est, quod quemadmodum si justus avertit se a justitia sua, ipsa ei non proderit ad felicitatem æternam. ita quod Deus illius videatur oblivisci; sic peccator, dum agit Pœniten-

tiam, cum per restitutam gratiam habitualem obtineat jus ad vitam æternam, Deus non videtur recordari illius iniquitatis, nec ipsa ei nocebit in ordine ad beatitudinem obtinendam, quamquam debitor remaneat pœnæ temporalis luendæ. — *Ad tectum Apostoli dico, quod licet remissa per Pœnitentiam culpa, et pœnæ æternæ reatu, perseveret aliquando reatus pœnæ temporalis, nihil tamen damnationis est in justificatis; tantum enim abest, ut ipsa pœna temporalis luenda dicat ordinem ad damnationem, imo ab ea revocat; siquidem peccandi licentiam cohibet, et peccatorem cautiolem efficit, ne rursus in peccatum præceps ruat.*

URGET CALVINUS proferens alia Scripturæ testimonia, quibus Deus dicitur nullam amplius habere rationem peccatorum semel dimissorum illaque projicere post tergum, Isaiæ 38. delere instar nubis: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Ea projicere, et deponere in profundum maris, ut illud Micheæ 7. *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Tandem illa non imputare, et tecta habere, ut illud Psal. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Unde colligit: si punit Deus peccata, imputat; si vindicat, recordatur; si ad judicium vocat, tecta non habet; si examinat, post tergum non projecit: si inspicit, non obliteravit instar nebulae; si ventilat, non projecit in profundum maris. Atque, inquit, in hunc modum interpretatur Augustinus in Psal. 52. scribens: *Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* — **Respondeo,** perperam et insulse hæc ab eo in sui erroris patrocinium advocari; enimvero his aut similibus oraculis nihil aliud significat Deus, quam quod ita ad intuitum Pœnitentiæ peccata dimittat, ut illa amplius non revocet in conspectum et memoriam ad damnationem peccatoris, necnon ad reatum culpæ, et pœnæ æternæ; quod ultro fatemur.

OBJICIUNT 2. Remissio peccatorum fit in Pœnitentia per virtutem et meritum Passionis Christi, ut testatur Apostolus ad Roman. 3. dicens: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum:* sed Christus in sua Passione plenissimam satisfactionem exhibuit pro omnibus peccatis, non tantum pro reatu culpæ, sed etiam pro pœnis omnibus peccato debitis: igitur superfluit quælibet nostra satisfactio; nam, inquit Calvinus n. 30. Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? Nam cum dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quam defunctum pœna, et vindicta, quæ peccatis nostris debebatur. — **Distinguo minorem:** plenissimam satisfactionem exhibuit, et sufficientem remissionem omnium peccatorum, quoad culpas et pœnas, secundum dignitatem et virtutem, *concedo;* Christi enim meritum valet ad exsolvendum omnem reatum cujuslibet peccati: quoad applicationem, et modum, quo ab homine participatur, subdistinguo: plenissimam satisfactionem exhibuit quantum ad modum applicationis aliquando, ut fit per Baptismum et Martyrium, *concedo;* baptizatus enim participat totaliter virtutem Christi Passionis, utpote per aquam et Spiritum Christo commoriens peccatis, et id ipso regeneratus ad

vitam æternam: idem, proportione servata, dicendum de Martyrio: semper et per ordinariam ejusmodi Passionis applicationem, qualis fit in Pœnitentia, *nego*: Christus equidem satisfecit pro nobis ut causa universalis applicanda singulis per propriam cooperationem, et juxta mensuram illius cooperationis, maxime in Pœnitentia: modus autem proportionatus liberæ naturæ est, ut, sicut libere et propria voluntate deliquit, peccando actualiter, ita libere sibi applicet causam satisfactionis et remissionis peccati.

OBJICIUNT 3. Remota causa, removetur effectus: sed reatus culpæ est causa reatus pœnæ; ideo enim aliquis pœna dignus est, quia culpam commisit: igitur, sublato reatu culpæ per Pœnitentiam, auferatur etiam reatus pœnæ. — **Distinguo majorem**: si causa illa sit vera causa rei secundum esse et conservari, qualis est forma respectu compositi, puta anima rationalis respectu hominis, *concedo*: si tantum sit causa secundum fieri, ut Architectus est causa ædificii *nego*: et simili modo distincta *minore, nego consequentiam*: nam reatus culpæ est quidem causa reatus pœnæ ut fiat; non vero ut conservetur: quare moralis pœna manere potest, remota culpa, sicut ædificium subsistit, mortuo Architecto.

OBJICIUNT 4. Omnes pœnæ, quas justii patiuntur, sunt exercitationes virtutis, et eorum certamina; non autem satisfactiones pro peccato, ut docet S. Augustinus in Psal. 138. *Flagellat nos, inquit, in istis languoribus, et eruit nos. Tota ista miseria generis humani, in qua gemit mundus, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. Et lib. 2. De peccatorum meritis et remissione, cum dixisset, cap. 33. revera Deum homines a peccatis mundatos adhuc ex Dei sententia damnari ad pœnam, quod probat exemplo Adami manducantis panem in sudore vultus, et Evæ filios suos in dolore parientis, subdit cap. 34. Ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina, exercitationesque justorum*: igitur pœnæ a justis luendæ post remissa peccata non sũnt satisfactoriæ, sed dumtaxat vel medicinales, vel æternæ vitæ meritoria. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, quod quamquam ibi S. Augustinus non meminerit satisfactionis, attamen alibi pluries docet, pœnas assumptas, non solum esse exercitationes justorum, sed etiam satisfactiones: sic lib. 13. *De Civitate Dei*, cap. 6. ait: *Quidquid illud est in morientibus, quod cum gravi sensu admit sensum, pie fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ: ita cum ex hominis primi perpetua propagine, proculdubio sit mors nascentis pœna, si pro pietate, justitiaque pendatur, fit gloria renascentis: et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato*: idcirco autem humani generis miseras et calamitates, dicit magis esse dolorem medicinalem, quam sententiam pœnalem, quia cum dolor medicinae tendat in bonum ægroti; sententia autem pœnalis a iudice lata in malum et detrimentum damnati; idcirco calamitates illæ dicuntur medicinales, quia per eas homo Deo satisfaciens sibi viam parat ad felicitatem æternam; ac subinde illæ cedunt in bonum, non in damnum patientis.

URGENT: Calamitates illæ non possunt esse satisfactoriæ, nisi infligantur sub ratione pœnæ: sed ita non est, nisi dumtaxat materialiter;

quippe cum tam peccatoribus, quam justificatis. ac innocentibus, a Deo tribuantur; calamitates autem respectu innocentium, et eorum quibus donatus est uterque reatus pœnæ et culpæ, non possunt habere rationem pœnæ et supplicii: igitur, etc. — **Distinguo minorem:** si calamitates illæ non infligantur ob culpam, *concedo:* si sic, *nego.* Certum est autem ejusmodi calamitates hominibus justificatis a Deo praescribi ob eorum peccata remissa, ut etiam fatetur Calvinus ipsis justis tribuens illud Psal. 89. *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum:* at animadversio, virgæ, verbera, pœnas proprie dictas significant; ac subinde volens nolens Calvinus cogitur admittere pœnam, ultionem, ac vindictam esse adhuc peccato remisso superstitem.

Conclusio secunda. — PECCATO VENIALI NON DEBETUR PŒNA ÆTERNA PER SE, NEC PER ACCIDENS. Hæc est Doctoris loco sup. laudato n. 6. ubi ait: « Dico ergo, quod peccato veniali, sive
« hic puniendo, sive in inferno, sive alibi, non debetur nisi pœna tem-
« poralis, nec per se, nec per accidens; quia secundum se est talis
« offensæ, quæ secundum se punitur per temporalem pœnam suffi-
« cientem. Nec est inconueniens pœnam debitam veniali habere ter-
« minum in inferno: quia et vere pœnitens primo, et partem Pœni-
« tentiæ impositæ explens, et ante totam expletam recidivans in mor-
« tale, et in illo mortali decedens pro parte Pœnitentiæ residua explenda
« solvet pœnam in inferno: sed non nisi temporalem; quia ex quo in
« remissione peccatorum priori commutabatur debitum pœnæ æternæ
« in debitum pœnæ temporalis, numquam iste est debitor pro illis, nisi
« pœna temporali, et per consequens pœna totali soluta, erit liber ab
« istis. Non tamen in inferno est redemptio illius, scilicet peccati, pro
« quo iste est damnatus: quia pro illo debitum pœnæ æternæ nun-
« quam fuit commutatum in debitum pœnæ temporalis: et ideo semper
« manet illud debitum, si numquam potest esse illa pœna tota soluta ». Quibus verbis Doctor constanter affirmat pœnam veniali peccato debitam non esse æternam nec per se, nec per accidens, sed determinari ex natura sua, et finiri completo passionis, seu satis passionis termino. Quod utique probat ex receptissimo apud Theologos axiomatico, nempe quod *Deus semper punit citra condignum, et præmiat ultra condignum:* sed peccato veniali ex natura sua sola debetur pœna temporalis; quia, inquit cum. 3. cum charitate non stat debitum pœnæ æternæ. Nam si cum charitate staret obligatio ad pœnam æternam luendam, simul aliquis esset dignus vita æterna, et pœna æterna; siquidem quisquis habet charitatem dignus est vita æterna: quod utique implicat; nullus enim potest esse debitor pœnæ pro illo instanti, pro quo est ordinatus ad gloriam: quia tunc posset stare gloria, et pœna aliqua: sed cum charitate stat peccatum veniale, non tantum deletum post actum, sed etiam actualiter commissum, ut probat Doctor, n. 4. « Quia, inquit, « peccatum mortale excedit improporcionabiliter in ratione malitiæ « quodlibet peccatum veniale: infinita enim venialia si essent, non « æquarentur uni mortali in ratione offensæ; quia nec omnia illa aver- « terent a fine ultimo, sicut unum mortale: ac subinde pœna secun- « dum justitiam correspondens mortali peccato, improporcionabiliter, « et in infinitum excedit pœnam debitam veniali; non quidem secun-

« dum intensionem, quia quælibet pœna secundum intensionem, finite
 « excedit, vel exceditur ab alia: ergo excedit secundum extensionem
 « et durationem; et consequenter non debetur veniali pœna æterna ». *Confirmat* Doctor, num. 5. « Esto, *inquit*, quod simpliciter secundum
 « rigorem Deus puniret usque ad condignum, omnino injustum esset
 « pœnam æternam infligere pro illo, cui secundum se debetur pœna
 « temporalis: sed peccato veniali sola temporalis pœna debetur: quippe
 « cum ejus malitia longe minor sit, quam peccati mortalis; ac subinde
 « minori pœna est plectenda. Nec obstat quod conjungatur cum mor-
 « tali. Quam tunc cumque enim conjungatur alteri, *inquit* Doctor, hoc
 « non facit istud in infinitam exire gravitatem, et genus culpæ ve-
 « nialis: ergo nec juste ipsi correspondet pœna in infinitum excedens ».

REPONUNT THOMISTÆ CUM CAJETANO, quod peccato veniali per se non debeatur alia pœna, quam temporalis, sed per accidens deberi pœnam æternam, ex conditione subjecti, et ex ejus conjunctione cum mortali: quia, *inquiunt*, peccatum veniale non judicatur in damnando seorsim, sed conjunctum cum mortali, cui debetur pœna æterna; ac proinde cum subjectum, nempe homo damnatus destinatur ad pœnam æternam luendam ratione peccati mortalis, eandem etiam luere debet ratione venialis. — **Verum contra:** dignitas pœnæ, seu reatus, non oritur ex conditione subjecti, sed dumtaxat ex prævaricatione legis et præcepti: igitur peccatum ex se veniale, ex statu et conditione subjecti non meretur pœnam æternam.

REPONUNT 2. Non deberi quidem pœnam æternam peccato veniali, ratione subjecti solitarie sumpti, sed quatenus est in subjecto habente etiam peccatum mortale; ac proinde meretur pœnam æternam ex conjunctione et concomitantia cum mortali. — **Verum contra** subtiliter urget Hiquæus: Nihil, *inquit*, infert novum debitum pœnæ, quod non aggravat peccatum in ratione peccati, quia peccato, qua peccatum est, commensuratur pœna, et debitum ejus: sed peccatum mortale, propter quod damnatur quis ad infernum, et pœnam perpetuam, neque est circumstantia peccati venialis, aut faciens ullo modo ad malitiam ejus: ergo, etc. *Probat* *subsumptum*, quia peccatum mortale potest esse disparatum, et multis annis præcessisse veniale, aut subsequi, sine ullo ordine unius ad alterum, in esse, operari, cognitione, intentione, ut manifestum est: nihil autem aggravat malitiam, nisi quod est circumstantia operis, materiæ, aut operandi: ergo neque pœna aggravatur: sed veniali ex ordinatione legis et natura sua debetur sola pœna temporalis, et terminabilis: ergo, etc. *Confirmatur:* pœna debita veniali temporalis in hac vita non augetur ex conjunctione ad mortale in hac vita: ergo neque pœna eadem augetur in altera vita ex consortio ad idem. *Consequentia* manifesta est ex paritate. *Antecedens* sine controversia. *Confirmatur secundo*, quia pœna venialis quoad intensionem in inferno non crescit: ergo neque quoad durationem. *Consequentia patet*, quia non videtur ratio cur magis crescat extensive, quam intensive, sive consideretur in ordine ad subjectum, sive in ordine ad vindictivam justitiam Dei, quæ lege expressa est; nam sicut ex justitia pœna debita veniali secundum intensionem est levis respective ad pœnam mortalis (sicut ipsa culpa levis est), ita ut quicumque excessus ultra terminum statutum esset gravis, et non secun-

dum justitiam; ita etiam terminum habet pœna eadem secundum durationem, ut spectata lege et secundum se sit temporalis: ergo ex conjunctione cum mortali in inferno non protrahitur ultra illum terminum durationis, sicut nec intenditur ultra terminum proportionatum.

Ita Hiquæus.

OBJICES 1. Quodcumque peccatum est offensa Dei: sed omnis Dei offensa meretur pœnam æternam: *tum* quia omnis offensa Dei meretur annihilationem: ergo a fortiori digna est pœna æterna, quæ longe minus malum est, quam annihilatio: *tum* quia peccatum commissum contra Deum offendit personam infinitam; ac subinde habet malitiam infinitam, et consequenter dignum est pœna æterna. — **Nego minorem**, necnon et duas illius probationes, quæ omnino falsæ sunt. Prima quidem: non enim offensa Dei meretur annihilationem, nisi quatenus avertit ab ultimo fine, qui enim sese removet a Deo omnium entium principio, meretur abire in nihilum: hæc autem aversio non fit per veniale, sed dumtaxat per mortale. Secunda pariter probatio deficit; quippe, ut diximus agendo de peccati gravitate, neque etiam ipsum mortale peccatum est infinitæ malitiæ; quia dignitas, aut malitia non sumitur absolute a persona offensa, aut objecto in quod tendit quantum ad qualitatem, sed etiam ex modo, quo attingunt objectum, qui utique modus, sicut et potentia, a quibus actus peccaminosi eliciuntur, finita sunt.

OBJICES 2. Quamdiu manet culpa, semper remanet pœna; quia reatus pœnæ dicit inseparabilem connexionem cum culpa; siquidem statuitur contra inordinationem culpæ: sed reatus culpæ semper manet in inferno: igitur etiam remanet pœna luenda. — *Nego majorem*, et illius probationem distingo: inseparabilis est connexio pœnæ cum culpa *in fieri*, ita quod nemini debeat infligi pœna in ultionem, nisi propter pœnam admissam, *concedo: in facto esse, nego: nec enim pœna luenda semper præsupponit culpam præsentem in eo qui pœnam luit*. Nam plerumque subditi et filii plectuntur pro peccatis Principum et parentum, licet ipsi prorsus innocentes sint. *Insuper*, peccatis etiam remissis per Pœnitentiam virtutem, aut Sacramentum, plerumque debetur pœna temporalis in satisfactione: igitur non est talis connexio in facto esse inter pœnam et culpam, neque ex natura rei, neque secundum exigentiam justitiæ punitivæ, si pœna sit terminabilis ex lege, sicut est pœna temporalis debita peccato mortali remisso, et veniali etiam perseveranti.

URGEBIS: Damnati non tantum permanent in peccato veniali præterito, et in facto esse, sed etiam de novo in eo sibi complacent, adeoque continuo actualiter peccant: igitur continuo debent pœnam luere. *Probatur consequentia auctoritate S. Fulgentii, lib. De Fide ad Petrum, ubi loquens de damnatione dæmonum, ait: Pars itaque Angelorum, quæ solo bono beata fuit, voluntaria prorsus aversione discessit, æquitatis supernæ judicio initium suæ damnationis, in ipsa aversione voluntatis invenit: ut non aliud esset incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui: quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, ut etiam ignem ei æternum præpararet: in quo omnes illi prævaricatores Angeli, nec mala possent unquam voluntate carere, nec pœna; sed permanente in eis injustæ aversionis malo,*

permanet etiam justæ retributionis æterna damnatio. Quibus verbis significat, ideirco malos Angelos continuo puniri, quia continuam habent perversam voluntatem. — **Respondeo primo**, non constare, utrum damnati habeant novam complacentiam in peccato veniali præterito; hoc enim videtur moraliter impossibile, maxime si sint multa peccata, quoniam intellectus et voluntas in illis urgentibus pœnis vix possunt ad illa attendere. *Dico secundo*, quod etsi remaneat illa complacentia, non tamen damnatus propterea meretur novam pœnam, ut docet Doctor in 2. dist. 7. q. 1. ubi ait: « Sicut præmium substantiale in primo instanti, in quo aliquis Angelus est beatus, est determinatum, nec ex tunc crescit, quia actus boni, qui sequuntur, non sunt meritorii, licet sint boni; ita etiam in Angelo damnato, in primo instanti suæ damnationis determinatur ad certam pœnam, quæ non crescit intensive; nec tamen erunt mali actus ejus, quos elicit, impuniti, sicut nec boni Angeli boni actus erunt irremunerati; illi quidem boni actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actus beatifici; sed quantum ad accidentale præmium, quod possunt habere, quilibet actus est sibi præmium; ita etiam isti mali actus, quos elicit damnatus, includuntur in prima pœna, sibi certitudinaliter determinata, et quilibet, sicut posset habere pœnam accidentalem et propriam, habet seipsum pro pœna. Jussisti Domine, (inquit Augustinus, lib. *Confessionum*) et ita est, ut sibi sit pœna omnis peccator (textus genuinus: jussisti, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus, lib.1. *Confess.*, cap. 12.). Potissima enim et maxima pœna est privatio maximi boni, qualis est formaliter in actu malo, malitia culpæ peccatorem avertente a Deo (loquitur de actu mortali); crescet ergo pœna eorum in infinitum extensive, sicut et malitia, et neutrum intensive.

« **ET SI OBJCIAS**, quod secundum malum est actus demeritorius: ergo correspondet sibi propria pœna. — **Respondeo**, etsi concedi possit esse culpa, non tamen proprie demeritoria; quia non elicitur a viatore, cujus solius est mereri, et demereri, qui magis proprie potest dici esse actus damnatorius, sive damnati: sicut ex alia parte actus beati, licet sit acceptabilis Deo, non tamen proprie est meritorius, sed magis actus beatificus, vel actus beati, vel ex beatitudine procedens ». Hucusque Doctor. Esto itaque damnatus continuo peccet, non tantum mortaliter, sed etiam venialiter per complacentiam in peccatis venialibus præteritis; dico, per hanc complacentiam non mereri novam aliquam pœnam; sed, si ita velis, hæc complacentia seipsam habet pro pœna, et illa pœna est æterna, si peccatum est æternum. Verum de hac pœna non intelligitur nostra assertio, sed tantum de ea, quæ distinguitur a reatu culpæ, et propter illum infertur; quæ usque crescere non potest in statu damnationis, cum actus in eo statu elicit, quamvis mali, tamen non sint demeritorii.

OBJICES 3. In inferno nulla est redemptio: igitur neque ulla pœnæ solutio. — **Distinguit antecedens Doctor**, n. 6. quantum ad debitum pœnæ æternæ pro peccato mortali non remisso, nec commutato in debitum pœnæ temporalis, concedit; sicut enim semper manet illud debitum, sic etiam pœna solvenda nusquam finem accipiet: quantum ad debitum pœnæ temporalis luendæ pro veniali, vel pro mortali di-

misso, negat; cum enim justitia Dei vindicativa pœnas peccatis proportionatas infligat, non debet infligere pœnam æternam pro veniali, cui temporalis tantum debetur.

URGEBIS: Non potest remitti pœna temporalis, nisi absoluta fuerit satisfactio pro ea luenda: sed in inferno nulla est satisfactio: ergo etiam nulla pœnæ peccato debitæ cessatio. — **Distinguo minorem:** nulla est satisfactio reconciliativa, *concedo:* vindicativa, *nego.* Fateor equidem, quod si per satisfactionem intelligatur reconciliatio hominis Deum offendentis cum Deo offenso, qua recipiatur in ejus amicitiam et gratiam, verum est nullam esse talem satisfactionem in inferno, sicut nec remissionem et reconciliationem damnati cum Deo: est tamen satisfactio, quantum ad justitiam vindicativam, quæ exigit æqualitatem pœnæ ad peccatum secundum præscriptionem legis, et voluntatem Dei legislatoris, qui statuit, ut etiam in inferno sit pœnarum diversitas secundum diversitatem peccatorum, ut colligitur ex illo Apoc. 18. *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Neenon et ex illo Deut. 17. *Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus.*

INSTABIS: Satisfactio etiam punitiva non fit, nec absolvitur, nisi divina interveniente misericordia, et propter merita Christi Domini: sed misericordia non intervenit in inferno, ubi dumtaxat sævit divina justitia, neque ibi prosunt Christi merita, ubi nulla potest esse satisfactio etiam vindicativa. — **Nego majorem:** hæc enim dumtaxat requiruntur ad satisfactionem reconciliativam: nec enim misericordia intervenit ex parte creditoris, quando debitor ei tantum impendit, quantum debet: neque Christus Dominus offert sua merita pro satisfactione vindicativa, sed dumtaxat pro reconciliativa; est enim mediator et propitiator, in quo Deus reconciliavit, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt, ut ait S. Paulus ad Rom. 5. et ad Hebræos 10. Omnis ergo satisfactio reconciliativa est per Christum, non autem rigorosa, quæ est purus effectus justitiæ et Legis vindicantis peccata, cui satisfit per exhibitionem passionis, quæ natura sua terminatur, non inventu, aut intuitu Mediatoris, aut operum ejus, sed ex statuto, et pacto Legislatoris sic ordinantis.

QUESTIO QUARTA.

UTRUM ET QUALITER OPERA MERITORIA PER PECCATUM MORTIFICATA VIRTUTE PœNITENTIE REVIVISCANT.

NOTANDUM 1. Opera, quæ homo in ordine ad finem supernaturalem potest elicere, esse in quadruplici differentia: alia enim sunt *viva*, quæ ex principio vitali, gratia scilicet et charitate oriuntur: alia sunt *mortua*, quæ ex genere suo et proprio objecto sunt quidem bona, sed quia fiunt ab homine existente in statu peccati mortalis, ideoque omni vitæ spiritualis principio carent: aliqua vero sunt *mortifera*, quæ videlicet privando animam gratia, ipsi mortem inferunt: gratia enim se habet ad animam in ordine ad vitam supernaturalem, sicut anima se habet ad corpus, quantum ad vitam naturalem; nam, inquit S. Augustinus, Serm. 5. *De verbis Domini: Sicut anima est vita corporis, sic animæ vita est Deus: et sicut expirat corpus, cum*

animam emittit. ita expirat anima cum Deum amittit. Alia denique dicuntur opera mortificata, quæ ex se licet bona sint, quatenus a gratia et charitate fuerunt elicita, per subsequens peccatum dicuntur mortificari; quia videlicet impediuntur, ne habeant vim, et efficaciam promovendi homines ad vitam æternam. Dicuntur autem mortificata, metaphora ducta a membris corporis animalis, quæ mortificata appellantur, dum præpediuntur ab exercitio suarum operationum.

NOTANDUM 2. Duos præcipuos esse Pœnitentiæ effectus, nimirum remissionem peccatorum, et meritorum reviviscentiam. Primus ei convenit directe et per se: alter vero per concomitantiam et per accidens; siquidem Pœnitentia per se ordinatur ad diluenda peccata, quibus expunctis et remotis, opera prius mortificata reviviscunt, et iterum jus habent ad præmium æternæ beatitudinis eis ex justitia titulo mercedis debitum; quemadmodum enim *cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitates secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, inquit Deus per Ezechielem, cap. 18. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recortabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur:* hoc est opera meritoria, quæ prius exercuerat, nullius erunt momenti apud Deum, in ordine ad præmium gratiæ, et gloriæ: sic, *cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit,* ait Dominus ibidem, v. 27. Nec animam duntaxat, sed etiam opera prius mortificata per salutarem Pœnitentiam vivificat, ut apparebit ex dicendis in prima Conclusionem.

NOTANDUM 3. Jus ad gloriam competere homini duplici titulo, videlicet titulo hæreditatis, et titulo mercedis. Titulus hæreditatis fundatur in gratia sanctificante, per quam efficimur consortes divinæ naturæ, et adoptionem filiorum recipimus; *Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei,* etc. ait Apostolus; titulus vero mercedis fundatur in bonis operibus in gratia et ex gratia factis, supposita Dei promissione, ac prævio pacto Dei, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa; et tanquam merces ipsius Dei promissioni ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.* Advertendum insuper, hominem justificatum suis bonis operibus, non solum mereri augmentum gloriæ, sed etiam gratiæ, ut expresse definit Concilium Tridentinum, Sess. 6. Can. 32. Quæritur ergo an reviviscens per Pœnitentiam, recipiat eandem gratiam deperditam et jus ad eodem gradum gloriæ. — Circa cujus quæstionis resolutionem quadruplex potissimum occurrit Auctorum sententia. Prima est Alensis p. 4. q. 57. et S. Bonaventuræ in 4. d. 14. art. 2. q. 1. quos sequuntur plures Recentiores, nempe quod deperdita per peccatum gratia non restituitur per Pœnitentiam, nisi juxta gradum contritionis pœnitentis; ita quod si contritionis actus sit ferventissimus, gratia restituetur in ampliori gradu; si vero actus ille sit remissus, minor concedetur gratia, sicque non alio modo opera mortificata volunt reviviscere, quam quia idem præmium essenziale, quod gratiæ per contritionem collatæ correspondet, pluribus titulis conferatur, nempe intuitu contritionis præsentis, et meritorum antecedentium; licet sit concedendum

præmium accidentale, nempe majus gaudium propter opera meritoria ante peccatum elicita. *Secunda* sententia est Ochami in 4. q. 8. necnon et aliorum Nominalium docentium, quod homo virtute Pœnitentiæ reviviscit non solum ad gratiam et gloriam correspondentem contritioni præsentî, sed insuper ad tot gradus gratiæ, necnon in jus ad tot gradus gloriæ, quot habuisset per merita præcedentia, si non fuissent mortificata. *Tertia* est S. Thomæ 3. p. q. 88. art. 3. et 5. quam sequuntur plures ex ejus discipulis asserentibus, quod resurgens a peccato recipiat novum aliquem gradum gratiæ, et consequenter jus ad novum gloriæ gradum essentialis, ratione præcedentium meritorum, non tamen recipiat totam gratiam, quam habebat antequam peccaret. *Quarta* denique sententia est Doctoris, dist. 22. n. 9. docentis, merita mortificata per Pœnitentiam reviviscere quidem quoad jus ad eundem gradum gloriæ ipsi debitu ante peccatum, non autem ad majorem gratiam; ita quod reviviscētia illa sit ad gloriam respondentem meritis propriis; non autem ad gloriam respondentem gratiæ.

Tria itaque hic sunt statuenda: *primum*, quod revera opera mortificata reviviscant per Pœnitentiam: *secundum*, quod reviviscant quantum ad gloriam essentialē debitam, non autem quantum ad accidentalem: *tertium*, quod non redeat eadem gratia deperdita.

Conclusio prima. — REVERA OPERA MERITORIA, PER PECCATUM MORTIFICATA, REVIVISCUNT PER PœNITENTIAM. Hæc est communis apud Theologos, qui hanc assertionem adeo certam existimant, ut oppositum esse erroneum censeant.

Probatur primo auctoritate Scripturæ sacræ, maxime ex illo Ezechielis 18. ubi testatur Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet.* Et infra: *Convertimini, et agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Recordaretur autem Deus iniquitatum; et peccatori esset in ruinam iniquitas, si propter illam privaretur in æternum effectu ac fructu meritorum præcedentium: igitur, etc. Idipsum probat Hugo Cardinalis ex illis verbis Hieremiæ, cap. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ.* Quid enim, inquit, est Deum miserantem recordari adolescentiæ et charitatis nostræ, quam priora opera in charitate facta, et peccato mortificata, oblivioni non tradere? — Eandem veritatem insinuat Joël, cap. 2. ubi Deus ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, et bruchus, et rubigo.* Quem textum expendens S. Ambrosius, scribit: *Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus recôcat ad perfectum;* illudque oraculum omnes alii SS. Patres sic interpretantur, maxime S. Hieronymus, ut Deus significare voluerit, se redditurum mercedem et præmium bonorum operum, quæ locusta, et bruchus, et rubigo peccatorum consumperat. — Probatur insuper ex Apostolo ad Galatas 3. *Tanta passis estis sine causa? Si tamen sine causa.* Quæ verba sic explicat S. Hieronymus: sine causa passus dicitur, qui post labores ob Christum susceptos labitur in peccatum: at non perdit illos, si redeat ad pristinam

fidem, et ad antiquum studium. Et Anselmus: sine causa passi estis, si in hoc errore perseveratis; non autem sine causa, si respiscatis. Verum evidentius hanc veritatem confirmat Apostolus Hebr. 7. ubi ait: *Confidimus de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti: tamen si ita loquimur, non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, et ministratis, nempe egentibus Christianis.* Quibus verbis Apostolus solatur Hebræos, quos prius terruerat, dicens: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, et prolasi sunt, rursus renorari ad Pœnitentiam: ipsos, inquam, consolatur, dicens, Deum benigne circa eos acturum, si a peccato per Pœnitentiam resurgant; quoniam priora eorum bona opera compensabit præmio vitæ æternæ.* Ut etiam explicat Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino; non enim est injustus Deus, etc.* Quibus verbis significat Concilium, duo hominum genera esse monenda; unum quidem eorum, qui gratiam servaverunt, quibus proponenda sunt Apostoli verba, 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, intuitu præmii repositi laborum; alterum eorum, qui gratiam amissam recuperarunt; ad quos spectat locus posterior Apostoli ad Hebræos.*

Probatur etiam Conclusio ex Tridentino ibid. nam post laudata verba, subjungit: *Nihil ipsis justificatis amplius esse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ Legi pro hujus vitæ statu satisfacisse, et vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censentur.* Idem statuit Can. 32. *Si quis dixerit... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Quibus omnibus Concilium significat, tres requiri conditiones, ut opera nostra sint meritoria, et vitam æternam consequamur: nimirum ut sint opera hominis justificati, ex gratia et auxilio Dei, et ut qui ea fecit in gratia decedat: at merita mortificata duas habuerunt priores conditiones ante peccatum; tertiam vero obtinent per Pœnitentiam, per quam recipiunt habitum gratiæ sanctificantis, cum qua homo potest e vivis excedere.

Probatur denique ratione, quam subministrat Doctor, dist. 22. n. 6. ubi docet reviviscentiam opus esse divinæ misericordiæ, non tantum quatenus Deus liberaliter tribuit auxilium efficax ad verè pœnitendum; sed etiam in quantum Deus voluit semper eis præmium retribuere, nisi adsit indispositio recipientis propter novam culpam. Ex quibus sic argumentari licet: causa carens aliquo suo effectu præcise propter impedimentum, debet illum effectum consequi, statim ac illud impedimentum auferitur; sic lapis fune suspensus, ne cadat in terram, statim præciso fune in eam labitur: sed merita per subsequens peccatum tamquam per impedimentum præpediuntur a consequendo effectu, nempe ab habendo jure ad vitam æternam: igitur ubi per Pœni-

tentiam illud impedimentum tollitur, reviviscere debent ad ipsum jus, quod prius habebant ad gloriam.

Hæc confirmat Doctor, num. 7. *Est, inquit, ad propositum bonum exemplum Juristarum, quod alicui remanet aliquod jus, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Ita habenti bona merita in acceptatione divina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum jus, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam: sed non remanet actio, quamdiu ille est inimicus; et si perpetuo sit inimicus, cessat illa actio: cessante autem illa inimicitia contracta per novum peccatum mortale, non redit novum jus, sed competit actio secundum jus antiquum.* Quibus verbis Doctor egregie explicat quomodo peccator, quamquam inimicus Dei, nihilominus ratione operum meritoriorum prius elicitorum habeat adhuc aliquod jus ad beatitudinem debitam illis bonis operibus titulo mercedis; licet eam de jure non possit a Deo exigere quamdiu in peccato permanet, quia eo in statu est illa indignus, cum sit inimicus Dei; ubi autem ei reconciliabitur per Pœnitentiam, tunc ratione juris prioris, incipit habere actionem, seu jus expostulandi eam æternam mercedem.

DICES 1: Quod omnino perit ac moritur non potest reviviscere: sed bona opera per subsequens peccatum omnino pereunt et destruuntur: igitur per Pœnitentiam reviviscere non possunt. *Major constat a paritate rationis; idcirco enim peccata per Pœnitentiam dimissa non redeunt, quia omnino per eam extinguuntur ac destruuntur, saltem quoad reatum culpæ. Minor etiam constat: qua ratione enim Deus Ezechiel. 18., v. 17. dixit: Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, animam suam vivificabit: eadem ratione ibidem, v. 17. affirmat: Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitates secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.* Igitur sicut peccata semel dimissa per pœnitentiam non redeunt; ita nec bona opera, semel mortua per subsequens peccatum, postmodum reviviscere possunt. — **Nego majorem**, necnon et majorem illius probationis, et rationem disparitatis profert Doctor n. 7. *Primo quidem, ex parte divinæ misericordiæ: « Quia, inquit, bona semper vivunt in acceptatione superabundantis bonitatis et misericordiæ divinæ, et semper « esset eis premium retribuendum, nisi esset indispositio recipientis « propter novam culpam; secus est autem de malis et peccatis, quæ « totaliter eximuntur, ita quod nec in intellectu vel voluntate divina « remaneant in ordine ad vindictam, quando semel per Pœnitentiam « expuncta sunt ». Secundo eandem disparitatem reperit ex parte. Justitiæ divinæ: « peccatum enim, inquit, non remittitur nisi ad minus « debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis; « qua commutatione facta, numquam regulariter remittitur illa culpa, « nisi illa pœna solvatur in se, vel in pœna æquivalenti; et per con- « sequens, remisso peccato mortali in se primo, et in pœna sua soluta, « post nihil juris remanet, per quod ab isto sit exigenda pœna aliqua « pro illo peccato. Non est ita vero de operibus meritoriis; nam post « meritum aliquod vita æterna dignum, numquam dignitas ista ad*

« bonum æternum commutatur secundum justitiam in bonum tem-
 « porale: igitur numquam expirat illud jus, quousque bonum æternum
 « sit solutum: sed illud non solvitur in viatore, dum est viator: ergo
 « semper manet illud jus; tamen extinctum per peccatum mortale,
 « quia tunc non competit sibi executio juris sui. Non est igitur si-
 « mile de remuneratione meritorum mortificatorum, et de reditione
 « peccatorum remissorum, non solum propter Dei misericordiam, quod
 « utique verum est, sed etiam propter istam justitiam commutantem
 « ibi æternum in temporale; non sic autem hic, nempe quantum ad
 « bona opera mortificata ».

INSTABIS: Ita se habent mala opera in ordine ad punitionem et vindictam, quo modo bona ad remunerationem et mercedem: sed, ex concessis, mala non reviviscunt in ordine ad punitionem: ergo nec bona in ordine ad mercedem. — « **Negat majorem Doctor;** et rationem disparitatis hanc profert, « quod mala possunt puniri temporaliter, et sufficienter, si pœna æterna sit commutata in temporalem; sed « bona merita non possunt præmiari sufficienter per talem temporalem commutationem, nec per consequens, nisi ipsum præmium æternum in se sit collatum, quod numquam fit viatori, et ideo semper manet jus sibi salvum ad gloriam, quam acquisivit per illa « merita ». Possunt etiam aliæ rationes disparitatis assignari: *prima* quidem, quia Deus prior est ad benefaciendum et miserendum, quam ad puniendum; et insuper ipse est auctor meritorum, non vero peccatorum; unde non mirum, si merita per peccatum mortificata maneant in acceptatione divina, et sublato peccato, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata vero remissa non maneant in intentione divina, ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quoad culpam vel pœnam æternam. *Secunda*, quia remissio peccatorum est principaliter opus Dei; mortificatio autem meritorum præcedentium est hominis: homo autem sua actione non potest evacuare simpliciter opus Dei; quamvis impedire possit, ne opus illud sibi prosit, et ideo per peccatum frequens non potest præcedentium peccatorum remissionem expungere: potest autem sua actione evacuare, quod per ipsum factum est: et ideo potest mortificationem præcedentium meritorum per merita sequentia cum gratiæ auxilio penitus evacuare. *Tertia* denique, quia Scriptura aliter loquitur de meritis, et de peccatis; nusquam enim ait merita hominis justii post lapsum aboleri, projici in profundum maris, et similia, quæ dicit de peccatis per Pœnitentiam remissis.

DICES 2: Eo modo se habet peccatum ad opera meritoria, quomodo mors et animæ separatio ad hominis corpus; nam, ut diximus in præcedenti Quæstione, sicut vita corporis consistit in unione animæ cum ipso, ita vita animæ et virtutum consistit in unione ipsius animæ cum Deo per gratiam: sed corpus mortuum non potest reviviscere citra miraculum: igitur nec absque miraculo possunt opera mortificata reviviscere. — **Distinguo majorem:** secundum aliquam comparisonem, *concedo;* nam, ut mors impedit motum et effectus ac operationes corporis, ita peccata honorum operum fructum et effectum præpediunt: secundum perfectam similitudinem, *nego;* nam opera in charitate facta non mortificantur ex se, sed ob impedimentum superveniens ex parte

operantis; corpus autem moritur secundum se, prout principio vitæ privatur.

Conclusio secunda. — OPERA MORTIFICATA VIRTUTE PŒNITENTIE REVIVISCUNT SEMPER, QUANTUM AD GLORIAM ESSENTIALEM, NON AUTEM QUANTUM AD ACCIDENTALEM TANTUM. Hæc est Doctoris loco supra laudato, nûm. 9. ubi ait: *Universaliter cuicumque merito debetur non tantum aliquod præmium accidentale, sed etiam essentielle.*

Probatur Conclusio ex Concilio Tridentino supra laudato, ubi ait:
 « Proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis per Christum
 « Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei
 « promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda ». Porro merces bonis operibus non est tantum accidentalis, sed essentialis, quæ debeat iis proponi, qui recuperaverint amissam Dei gratiam: hi autem sunt, in quibus opera peccato mortificata reviviscunt per pœnitentiam: igitur, etc.

Probatur ratiõne; quia opera mortificata ideo per Pœnitentiam reviviscere dicuntur, quod, sublato peccato, recuperent efficaciam eum ad vitam æternam perducendi, qui hæc opera fecit; ea quippe vivificari nihil aliud est, quam ad gloriam acceptari per gratiam: at æterna vita non innuit solum accidentale gaudium, sed essentielle præmium; accidentale gaudium enim est potius appendix æternæ vitæ, quam æterna vita. *Deinde,* bona opera restituuntur in vitam, quam prius habuerant: sed vita est substantia rei, non autem aliquod accidens: ergo si merita reviviscant in ordine ad vitam æternam, indubie reviviscunt ad præmium substantiale. *Denique,* reviviscere dumtaxat ad gloriam accidentalem, seu ad accidentale præmium, est tantum conferre jus ad speciale gaudium propter opera mortificata: sed istud non est speciale ipsis operibus mortificatis, sed etiam mortuis ante Pœnitentiam elicitis; siquidem beati gaudium accidentale habebunt de operibus bonis mortuis, idest, in statu peccati mortalis elicitis; cum horum intuitu forte Deus dederit illis spiritum compunctionis et pœnitentiæ. Enimvero plerumque Deus invitatur ex illis operibus, saltem de congruo, ad largiendum gratiam, qua ipsi peccatores ad pœnitentiam alliciantur; ac subinde ratiõne illorum operum habebunt beati, cur gaudium accidentale percipiant. — Porro hæc nedum vera sunt de meritis eximiis, sed etiam de remissis, ut probat Doctor, n. 11. ubi cum dixisset, gloriam correspondere non solum gratiæ sub titulo hæreditatis, sed etiam meritis sub titulo mercedis, *subdit:* « Hæc via, « tenens gradum essentielle gloriam correspondere merito, consonat « Scripturæ, quæ in multis locis istam sententiam divinæ justitiæ asserit, quod reddet unicuique secundum opera sua, in Ps. 61. et « Rom. 2. nusquam autem habetur, quod reddet unicuique secundum « habitum suum. Et consonat observantiæ legis divinæ, quia secundum « ipsam utile est continue, quantum possibile est, opera meritoria exercere, quamvis remissa, adeo ut per illa non statim augeatur gratia; quia correspondet singulis in acceptatione Dei determinatus « gradus gloriæ: nec adeo expedit salvare gratiam, quantum opus « remissum agere, per quod non augeatur gratia; quia etsi iste remisse

« agens non habeat majorem gratiam per opus suum, quam ille dormiens, in quo salvatur gratia sine tali opere, non tamen frustra iste agit, nec in nullo excedit illum, qui dormitat; imo per illud quod agit, jam dignus est aliquo æterno bono, quo non est dignus ille ». *Hæc Doctor*, quibus docet gloriam correspondere non solum gratiæ habituali, sed etiam meritis, idque non tantum eximiis bonis operibus, sed etiam remissis, quamvis proxime non sit quis dignus gloria, nisi ratione gratiæ sanctificantis. — *Unde infert primo*, quod aliquis dignus majori gloria, loquendo de eo in gloria, quod correspondet meritis, et de digno non propinque, sed remote, puta secundum jus, sed suspensum, damnatur; et alius dignus multo minori gloria, isto modo salvatur; sed hoc ideo est, quia ille alius dignus est propinque, quia habens jus non suspensum; dignus est etiam ad illud aliud in gloria correspondens gratiæ, ad quod non est ille damnatus dignus, et nulli datur correspondens meritis sine correspondente gratiæ.

« Si etiam illud correspondens merito est ejusdem rationis cum correspondente gratiæ, et per quodcumque meritum augetur istud in divina acceptatione; igitur meritis finitis correspondebit tantum gratiæ, quantum est illud correspondens gratiæ. Aliquis ergo in gradu determinato habens illam, salvaretur, et habens omnia ista, sed mortificata, damnaretur. Damnatur igitur dignus, sed remota dignitate, et suspensa; et sic dignus multo majori gloria, damnabitur, et dignus dignitate propinqua multo minori salvabitur. Nec mirum, quia inimico dum est inimicus, quæcumque bona præterita non sufficiunt ad præmium consequendum ». *Infert secundo*, quod illa, quibus respondet magnus gradus gloriæ, dum sunt mortificata, non possunt mereri minimam gratiam; alioquin qui cecidisset a multis meritis, jam meruisset, ut resurgeret ab illo lapsu per primam gratiam sibi propter ista merita conferendam. Nec tamen credo, quod merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione divina ad primam gratiam dandam huic lapsu, quia etsi secundum strictam justitiam, iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam et gloriam: tamen excellens misericordia Dei propter præcedentia merita, licet mortificata, citius dat gratiam ad resurgendum. Unde sicut credo quod perfectior gradus cadit propter majorem in gratitudinem, ita credo quod cæteris paribus citius resurgit propter benignitatem, merita prædicta ad hoc aequaliter acceptantem. Unde aliquando audivi de viro prius valde perfecto, et postea profundissime lapsu, cum propter facinora sua esset morti adjudicatus, misericordissime visitato perfectissima Pœnitentia sibi subito inspirata est. Istud debet bene allicere quemlibet ad semper meritorie agendum pro viribus, quia sive mansurus, sive lapsurus sit, non erunt in oblivione totaliter coram Deo ». *Hæc Doctor*; quibus significat primo, quod operibus remissis debeatur gradus gloriæ, sicut et ferventioribus: secundo, quod illud debitum sit dumtaxat remotum, si attendantur opera illa seorsim a gratia sanctificante, siquidem gloria proxime non debetur nisi ei, qui cum gratia sanctificante e vivis excedit; unde contingere potest, quod quis habens pura merita mortificata in acceptatione divina reservata, damnari possit; si nempe in

statu peccati mortalis e vivis excedat; ac proinde quod damnatus propter illa opera mortificata habeat jus remotum ad gloriam; e contra vero aliquis adultus cum minori jure ad gloriam poterit salvari, si nempe habens dumtaxat merita remissa moriatur in statu gratiæ sanctificantis. *Tertio*, quod opera mortificata, quantumvis plura et eximia, non possint prodesse ad promerendam primam gratiam de condigno, sed tantum de congruo: cum enim illa opera mortificata semper vigeant et maneant in acceptatione divina, Deus eorum intuitu allici et moveri potest ad conferendam illam primam gratiam, ut videlicet ea merita reviviscere possint per conversionem peccatoris, et sic præmio aeterno sibi debito donari.

Conclusio tertia. — PROBABILE EST PER PŒNITENTIAM NON REVIVISCERE NEC REPARARI GRATIAM DEPËRITAM. Hæc videtur esse Doctoris in 4. dist. 22. n. 9. et 10. ait enim: *Dico quod præscindendo illud in gloria, quod respondet meritis, et illud dicatur B., ab illo quod respondet gratiæ, et illud dicatur A, forte A excedit B, et quando iste resurgit, quia omnia priora merita vivant in Dei acceptatione, redit sibi jus et dignitas ad totum B; sed A non redit sibi jus et dignitas; ideo reviviscunt merita. sed non reviviscit prior gratia, quia prius habitata; et istud est satis consonum justitiæ, quia gratia fuit tantum donum Dei: merita autem erant aliquo modo opera hominis. Et ideo illa sunt semper salva in acceptatione Dei; gratia vero non, ut propter eam ordinatur ad aliquod præmium: sed tantummodo per eam si nunc habet eam.* Quibus verbis Doctor significat primo, gloriam homini deberi duplici titulo, nempe ut hæreditas ratione gratiæ sanctificantis, velut merces ratione bonorum operum, ita quod ut merita habeant jus proximum ad gloriam, sufficiat status gratiæ sanctificantis actualis; nec ad id opus est, ut etiam præsens adsit gratia sanctificans, cum qua illa opera meritoria fuerint elicita. Unde fieri potest, ut homo cum amplioribus meritis, et minore gratia sanctificante, obtineat majorem Dei fruitionem, quam ille, qui æqualem gratiam haberet, et minora merita; quia videlicet meritum fundat titulum proprium respectu gloriæ, distinctum a titulo gratiæ habitualis, ut colligitur ex Scriptura, quæ pluries testatur gloriam esse repromissam bonis operibus. Sic ad Rom. 2. *Qui reddet unicuique secundum opera ejus;* Ad Rom. 4., vers. 4. *Et qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Hebræorum 6., vers. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Eccles. 16., v. 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Et alias sæpissime hujusmodi phrasi utitur Scriptura. *Tota Scriptura divina*, inquit Scotus in *Report.* (ultimæ editionis) dist. 21. q. unica n. 8. *clamat, quantitatem præmii correspondere operibus meritoriis, et non habitibus; nam secundum Philosophum 1. Ethic. 5. per habitum non distinguitur miser a felice, dormiens a vigilante: in Symbolo autem dicitur, quod qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.* Enimvero promissio regni facta est homini, non propter habitus, sed propter opera; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ait Veritas Christus Matth. 19., v. 17. et Matth. 5., v. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* etc. Ergo opus ratione sui acceptatur a Deo ad vitam æter-

nam, et non solum ratione gratiæ, quamvis non acceptetur, nisi gratia adsit. *Posito*, ait Doctor supra in *Report.*, quod opus meritorium posset esse sine gratia acceptum, ut quod actus ex genere actus esset acceptus Deo, adhuc correspondet sibi præmium et gloria essentialis; quia quodlibet tale opus esset meritorium, et remunerabile vita æterna, et per consequens cuilibet gradui operis meritorii correspondet gradus in præmio, et majori gradui meriti major et intensior gloria et retributio. Modo tamen ad hoc, quod opera nostra sint accepta Deo, et digna præmio vitæ æternæ, requiritur charitas et gratia, quia sine ipsa impossibile est placere Deo: non tamen intentioni, sed operi meritorio, quod elicitur secundum inclinationem ejus, correspondet præmium. Unde habens solum charitatem sine meritis, et bonis operibus, habebit tantum de gloria et præmio essentiali, sicut habens minorem charitatem cum multis meritis, et operibus bonis: non tamen habebit tantam gloriam, habens solum charitatem magnam sine operibus meritoriis, sicut cum eis, quia eis correspondet principaliter præmium. Hæc Doctor.

Cujus sententia confirmari potest ex eo quod opera meritoria habeant speciale jus ad gloriam æternam distinctum a gratia habituali; si enim illa opera haberent illud jus dumtaxat ex gratia, et tantum ratione illius, et acceptarentur a Deo in ordine ad præmium vitæ æternæ; id fieret vel mediante prima gratia; et hoc non, quia ipsa est ex dono Dei, nec tribuit jus ad gloriam, tamquam præmium, ut patet in infantibus decedentibus cum sola gratia Baptismali: vel acceptarentur mediante secunda gratia, seu augmento gratiæ; quod dici nequit, cum illud augmentum sit præmium secundarium ipsorum operum, adeo ut per ipsa opera gratia accepta conservetur et consummetur. Itaque non est impossibile, aliquem habere plura merita in acceptatione divina, et consequenter jus ad majorem gloriam, quamvis de facto non habeat, nec forte post mortem habiturus sit intensiorem gratiam; nam potest manere jus fundatum in bonis operibus respectu gloriæ, quæ nondum concessa fuit, quamvis non remaneat idem jus ad gratiam, quæ data fuit, et per peccatum deperdita. Et quamvis jus ad gloriam impediatur in executione per absentiam gratiæ, redit tamen per quamcumque minimam gratiam; siquidem Conc. Trid., Sess. 6. Can. 33. hanc solam conditionem requirit, *Si in gratia decesserit*. Ex quibus omnibus inferre licet, quod possit recuperari totum jus, sive tota actio ad jus antiquum gloriæ debitæ, sive titulo mercedis bonis operibus, sive titulo hæreditatis gratiæ sanctificantis retribuendæ, absque restitutione gratiæ semel deperditæ.

Confirmatur iterum: Si necessario in reviviscencia bonorum operum restitui deberet deperdita gratia, maxime quia hæc requireretur ad gloriam, vel per modum dispositionis præviæ: vel ut quis dicatur acceptatus a Deo in ordine ad istud præmium consequendum: vel quatenus charitas seu gratia est medium ad assequendum præmium: sed nihil eorum evincit merita non posse reviviscere, quoad solum præmium essenziale, quamvis non restituatur gratia deperdita. *Non quidem per modum dispositionis*; quia gratia quæ debetur merito reviviscenti non est dispositio antecedens meritum, sed potius effectus ipsum consequens. Nec obstat, quod prius concedatur augmentum illius gratiæ, quam donetur gloria; quia augmentum illud ideirco

prius conceditur, quoniam tribui debet homini viatori; gloria autem tantum conceditur post mortem. *Neque etiam restitui debet gratia illa, ut opera mortificata prius fiant accepta Deo: siquidem ad id nihil aliud requiritur, quam quod illa opera facta sint in gratia, et habeant annexam gratiam, per quam homo fit acceptus Deo. Hoc autem fieri potest absque restitutione deperditæ gratiæ: siquidem gratia sanctificans, quam homo pœnitens consequitur, sufficit, tum ut opera mortificata reviviscant, tum ut acceptentur a Deo in ordine ad vitam æternam.*

Dixi in Conclusionem, hoc quidem esse probabile, non vero quod sit certum, quamquam Doctor videatur magis in illam assertionem propendere; non enim opposita sententia probabilitate caret, nempe quod per pœnitentiam non solum reviviscant opera meritoria in ordine ad gloriam, sed etiam quod restituatur gratia habitualis prius deperdita. Cui utique sententiæ adstipulantur omnia Scripturæ oracula, quibus supra probavimus opera meritoria reviviscere, maxime vero illud Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: noceret autem maxime, si per Pœnitentiam cum restitotó jure ad gloriam debitam bonis operibus, pariter non restitueretur omnnis gratia sanctificans deperdita, cui titulo hæreditatis ipsa glória erat repromissa.* — Idem colligitur ex verbis Joëlis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca. Quæ verba expendens S. Hieronym., ait: Et annos, quos perturbacionibus (idest peccatis) ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, erucaque consumpserat, Deus vobis perire non passus est. Et post pauca: Si autem post pœnitentiam, tantam abertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus, negans pœnitentiam, et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ? In tantum enim Deus recipit pœnitentes, ut vocet eos populum suum, et nequaquam asserat confundendos, etc.* Non reformarentur autem in pristinum statum, si vel minima gratia antea habita non restitueretur. — Ad idem servire potest Parabola Luc. 15. *De filio prodigo, cui resipiscenti Paterfamilias jubet reddi stolam primam. Dixit autem Pater ad servos suos: Cito proferte stolam, etc. v. 22. Ubi per stolam Patres intelligunt gratiam; per primam, illam gratiam, quam habuit ante peccatum: nam S. Chrysostomus, Hom. 4. in Lucam sic inquit: Deinde mox jubet ei stolam illam primam proferri, vel pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat: reddi simul et annulum, sive signaculum salutæ symboli, seu magis dispensationis insigne, et nuptiarum pignus illarum, quibus Christus Ecclesiam sponsat. cum omnis anima resipiscens per annulum fidei jungatur Christo.*

OBJICIES 1. Rationem, quam profert Doctor, n. 9. inconueniens est, quod omnis resurgens a peccato mortali, resurgat in ampliori et majori gratia, quam fuit illa, quam peccando deperdidit: sed ita esset si restitueretur gratia deperdita cum gratia de novo per justificationem et resurrectionem a peccatis concessa: igitur, etc. *Probat majorem Doctor duplici ratione: prima, quia si restitueretur gratia deperdita, et homo in justificatione eam reciperet cum nova gratia, sequeretur, quod quoties rursum peccaret, semper peccaret gravius: quia videlicet caderet a statu nobiliori, et ampliores gratias deperderet: secunda, quia*

(inquit) prima gratia potest esse major et minor, et per consequens minima: sed per Pœnitentiam acquiritur prima gratia: igitur fieri potest, quod per Pœnitentiam restituatur gratia minima; ac subinde homo resurgens cum gratia per Pœnitentiam accepta, non recuperat necessario omnes gratias deperditas. — **Respondeo**, negari posse *majorem*: siquidem id non assertive, sed dumtaxat dubitative protulit Doctor; ait enim: *Videtur inconueniens*, etc. Unde negari potest *prima ratio* probativa ejus *majoris*; inde namque non sequeretur rursus peccantem gravius peccare; quia peccati gravitas non desumitur præcise a dignitate et majori sanctitate peccantis, sed ex ipsamet actione peccaminosa, quatenus nobiliori virtuti, seu rectitudini, et conformitati, ac tendentiæ in finem, aut objectum præstantius, ut ipsemet docet Doctor, in 2. dist. 37. q. 1. n. 9. ubi ait: *Illud peccatum est gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori; illa autem est melior, quæ est fini immediatior, cæteris paribus... Loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud est gravius, in quo voluntas majori libidine peccat*, etc. Adde quod negari possit esse inconueniens, quod quoties homo labitur in peccatum, toties gravius peccet, propter videlicet circumstantiam majoris ingratitude, ut dicemus Quæstione sequenti. *Ad secundam* rationem dico, concedi posse, quod gratia, quæ per Pœnitentiam restituatur, posset esse minima, quatenus per Pœnitentiam obtinetur; secus vero si sermo sit de gratia, quæ partim de novo acquiritur, partim restituitur. Quæ cum ita sint, poterit Subtilis Doctoris discipulus, absque injuria tanti Magistri, alterutram partem tueri; nimirum vel affirmantem, nempe quod omnis gratia habitualis deperdita per Pœnitentiam restituatur, ut docent etiam plurimi Scotistæ recentiores, maxime Bosco, disp. 6. Sect. 7. n. 71.; vel negantem, in quam magis propendere videtur Doctor, quem sequuntur Durandus, in 3. dist. 31. quæst. 2. Almainus, dist. 22. q. 1. et omnes antiquiores Scotistæ, quibus præ cæteris subscribit Hiquæus in *Commentario* ad dist. 22. n. 67.

Possent tamen, ut conjicio, duæ illæ oppositæ sententiæ invicem conciliari, nempe dicendo, quod restituatur gratia deperdita; non quidem in esse physico, seu ut est qualitas et habitus constituens nos participes divinæ naturæ et filios Dei adoptivos; sed in esse morali, sive in esse gratiæ, quatenus videlicet per eam justus acceptatur ad gloriam, mediantibus bonis operibus, vel præsentibus, vel præteritis, sed remanentibus in divina acceptatione; ita quod in reviviscentia, gratia dicatur augeri, non ut est qualitas supernaturalis, quo per additionem gratiæ deperditæ fiat major et intensior, quemadmodum omnis qualitas per additionem alterius ejusdem speciei fit intensior, sed dumtaxat quatenus habet rationem formalem gratiæ, seu prout efficit hominem gratum Deo, qui ejus merita acceptat in ordine ad gloriam æternam, sub titulo præmii et mercedis conferendam. Quod utique innuit Doctor eadem dist. 22. n. 9. ubi ait: « *Per quodcumque meritum non augetur statim gratia, nec habens plura merita est semper in majori gratia*: Si igitur sufficiat sola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritum correspondet aliquis gradus gloriæ saltem; licet majori gratiæ sine meritis correspondeat major gloria, quam minori gratiæ; tamen in quocumque gradu eodem ponatur gratia merito adjuncto, licet

« per illud non statim intendatur gratia, tamen correspondet sibi
 « gradus gloriæ ultra illum gradum, qui corresponderet præcise illi
 « gratiæ ». Ita Doctor. Quibus significat posse gratiam augeri in ra-
 tione gratiæ, seu quatenus hominem reddit acceptum Deo, ratione
 adjunctorum bonorum operum, quamvis non intendatur in ratione
 qualitatis supernaturalis per adjunctionem aliorum graduum similis
 gratiæ. Idem docet Doctor Angel., 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. ubi ait:
 « Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut et
 « gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna
 « non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur,
 « sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus
 « ad gratiæ augmentum: ex quibus constat, quod habens plura me-
 « rita, semper habet majorem gratiam in genere gratiæ, hoc est acce-
 « ptationis, non tamen in genere qualitatis ».

DICES: Albedo non potest intendi in ratione albedinis, quin inten-
 datur in ratione qualitatis: igitur nec gratia augeri potest in ratione
 gratiæ, quin pariter augeatur sub ratione qualitatis; ac proinde si re-
 stituatur perperda gratia, et fiat major in reviviscentia sub ratione
 gratiæ, igitur restituatur, et fiet major sub ratione qualitatis. — **Nego**
paritatem, et ratio disparitatis est, quod illa qualitas, qua homo fit
 justus et gratus Deo, id non habeat ex natura sua, sed dumtaxat ex
 divina ordinatione: unde fit, ut qui habet unum gradum gratiæ habi-
 tualis, possit acceptari a Deo vel ex mera sua divina liberalitate, vel
 intuitu operum meritoriorum ad decem gradus gloriæ; secus autem
 est de albedine, quæ ex natura sua habet, quod constituat subjectum
 album.

SUBSUMES: Igitur frustra conceditur augmentum gratiæ in genere
 qualitatis; quippe cum Deus ratione unius gradus gratiæ possit ac-
 ceptare hominem ad centum gradus gloriæ. — **Nego subsumptum**:
 gratia enim non solum inservit, ut efficiat hominem Deo gratum, et
 reddat illius opera grata et accepta in ordine ad gloriam, quod utique
 pendet ex divina ordinatione et institutione; sed etiam animam affi-
 cicit, ut eam efficiat potentiolem et vegetiolem ad operandum; ma-
 xime in ordine ad eliciendos actus supernaturales, qui sine ejusmodi
 gratiæ auxilio et subsidio nullatenus possent elici: et insuper gratia
 est internus animæ splendor, qui eam venustat et illustrat. Unde licet
 tantum valere possit unus gradus gratiæ sicut decem respective ad
 acceptationem divinam et in ordine ad gloriam, non tamen quantum
 ad virtutem operandi et animæ decorem: quo enim plures gradus
 gratiæ anima suscipit, eo fit potentior ad eliciendos actus supernatu-
 rales, ac etiam nobilior illustratur et venustatur.

QUÆSTIO QUINTA.

UTRUM PECCATA SEMEL PER PŒNITENTIAM REMISSA RE-
 VIVISCANT PER SUBSEQUENS PECCATUM, ET DENUO IM-
 PUTENTUR, TAM QUOAD CULPAM, QUAM QUOAD PŒNAM.

NOTANDUM 1. Cogitari posse, quod peccata semel dimissa duobus
 modis redeant, nimirum *primo*, quantum ad entitatem physicam, si
 videlicet idem numero actus peccaminosus, jam omnino destructus, re-

produceretur: *secundo*, quoad deformitatem et imputationem moralem, si nempe propter peccatum subsequens Deus revocet præcedentem veniam et condonationem, ita quod peccata jam dimissa rursus in conspectum et iudicium revocet, quatenus eorum ratione peccatorem odio habeat, et pœnam ipsis omnibus peccatis etiam dimissis debitam decernat. *Rursus* dupliciter cogitari potest, quod peccatum jam dimissum redeat quoad deformitatem moralem, nimirum *simpliciter*, ita quod peccatum subsequens remissionem in se virtualiter contineat omnem deformitatem et reatum, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, præcedentium delictorum; et *secundum quid*, eo quod peccatum subsequens fiat gravius intuitu præcedentis remissionis, et ratione aggravantis circumstantiæ ingratitude. *Certum* est autem, quod homo non possit revocare actus peccaminosos præteritos, nec consequenter renovare peccata præterita quoad eandem numero entitatem physicam, ac subinde neque etiam quoad eandem deformitatem moralem, quæ consequitur ad ejusmodi actum; imo neque hoc postremum videtur fieri posse etiam de potentia Dei absoluta; quamquam enim posset Deus eandem numero entitatem actus peccaminosi reproducere, sicut et colorem, ac quodlibet accidens, tamen cum non possit esse peccati auctor, qua peccatum est, evidens fit quod per eum non possit restitui extincta per Pœnitentiã eadem numero deformitas et malitia moralis. Restat ergo determinandum, an redire possit virtualiter, seu quoad imputationem, necnon et quoad obligationem ad pœnam luendam.

NOTANDUM 2. In peccato mortali duo distingui, nempe aversionem a Deo, et conversionem ad creaturas. Aversio a Deo secundum se mortalibus omnibus communis est; quia per quodvis mortale peccatum, homo separatur et avertitur a Deo. Unde macula, quæ exurgit ex privatione gratiæ, quæque pœnam æternam inducit, omnibus peccatis mortalibus convenit. Secus est autem de conversione ad creaturas, ratione enim illius peccata mortalia diversa sunt; siquidem alius est motus voluntatis, quo homo fertur in creaturam affectu libidinis; et alius, quo in eam tendit affectu avaritiæ, invidiæ, etc. Unde quantum spectat ad conversionem ad creaturam, sequens peccatum mortale non restituit præcedentia per Pœnitentiã expuncta; alioquin per peccatum avaritiæ restitueretur homo in habitum et dispositionem prodigalitatís; sicquæ unum contrarium esset causa contrarii, quod naturaliter implicat; at quantum ad id, quod est ex parte aversionis, videtur redire per subsequens peccatum; quia per illud homo privatur gratia Dei, fitque reus æternæ pœnæ, sicut erat ante acceptam remissionem; quo sensu dixit S. Jacobus, c. 3. *Qui peccat in uno, factus est omnium reus*. Quoniam vero aversio a Deo in peccato mortali videtur causari ex conversione ad creaturam, non quod malitiam et deformitatem ex ea conversione mutuetur; siquidem potest esse conversio ad creaturam absque ulla deformitate, seu defectu, quando non est contra divinam legem et voluntatem; sed quia prædicta conversio est materia vel occasio aversionis a Deo, ideo illa quæ sunt ex parte hujus aversionis fiunt aliquo modo diversa per comparisonem ad diversas comparationes, ut diversas causas; ita quod alia sit aversio et macula, aliussve reatus, secundum diversam illam conversionem, et diversitatem actus peccaminosi. Hinc quæritur, utrum macula et

reatus aeternae poenae, prout oriebantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale subsequens veniam et remissionem, ita quod is, qui jam furti admissi per Pœnitentiam fuerat remissionem consecutus, si postea recidat in peccatum mortale ebrietatis, non solum sit damnandus propter præsentem ebrietatem, sed etiam propter furtum jam dimissum.

NOTANDUM 3. Quantum ad præsentis controversiæ definitionem, variam ac multiplicem esse Theologorum sententiam; fuerunt enim aliqui ex antiquioribus Theologis, qui putarunt, peccata dimissa redire virtualiter quantum ad deformitatem moralem et reatum culpæ et poenae, quibus subscribere videtur Hugo Victorin., l. 2. *De Sacramentis*, p. 14. cap. 9. *Nonnulli*, ut refert Seraph. Doctor in 4. dist. 22. art. 1. quæst. 1. docuerunt, maxime Præpositivus quidam, peccata prius dimissa redire, non per quodlibet peccatum generatim, sed tantum per quatuor peccatorum genera, scilicet per odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, et revocationem Pœnitentiæ præteritæ, ita quod homo doleat se poenituisse; unde composuerunt istud distichon.

*Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Poenituisse piget; pristina culpa redit.*

Et ratio eorum est, inquit Seraphicus Doctor, quia Dominus remittit culpam sub quadruplici conditione, scilicet si ipse dimittat proximo, si perseveret in fide, si confiteatur culpam, si perpetuo detestetur culpam commissam; et quoniam pactio frangitur, non existente conditione, idcirco quando aliquis peccat aliquo genere horum peccatorum, dicunt culpam redire. Gratianus, dist. 4. de Pœnitentia, quæstionem hanc expendit in utramque partem; at in affirmantem propensior est. Magister Sententiarum, dist. 2. profert argumenta in utramque partem, et affirmat utrique parti favere Doctores probatos; unde non audet quidquam decernere; ait enim: *Ideoque alicui-parti non præjudicans, studioso lectori iudicium relinquo, addens mihi tutum fore, ac saluti propinquum sub mensa Dominorum micæ edere.* Communior vero Theologorum jam sententia est, peccata semel dimissa, numquam redire quoad culpam absolute et simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe ratione circumstantiæ ingratitude. Quapropter duo hic sunt statuenda: *primum*, quod revêra peccata non redeant quoad culpam: *secundum*, quod redeant penes aggravantem circumstantiam.

Conclusio prima. — PECCATA SEMEL PER PœNITENTIAM DIMISSA NON REDEUNT SIMPLICITER QUOAD REATUM CULPÆ ET PœNÆ PER ULLUM SUBSEQUENS PECCATUM MORTALE. Hæc est communior et verior; cujus quidem nulla proferri potest alia ratio *a priori*, quam quod ita Deus ordinaverit; quæ utique divina ordinatio colligitur ex Scriptura, et ex communi sententia Doctorum. Quod probe intelligens Doctor Subtilis in 4. dist. 22. n. 6., ait: « Dico, quod Deus disposuit « peccata pœnitentis post Pœnitentiam esse tecta, secundum S. Au- « gustinum exponentem illud Psalm. 31. *Beati, quorum remissæ sunt* « *iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; idest, non amplius vi-* « *dentur ad vindictam* ».

Rursus probat Doctor ex illo Nahum 1. ubi Vulgata habet: *Non consurget prima tribulatio*, Septuaginta Interpretes vertunt: *Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione*. Quod utique testimonium quamvis ad litteram intelligatur de populo Judaico quem Deus affligerat, tradendo decem Tribus potestati Assyriorum, reservata Tribu Juda et Benjamin, quibus spondet Deus, se illas non traditurum Assyriis; nihilominus SS. Patres communiter interpretantur de punitione peccatorum: ita enim sanctus Hieronymus, Remigius, Cyrillus, Rupertus, quibus præiverat S. Cyprianus, Sermone *De Passione Domini*, ubi ait: *Neque enim bis in idipsum judicat Deus, sed impenitentes ipse judicat, et damnat; pœnitentes vero, quia a seipsis suscipit judicatos absolvit, neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitiæ cælestis apponit. Hucusque spectant preces fidelium, qui rogant, ut peccata eorum in hac vita puniantur, ne punienda serventur in altera vita*. Unde S. Paulus ad Cor. 11. *Dum judicamur a Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur*.

Confirmari potest hæc sententia ex illis Scripturæ textibus, quibus superioribus Quæstionibus probatum est, peccata per Pœnitentiam omnino expungi, ac penitus aboleri, nec Deum eorum amplius recordari. Eam etiam veritatem aperte tradit Gelasius Papa, ut refertur dist. 4. *De Pœnitentia*, cap. *finali*, ubi ait: *Divina clementia dimissa peccata in ultionem iterum redire non patitur*. Illam etiam expresse tradit S. Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum, ubi ait: « Omnis « homo, qui credens in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, rege- « neratur in Baptismo, tam a propriis peccatis, quæ mala volun- « tate contraxit, quam ab originali, quod a parentibus traxit, absol- « vitur; sed relapsus post Baptismum ad infidelitatem, et impie- « mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opi- « natur, quam qui eundem asserit non æterna morte esse damnan- « dum; qui enim recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc « vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum « est recedit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter « postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ re- « missa sunt, debebatur ». Hæc sunt verba S. Prosperi, ex quibus non solum habetur clare conclusio, sed colligitur ejus certitudo, cum dicat, non minus falso posse negari, quam si negetur apostatam a fide esse damnandum; quare in eodem gradu certitudinis videtur utrumque collocare.

Suffragatur etiam ratio: siquidem, quod omnino extinctum est et abolitum nullatenus potest redire: sed peccata per Pœnitentiam omnino extinguuntur et abolentur, ut dictum est: igitur redire non possunt. — *Deinde*, si peccata per Pœnitentiam remissa iterum redirent per subsequens peccatum, teneretur homo, quoties confitetur aliquod peccatum mortale, etiam omnia peccata mortalia per totam vitam commissa simul confiteri; non enim potest peccatorum absolutionem et veniam obtinere, nisi ea confessus fuerit: sed consequens est absurdum, et a Benedicto XII in Extrav. *Inter cunctos* damnatum; ibi enim definit, *absurdum esse, ut quis peccata per Pœnitentiam dimissa rursus debeat confiteri; et ut debitor liberatus adhuc maneat ad solvendum obligatus*. — *Denique*, si peccata actualia per Pœniten-

tiam remissa redire possent, etiam rediret peccatum originale sublatum per Baptismum, eadem enim est ratio de peccato originali, ac de actualibus: sed hoc dici nequit: si enim rediret peccatum originale, deberet tolli per aliquod Sacramentum, nempe vel per Pœnitentiam, vel per Baptismum: neutrum autem dici potest: non quidem per Pœnitentiam, quia hæc non est instituta in remedium peccati originalis, sed tantum peccatorum actualium commissorum post Baptismum: non etiam per Baptismum, quia ille non debet iterari: igitur necessum esset, quod peccatum illud maneret indelebile, quod est absurdum.

OBJICIES 1. Varios Scripturæ textus, quibus significatur peccata reviviscere et iterum restitui, maxime illud Psalm. 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.* Quem Psalmi textum S. August. explicans de Juda traditore, ait: *Si ergo Judas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum, vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis, rediit iniquitas parentum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipse puniretur.* Similiter 3. Regum cap. 17. Mulier Sarreptana Eliam alloquens, ait: *Quid mihi, et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum.* — **Respondeo**, his et similibus Scripturæ oraculis nihil aliud significari, quam quod parentum iniquitates redeant in conspectu Dei in memoriam Dei pro filiis, non quidem quantum ad culpam, sed quantum ad pœnam temporalem, qua Deus solet visitare et castigare peccata parentum in filiis. Unde Tobias, cap. 3. precabatur: *Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Non autem ibi sermo est de reditu peccatorum, quantum ad reatum culpæ et pœnæ æternæ.

OBJICIES 2. Parabolam Matth. 18. expressam, ubi licet Dominus servo nequam omne debitum dimisisset, postmodum audita ejus in conservum crudelitate, illud revocavit, et servum illum tradidit tormentibus mittendum in carcerem, et cruciandum, dicens: *Non exeat inde, donec reddat universum debitum.* Ergo cum, ipso Domino ibidem teste. Pater cælestis sic faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, consequens est, quod saltem per admissum peccatum crudelitatis, redeant cætera alia peccata, quantum ad eandem imputationem, et obligationem ad pœnam. *Confirmatur* ex S. Jacobo, qui cap. 2. ait: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.* — **Respondeo primo**, quod in Parabolis ea tantum applicanda sunt rei propositæ, quæ scopus earum requirit: in ea autem Parabola Christus intendit solum declarare, quod perperam peccati veniam a Deo postulent, qui proximo veniam exoranti concedere renuunt. Certum est enim, quod omnia, quæ in ipsa Parabola efferuntur, Deo convenire non possint, nam ille dominus dicitur ignorare illius servi crudelitatem in conservos, quod utique de Deo dici non potest. Unde per illam Parabolam Christus Dominus tantum significare voluit, quod Deus gravissime offendatur ab eo, qui non vult condonare offensas sibi illatas; quodque illud peccatum immisericordiæ severissime sit puniendum, juxta illud S. Jacobi: *Judicium sine misericordia*

illi, qui non facit misericordiam. — *Respondeo secundo* cum Doctore, quod si hæc Parabola intelligatur de reditu peccati, debitum illud debeat intelligi de damnatione, quantum ad durationem pœnæ, quæ per peccatum subsequens reviviscit in æquivalenti, quia pœna ei debita æterna est quoad durationem; non vero redit pœna prioribus peccatis debita, et jam dimissa quoad intensionem, ita quod ille propter dimissa peccata gravius torqueatur: quod enim ibi dicitur, inquit Doctor, dist. 22. n. 20. « Tradidit eum tortoribus, donec redderet un-
« versum debitum. intelligo ad propositum; quia tum non redderet
« universum debitum, nisi solvendo pœnam damnationis, pro eo mit-
« tatur in illum carcerem damnatorum; et ita ad propositum, recidi-
« vans eidem pœnæ damnationis adjudicatur, quam habuisset propter
« peccata priora, et prius dimissa, et æqualem quantum ad duratio-
« nem, quia donec reddat, etc. sed non sequitur, quod æqualem
« quantum ad intensionem. » *Ad confirmationem respondet* eodem modo n. 21. » Isto modo, inquit, est intelligenda auctoritas sancti Jacobi: « quantum ad damnationem, quæ est generalis pœna omnium pecca-
« torum mortalium. Vel aliter, factus est omnium reus, quantum ad
« aversionem a fine ultimo; quæ utique aversio communis est omni
« peccato mortali; sed non est intelligendum, quod factus sit omnium
« reus, quantum ad gravitates singulorum peccatorum ».

OBJICIENS 3. Omnes illas SS. Patrum auctoritates, quas profert Magister Sententiarum pro affirmativa sententia: quarum prima est S. Ambrosii super 4. caput Epistolæ ad Ephesios, ubi ait: *Donate invicem, si alter in alterum peccat, alioquin Deus repetit dimissa: si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam debeat; sicut in Evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est. Idem docet S. August., Homil. 15. De Verbis Domini: Dixit Dominus, inquit, Dimitte, et dimittetur tibi. Si ego prior dimisi, dimitte vel postea: nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi.* Et lib. 1. De Baptismo, contra Donatistas, cap. 12. *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime docet in Evangelio de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit: ille autem conservum suum, qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, jussit eum Dominus reddere quæ ei dimiserat.* Idem subscribit S. Gregorius, lib. 4. *Dialogorum*, cap. ult. *Ex dictis Evangelicis constat, quod si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, illud rursus exigitur, quod jam nobis per Penitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Similiter Beda, lib. 4. in *Lucam*, cap. 48. exponens illa verba dæmonis, dicentis: *Revertar in domum meam, etc.* ait: *Timendus est ille versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* — **Respondet Doctor loco mox laudato, SS. Patres intelligendos esse de reditu peccatorum, quantum ad durationem pœnæ æternæ, quæ aggravatur ratione circumstantiæ ingratitudeinis ex prioribus peccatis remissis.** Vel dico, SS. Patres loqui de reditu peccatorum, quoad circumstantiam ingratitudeinis, vel quoad culpam et pœnam æquivalentem; quia per subsequens peccatum contrahitur similis pœna æterna sensus et damni.

OBJICIES 4. Contritus de peccato, si postea contemnat confiteri, aut redit idem peccatum per contritionem dimissum, et sic habetur propositum: aut non redit, et sic peccatum erit dimissum sine secunda et tertia parte Pœnitentiæ, quod est inconveniens. — Respondet Doctor num. 21. duobus modis: « *Primo*, potest dici, inquit, quod si « contritus prius contemnit postea confiteri, peccat novo peccato mortali in illo contemptu; nec tamen redit culpa dimissa per contritionem, neque, inquam, redit quantum ad malitiam, nec quantum ad reatum, sed semper sola pœna manet temporalis debita illi, licet « pœna damnationis debeatur novo peccato mortali. *Alio modo*, posset « dici, quod pro peccato habetur pœna completa: intellige completa « quantum ad tres partes Pœnitentiæ, contritionem, confessionem, « et satisfactionem, tunc commutata est pœna damnationis in pœnam « temporalem, non sic autem de peccato, de quo habetur contritio « sine aliis duabus partibus Pœnitentiæ ». — *Ecce duplex responsio*: « Sed prima, inquit Doctor, est convenientior, quia peccatum in « contritione simpliciter deletur, ita quod non manet, nisi obligatio « ad pœnam temporalem: et si post sequatur contemptus satisfactionis. « seu confessionis, novum peccatum mortale est, et aggravatum propter culpam priorem in contritione dimissam ».

OBJICIES ULTIMO: Peccata sunt tenebræ spirituales in mente: sed tenebræ eadem numero redire possunt; quia privatio distinguitur numerice juxta distinctionem habitus, seu formæ, cujus est privatio, seu subjecti cui inest: sed tenebræ sequentes lumen habent idem subjectum cum tenebris præcedentibus; et sunt privationes ejusdem numero luminis, nam idem lumen numero maneret si tenebræ non essent: igitur. — Negat minorem Doctor, num. 22. « Non enim, inquit, potest redire eadem tenebra numero, saltem per naturam, quia non « potest esse eadem negatio, sicut nec eadem affirmatio, posita interruptione hinc et inde. *Ad probationem* dico, quod ad unitatem probationis non sufficit unitas subjecti, et habitus oppositi, sed requiritur unitas continuitatis ejusdem in subjecto, eo modo quo potest « habere esse in subjecto. Patet hoc per simile; quia ad unitatem negationis non sufficit unitas affirmationis, nam non Socrates, quod est « negatio unius numero affirmationis, potest esse non solum plura numero, sed in pluribus specie, et genere, et tot esse, quot sunt entia, « quæ non sunt Socrates. Ita et privatio potest esse ejusdem formæ, « et tamen non eadem: potest etiam esse in eodem subjecto plurificata, si sit interruptio, sicut et habitus ejus est plurificatus, si cum « interruptione inesset illi subjecto; sive enim positivum, sive privativum, vel negativum, idem numero reparare, hoc solius est potentie « infinitæ Dei, cui sit gloria, etc. ».

Conclusio secunda. — PECCATA SEMEL REMISSA PROPTER PECCATUM SUBSEQUENS REDEUNT SECUNDUM QUID, RATIONE AGGRAVANTIS CIRCUMSTANTIÆ. Hæc est communior apud Theologos; eamque

Declarat et probat Doctor, dist. 22. num. 14. Primo quidem, quia peccatum subsequens habet annexam circumstantiam ingratitude, ratione cujus gravius est: ingratitude namque per se vitium est; quanto autem plura vitia, aut vitiorum circumstantiæ ad actum pec-

cati concurrunt, tanto peccatum gravius est, et majori pœna puniendum: porro qui peccat post acceptam gratiam remissionis, revera ingratus est; nam, ut dicit Seneca, lib. 3. *De Beneficiis*, *Ingratus est, qui beneficium se recepisse negat, ingratus qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratus omnium, qui oblitus est*: at qui iterum labitur in peccatum, non solum non reddit bonum pro beneficio remissionis, sed etiam malum rependit; et consequenter gravius peccat propter ingratitude[m] remissionis acceptæ. *Probat minorem* Doctor: « Quia, *inquit*, quanto aliquis recipit ab alio majus beneficium sibi « magis indebitum, tanto sibi magis tenetur lege gratitudinis, etiamsi « beneficium receptum sit minus, et per consequens magis, si benefi- « cium est æquale: sed existenti in peccato mortali nullius est Deus « debitor, nisi pœnæ; igitur si sibi gratiam confert, hoc erit donum « maxime gratuite, et liberaliter datum, et præcipue si est gratia « æqualis gratiæ collatæ alii innocenti: igitur iste ex lege gratitu- « dinis est Deo specialiter obligatus propter hoc donum liberaliter « collatum: et per consequens offendens post, contra eum gravius « peccat propter ingratitude[m] ». — *Repetit secundo* Doctor majorem illam gravitatem ex notabiliore transgressione: « Quia, *inquit*, quanto « aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tanto, si transgre- « ditur, gravius peccat: sed pœnitens quotiescumque digne pœnitet, « obligat se saltem voto ad non peccandum in posterum: quia sine « tali proposito non est digna Pœnitentia, et præter hoc est adstrictus « ad non peccare eadem lege, qua innocens: igitur si postea peccet, « transgredietur duplicem legem obligantem ad non transgrediendum, « scilicet illam generalem, qua omnes obligamur ad non peccandum, « et istam specialem de promisso servando, quæ maxime obligat de « promisso facto Deo, et de aliquo pertinente ad honorem Dei ». — Quibus Doctor declarat, peccatorem recidivantem idcirco gravius peccare, non solum quia est immemor beneficii accepti, sed etiam quia est infidelis et inconstans in servando promisso, quod statuit dum pœniteret, nempe se amplius non peccaturum. Nomine autem *promissi* non intendit Doctor votum proprie dictum; alioquin quodcumque peccatum mortale post Pœnitentiam esset sacrilegium; sed intelligit obligationem fundatam in proposito de non peccando denuo; ad cujus promissi observantiam tenetur pœnitens ex lege fidelitatis, seu fidei servandæ Deo, saltem ex constantia ac firmitate tenendæ, cujus ratio postulat, quod homo sibi in bono proposito constet, sibi que similis permaneat contra omnes occurrentes difficultates, quamdiu ratio dictabit: cum ergo non fiat peccati remissio sine illo proposito de cætero non peccandi, et ratio dictet nusquam ab hoc proposito esse recedendum, consequens est, quod recidivans post Pœnitentiam peccet contra illam virtutem constantiæ per peccatum inconstantiæ; quo utique non peccavit, quando primum ab innocentia per Baptismum reparata lapsus est.

OBJICIT DOCTOR: Illud non aggravat, quo non existente, imoposito ejus opposito, peccatum æque esset grave, vel etiam gravius: sed si homo nusquam fuisset pœnitens, et semper innocentiam servasset, gravius peccaret deperdita innocentia, quam peccet post remissionem in Pœnitentia acceptam: ergo, etc. *Major constat. Probat minorem*

Doctor num. 15. « Quia, *inquit*, cadens a statu innocentiae gravius
 « peccat, quam cadens a statu Pœnitentiae: *tum* quia innocens mi-
 « norẽm habet occasionem cadendi: *tum* quia majus beneficium re-
 « cipit iste, cui Deus conservavit innocentiam, quam cui concessit
 « Pœnitentiam post peccatum ». — **Respondet Doctor**, revera quidem
 conservationem innocentiae et præservationem ne quis in peccatum
 labatur, esse simpliciter majus beneficium, quam concedere veniam post
 lapsum; unde, *inquit*, majus beneficium contulit Deus suae Matri, eam
 præservando ab omni peccato, quam Magdalenae, dando ei Pœnitentiam;
 et singularis gloria est in Beatis, et ornatus ex beneficio innocentiae,
 quam non habent alii, qui salvi facti sunt per Pœnitentiam. Unde ad
 argumentum *negat majorem*: « Quia, *inquit*, possibile est ali-
 « quod peccatum habere nunc unam circumstantiam aggravantem,
 « nunc aliam, et illa quae ibi aggravat potest esse gravior, quam
 « illa quae hic aggravat. Idest, homicidium v. g. commissum post
 « innocentiam, aut post Pœnitentiam, potest utrinque habere aggra-
 « vantem circumstantiam, quarum tamen una sit major alia, nec utra-
 « que simul possit subsistere: nam qui cadit ab innocentia per homi-
 « cidium, non cadit a statu gratiae per Pœnitentiam acceptae; quia
 « gratia remissionis, et gratia Pœnitentiae simul esse non possunt: in-
 « nocentia enim non stat cum Pœnitentia, nec vice versa; siquidem
 « qui est innocens non eget Pœnitentia, et qui eget Pœnitentia non
 « est innocens. Quamquam in hoc conveniant, quod utrinque homici-
 « dium habeat annexam circumstantiam ingratitude; quia per utrum-
 « que homo Deum benefactorem offendit, et per peccatum sequens im-
 « pugnat ac destruit beneficium innocentiae, ac remissionis peccati,
 « nihilominus cum gratia innocentiae servatae longe majus sit benefi-
 « cium, quam gratia justitiae reparatae per Pœnitentiam, inde fit, quod
 « qui cadit ab innocentia gravius peccet; ac proinde falsa est *major* ».

URGET DOCTOR contra solutionem præcedentem ex illa Parabola
 Lucae 7. ubi Christus Dominus Simonem leprosum alloquens occasione
 pœnitentis Magdalenae, ait: *Duo debitores erant cuidam feneratori,*
unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus
illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?
Respondit Simon: Estimo quia is, cui plus donavit. Quam utique
 responsonem Christus approbans subjunxit: *Recte judicasti.* « Sed, *in-*
 « *quit Doctor*, innocenti nihil donat Deus hoc modo: peccatori au-
 « tem multa donat: ergo peccator plus Deo tenetur; quare magis.
 « ingratus est simpliciter quando recidivat ». — **Respondet Doctor**
 num. 16. quod vocabulum *donare* sit æquivocum, possitque intelli-
 gi duobus modis: « Donare, *inquit*, potest intelligi absolute, prout est
 « actus voluntatis liberaliter communicantis; vel donare, idest con-
 « donare, sive remittere, ut accipitur, cum dicitur; *donavit peccata.*
 « Primo modo verum est, quod cui plus donatur, ille magis tenetur
 « donanti; et hoc modo dico, quod Deus innocenti majus donum de-
 « dit, quam cui dimittit peccatum. Secundo modo pœnitenti donat
 « plus, quam innocenti, quia innocens non habet quod sibi remit-
 « tatur. *Et si subsumatur major*, quod ille plus tenetur diligere, cui
 « plura donantur, idest, remittuntur; *verum est* comparando duos, quo-
 « rum uni pauciora donantur, et alteri plura; et hoc si non esset be-

« neficium aliud datum, nisi hoc, quod est donare, vel remittere. Sed
 « nullus est, cui Deus pauca donat, quia pauca commisit, quin sit
 « eidem aliud beneficium datum majus, quam donare, idest, remittere
 « plura, scilicet præservare eum ab aliis, in quæ cadere potuisset, et
 « cecidisset, nisi præservatus a Deo fuisset ». Quod optime confirmatur
 duplici auctoritate S. Augustini: prima petitur ex lib. 2. *Confess.*, cap. 7.
 ibi: *Gratiæ tuæ deputo, et misericordiæ tuæ, (alloquitur Deum) quod
 peccata mea tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo, et quæcum-
 que non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum
 facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ mea sponte
 feci mala, et quæ te duce non feci. Quis est hominum, qui suam cogi-
 tans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem, atque inno-
 centiam suam, ut minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit mi-
 sericordia tua, qua donas peccata conversis ad te? Et post pauca: Et
 ideo te tantumdem, immo vero diligit: quia per quem me videt tantis
 peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis pecca-
 torum languoribus non implicari. Secunda auctoritas habetur lib. 50.
 Homil. 23. ibi: Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam
 te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit, et ut suasor
 deesset, ego feci. Locus et tempus defuit, et ut hæc deessent ego feci.
 Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires,
 ego tenui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, et quod non admisisti.
 Mihi debet iste (peccator) quod factum est, et dimissum vidisti; mihi
 debes et tu (a peccato præservatus) quod non admisisti. Nullum enim
 est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si
 desit Rector, a quo factus est homo.*

Hoc confirmat Doctor exemplo: « Si aliquis, inquit, ex liberalitate
 « concedit alicui omnia sua, ut eis utatur ad libitum; alteri vero con-
 « cedit aliqua mutuo, et post, quando debet illa reddere, remittit sibi:
 « quis eum plus diligit? Dico, quod primus, quia majus beneficium
 « recepit, et tamen plura remittit alteri; sed quod primus nihil ha-
 « beat sibi dimittendum, hoc est ex beneficio illius, qui omnia sua
 « liberaliter ei concessit. Unde non est vera illa propositio simpliciter:
 « Cui plus dimittitur, plus diligit dimittentem, nisi de illo dimittente,
 « per cujus beneficium non stat, quod iste non tenetur ad tot ad
 « quot ille ».

Quod autem revera innocentiae conservatio longe nobilior ac præ-
 stantius sit donum, quam illius restitutio, et reparatio per Pœnitentiam,
 diserte explicat S. Cyprianus, Epist. 85. ubi inter cætera ait: *Primus
 felicitatis gradus est, non delinquere: secundus vero delicta cognoscere,
 et retractare: illic currit innocentia integra, et illibata quæ servet: hic
 succedit medela quæ sanet.* Et Hugo a S. Victore, lib. 2. *De Sacram.*,
 p. 14. cap. 4. *Si magnum est, inquit, aliquando surgere, majus certe
 est nunquam cecidisse. Si bonum est sanatum esse; melius est num-
 quam corruptum fuisse.*

Suffragatur etiam ratio: quia præservari a peccato ex dono Dei est
 beneficium speciale; quia, et ad fructum præservati, et ad salutem mag-
 nis facit, et perfectius conjungit fini, et perfectius etiam effectum gratiæ
 Pœnitentiæ continet, nimirum præservando a peccato; quod utique
 constat exemplo beatissimæ Virginis, cujus insignis ac peculiaris præ-

rogativa fuit, non peccare, et ab omni peccato tam originali, quam actuali per insignem Dei protectionem et gratiæ plenitudinem præservari. Patet etiam exemplo Beatorum, quorum perfectio maxima est, immunes esse ab omni peccato, et nullatenus posse peccare, saltem proxime; quo fit, ut magis accedant ad divinam perfectionem, nobilisque divinos characteres referant, sanctitatem adumbrando. Similiter innocentia longe perfectius conjungit fini; quia per eam homo constituitur non solum in statu, sed etiam in effectu meriti, quando præservatur; non enim ut peccator solum revocatur a lapsu, tamquam ab impedimento removente a fine: sed etiam habet fructum suæ justitiæ, quantum ad meritum gratiæ et gloriæ, quia videlicet cum nihil habeat, quod ipsum removeere possit a sui ipsius unione cum Deo; inde fit, quod innocens facilius, quam pœnitens ad Dei fruitionem possit promoveri.

DICES 2: Ingratitudo et infidelitas et inconstantia sunt peccata distincta a cæteris: igitur si peccatum recidivationis habeat annexam ingratitude et inconstantiam, peccatum dimissum non tantum redit secundum quid, sed etiam simpliciter. *Insuper* sequitur, quod peccatum subsequens non est unicum, sed multiplex peccatum: at hoc falsum est; alioquin quoties quis peccatum aliquod confitetur, toties tenetur etiam confiteri ingratitude et inconstantiam seu infidelitatem in Deum: quod tamen non fit; ac subinde verum non est, quod peccatum recidivationis habeat annexum peccatum ingratitude, etc. — **Respondeo**, ingratitude dupliciter considerari posse: *primo*, quatenus per eam quis peccat eo animo, ut contemnat beneficium; vel irroget injuriam benefactori: v. gr. si quis adeo esset corruptis moribus, quod peccaret eo animo, ut Deum offendat, et injuriam ipsi faciat; qua ratione ingratitude est speciale peccatum. *Secundo modo*, consideratur ingratitude, quando aliquis peccat contra benefactorem, a quo beneficium accepit; non tamen hac intentione, ut contemnat acceptum beneficium, et benefactorem; sed ut satisfiat suæ libidini. Unde *distinguo majorem*: ingratitude priori modo accepta est speciale peccatum, *concedo*: posteriori, *nego*. Communiter autem, inquit Doctor num. 18. « non peccatur peccato ingratitude priori modo; quia peccans communiter non appetit nisi delectationem, licet inordinate; « et vellet illi delectationi non esse annexas tot prohibitiones: et isto modo, omni peccato conjungitur inobedientia, et contemptus, et « odium Dei, et ingratitude, et hujusmodi; non quod peccator habeat « tunc actum elicited pertinentem ad singula istorum, sed implicite, « in quantum vult aliquid, ad quod quodammodo concomitantur hæc « omnia. Concedo ergo, quod possibile est peccare recidivantem unico « peccato.

« Et quando infers: ergo posset æque graviter peccasse primo, quando « cecidit ab innocentia; concedo quantum est ex parte istius circumstantiæ ingratitude, et multiplicioris obligationis; peccasset tamen « tunc gravius quantum ad aliam circumstantiam, quia magis ingratu- « tus est cadendo ab innocentia, quam a Pœnitentia ». *Ad secundam partem* illationis respondet Doctor, num. 19. quod etsi licitum sit, et forte utile confiteri peccata præcedentia propter aggravantes circumstantias; « non tamen, *inquit*, videtur necessarium illa confiteri in

« speciali, quia in quantum aggravant possunt exprimi sufficienter
 « in confessione absque expressione illorum peccatorum prius dimis-
 « sorum in speciali, scilicet dicendo, de multis et magnis peccatis
 « alias pœnitui, et credo, quod Deus mihi remiserat, et ideo nunc fui
 « magis ingratus in peccando ».

URGET DOCTOR: Si peccatum subsequens sit gravius ratione in-
 gratitudinis et inconstantiae, sequitur, quod quo pluries peccavit, puta
 decies, et toties pœnituit, si rursus labatur in peccatum, illud undecim-
 um peccatum, decies gravius erit primo: « quia, *inquit*, ratione cu-
 « juslibet peccati dimissi tenetur non cadere: et in quolibet peccato
 « est specialis ingratitude in cadendo; ac proinde ultimum peccatum
 « longe gravius est cæteris: sed hoc est absurdum: ergo, etc. ». —
Respondet Doctor distinguendo majorem: est gravius in ratione in-
 gratitudinis, quasi hæc esset distinctum peccatum, propter augmentum
 illius malitiæ, *negat*: in ratione circumstantiæ, *concedit*. « Nulla
 « autem circumstantia, *inquit*, tantæ potest esse malitiæ, quod æqui-
 « valeat malitiæ alicujus specialis peccati mortalis; potest tamen illa
 « fieri major in ratione circumstantiæ ingratiitudinis; quia videlicet ver-
 « satur circa majus beneficium: majus est autem beneficium decies
 « veniam peccatori concedere, quam quinquies aut sexies, quia quo
 « sæpius peccator Deum offendit, eo se minus dignum venia exhibet,
 « ac proinde majori opus est misericordia, ut ei venia concedatur ».

URGET: « Si circumstantia aggravat peccatum, consequens est
 « quod ei aliquam malitiam conferat: igitur hæc malitia per iteratam
 « ingratiitudinem in tantum potest augeri, ut æquivalet malitiæ pec-
 « cati specialis. *Consequentia patet*, quia circumstantia mutans speciem
 « aliquando aggravat peccatum in specie magis quam ipsum obje-
 « ctum ». — **Respondeo, negando consequentiam:** circumstantia enim
 se habet ad peccatum, ut accidens in proprio genere, quod nequit com-
 parari substantiæ actus, quam supponit, et cujus malitia crescit ex
 circumstantia: sed circumstantia mutans speciem, licet talis sit respec-
 tu operantis, in quantum ipse ex alio fine, verbi gratia, homicidii,
 interfecit eum, quem novit esse Sacerdotem, tamen respicit actum
 illum, in quantum est materia propriæ virtutis, ut Religionis; et li-
 cet indirecte accedat, quantum ad intentionem homicidæ, directe ta-
 men cadit in materiam ex propria prohibitione, qua comprehendit
 personam sacram et ejus immunitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset (ut præ-
 clarissime loquitur Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 1.) ut ju-
 stitiam in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam constanter
 tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad
 peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives
 in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium
 contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem
 tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo ipsis post Baptis-
 mum beneficium mortis Christi applicatur. Unde merito Sess. 6. cap. 14.

Sacramentum hoc appellat *secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam*. Quam utique appellationem laudant etiam SS. Patres, maxime S. Hieronymus, Epist. 9. quæ est ad Salvinam, ubi ait: *Nec statim nobis Pœnitentiæ subsidia blandiantur: cavendum est vulnus, quod dolore curatur; aliud est integra nave, et salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hæere tabulæ, et crebris fluctuum concursibus ad asperrima saxa collidi*. Non mirum igitur, si diabolus nostræ salutis adversarius omnem suæ malitiæ moverit artem, ut divinum hoc subsidium hominibus elevaret, aut errorum caligine offuscarer. Prodierunt enim imprimis Montanistæ, qui docuerunt, nullum esse in Ecclesia remedium ac subsidium, quo peccantes post Baptismum possint Deo reconciliari, ut testatur S. Hieronymus, Epist. 54. ad Marcellam, ubi de Montanistis ita loquitur: *Illi ad omne pœnæ debitum, Ecclesiæ observant fores! nos quotidie legimus: malo Pœnitentiam peccatoris, quam mortem: nunquid qui cadet, non resurget? dicit Dominus. Et, Convertimini ad me filii convertentes, ego curabo contritiones vestras. Rigidi autem sunt, non quod ipsi pejora non peccent, sed hoc inter nos et illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata, quasi justis; nos dum Pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur*. Quod utique pestilens dogma per Ecclesiam disseminatum, in tantum fideles rigidioris disciplinæ æmulatores labefactavit, ut etiam Tertullianum, alias strenuum Catholicæ veritatis defensorem, infecerit. Unde S. Hieronymus, Epist. ad Ctesiphontem, cap. 2. refert his verbis: *Montanis immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscillam, et Maximillam nobiles et opulentas feminas auro corrumpit, deinde hæresi polluit. Stupendum est, quod non solum rudes, et idiotæ ab illo decepti fuerint; sed et ipsi, qui magna videbantur præditi sanctitate, atque doctrina; quos inter ipsum Tertullianum annumerari dolemus*. — Eis hoc in nefario dogmate successerunt Novatiani circa annum Christi 254. dicti a Novato Cartaginensis Ecclesiæ Presbytero, tum et postea magis a Novatiano Romano Pseudo-Pontifice, qui Montanistarum errorem extinctum restaurantes, docebant non esse Pœnitentiam et remissionem peccatorum largiendam iis, qui simulachris immolassent, ut refert Socrates, lib. 4. *Historiæ*, cap. 30. — Ipsis subscribunt Lutherani et Calvinistæ, qui licet admittant contra Montanistas et Novatianos esse in Ecclesia remedium aliquod a Christo institutum pro remittendis peccatis Baptizatorum; tamen negant in Sacerdotibus veram et judicariam auctoritatem remittendi peccata, docentque remedium istud nihil aliud esse, quam memoriam Baptismi jam suscepti cum fide remissionis peccatorum, ac subinde volunt Pœnitentiam, vel non esse Sacramentum novæ Legis proprie dictum, vel non esse a Baptismo distinctum. Ita Lutherus, lib. *De Captivitate Babilonice*, qui licet initio videatur asserere tria esse Sacramenta, nempe Baptismum, Pœnitentiam, et Eucharistiam, tamen in fine Pœnitentiam ad Baptismum revocat. Idem docet Kemnitius in examine Canonis 10. *De Baptismo*, et 1. *De Pœnitentia*. — Adstipulatur etiam Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 19. num. 55. et sequentibus; ubi cum exagitasset doctrinam Ecclesiæ Romanæ de Sacramento Pœnitentiæ, scribit num. 17. *Ne tamen animos tollat, quæcumque in parte Sacramentum posuerint, nego jure haberi pro Sacramento: primum, quod nulla Dei promissio singularis ad hanc rem*

extet, unica Sacramenti hypostasis. Deinde, quod quæcumque hic cæremonia proferatur, merum sit hominum inventum, cum cæremonias Sacramentorum nonnisi a Deo institui posse jam definitum sit: mendacium ergo, et impostura fuit, quod de Sacramento Penitentiae commenti sunt, etc. Quoniam autem omnes isti Errones omne suum virus a Novatianis hauserunt, operæ pretium est hic Novatianorum hæresis originem, progressum, et damnationem recensere: sub tribus distinctis Paragraphis.

§ I. — DE ORIGINE HÆRESIS NOVATIANORUM. — Hæc Hæresis a Novato malorum omnium fonte effluxit. Fuit autem Novatus in Africa Episcopus, ut volunt aliqui, et videtur colligi ex Epist. 49. S. Cypriani, in qua scribit, fuisse a Novato ordinatum Diaconum Felicissimum: *Qui istic, inquit, adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Romæ Episcopum fecit, nempe Novatianum Pseudo-Pontificem; cujus autem Ecclesiæ Episcopus fuerit, non indicant.* Qualis porro hic esset Novatus egregie declarat eadem Epist. S. Cyprianus, his verbis: « De « Novato nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cum magis per nos « vobis debeat Novatus ostendi, rerum novarum semper cupidus, avaritia inexplibilis rapacitate furibundus, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus, semper istic Episcopis male cognitus: quasi « hæreticus semper et perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus: « curiosus semper, ut prodat: ad hoc adulator, ut fallat: numquam « fidelis, ut diligit: fax et ignis ad conflanda seditionis incendia: « turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia: hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus ». *Et post multa, addit: « spoliati « ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, « has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspiciamus. Pater « etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum « nec sepultus: uterus uxoris calce percussus, et partione properante « in parricidium partus expressus ». Cur autem ab Ecclesia desciverit, mox subdit, inquiens: « Hanc conscientiam criminum jampridem timebat: propter hoc se non de Presbyterio excitari tantum, sed et « communicatione prohiberi, pro certo tenebat; et urgentibus fratribus, « imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi « persecutio antevenisset: quam iste voto quodam evadendæ et lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit et miscuit: ut « qui ejici de Ecclesia et excludi habebat, judicium Sacerdotum vulturaria discessione præcederet, quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam ». Et quod eadem epistola superius dixerat, de ejus ex Africa in urbem adventu sic ait: « idem est Novatus, qui apud « nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit: qui quosdam istic ex fratribus ab Episcopo segregavit: qui in ipsa persecutione, ad evertendas fratrum mentes, alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum, Diaconum, nec « permittente me nec sciente, sua factione et ambitione constituit, et « cum sua tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic, et paria molitus est, a Clero portionem plebis « avellens, fraternitatis bene sibi cohærentis, et se invicem diligentis « concordiam scindens ». Hæc Cyprianus. Quibus constat, quod No-*

vatus plurium criminum reus a S. Cypriano damnandus esset, nisi cum persecutionis urgente occasione intermissum fuisset iudicium, Romam profugus petiisset. Cum autem Romæ aliquamdiu latuisset ignotus, tandem Novatianum Presbyterum Romanum ob Cornelii electionem invidiæ stimulis agitatam, et aüimo aversatum inveniens, cœpit una cum illo adversus Cornelium agere, atque alios quoque quoscumque posset, ab ejus communicatione retrahere, multa de illo falsa jactare, cum Confessoribus quoque adhuc detentis in carcere, in illum obloqui, ac falso quodam pietatis intuitu probos quosque etiam illi infensos reddere conatus est. Machinabantur hæc simul Novatus atque Novatianus, quos propter similitudinem nominum nonnulli ex antiquioribus Scriptoribus pro uno, eodemque usurparunt, maxime Eusebius, lib. 6. *Historiæ*, cap. 35. et Socrates, 4. *Hist.*, cap. 13. qui scribit Novatum contra Cornélium Romanum usurpasse sedem. Hinc Gilda subnominatus Sapiens, Britanniae excidium deplorans, Novatum pro Novatiano usurpat, dum scribit: *Novatus Romæ, Dominicæ conculcator margaritæ, porcus niger, patriæ ingerit violenter manus, non tam dignus venerabilibus aris, quam flammis inferni ultricibus.* Quæ utique objurgatio maxime in Novatianum Pseudo Pontificem Romanum, non vero in Novatum solum Presbyterum Africanum cadit. Unde arbitrator errore amanuensium aut librariorum factum, ut apud Auctores Græcos Novatus pro Novatiano, et vice versa scriberetur; nam cum apud Eusebii historiam reperiatur Novatianus cum Novato confusus, in Chronico tamen ab eodem exacte distinctos invenies, ait enim: *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum, et cæteros Confessores sibi sociat, eo quod Cornelius penitentes apostatas recepisset.*

PETES: *Utrum revera Novatus fuerit dumtaxat Presbyter, an vero Episcopus?* — **Respondeo**, Baronium ad annum 254. n. 59. affirmare, eum fuisse Episcopum, ob citata S. Cypriani verba Epist. 49. *Qui istic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat Felicissimum, illic (Romæ) Novatianum fecit Episcopum.* Solius autem est Episcopi ordinare Diaconum, et Episcopum. *Verum* hoc Baronii fundamentum et argumentum non satis efficax ac validum apparet, ut in illius sententiam descendamus; enimvero si Novatus Diaconum instituit Felicissimum, instituit Carthagine, quemadmodum Romæ Novatianum in Episcopum: at non consecravit Romæ Novatianum in Episcopum, sed tantum dolis et artibus suis procuravit, ut a tribus Episcopis ex angulo Italiæ eductis, agrestibus, rudibus, et ebrietate atque crapula oppressis, Novatianus ordinaretur Episcopus: igitur inde non apparet evidens argumentum, quod fuerit Episcopus.

Insuper ex ejusdem epistolæ verbis hæc nostra sententia confirmari potest: in eo namque legimus, quod de eo Carthaginensi Presbytero rejiciendo cogitabatur; quod a Sacerdotibus una cum Cypriano iudicatus fuisset, nisi persecutionis urgente occasione, Romam profugus iudicium evasisset: at si fuisset Episcopus, non a solo Cypriano cum Carthaginensi Clero fuisset ejiciendus, sed ab Episcopis totius Provinciæ una cum S. Cypriano eorum Primate. Id etiam constat ex S. Pacianó, Epist. 8. ubi in hunc modum scribit: *Cornelius jam Ro-*

manus Episcopus a sexdecim Episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat, et in illa, qua fuit præditus castimonia virginali crebras persecutiones irati Principis sustinebat: tum forte quidam Presbyter Novatus ex Africa fraudatis in Ecclesia Carthaginensi viduis, spoliatis pupillis, pecunia Ecclesiæ denegata, projecto extra domum Patre, et eodem fame mortuo, nec sepulto: uxoris gravidæ utero calce percusso, partuque ejus effuso, Romam venit, cum jam ad Carthaginem urgentibus in Ecclesia fratribus, dies cognitionis ejus inmineret, hic latitavit. Ubi diserte eum dumtaxat Presbyterum appellat. Idem habet Eusebius mox laudatus: idem etiam S. Hieronymus De Scriptoribus Ecclesiasticis, in Novatiano: Cujus, inquit, hæresis Novatianorum auctor fuit Novatus Cypriani Presbyter, etc.

Porro quis fuerit ipse Novatianus, refert S. Pacianus, Epist. 3: quæ est ad Sympronianum Novatianum, ubi scribit: *Novatianum mihi ingeris. Philosophum sæculi fuisse audio, nec satis miror ab Ecclesia Dei vivi degenerasse: cognosco radicem legis antiquæ fontem veteris populi reliquisse. Cornelio invidentem, Novati insanix commodatum, sine consecratione legitimum Episcopum factum, ideoque nec factum per epistolam eorum, qui se Confessores esse simularent, qui matris unius membra divellerent, etc.* Quantum autem haberetur a suis sectatoribus ibidem observat, cum subdit: *Novatianus his melior, nempe Moyses, ac Paulo? emendator Prophetarum? Doctor Apostolorum? Jam cum Christo videtur ut idem Moyses? Jam, ut Paulus, in tertium cælum sublimis evahitur? Jam neglectis omnibus solus auditur?* Eum autem fuisse secta Stoicum conjicere licet ex his quæ scribit S. Cyprianus, Epist. 52. ad Antonianum, ubi de fastu Novatiani ex philosophia et dicendi peritia comparato, ait: *Jactet Philosophiam, et eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit.* Quod igitur ex Philosopho insigni, remisso Philosophiæ nuntio, sese Christo subdidisse videretur, ne in Ecclesia inglorius haberetur, qui inter Ethnicos magnam fuerat gloriam consecutus, Romanus Pontifex voluit eum inter Ecclesiæ Presbyteros cooptare.

Qualiter autem ad finem receptus fuerit, refert Eusebius, lib. 6. cap. 35. Necnon Cornelius, Epist. ad Fabium Antiochenum, ubi narrat, quod cum diu a Satana vexatus fuisset Novatianus, Exorcistarum præsidio a spiritu illo malo liberatus est, et cum paulo post in gravem morbum incidisset, in lecto, in quo decumbebat, fuit baptizatus: *Verum, inquit Cornelius, morbo tandem elapsus, neque cæteris, quibus post Baptismum secundum Ecclesiæ Canonem, imbui oportuerat, acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutquam potius, quomodo, quæso, Spiritum sanctum adeptus est?* Subdit S. Cornelius: *Iste persecutionis metu, debilitatus, et nimia vitæ cupiditate adductus, se Presbyterum esse negavit: nam cum a Diaconis rogatus, oratusque esset, ut domo, qua se conclusum oculuerat, egressus, quantum Presbytero liceret, quantumque in ejus situm esset potestate, fratres in periculo constitutos, opisque et auxiliû indigentes juvaret, tantum abfuit, ut Diaconis eum obsecrantibus obtemperaret, ut etiam non sine stomacho et bile ab illis abiret, discederetque; nam se nolle amplius esse Presbyterum, sed alteri vitæ se dicaturum asseruit. A quo*

autem ordinatus fuerit Presbyter, an a Fabiano Cornelii prædecessore, aut aliquo alio Antessore Romano Pontifice, haud liquet.

Interea, qui semel propter Philosophiam et dicendi peritiam in sæculo ambitionis stimulis agitatus fuerat Novatianus, eo infelix abductus est, ut quod jure non licuisset, Pontificiam dignitatem ambiret. Cum enim mortuo Fabiano, per duos annos vacasset Romana sedes, ac tandem omnibus pro Cleri, ac populi Romani votis electus fuisset Cornelius, id ægre ferens Novatianus, et Novati subsidio ac malitiâ fretus, spargere cœpit calumnias adversus Cornelium, quibus irritam ac nullam ejus promotionem suaderet, et populum ab ejus communione divelleret, quas utique propalatas calumnias recenset S. Cyprianus, Epist. 52. ubi scribit de Cornelio: « Quod autem quædam de illo inhonesta et ma-
« ligna jactantur, nolo mireris, cum scias hoc esse opus semper dia-
« boli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum
« nomen infamet, ut qui conscientie suæ luce clarescunt, alienis ru-
« moribus sordidentur; explorasse autem Collegas nostros scias, et
« verissime competisse nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe
« maculatum esse; sed neque cum Episcopis, qui sacrificaverunt, com-
« municationem sacrilegâ miscuisse; sed eos denum, quorum causa
« audita est, et innocentia comprobata conjunxisse nobiscum ». Hæc
S. Cyprianus. Quibus verbis significat, accusatum fuisse a Schismaticis Cornelium, quod libello accepto a Gentilibus, et data pecunia, Martyrium evasisset, quodque Episcopos, qui idolis sacrificaverant tempore persecutionis Decii Imperatoris, in suam communionem admisisset, et eos in locum et ministerium restituisset.

Quæ utique accusationes, quamquam falsissimæ, nihilominus ea arte et vafricitate a Novato et Novatiano propalatae ac disseminatæ sunt, ut etiam Confessores in carcere reclusos interficeret, sicut refert sanctus Cyprianus, Epist. 51. quam ad eos Confessores Novatiano adherentes dirigit, ubi inter cætera ait: *Postquam vos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset, illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi, non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quam prius cum Ecclesie laude et gratulatione venisset.* Horum itaque Confessorum suis partibus adherentium suffragiis ac votis animati Novatus et Novatianus, publice rebellare cœperunt adversus Cornelium summum Pontificem; ita ut defectionem, quam prius clandestine moliti fuerant, jam in apertum deducerent; quod utique sic recenset S. Cornelius, Epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum, his verbis: « Ut vero intelligas hunc admirabilem virum (*Novatianum scilicet*)
« jampridem in Episcopatu petendo ambitione incensum esse, et eam
« temerariam et effrænata cupidoatem occultasse intra se, et simu-
« latione, hac tamquam involuero, quo arrogantiam tegetet ipso initio
« Confessores Christi viros sane probos locum habuisse, tibi volo aperte
« ostendere. Presbyter nomine Maximus et Urbanus e nostris, qui bis
« ex constanti fidei confessione summam gloriæ amplitudinem colle-
« gerant: Sidonius item et Celerinus (vir qui Dei clementia adjutus
« omnia tormentorum genera maxima cum tolerantia pertulerat, et
« corporis imbecillitate, vi ac robore fidei suæ confirmata, strenue ac
« viriliter ab adversario victoriam reportaverat) cum Novatianum atten-

« tius considerassent, et callidam ejus fraudem, versutiam, perjuriam,
 « mendacia, agrestem inhumanitatem ab omni vitæ communione alie-
 « nam, veteratoriam denique instar lupi amicitiam deprehendissent,
 « eo relicto, ad S. Ecclesiam reverterunt: atque omnes ejus fallacias
 « et maleficia, quæ longo tempore intimo pectore obtexisset, multis
 « præsentibus, tum Episcopis, tum Presbyteris, tum Laicis quamplu-
 « rimis, palam ostendere, et cum lacrymis ac querela, cum dolore
 « et Pœnitentia suam vicem deplorare cœperunt, quod subdola illius
 « et efferatæ bestia consilio adducti, ab Ecclesia etiam vel ad exiguum
 « temporis spatium descivissent ».

Seductis semel Confessoribus, quid Novatianus præsumpserit, idem subdit, sic dicens: « vix credibile est, charissime frater, quantam in
 « moribus varietatem, quantam mutationem, exiguo momento in illo
 « factam conspexerimus. Nam splendidissimus iste scilicet, qui inu-
 « sitato ac terribili jurejurando adjecto, fidem suis fecerat, se non
 « aliquando Episcopatum suis appetivisse, tamquam ex fallaci quadam
 « præstigiæ impostura in medium projectus, de repente Episcopus
 « apparuit. Etenim iste novæ sectæ inventor, et doctrinæ Ecclesiasticæ
 « propugnator, quando Episcopatum a Deo certe minime ei donatum
 « sibi vi arripere, et ex hominum manibus quodammodo extorquere
 « nitebatur, duos sibi socios de sua ipsorum salute prope desperatos
 « adscivit, ut eos in exiguam aliquam partem, et minimum quasi
 « Italiæ angulum mitteret: indeque Episcopos tres, homines agrestes,
 « rudes ac simplices, simulatione quadam veteratoria, in fraudem
 « inductos abduceret, asserens et constanter affirmans, eos, quam
 « celerrime debere Romam venire, ut videlicet omnis lis et discordia
 « per sententiam illorum, aliorumque Episcoporum interpositam diri-
 « meretur.

« Episcopi igitur, quoniam, ut supra diximus, homines simpliciores
 « erant, et in perditorum fallaciis dolisque discernendis minus per-
 « spicaces Romam adventant. Iste tum per quosdam sui similes, ad
 « eam rem comparatos, eos in unum locum concludendos curavit.
 « Ac cum circiter horam decimam ebrios et crapula oppressos cer-
 « neret, vi coegit, imaginata quadam et vana manuum impositione
 « Episcopatum sibi tribuere, quem dignitate gradum parum sibi ac-
 « commodatum ad hunc modum per fraudem et astutiam acquisivit.
 « Ex quibus Episcopis unus non longe post, peccatum flebiliter lamen-
 « tatus, et idem aperte confessus, ad Ecclesiam revenit: quem populo
 « universo pro eo rogante, tandem ut laicum in communionem rece-
 « pimus, atque alios, qui in reliquorum duorum Episcoporum loca,
 « qui eum creassent, succederent, misimus.

« Istum igitur lepidum Evangelii patronum Novatianum omnino
 « præteriiit, scilicet unum solum Episcopum oportere esse in hac Ec-
 « clesia Catholica, in qua tamen non ignorabat, (quomodo enim poterat?)
 « Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos, septem, Subdiaconos
 « septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas et Lectores una cum
 « Ostiariis quinquaginta duos, viduas et alios morbo atque egestate
 « afflictatos mille et quingentos, quos omnes Dei gratia et benignitas
 « abunde sustentat. Sed tamen nemo ex tanta ministrorum multitu-
 « dine, tamque in Ecclesia necessaria; nemo ex tanto egentium nu-

« mero Dei providentia locupletatum, et rerum abundantia circum-
 « fluentem, nemo denique ex maxima illa et innumerabili populi
 « frequentia, istum quem dico Novatianum ab ea desperata mentis
 « cæcitate et contumacia avertere, et ad Ecclesiam denuo revocare
 « potuit ». *Subdit rursus* Novatiani artes in suo schismate fulciendo:
 « cum fecisset, *inquit*, oblationes, et singulis partem Sacramenti distri-
 « buisset porrexissetque, miseros homines et infelices pro benedi-
 « ctione et gratiarum actione jusjurandum dare coegit atque suis utri-
 « que manibus manus accipientisprehendens, non prius dimisit, quam
 « hoc jurejurando eum obstrinxisset (illius enim verbis utar): *Jura mihi*
 « *per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam*
 « *nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* Atque miser homo
 « non ante degustavit. quam ita illi se devovisset, et pro Amen, quod
 « dicere debuerat, hoc dixit: *Non deinceps ad Cornelium revertar* ». His et similibus artibus suam sectam augebat in dies Novatianus, ut apparebit ex

§ II. — DE PROGRESSU HÆRESIS NOVATIANORUM. — Novatianus igitur eo modo factus Pseudo-Pontifex, e vestigio de sua electione ad diversas Ecclesias misit Epistolas, in quibus narrata superior in Cornelium Papam crimina scripta erant, quæ utique maximam in Ecclesia Dei tentationem invexerunt, cum non solum ab ipsis auctoribus Novatiano atque Novato scriptis litteris per universum orbem calumniæ in Cornelium spargerentur, sed etiam confirmarentur illustrium Confessorum epistolis, quorum ob diuturniorem carcerem gloria erat apud omnes Christi fideles insignis. Quod ipse Cornelius testatur Epist. apud S. Cyprianum 46., scribens: « Cum ad omnes Ecclesias eorum nomine
 « litteræ calumniis et maledictis plenæ, eademque frequentes missæ
 « essent, ea ex causa, ut ait, omnes pene perturbatæ sunt Ecclesiæ,
 « et complures ex eis errore deceptæ, cogitantes se errare non posse,
 « si eorum affectarentur vestigia, qui Christum toties magna gloria
 « confessi essent ».

His autem in epistolis maxime significabat Novatianus, se invitum ac renitentem creatum fuisse Episcopum ea ratione execrandum excusans schismatis facinus, ut dolose Ecclesiarum, ad quas scribebat, communicationem subriperet, ut colligere licet ex Epist. Sancti Dionysii Episcopi Alexandrini, quam refert S. Hieronymus in Commentario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui Novatiano rescribens, hæc habet: *Nolens ne ad Sacerdotium fueris inductus, ita demum ostendes, si volens cesseris, nam oportuit quidvis etiam hac gratia perpeti, ne discinderetur Ecclesia Dei, neque minus præclarum ex hoc contigisset testimonium, quod noluisses dissidium inducere, quam proficisci solet ex eo, si quis recuset simulachris immolare, atque adeo præclarius etiam mea quidem sententia: siquidem illuc uni propriæque consulitur animæ: hic totius Ecclesiæ negotium agitur; tametsi nunc quoque si persuaseris, si contuleris fratres in concordiam redire, plus egeris officio, quam peccaveris errore.*

Sicut autem ad Alexandrinam et Orientis Ecclesias Novatianus litteras dedit, ita pariter apud Occidentales idipsum præstitit, necnon et apud Africanas; testatur enim S. Cyprianus, Epist. 55. Novatianum

ad Ecclesiam Carthaginensem legatos misisse una cum litteris, eo tempore quo Carthaginensem Synodum celebrabat: at cum Episcopi Africani, qui Romam fuerant delegati, ut rescirent et compertum haberent utrum calumniæ in Cornelium diffamatae veræ essent, necne, tunc etiam rediissent, renuntiaverunt Cornelium omnino innocentem; ac legitime et canonicè Romanum Pontificem electum fuisse: quod utique cum significassent non solum S. Cypriano (ad quem per dictos Episcopos in Africam redeuntes scripserat Cornelius Papa) sed etiam aliis Præsulibus, quos ex diversis Ecclesiis Africanis Carthagine in Synodum elegerat S. Cyprianus, omnes consenserunt Cornelio, et Novatianum repudiarunt, ut declarat S. Cyprianus, Epist. 42. his verbis: *Honoris etiam communis memores, et gravitatis Sacerdotalis, ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diverso in librum ad nos transmissum congesta fuerant, acerbationibus criminosis respuimus: considerantes pariter et ponderantes, quod in tanto fratrum, religiosoque conventu considentibus Dei Sacerdotibus, et altari posito, nec legi debeant, nec audiri.*

Absoluta autem Synodo scripserunt Patres ad Cornelium Papam Epist. Synodicam, ut eum certiores facerent de damnatione Felicissimi et Sociorum, qui volebant lapsis in persecutione continuo veniam esse largiendam: sed illæ epistolæ desiderantur; scripsit etiam ad eundem S. Cyprianus, imò etiam adjecit litteras ad Confessores lapsos, et Novatiano consentientes, quas a Cornelio Papa prius inspicere voluit, ea nimirum cautela, ne ad schismaticos scribendo falso idem jactarent, Cyprianum cum illis communicare.

Hæc cum rescisisset Novatianus, an. 254. ita percitus Novatum una cum aliis sectatoribus delegavit in Africam, ad illam Ecclesiam evertendam; cujus legationis cum certiores fecisset S. Cornelius S. Cyprianum, audiissetque per scriptam a Cornelio epistolam, adjunctos Novato legatos esse plurium criminum reos, statim admonuit cæteros Coëpiscopos Africanos, necnon et omnes fideles, sacrilegos caverent homines, quorum etiam crimina circularibus datis epistolis publice voluit innotescere, ut constat ex Epist. 58. S. Cypriani. Maximæ utilitatis fuit Novati ac Sociorum ab urbe discessio; nam qui ab eo detinebantur in errore, illo recedente confestim ad Ecclesiam reversi sunt, maxime illustres illi Confessores, qui Novatiano adhæserant; hi enim dato libello supplicii veniam de erratis deprecati sunt, et ut reciperentur in communionem Cornelli summis votis ac gemitibus postularunt, ut narrat S. Cornelius, Epist. quæ est 46. apud S. Cyprianum: *Quorum voluntate cognita, inquit, magnus Fraternitatis concursus factus est, una vox orat omnium Deo gratias agentium: gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complimentes eos, quasi hodie a pœna carceris fuissent liberati.* Porro eorum Confessorum revocationem errati, ac professionem his verbis conceptam ibidem refert: *Nos Cornelium Episcopum SS. Catholicæ Ecclesiæ electum a Deo omnipotente, et Christo Domino nostro scimus, nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus, circumventi fuimus perfidia et loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico et hæretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus verum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem*

confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.

Perlatis autem in Africam, et in alias Provincias Cornelii Papæ litteris de recantatione Confessorum lapsorum, tum etiam qui Novati ac Sociorum astutia decepti fuerant in Africa, pariter relevati sunt, de quibus S. Cyprianus ad Cornelium, Epist. 47. ita scribit: *Hic enim quosdam fratres nostros error induxerat, quod sibi communicationem Confessorum sequi viderentur: quo errore sublato, lux omnium pectoribus infusa est, et Ecclesia Catholica una esse, scindi nec dividi posse monstrata est: nec quisquam jam facile poterit schismatici furentis verbis loquacibus decipi, quando probatum sit bonos et gloriosos Christi militis non potuisse diu aliena fallacia et perfidia extra Ecclesiam detineri.* Hoc maxime nuntio firmatus est Antonianus in Numidia Episcopus, qui cum a Cornelii partibus prius stetisset, postmodum Novatiani litteris permotus nutare cœperat. Sed deposita vacillatione, Novatiano prorsus renuntiavit. His tamen eventibus, quamvis felicissimis, non potuit omnino extinguere Novatiana lues, quapropter opus fuit varia diversis in Provinciis cogere Concilia, quibus decerneretur quæ ratione, et quibus lapsis danda esset venia peccatorum.

§ III. — QUIBUS IN CONCILIIIS DAMNATI FUERINT NOVATIANORUM ERRORES. — Id maxime factum est in Synodo Romana, anno 255. nam de eo Concilio ita scribit Eusebius, lib. 5. *Hist.*, cap. 35. « Ob quam rem, inquit, nempe Novatianum lapsos a penitentia excludentem, Concilium maximum Romæ cogitur, in quo sexaginta Episcopi, atque Presbyteri totidem, atque amplius una cum Diaconis in unum conveniunt. A Pastoribus separatim per singulas cujusque regionis Provincias, quid de ea re agendum esset deliberantibus colloquia fiunt. A quibus tandem decernitur Novatianum, ejusque fautores tanta superbia inflatos, et quotquot illius inhumanissimæ, et a fraternæ charitate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum numero, qui erant ab Ecclesia exclusi haberi: fratres autem qui casu infelici prolapsi fuissent, Pœnitentiæ medicamentis curari, et ad sanitatem restitui ».

Cum autem hoc tempore duas inter se contrarias Schismaticorum factiones, pari tamen conatu adversus Ecclesiam Catholicam conspirarent, quarum alterius Novatianus, alterius vero Felicissimus Diaconus Africanus quondam a Novato ordinatus, quorum ille ajebat, neminem lapsorum in Ecclesiam esse recipiendum, hic vero lapsos omnes absque Pœnitentia mox suscipi debere, quæ etiam fuerat prior Novati sententia, sed postmodum ad oppositam declinavit: inter hæc duo extrema Catholica incedens Ecclesia, via media, sic lapsis pacem dabat, ut tamen prævia Pœnitentia ipsi sibi aditum patefaceret.

Hoc autem statutum est nedum in illo Concilio Romano, sed etiam in aliis plurimis, maxime vero in Africano, seu Carthaginensi celebrato anno 255. cui interfuerunt quadraginta duo Episcopi, ut constat ex Epistola Synodica ad Cornelium Romanum Pontificem missa, quæ est n. 51. apud S. Cyprianum, in qua causam proferunt, cur imminente persecutione lapsis veniam postulantis et agentibus Pœnitentiam judicarent esse concedendam: « Obtemperandum namque est,

« *inquiet*, ostensionibus, atque admonitionibus justis, ut a pastoribus
 « oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congre-
 « getur, et exercitus Domini ad certamen militiæ cælestis armetur:
 « merito enim trahebatur dolentium Pœnitentia tempore longiori, ut
 « infirmis in exitu subveniretur: quamdiu quies, et tranquillitas aderat,
 « quæ differre diu plangentium lacrymas, et subvenire sero morientibus
 « in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax
 « est necessaria, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis
 « danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes
 « et nudos relinquamus, sed protectione Corporis et Sanguinis Christi
 « muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus
 « esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento
 « Dominicæ saturitatis armemus: Nam quomodo docemus, aut provo-
 « camus, eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis
 « militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii
 « poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia
 « poculum Domini jure communicationis admittimus?... Nec quisquam
 « dicat, qui Martyrium tulit, sanguine baptizatur: nec pax illi ab
 « Episcopo necessaria est, habituro gratiæ suæ pacem, et accepturo
 « majorem de Domini dignatione mercedem. Primo idoneus esse non
 « potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: et
 « mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, et accendit ». *At*
post multa: « Ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam
 « magis humanæ crudelitatis, quam divinæ et paternæ pietatis dul-
 « cedinem opponimus, oves nobis commissæ a Domino reposeantur,
 « placuit nobis, sancto Spiritu suggerente, et Domino per visiones
 « multas et manifestas admonente; quia hostis nobis imminere præ-
 « nuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi; et
 « examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immo pugnaturis
 « a me suggerere: quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ
 « contemplatione placiturum ».

Cum autem omnem navaret operam S. Cyprianus, ut Novatianos ex Africa propulsaret, eorumque pestilens dogma eliminaret, diabolus salutis ac veritatis Evangelicæ adversarius aliam ipsi ex diametro oppositam novi belli ansam præbuit. Accidit enim ut privatus veterator hæreticus una cum suis asseclis ad præfatam Synodum Carthaginensem venerit, quasi causam suam acturus; sed cum jam pluries fuisset damnatus, ab eadem Synodo rejectus est: qua de re furis agitatus collectis secum sociis, ibidem Carthagine adversus S. Cyprianum creavit Pseudo-Episcopum Fortunatum, ut narrat S. Cyprian., Epist. 55. ad Cornelium. Fortunatus autem cum suis sociis Romam delegat Felicissimum hæresiarcham ad Cornelium Papam, ab eo, si fieri posset, communicationem subrepturum, et multa in Cyprianum oblocuturum, ut ibidem refert S. Cyprianus, ubi scribit: « Felicissimum illum hostem Christi non novum, sed jampridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum mea, sed plurimorum Cœpiscoporum sententia condemnatum, rejectum a te illic esse; et cum venisset stipatus caterva et factione desperatorum, vigore pleno quo Episcopos agere oportet; pulsum de Ecclesia esse, de qua jampridem cum sui similibus, Dei majestate et Christi Domini et Judicis

« nostri severitate depulsus est, ne schismatis et dissidii auctor, ne
 « pecuniæ commissæ sibi fraudator, ne struprator virginum, ne ma-
 « trimoniorum multorum depopulator atque corruptor, ultra adhuc
 « sponsam Christi incorruptam, sanctam, pudicam, præsentiae suæ
 « dedecore et impudica atque incesta contagione violaret ».

Refert etiam ibidem S. Cyprianus semel et iterum rejectum Feli-
 cissimum a Cornelio, ut allatas a se ab Africa litteras acciperet; nec
 tamen illis minitantibus Cornelium acquievisse, qui nihilominus paulo
 permotus, quod de re tanta nihil ad eum scripsisset S. Cyprianus,
 acrius ipsum redarguit; excusat nihilominus se, quod accusator
 ipsius vehementer exagigaretur molestiis, ut colligi potest ex eadem
 Epistola Cypriani ad Cornelium, in qua scribit: « Læta alia tua
 « Epistola, Frater, quam primis litteris subjunxisti, satis miratus
 « sum, cum animadvertissem te minis atque terroribus eorum qui
 « venerant aliquantum esse commotum: cum te, secundum quod
 « scripsisti, aggressi essent cum summa desperatione, comminantes,
 « quod si litteras, quas attulerant, non accepisses, publice eas reci-
 « tarent, et multa turpia ac probrosa et ore suo digna proferrent.
 « Quod si ita res est, Frater charissime, ut nequissimorum timeatur
 « audacia, et quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate
 « ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, et de
 « Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate; nec Christiani
 « ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut
 « perditorum minas atque insidias pertinescamus ».

Qualis autem esse debeat Sacerdotis et Episcopi constantia in amo-
 vendis et propulsandis indignis a Sacramentorum participatione, ibi-
 dem significat, cum ait: « Amplector prompta et plena dilectione cum
 « Pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et sim-
 « plici confitentes. Si qui autem sunt, qui putant se ad Ecclesiam non
 « precibus, sed minis regredi posse, aut existimant aditum se sibi non
 « lamentationibus et satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo
 « habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini, nec castra
 « Christi invicta et fortia et Domino tuente munita, minis cedere.
 « Sacerdos Dei Evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens
 « occidi potest, non potest vinci ».

Interea cum sæviret in Christianos persecutio sub Imperatoribus
 Gallo et Volusiano, in exilium ab eis ejectus est S. Cornelius, una
 cum plurimis aliis Clericis Romanis, ubi eum S. Cyprianus, Epist. 57.
 consolatus est, et in qua mirum in modum ejus constantiam extollit,
 in qua pariter Novatianum carpit, quod ipse persecutionem effugeret,
 nec errorem deponeret, sed adhuc gravius et se et suos vulneraret.
 « In perniciem, *inquit*, fratrum lingua sua perstrepens, et facundiæ
 « venenatæ jacula contorquens, magis durus sæcularis Philosophiæ
 « pravitate, quam Philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus, desertor
 « Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector Pœnitentiæ, doctor su-
 « perbiæ, veritatis correptor, proditor charitatis. Agnoscit ne jam qui
 « sit Sacerdos Dei, quæ sit Ecclesia, et domus Christi? qui sint Dei
 « servi, quos diabolus infestet, qui sint Christiani, quos Anti-Christus
 « impugnet? Neque enim quærit illos, quos jam subegit, aut gestit
 « evertere quos jam suos fecit. Inimicus hostis Ecclesiæ, quos alie-

« navit ab Ecclesia, et foras duxit ut captivos, et vinctos contempsit, et perdidit: eos pergit lacessere, in quibus Christum credit habitare: quamquam etsi aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est, quod sibi quis in Confessione nominis blandiatur, cum constet, si occisi hujusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed potius esse perfidiæ, nec in domo Dei inter unanimes habituros esse, quos videmus de pacifici et divina domo furore discordiæ recessisse ».

Coronato autem per Martyrium Cornelio, in ejus locum suffectus est Lucius, qui itidem Martyrio in eadem persecutione coronatus est, quorum SS. Pontificum cum mirandam animi constantiam celebrarent Catholici, itidem de suo Novatiano jactarunt ejus Sectatores; scribit enim Socrates, et ipse secta novatianus, lib. 4. cap. 23. Novatianum, quem Novatum nominat, Martyrio sub Valeriano occubuisse; imo Novatiani suæ sectæ auctorem ante S. Cyprianum Martyrium consummasse prædicabant. « Verum, inquit, S. Pacianus, Epist. 2. scripta ad Sympronianum Novatianum, Novatianus martyrium numquam tulit... Porro etiam si passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus, etiamsi occisus, non tamen coronatus. Quidni? extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui Martyr est... Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est, et sæpe confessus iteratis persecutionibus, et multa laceratione vexatus, et novissime salutari calice pinatus est, hoc fuit coronari ».

PETES 1. *Quodnam fuerit Novatianorum dogma? — Respondeo*, Eusebium, lib. 6. cap. 43. illud prodere, cum scribit: *Novatus* (scribere debuit Novatianus) *Ecclesiæ Romanæ Presbyter, arrogantia quadam, et fastidio contra eos electus, qui in persecutione lapsi fuerant, asseruit, non amplius illis, quamvis omnia quæ viderentur ad veram Pœnitentiam, ad conversionem animorum, ad duram confessionem spectant, omnino peragerent, spem ullam salutis relinquere, unde propriæ cujusdam sectæ, et erroris eorum, qui præ inflata mentis insolentia seipsos Κάρζος, idest, puros, et vacuos ab omni labe peccati asseruerant, auctor et dux fuit.* Addit S. Pacianus, Epist. 1. eos Montanum, et Priscillam, et Maximillam secutos, multiplices controversias excitasse de Paschali die, de Paraclete, de Apostolis, de Prophetis, multaque alia: sicut et hoc Catholico nomine de venia, de Pœnitentia, etc.

Insuper cum se puros ac mundos subnominarent, secundas nuptias damnabant, ut testatur S. Augustinus, lib. De Agone Christiano, cap. 31. ubi de Novatiano ait: Isti sunt, qui viduas si nupserint tamquam adulteras damnant, et super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores, qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarent.

PETES 2. *Utrum revera Novatiani assererent, eos omnes, qui post acceptum Baptisma in peccatum relaberentur, ab omni spe salutis excludi? — Respondeo*, verisimilius esse illam non fuisse eorum sententiam, sed tantum quod qui a susceptione Baptismi in aliquod mortale

peccatum incidissent, non amplius ad Ecclesiam, et fidelium communionem essent retinendi, nec penes Ecclesiam jus ullum aut potestatem esse reconciliandi peccatores. Quod utique colligitur primo ex S. Paciano, qui Epist. 1. postquam Ecclesiae nomine hæc scripsit: *Numquam Deus peccatori comminaretur, nisi ignosceret penitenti*, inducit Novatianum objicientem: *Solus Deus poterit: cui sic respondet Pacianus: Verum est, sed quod per Sacerdotes facit ipsius potestas est.* Ex quibus verbis patet, Novatianum non exclusisse spem salutis, sed tantum existimasse, peccantes non posse reconciliari Deo per ministerium Ecclesiae. Item Epist. 3. inducit Novatianum dicentem: *Nescio an remitti peccatum ab Episcopis possit.* Et infra: *sed penitenti peccata dimitti; etenim tantum in Baptismate tibi liceat relaxare peccatum.* Ad quæ Pacianus: *Non mihi plane, sed Deo soli, qui et Baptismate donat admissum, et penitentium lacrymas non repellit. Cæterum quod ego facio, non meo jure, sed Domini.* Infra: *Sive Baptismum, sive ad Penitentiam cogimus, sive veniam penitentibus relaxamus, Christo auctore id tractamus, tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.* Ex quibus verbis patet Ecclesiae controversiam cum Novatianis fuisse tantum de potestate, quæ sibi a Christo relicta fuisset. Medium quod assumit S. Pacianus, ut stabiliat partem affirmantem, erat quia Christus id potest, et Ecclesia, quæ dum peccatoribus veniam concedit, non sua, sed Christi Domini potestate utitur.

PETES 3. *Utrum Novatiani, negantes in Ecclesia esse jus et auctoritatem ad remittenda peccata, loquerentur de omni peccatorum genere? — Respondeo, Novatum de omni quidem peccatorum genere censuisse; discipuli autem ejus sententiam sic temperarunt, ut voluerint in Ecclesia esse jus remittendi peccata leviora, non autem graviora. Ita diserte testatur S. Ambrosius, lib. 1. De Penit., cap. 2. ubi de Novatianis scribit: Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatus, qui nemini Penitentiam dandam putavit, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando separati a se faceret solutionem. Ideo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed culpam exaggeravit, exaggeret etiam Penitentiam. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores ejusdem, et condemnatores, qui ibi minuitis studia Penitentiae, ubi augeri oportet: quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia. Quæ autem ista perversitas est, ut vobis vindicetis possibilis concessu, Deo (ut ipsi dicitis) impossibilia reservetis? Hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam relinquere feriendi.*

PETES DENIQUE: *Utrum Novatiani, non existimantes veniam se penitentibus dare posse, Penitentiam tamen peccatoribus imponerent? — Affirmat S. Cyprianus, Epist. 52. ubi carpit Novatianorum insanum*

dogma, quod Pœnitentiam peccatoribus imponerent, et ad eam hortarentur; attamen remissionem peccatorum, quæ per absolutionem conceditur, auferebant. Inde ibidem exclamat: « O miserorum lamentatio! O hæreticæ institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis Pœnitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam, dicere fratribus nostris; plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris; quæcumque ad pacem pertinent, facies, sed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non statim pereat? Quis non ipsa desperatione deficiat? Quis non animum suum a proposito lamentationis avertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: agrum peritiam omni rusticitatis exercere; culturis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si ei, cui dominium est, usum navium suadeas, et dicas: materiam de excellentibus sylvis mercare, frater, carinam prævalidis et electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis operare: sed cum hæc feceris, fructum de actibus ejus et cursibus non videbis? Præcludere est atque abscondere inter doloris ac pœnitendi viam, ut eum in Scripturis Dominus Deus revertentibus ad se, et pœnitentibus blandiatur, nostra duritia, et crudelitate dum fructus Pœnitentiæ intercipitur, Pœnitentia ipsa tollatur. Quod si inveniemus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus, et pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus: » *Hæc sanctus Cyprianus.* Idem habet S. Ambrosius, lib. 1. *De Pœnit.*, cap. 2. *Ecclesia*, inquit, *in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet; hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit, etc.*

Cæterum Novatianus cum non exiguæ esset eruditionis, plures libros scripsit; de eo nanque notat S. Hieronymus, quod libros reliquerit de Paschate, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo, et de Trinitate grande volumen, quod plerique nescientes illud S. Cypriano tribuunt, alii vero Tertulliano; unde ad calcem operum Tertulliani illud adjecit Pamelius.

His ita prænotatis, quinque occurrunt hoc in Articulo determinanda. *Primum*, utrum detur in Ecclesia remedium aliquod ab aliis distinctum, quo peccata post Baptismum commissa remittantur, illudque sit verum Sacramentum quod sit a Christo Domino institutum: *secundum*, quænam sit hujus Sacramenti materia: *tertium*, quæ sit ejusdem forma: *quartum*, qualis esse debeat: *quintum*, quis sit hujus Sacramenti effectus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM PŒNITENTIA SIT SACRAMENTUM AB ALIIS DISTINCTUM, ET QUO TEMPORE FUERIT A CHRISTO DOMINO INSTITUTUM.

NOTANDUM 1. Sacramentum Pœnitentiæ varias apud SS. Patres sortiri appellationes: *Primo* namque vocatur Sacramentum Pœnitentiæ, seu pœnæ tenentiæ, quia omnes ejus partes pœnam et laborem includunt. Contritio enim dolorem habet annexum, confessio ruborem, satisfactio laborem. — *Secundo*, ab absolutione Sacerdotali appellatur interdum Sacramentum absolutionis, siquidem illius forma est absolutio, idest, inquit Doctor, dist. 14. q. 4. n. 3. *quædam sententia definitiva absolvens reum*. — *Tertio*, ab operibus satisfactoriis dicitur *Baptismus laboriosus*: ejus utique denominationis meminit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 2. ubi distinguens effectum et fructum Pœnitentiæ ab effectibus Baptismi, ait: *Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ effectus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit*. — *Quarto*. ratione remissionis peccatorum, et modi quo eluuntur, *lacrarum lacrymarum et secunda purgatio*: ita S. Nazianzenus, oratione in sanctum lavacrum, vocans *Baptismum iterabilem*, in quo differt a primo Baptismo, qui iterabilis non est. — *Quinto*, dicitur *manuum impositio*, sumpto nomine a cæremonia externa, quæ hucusque in Ecclesia semper usurpata fuit, ut scilicet Sacerdos absolvens, sedens pœnitenti manus imponeret: sic appellari docemur, ex Concilio Carthaginensi, Can. 76. *Reconcilietur, inquit, per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia*: Sancto Augustino, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 16. *Manus autem impositio sicut Baptismus repeti non potest*. Sancto Paciano, Epist. 3. *Jam manus Sacerdotum miserandis fratribus exhibendas, etc.* S. Leone, Epist. 62. cap. 17. *Qui convivium Gentilium et escis immolatiis usi sunt, possunt jejuniis et manuum impositione purgari*. — *Sexto*, appellatur *secunda post naufragium tabula*. Ita Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 14. et Sess. 14. Can. 2. Sic etiam Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, cap. 14. *Eum tu peccator mei similis ita invade. ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ sedem*. Ita etiam S. Pacianus, Epist. 9. *Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet?* Sic denique S. Hieronymus, Epist. 9. *Ne statum nobis Pœnitentiæ subsidio blandiamur, quæ sunt infelicitum remedia; cavendum est vulnus, quod dolore curatur: aliud est integra nave et salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hæere tabulæ et crebris fluctuum reversibus ad acerrima saxa collidi*. — *Septimo*, appellatur *Exomologesis*, hoc est, Confessio seu Communicatio ex pane; eo quod nimirum pœnitentes, qui peccata sua confitentur, donari solent ecclesiastica communione. Sic Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, cap. 9. *Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, Exomologesis*

est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi, et humiliandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. Consentit S. Cyprianus, Epist. 51. Cum, inquit, in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam justo tempore, secundum disciplinæ ordinem, ad exomologesim veniant, ut per manus impositionem Episcopi et Cleri. jus communicationis accipiant: nunc crudo tempore, percussione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesie pace ad communicationem admittuntur, nondum Pœnitentia acta, nondum Exomologesi facta, nondum manu et ab Episcopo et Clero imposita, Eucharistia illis datur. Alias etiam his similes appellationes obtinet: sed jam convenit inter Doctores post Concilia Florentinum et Tridentinum, ut Pœnitentiæ Sacramentum nominetur.

NOTANDUM 2. Pœnitentiam trifariam accipi: quandoque pro actu, interdum pro habitu, sæpe vero pro signo exteriori. Pro actu quidem displicentiæ de peccato commisso: qua ratione spectat ad voluntatem sese determinantem ad vindicandum peccatum, illudque detestandum, et pœnam inflictam acceptandam, ac patienter peccati vindictam tolerandam. Pro habitu vero, quatenus ex ejusmodi peccati vindicta, detestatione et acceptance ac perpeccatione pœnæ comparatur habitus inclinans ad eliciendos similes actus iis a quibus genitus est. Pro signo autem exteriori, non quocumque, sed exhibito a pœnitente et confitente peccatum suum tamquam sibi displicens, propter quod subjicit se auctoritati Sacerdotis habentis facultatem eum absolvendi; ac subinde signum istud sensibile ex parte pœnitentis connotat etiam absolutionem sensibilem ex parte Sacerdotis, quæ sit signum absolutionis interioris passivæ ipsius Pœnitentis: signum, inquam, non naturale, sed arbitrarium et ad placitum institutum; quo sensu Pœnitentia dicitur Sacramentum. Utrum autem revera Sacramenti rationem, et dignitatem habeat, et a quo tempore utramque obtinuerit, determinandum est in hac Quæstione.

NOTANDUM 3. Certum esse, quod Sacramentum Pœnitentiæ, qualiter usurpatur et frequentatur in Ecclesia, non fuerit institutum in Lege naturæ, nec in Mosayca; quippe cum nondum esset instituta potestas clavium, quæ a passione Christi derivatur, et ab eo concessa est Apostolis ante suam in cælum Ascensionem; ac subinde tunc non erat institutum quod aliquis doleret de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem et satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ, intuitu et virtute Passionis Christi Domini. Hinc licet in Lege naturæ et Mosayca fuerit aliquod Sacramentum institutum in remedium peccati actualis post primam justificationem commisi, ne scilicet deficeret medicina contra morbum quotidianum: illud tamen non erat ejusdem rationis et speciei cum Sacramento Legis gratiæ, ut unanimi calculo nunc docent Theologi contra nullos veteres, contententes in Lege veteri fuisse verum Pœnitentiæ Sacramentum, de quo explicant illud Apostoli ad Hebræos 9. quod summus Pontifex introibat semel in anno in Sancta Sanctorum non sine sanguinis effusione, quem offerret pro sua et populi ignorantia; quod tamen rejicitur ex eodem Apostolo ibidem dicente, quod *sanguis*

taurorum, et vitulorum..... inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; non ergo censet Apostolus sanguinem illum habuisse vim sanctificandi ad emundationem spiritus. Adde quod inde sequeretur sacrificium istud fuisse excellentius et efficacius, quam sacrificium Missæ; quod quidem non delet ex opere operato peccata in eo, pro quo offertur, etiamsi sit attritus; imo etiam excellentius esset Sacramento Pœnitentiæ novæ Legis: quippe cum unum et idem numero sacrificium simul sanctificaret offerentem, et illos pro quibus offertur: et quidem sine ulla obligatione confitendi sigillatim omnes species et numerum peccatorum; quod utique necessarium est, ut validum sit novæ Legis Sacramentum.

Superest igitur determinandum: *primò*, utrum Pœnitentia signis exterioribus expressa, cui verbum Absolutionis Sacerdotalis accesserit, sit verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum: *secundo*, utrum sit a Baptismo distinctum: *tertio*, utrum a Christo Domino institutum, et quo tempore.

Conclusio prima. — * “ DATUR IN ECCLESIA CATHOLICA VERUM AC PROPRIE DICTUM SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ, QUO SACERDOTES NOVÆ LEGIS HABENT POTESTATEM REMITTENDI ET RETINENDI QUÆCUMQUE PECCATA SIBI SUBJECTA. HÆC EST DE FIDE CONTRA NOVATIANOS ET RECENTIORES HÆRETICOS; ET DETERMINATA FUIT ” * in variis Conciliis, maxime Florentino in decreto Eugenii, et Trident., Sess. 14. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Quam utique doctrinam fatentur etiam ipsi hæretici Calvinistæ et Lutherani, a quingentis et amplius annis in Ecclesia receptissimam esse; quam non modo Sacramentorum Magister, ut omnes post eum scholæ Theologicæ tradiderunt; sed etiam ei supares Auctores optimi quique. Verum nedum ab eo tempore, sed etiam omni prorsus ævo Sacramentum istud ab Ecclesia fuisse assertum et frequentatum

. Probatur ex Scriptura sacra, quæ disertis verbis significat collatam esse a Christo Domino auctoritatem remittendi peccata, et ab eis absolvendi: eam enim auctoritatem promittit suis Discipulis Matth. 16. et 18. illam autem contulit Joann. 20. ut egregie docet Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 1. *hīs verbis*: « Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis exciatus, insufflavit in suos Discipulos, dicens: *Accipite S. Spiritum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt*: quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universus Patrum consensus semper intellexit ». Unde post pauca concludit: « quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annuntiandi contra hujus Sacramenti institutionem falso detorquent ». Et Carr. 3.

ejusdem Sessionis definit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum sanctum, etc. non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

Hoc etiam fatentur Patres Concilii Carthaginensis in Epist. Synodica apud S. Cyprianum, n. 54. quam scribunt ad Cornelium summum Pontificem, qui ut probent lapsos non nisi diu acta Pœnitentia, nisi forte periculum infirmitatis aut persecutionis urgeat, esse absolvendos, et admittendos ad pacem eadem auctoritate remittendi ac retinendi peccata utuntur: *Statueramus, inquit, participato nobis consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario, et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu Pœnitentiam plenam; et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, et divina clementia Ecclesiam pulsantibus claudis et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.*

Constat pariter eadem veritas ex constanti Ecclesiæ traditione et doctrina; nam antiqui Patres Pœnitentiam appellant Sacramentum, eamque Sacramentis novæ Legis accensent; sic imprimis Tertullianus ante suum lapsum in Montani hæresim, lib. *De Pœnitentiâ*, cap. 7. loquens de peccatis post Baptismum non iterabilem committendis, ait: *Hæc venena prævidens Deus, intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. Et rursus cap. 12. Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?* Ubi quamvis Pœnitentiam expresse Sacramentum non appellet, id ipsum satis indicat, dum ejus vim cum Baptismi virtute confert. — Hoc autem expresse docet S. Gregorius Nyssenus, in lib. *De vita Moysis*, ubi ait: *Moyses per lapidem inundare aquis Eremum fecit, quæ res quantum, qualeque sit Pœnitentiæ Sacramentum docet.*

* “ Probatur ex S. Epiphanio, Hæresi 59: *Quamobrem, inquit, cum divinus sermo, tum sancta Dei Ecclesia perpetuo Pœnitentiam approbat, non quod mollior ac dilacior sit, aut pigritiores illos faciat, qui in illo stadio decurrunt; sed ut Dei gratiam humanitatemque non rejiciat, ac cuiusque causæ modum ac rationem consideret. Ut enim is qui virginitatem amisit, quod ad corpus attinet, illam repræsentare non potest, cum id natura minime patiatur: ita qui post Baptismum in maiora quædam crimina prolapsus est, perinde ac qui virginitate excidit, secundum habet in continentia commendationis gradum. Sic ille post Baptismum graviore obstructus scelere, habet secundum sanitatis genus. Quod tametsi, cum tanta quanta prius virtute minime conjunctum sit, non est tamen a consequendæ vitæ spe ac salutis alienum: igitur eorum qui in capescenda Pœnitentia laborant fructum ac præmium divinus*

sermo non rejicit. — Ex S. Hieronymo, qui sacerdotibus clavium potestatem vindicat, et judicandi auctoritatem ante extremi diem iudicii in tribunali utique Pœnitentiæ. Sic enim scribit Epist. ad Heliodorum: *Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradu succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos christiani sumus: qui claves regni cœlorum habentes quodammodo ante iudicii diem judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant.* Et lib. 7. adversus Pelagianos, cap. 10: *Qui ligna cædit, inquit, si securi ac ferro fugiente de ligno homo fuerit occisus, pergere jubetur ad urbem fugitivorum, et tandiu ibi esse, quamdiu sacerdos maximus oriatur, idest, redimatur sanguine Salvatoris: aut in domo baptismatis aut in Pœnitentia quæ imitatur baptismatis gratiam, per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, sed ut convertantur et vivant.* — Ex S. Augustino, Epist. 4. ad Vincentium Donatistam: *Si, inquit, quod veritas habet et quod Ecclesia merito tenet recte pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum Pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impie utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, et claves Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, et misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea sinebat vivere, ut pœnitendo sanarentur, sacrificio contriti spiritus et contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant.* Et Epist. 180. ad Honoratum, *De persecutionis angustiis loquens, hæc habet: An non cogitamus cum ad istorum periculorum perveniatur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, et sacramentorum confectionem et erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Et lib. De Agone Christiano, cap. 31., ubi Novatianos his verbis redarguit: *Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, idipsas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tamquam adulteras damnant, et super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocarent. Nolentes enim si peccaverint corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, et viduas suas uri cogunt, quas nubere non permittunt.* Et Hom. 27. exponit quo sensu peccata per sacerdotes dimittantur: *Daturus erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum, inquit, et ab ipso Spiritu Sancto fidelibus suis dimitti peccata. Nam quid es, homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quære medicum, nam ut hoc evidenter ostenderet Dominus a Spiritu Sancto quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens a mortuis: accipite Spiritum Sanctum, et continuo subjecit: si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum: quid estis vos? nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? At iterum**

nescitis quia corpora vestra templum est in vobis Spiritus Sancti quem habetis a Deo? Deus ergo habitat in templo suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, et in Ecclesia sua per eos. — Ex Origene, Comment. in Evangelium S. Matthæi, edit. græcæ Rothomagi, pag. 279: Vide, inquit, quanta vi polleat petra super quam a Christo œdificatur Ecclesia, et quicumque dicit: tu es Christus Filius Dei vivi: ut illius judicia firma maneant, quasi Deo in illo judicante, ut in ipso jure dicendo portæ inferi adversus eum non prevaleant... ideo claves habet regni cœlorum, aperiens his qui soluti sunt super terram, ut et in cœlis soluti sint ac liberi; et claudens iis qui justo illius judicio ligati sunt super terram, ut et in cœlis ligati et condemnati sint. Quoniam autem qui episcopatus locum vindicant dictum hoc-usurpant sicut Petrus, et acceptis a Ser-vatore clavibus regni cœlorum, docent ea quæ a se ligata sunt, hoc est, condemnata, ligata esse et in cœlis, et quæ a se soluta sunt, soluta esse et in cœlis; pronuntiandum est recte illos dicere, si factum etiam habuerint propter quod Petro dictum est: tu es Petrus; ac si tales sunt, ut super illos œdificetur Ecclesia a Christo.— Ex S. Cypriano, Epist. 13. ad Jubaianum data, ubi præmissis Scripturæ Sacræ testimoniis supra laudatis, sic colligit: Unde intelligimus non nisi in Ecclesia præpositis et in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, et remissam peccatorum dare; foris autem nec ligari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit aliquid aut solvere. Nec hoc, frater carissime, sine Scripturæ divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione cuncta esse disposita, nec posse quemquam contra Episcopos et Sacerdotes usurpare sibi aliquid quod non sit sui juris ac potestatis. Sed istius dogmatis veritatem ex professo probat contra Novatianos, Epist. 52 ad Antonianum: Miror, inquit, quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis Pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: memento unde cecideris, et age Pœnitentiam, et fac priora opera. Quod utique ei dicitur quem constat cecidisse, et quem Dominus exhortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est: Eleemosyna a morte liberat, et non utique ab illa morte quam semel et Christi Sanguis extinxit, et a qua nos salutaris Baptismi et Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea quæ per delicta postmodum serpit. Alio item loco Pœnitentiæ tempus datur, at Pœnitentiam non agenti Dominus comminatur. Habeo, inquit, adversus te multa quod uxorem tuam Jesabel quæ se dicit prophetem, sinis docere et seducere servos meos, et fornicari et manducare de sacrificiis, et dedi illi tempus ut Pœnitentiam ageret, et pœnitere non vult a fornicatione. Ecce ego mittam eam in lectum, et qui cum ea fornicati sunt in maximam fornicationem, nisi Pœnitentiam gesserint ab operibus suis. Quos utique Dominus ad Pœnitentiam non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio: Dico, inquit, vobis, sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente. Nam cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; utique qui neminem vult perire, cupit peccatores Pœnitentiam agere et per Pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo et per Joel prophetam clamat et dicit: Et nunc dicit Dominus meus: revertimini ad me ex toto corde vestro... et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors

et pius est et patiens et multae miserationis. Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens, ait: Quis est ex vobis homo, quem si petierit ejus filius panem, lapidem porriget illi? aut si piscem postulaverit, serpentem porriget illi? Si ergo vos cum sitis nequam, scitis bona filiis vestris dare, quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona poscentibus se? Comparat hic Dominus carnalem patrem et Dei Patris æternam largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam pater offensus graviter a filio peccatore et malo, si tamen eundem postmodum viderit reformatum, et depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios et bonos mores, et ad innocentiae disciplinam Pœnitentiæ dolore correctum, et gaudet, et gratulatur, et susceptum quem ante projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur: quanto magis unus ille et verus Pater bonus, misericors et pius, immo ipsa bonitas et misericordia et pietas, lætatur in Pœnitentia filiorum suorum; nec in dñm pœnitentibus, aut plangentibus aut lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis et indulgentiam pollicetur? Et infra: Neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendum Pœnitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. Et infra postquam prolatis agricolæ et nautæ exemplis ostendit irrisorium esse hortari peccatores ad Pœnitentiam, et ipsis subtrahere de satisfactione medicinam, sic concludit: Quod si invenimus a Pœnitentia agenda neminem debere prohiberi et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, et Pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Denique toto libro *De lapsis*, arma contra Novatianos invicta suppeditat S. Cyprianus. — Ex S. Ambrosio, lib. *De Pœnitentia*, cap. 2. ubi contra Novatianos ita scribit: Sed ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt quam ei cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta erunt; quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet; hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit: in quo se sua damnat sententia. Dominus enim par jus et solvendi voluit esse et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Sicut enim secundum Dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, et solvendi habet: ista istorum assertio seipsam strangulat, ut qui solvendi sibi jus negant, negare debeant et ligandi. Et ibidem: Scriptum est, inquit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum Sanctum. Munus Spiritus Sancti est officium Sacerdotis: jus autem Spiritus Sancti in solvendis ligandisque criminibus est. Quomodo ergo munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure et potestate? Et rursus ibidem: Quid quod insolentiores sunt? Nam cum ad misericordiam promptior quam ad securitatem sit Spiritus Dei, quod ait se velle id

nolunt; quod nolle id agunt: cum vindicare iudicis sit remittere misericordis. Tolerabilius igitur, Novatiane, remitteres quam ligares... pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Christus dicit: tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, Novatianus dicit: immitis sum. Quibus Christus dicit: invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, et onus meum leve, his grave onus et durum jugum imponit Novatianus. Et cap. 6. ita Christum affatur: Dicis Petro excusanti ne ei pedes lavares: nisi laveris tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui claves regni cœlorum non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem recte de se fatentur: non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discernunt. Et cum et ipse vas electionis Dominicæ dicat: Si cui autem quid donastis, et ego quod donavi propter vos in persona Christi. Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impie arbitrantur errasse, ut jus sibi vindicaret Domini sui? Sed vindicavit acceptum, non usurpavit indebitum. Et cap. 7. Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? in Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? unum in utrumque mysterium est. Sicut igitur potestas remittendi peccata per Baptismum vere convenit Ecclesiæ, ita et eidem convenit potestas ea remittendi per Pœnitentiam: et sicut Baptismus, ita et Pœnitentia sacramentum est Ecclesiæ administrationi concessum.—Ex S. Paciano Barcinonensi Episcopo in Epist. 1. ad Sympronianum Novatianum: Nonne, inquit, (David) post cœdis et adulterii reatum, pro Bersabee pœnitenti Propheta respondit: Dominus abstulit a te peccatum tuum? Num Babylonicæ regem post tot idololatricæ facinora damnatum, exomologesis non liberavit? Et quid est quod ait Dominus? Nonne qui ceciderit resurget, et qui aversus fuerit convertetur? Quid illa tot similitudinum Dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, et gratularum inventam; quod pastor oviem reportat erraticam: quod filio revertenti, post producta omnia bona, et cum meretricibus et fornicariis nepotata, pater blandus occurrit, et invidum fratrem offensa ratione castigat, Filius, inquit, meus hic mortuus fuerat, et revixit, perierat et inventus est? Quid ille in via vulneratus, a levita et sacerdote præteritus? nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis: Ephesios deserte dilectionis accusat; stuprum Thyatirensis imputat; Sardos in opere cessantes; Pergameno docentes diversa reprehendit; Laodicænorum divitias inurit; et tamen omnes ad Pœnitentiam satisfactionem invitat. Quid Apostolus ad Corinthios, cum ita dicit: ne cum venero, lugam multos ex his qui ante peccaverunt et non egerunt Pœnitentiam ex his quæ ante gesserunt in fornicatione et immunditiis suis?... Nemo sine fructu imperat laborem. Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Deinde occupat responsionem Novatianorum dicentium Deum quidem posse remittere peccata, non vero Sacerdotes, eamque refellit: Solus hoc, inquit, Deus poterit. Verum est: sed et quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: quæ ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis: et

quæcumque solveritis in terris, soluta erunt et in cælis? Cur hoc, si legare hominibus et solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis gentium purgare peccata: quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur: aut totum ad nos ex Apostolorum forma et potestate deductum est: aut nec illud ex decretis relaxatum... Si ergo et laxacri et chrismatum potestas, majorum longe chrismatum, ad episcopos inde descendit: et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Ex Epist. 3. ad eundem hæreticum, Novatiani dogmatis falsitatem probat ex novitate doctrinæ. Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, vel quibus temporibus? Statim post Domini passionem? post Dei principatum, id est post trecentos prope annos Dominicæ passionis. Quid ergo tunc? Prophetas secutus est, ut Cælaphyges? An Philumenem aliquam, ut appelles? an ipse tantum auctoritatis accepit? linguis locutus est? prophetavit? suscitare mortuos potuit? horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret. Postea contra Novatianos pugnat argumento ad hominem ex priori Novatiani sententia desumpto, qui ante Cornelii pontificatum potestatem in Ecclesia agnovit dimittendi peccata: Nescio, ais, an remitti peccatum ab Episcopis possit, cum dixerit Dominus: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui in cælis est. Cur igitur Novatianus tuus ne falso quidem adhuc episcopatu sacerdos, longe antequam Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequam sacerdotio illius invideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimonium; Cypriani quem nec eos unquam infirmare potuistis. Nam quodam in loco ad Antonianum hoc modo scripsit: additum est etiam Novatiano tunc scribente, et quod scripserat, sua voce recitante: et Moyse tunc confessore, nunc jam martyre subscribente: ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur, quæ litteræ per totum mundum missæ sunt et in Ecclesia notitiam omni perlatae sunt. Quid ais, Symproniane frater? Novatianus hæc scripsit, et ut obsequium meræ voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera, testis quæ scripsit manus, testis lingua quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis vestra erupit invidia Episcopus non erat. Longe cum plurimis Cœpiscopis posterius cum plurimis confessoribus, statimque martyribus, ut idem Cyprianus scribit, assensus est senum consilio licere dare pacem. Si Pœnitentiæ negandus est aditus, Novatianus in crimine est, qui hæc scripsit, suasit, et legit. Ubi tunc impatiens vigor? ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium præfulisset, maneret illa scribentis auctoritas. Nunc displicet illa sententia, nunc in nos tela jaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum auctoritate convaluit causa telorum. Deinde Novatiani illa Christi verba, quæcumque solveritis, etc. ad correctionem fraternam referenda esse contendebant, propter verba præcedentia, Si peccaverit in te frater tuus, etc. S. Pacianus ostendit illa intelligenda esse de potestate clavium esse concessa, seu de potestate absolvendi a peccatis in Pœnitentiæ sacramento. Illud, inquit, uni jussit, hoc pluribus relaxavit, illud ipse solvit in quam admittitur, hoc vero Ecclesia: illud sine Sacerdote, sine fratribus, hoc ab omnibus impetratur. Quæcumque solveritis, inquit; omnino nihil excipit, quæcumque, inquit, vel magna vel

*modica. Attende quod ad Petrum dicat inferius, id quod peccatur in hominem, septuagies et septies relaxandum; ut ostendat alias vel semel posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit, sicut ad Samuel ipse significat: non te nullius momenti fecerunt, sed me. Conceditur ergo vel semel Ecclesiæ, quod nobis ipsis toties imperatur. Denique a Christi doctrina Novatianos recessisse ostendit ex notis evidentissimis h ereseos et sectæ hæreticæ. Jam et illud attende, inquit, an hæc potissimum ædificata sit in fundamentis Prophetarum et Apostolorum, ex ipso angulari lapide Christo Jesu. Si ante te cœpit, si ante te credidit, si a fundamentis prioribus non recessit, si non illa migravit, si non a reliquo corpore separata suos sibi magistros, et propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid novi juris invenit, si corpori suo repudium pacis indicit, plane tunc a Christo recessisse videatur, tunc extra Prophetas et Apostolos constitisse. '**

Similiter Victor Cartenuensis Episcopus, qui floruit circa an. 460. lib. *De Pœnitentia*, cap. 20. Dominum, inquit, *audite in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem, ut intelligatis quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentum.*

Neque tantum eam improprie Sacramentum esse volunt, sed et proprie, quia conferunt illam cum Eucharistia et cum Baptismo, quæ duo Sacramenta proprie dici Novatores admittunt. Ex Chrysostomo, 3. *De Sacerdotio*: Non solum Sacerdotes, cum regenerant, sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem. Ex Concilio Alexandrino, lib. 12. in Joan., cap. 22. et 23. Duobus modis homines Dei Spiritu pleni vel afflati peccata remittunt, ac retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, ac indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripunt ac pœnitentibus ignoscunt.—Ex S. Leone, Epist. 91. ad Theodorum: *Multiplæ misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vite reparetur æternæ.*

Hanc veritatem probat Subtilis Doctor in 4. dist. 14. quæst. 4. num. 3. *Primo* quidem, quia possibile est Sacramentum institui, quo remittantur peccata per modum ablutionis, seu sententiæ definitivæ: *secundo*, quia id congruit: *tertio*, quia factum est. « *Primum*, inquit, « ostenditur per hoc, quod possibile est Deo animam absolvere a peccato, juxta illud Symboli: remissionem peccatorum; et per consequens possibile est instituere aliquod signum illius absolutionis, et hoc signum efficax, ut prius expositum est, in materia de Sacramentis in universali, et pari ratione verba quæcumque, a quocumque Ministro prolata, et tunc patet lata possibilitas illius rationis. « *Quantum ad congruitatem, probatur hæc: primo*, quia, *inquit Doctor*, « congruum est aliquod esse signum sensibile istius absolutionis, propter easdem rationes, propter quas dictum est dist. 1. de congruitate Sacramenti in communi. Et propter easdem congruum est illud esse signum institutum a Deo, quia et magis movebit, et ducet intellectum in certitudinem, et magis inclinabit affectum ad promptitudinem suscipiendi illud signum. Congruit etiam in proposito, istud signum absolutionis interioris institui in verbis significantibus absolutionem, ut signum repræsentet signatum. *Congruit etiam, quod ista absolutio exterior fiat a Sacerdote, quia congruit extrema per*

« medium reduci in extremum, et ita in Hierarchia Ecclesiastica, ex-
 « tremos, scilicet peccatores reduci in Deum per Hierarchiam, idest,
 « Sacerdotem, sicut est in Ecclesia triumphante. *Congruit etiam, quod*
 « a jurisdictionem habente, quia sententia a non suo Judice lata, nulla
 « est. *Congruit etiam, quod requiratur intentio debita, ut supra ex-*
 « *positum est in aliis Sacramentis. Congruit etiam ex parte susceptivi,*
 « quod sit pœnitens, idest, habens aliquam displicentiam de peccato
 « commisso: hoc enim videmus etiam in Judicibus temporalibus, quod
 « protervum sententialiter condemnant, Pœnitentem vero suo modo
 « absolvunt, idest, tanquam non reum, vel non puniendum senten-
 « tiant. » Hucusque Doctor, quibus possibilitatem et congruitatem
 hujus Sacramenti facti aperte demonstrat. Quod id revera fuerit con-
 stitutum, docet ibidem num. 5. hisce verbis: *Tertio dico, quod hoc*
factum est. Cujus (prosequitur) fundamentum accipitur ex auctorita-
tibus adductis ad oppositum: nempe auctoritates Scripturæ sacræ, quas
 præmisimus.

Confirmatur: Signum sensibile perpetuum, a Christo Domino in-
 stitutum, gratiæ sanctificantis effectivum, est novæ Legis Sacramen-
 tum proprie dictum: sed externa Pœnitentia cum accepta Sacerdotis
 absolutione, habet hos omnes characteres: *primo* namque est signum
 sensibile, tam ex parte pœnitentis confitentis sua peccata, et de eis
 sensibiliter dolentis, quam ex parte Sacerdotis absolventis; siquidem
 Sacerdos habet auctoritatem concessam a Christo remittendi peccata,
 non quidem per actus pure internos: modus enim ille non est pro-
 prius hominis, qui noscit interna per externa, spiritualia per corpo-
 ralia; nam Christus Dominus hanc auctoritatem Apostolis contulit, ut
 eam exercerent in pœnitentes, tanquam Judices in reos, instar fori
 exterioris; unde S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum: *absit ut de iis*
quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradu succedentes, Christi
Corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus; qui claves
regni Cælorum habentes, quodammodo ante diem Judicii judicant: Ju-
dicēs autem incognita causa judicare nequeunt: ac subinde debet esse
 aliquod signum sensibile, quo pœnitens sua Sacerdoti peccata mani-
 festet, et vicissim Sacerdos significet pœnitenti se vice et auctoritate
 Dei illa remittere. — *Secundo*, est signum perpetuum, quia potestas
 illa absque limitatione temporis et durationis a Christo Domino con-
 cessa est Apostolis, ac eorum successoribus, ut illam exercerent in
 omnes prorsus peccatores ad ipsos confugientes. Sicut ergo nusquam
 in Ecclesia deerunt, qui peccent post Baptismum, ita necessaria semper
 erit in Ecclesia illa potestas absolventi ab ejusmodi peccatis. — *Tertio*,
 signum istud est a Christo Domino institutum; siquidem D. Matth. 16.
 Discipulos alloquens in persona Petri, ait: *Dabo tibi claves regni cæ-*
lorum: et quodcumque solveris super terram, etc. Unde Matth. 17.
 omnes Apostolos alloquens, ait: *Quæcumque solveritis super terram,*
erunt soluta et in cælis etc. — Similiter Joan. 20. omnes Discipulos
 simul congregatos alloquens, distincte pronuntiat: *Quorum remiseritis*
peccata, remittuntur eis. Quibus verbis Christus Dominus tribuit Apo-
 stolis auctoritatem ligandi et solvendi, retinendi et remittendi pec-
 cata: quæ auctoritas non erat in Lege veteri; ac subinde est nova in-
 stitutio. — *Denique*, signum istud est gratiæ effectivum; nam remissio

peccatorum de lege ordinaria non fit nisi per infusionem gratiæ, ut diximus agendo de gratia justificante: ergo potestas remittendi peccata includit promissionem gratiæ, et effectus supernaturalis.

REPONEBANT NOVATIANI, apud S. Pacianum Epist. 3. præfata verba Christi Domini Joannis 20. spectare dumtaxat ad Cathecumenos, de quibus loquitur Matth. 28. dicens Apostolis: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos*, etc. ita ut quod Matthæus non absolverat, illud Joannes compleverit, significando videlicet, virtutem remissivam peccati repositam Apostolis, tantum exerceri debere per collationem Baptismi. — **Contra primo**, Evangelistarum loquendi formula (ut optime respondet S. Pacianus) integrum et perfectum sensum habet, non vero dimidiatum et imperfectum: *secundo*, quod Christus Dominus Joannis 20. concessit, illud promiserat Matth. 18. sed ibi non promisit, se datum hanc potestatem, dumtaxat respectu Gentium baptizandarum exercendam: siquidem indefinite loquitur, aitque: *Quodcumque ligaveritis super terram*, etc. *Tertio*, quæ concessit Christus Dominus Joan. 20. ea promiserat Petro Matth. 16. dicens: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Quodcumque ligaveris super terram*, etc.; at ibi promittit Petro potestatem ligandi Fideles, et eos absolvendi; illa enim potestas, quam Christus promisit Petro, est respectu Ecclesiæ et ovium: Ecclesia autem non nisi ex fidelibus coalescit: igitur, etc.

REPONEBANT 2. Ibidem verba illa Matth. 18. dicta esse de solis offensis dimittendis quæ fiunt contra homines, non vero contra Deum; nam immediate ante præfata verba Christus Dominus dicebat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, etc. — **Contra**, hæc antecedentia verba soli Petro, tamquam personæ particulari, dicuntur; unde spectant ad omnes omnino fideles, qui obligantur ad correptionem fraternam, necnon tenentur ad relaxandas offensas et dimittendas injurias sibi irrogatas; sequentia autem verba omnibus Apostolis dicta sunt. *Secundo* particula, *Quæcumque*, comprehendit omnia prorsus peccata, etiam in Deum commissa: igitur inutilis est et vana Novatiano responsio.

REPONEBANT 3. Apud S. Ambrosium. lib. 1. *De Pœnit.*, cap. 2. præfata Christi Domini verba significare quidem, Apostolis concessam esse potestatem a Christo ad remittenda leviora peccata, non autem graviora. — **Contra primo**, Christus Dominus loquitur sine ulla exceptione, dicendo: *Quæcumque*. Unde S. Ambrosius, ibidem: *Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Secundo*, nemini dubium est, quin incestus sit peccatum gravissimum: sed S. Paulus habuit potestatem illud peccatum ligandi et solvendi; siquidem incestuosum Corinthium ligavit, cum eum excommunicavit, et tradidit Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret: absolvit vero, cum scribit 2. Cor. 2. *Si cui autem quid donastis, et ego: nam et ego si quid donavi, propter vos donavi in persona Christi*: hoc est, auctoritate mihi a Christo concessa. Unde ibidem cap. 6. infert S. Ambrosius: *Cur igitur Paulum legitur, si eum tam impie arbitrabantur errasse, ut jus sibi vindicaret Domini sui? Sed vindicavit acceptum, non usurpavit indebitum.*

REPONUNT 4. Calvinistæ auctoritatem illam remittendi peccata, non

aliam esse, quam facultatem prædicandi Evangelium, et excitandi fidem, qua peccator convertitur ad Deum, et credit ejus divinam misericordiam sibi opitulari: igitur per eam auctoritatem non intelligitur judiciaria potestas ad absolvendum a peccatis. — **Contra;** nam Christus Joann. 10. dat Apostolis potestatem, quam ante suam passionem eis non dederat: at ante passionem dederat illis potestatem annuntiandi Evangelium Judæis, non autem Gentibus et Samaritanis, Matth. 10. *In viam Gentium ne abieritis, in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israël.* Similiter potestas, quam Matth. 28. et Marci 16. dat eis annuntiandi Evangelium universis Gentibus, longe diversa est ab ea, quam confert Joann. 20. ad absolvendum a peccatis; Nam, inquit S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio, per ea verba Christus dedit potestatem hominibus, quam nec Angelis, nec Archangelis datam esse voluit: nec enim ad Angelos dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt ligata et in cælo: sed Angelis dedit potestatem annuntiandi Evangelium;* nam Lucæ 2. *Angelus ad Pastores ait: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum: igitur potestas solvendi a peccatis non est eadem cum potestate prædicandi Evangelium. Insuper prædicator quidem Evangelii annuntiat solutionem ac remissionem, sed non eam efficit: at Christus diserte asserit peccata remitti per Ministros suos, ait enim: Quæcumque solveritis, etc. Non enim dixit: quæcumque declarabitis soluta, aut ligata, sed: quæcumque solveritis, et ligabitis. Rursus. Salvator hanc potestatem promittens Petrum alloquendo, ait: Dabo tibi claves regni cælorum: at claves non solum sunt signa et imagines aperitionis, sed etiam vera ejus instrumenta, quando ab aliquo applicantur; nec solum significant, sed active efficaciter ad claudendum et aperiendum concurrunt: igitur et potestas B. Petro, ejusque Successoribus concessa, non solum in prædicatione, aut declaratione et significatione versatur, sed revera concurrat saltem instrumentarie moraliter ad remissionem peccatorum. Denique, prædicatio Evangelij potest recte fieri coram paganis, ut convertantur ad fidem: non possunt autem pagani infideles absolvi a peccatis suis per claves Ecclesiæ, et per absolutionem Sacramentalem; siquidem hæc Absolutio est actus Jurisdictionis: Ecclesia autem non habet auctoritatem in paganos, et eos qui nondum baptizati sunt, ut dicit S. Paulus 1. ad Cor. 3. *Quid ad me de his, qui foris sunt judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.**

REPONUNT 5. Alii, per illa verba Joann. 20. eatenus dari potestatem Apostolis remittendi peccata, quatenus datur eis facultas denunciandi illa esse remissa. — **Contra:** Christus Dominus non ait: *Quorum declaraveritis peccata remissa, sed quorum remiseritis, etc. Deinde, ad declaranda peccata remissa non opus est clavibus, sed solum voce et tuba, quemadmodum interdum Reges et Principes voce præconis denuntiant se remittere offensam subditis prius perduellibus. Rursus, Christus Dominus similem dedit Apostolis auctoritatem remittendi peccata, Joann. 20. ei quam ipse habebat: nam ait: *Sicut misit me vivens, Pater, et ego mitto vos.* Unde S. Chrysostomus, Homil. 85. in Joann. *Suum iis relicturus erat ibi ministerium.* Et lib. 3. *De Sacerdotio: quare Pater habet omnifariam potestatem, et hanc Filio tradidit, et Filius Apo-**

stolis, per hæc verba: *Quorum remisistis peccata*, etc. Quare Apostolus 2. Cor. 5. ait: *Dedit nobis ministerium reconciliationis... pro Christo ergo legatione fungimur*: sed Christus non modo reconciliavit exhortando, sed etiam ipsa vera remittendo, ut ipse significat Matth. 9. *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem remittendi peccata*, etc. Igitur, etc. Denique, SS. Patres docent Sacerdotes novæ Legis habere potestatem peccata condonandi post Baptismum, et revera nos purgare ac mundare a peccatis; non autem solum probare ac declarare, quod ab eis simus mundi; nam, inquit S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio: Corporis lepram purgare, seu verius dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat... At vero nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.*

OPPONUNT 3. Ad omne Sacramentum requiritur verbum et elementum ab aliquo Ministro adhibitum: ait enim S. Augustinus, Tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Et B. Isidorus, lib. 6. *Originum*, cap. 19. *Baptismus, Chrisma, Corpus et Sanguis Christi ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporaliū rerum divina virtus secretius operatur*: sed in Pœnitentia nullum est elementum, nec adhibentur aliquæ res corporales, sub quibus divina virtus salutem operetur: igitur, etc. — **Respondeo, distinguo minorem**: non adhibentur aliquæ res corporales, aut aliquod elementum proprie dictum, quemadmodum fit in Baptismo, de quo solo ibi sermonem instituit S. Augustinus, *concedo*: improprie dictum, *nego*: siquidem signa quibus pœnitens sua declarat peccata, et conceptum de eis dolorem ostendit, necnon et verba absolutionis Sacerdotalis sunt quid sensibile, non quidem tactui, aut visui, sed auribus, suntque significativa veræ ablutionis a peccato. Quod autem non intelligat S. Augustinus, elementum proprie dictum, apparet; nam alias sequeretur Eucharistiam non esse verum Sacramentum, quippe cum ex elemento proprie dicto non conficiatur.

OPPONUNT 4. Non alia prædicatur in nova Lege Pœnitentia, quam in veteri, ut significat S. Paulus Actor. 26. Nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse et Moyses: sed in Lege veteri Pœnitentia non erat Sacramentum: ergo nec in nova. — **Distinguo majorem**: non alia prædicatur Pœnitentia, quatenus est Virtus, *transeat*: quatenus est Sacramentum, *nego*: in Lege enim veteri non fuit dictum, sicut in nova: *Quorum remisistis peccata*, etc. Adde quod hæc retici pravum in sensum Apostoli verba detorqueant: non enim ait Apostolus se non prædicare aliam Pœnitentiam, quam quæ prædicabatur a Moyse et Prophetis; sed se nihil annuntiare, nisi quæ Prophetæ prædixerant de Christo Domino, ac futura esse denuntiaverant.

OBJICIEBANT *Novatiani*, ut refert sanctus Ambrosius, Concione 8. in Psalm. 118. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*: sed Deus non potest incentivum delinquendi instituere: instituisset autem si facultatem hominibus dedisset absolvendi a peccatis: igitur, etc. — **Respondeo, distinguo majorem**: facilitas veniæ ex solâ clementia indulgentis, et condonantis offensam, incentivum præbet delinquendi, quando nulla exigitur pœna et laboriosa satisfactio ex parte delinquentis, *concedo*: quando exigitur, *nego*. Non fit autem per Pœnitentiam

tiam sacramentalem remissio peccatorum absque pœna ex parte delinquentis, siquidem satisfactio est una ex partibus Pœnitentiæ. Adde quod negari possit *major*: nam, ut præclare docet Augustinus, Homil. 27. ex quinquaginta, ubi hanc objectionem solvit: *Si clauderetur aditus Pœnitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? diceret enim sibi: ecce peccavi, ecce scelus admissi, jam mihi veniæ nullus est locus, Pœnitentia infructuosa est. Damnatus sum, quare jam non vivo, ut volo? quia ibi non invenio charitatem, hic saltem pascam cupiditatem meam..... Ergo si tuleris jugum Pœnitentiæ, augebuntur peccata, etc.*

OBJICIEBANT INSUPER NOVATIANI apud S. Ambrosium, lib. 1. *De Pœnit.*, cap. 7. illud 1. Reg. cap. 2. *Si peccaverit homo in hominem, orabit pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?* — **Respondeo primo**, oraculum illud spectare ad vetus Testamentum; non autem pertinere ad Legem Evangelii, in quo concessa est Ecclesiæ Sacerdotibus auctoritas solvendi a peccatis. **Respondeo secundo**, quod si illa verba usurparentur in sensu Novatianorum, consequens esset, quod nullus hominum posset pro altero peccatore orare. **Tertio dico** cum S. Ambrosio ibidem, non esse scriptum: « Nullus orabit pro eo: sed, quis orabit? Hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, queritur, non excluditur. Denique habes in Psalm. 15. *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non enim nullus, sed probatus habitabit. Nec hoc dicit, quod nemo requiescat; sed requiescat electus: ut scias hoc esse verum, quod non multo post in Psalm. 23. ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Id est, non quicumque de vulgo, nec plebejæ veritatis aliquis; sed vite egregiæ, singularisque meriti: et ut scias quia cum dicitur, *quis*, non intelligitur nullus, sed *aliquis* significatur, cum dixisset: *Quis ascendet in montem Domini?* subjecit: *Innocens manibus; et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Et alibi: *Quis sapiens, et intelliget hæc?* Numquid dicit, quia nullus intelliget? Et in Evangelio: *Quis fidelis dispensator, et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram?* Et ut comprehendas, quia de eo dixit, qui utique est, non de eo, qui non est, subjunxit: *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Et illud ita opinor dictum: *Deus quis similis tibi?* Non utique nullus; quia imago Patris Filius est. Similiter igitur accipiendum: *Quis orabit pro eo?* Hoc est, singularis vite aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum, quia quo major culpa, eo majora sunt querenda suffragia: non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt. Numquid erravit Moyses? At certe quia non erravit, quod rogavit, et meruit, et impetravit: quid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo, dicens: *Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem. dele me de libro vite:* Vides, quia non tanquam deliciosus intercessor, et fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat, quod quod Novatianus metuere se dicit; sed magis omnium memor, sui inmemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis pe-

« riculo erueret et liberaret. Merito ergo scriptum est, *quis orabit pro eo?* Hoc est talis, qualis Moyses se offerat pro peccatoribus: « talis qualis Hieremias, cui cum esset dictum a Domino Deo nostro, « *noli orare pro populo isto*, tamen oravit, et veniam promeruit ». Ita S. Ambrosius.

Conclusio secunda. — PŒNITENTIA EST SACRAMENTUM A BAPTISMATE DISTINCTUM; ET SUBINDE REMISSIO PECCATORUM, QUÆ FIT PER PŒNITENTIAM; NON FIT PER SIMPLICEM BAPTISMI SUSCEPTI RECORDATIONEM. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 14. can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiæ non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Probat hanc auctoritatem, c. 2. quintuplici ratione petita ex parte essentiæ, ministri, subjecti, effectus, et appellationis utriusque Sacramenti: Cæterum, inquit, hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia, et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur (quippe materia, et forma Baptismi est ablutio simul cum verbis significantibus eam fieri in virtute sanctissimæ Trinitatis; Pœnitentiæ vero, quasi materia, sunt actus Pœnitentis; forma vero est absolutio Sacerdotalis verbis concepta), constat certe Baptismi ministram judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: Quid enim mihi, inquit Apostolus ad Cor. 5. de iis, qui foris sunt iudicare? secus est de domesticis fidei. quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hoc si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo abluuntur, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsam pœnitentes confugerint, possent liberari. Quibus verbis Concilium aperte declarat manifestum esse Pœnitentiæ discrimen a Baptismate, non solum ex parte materiæ, et formæ utriusque Sacramenti, sed maxime ex parte ministri: quippe cum Baptismi minister sit in casu necessitatis quilibet homo; Pœnitentiæ vero solus Sacerdos. Similiter subjectum utriusque distinctum est; Baptismus enim ministrari potest cuilibet, etiam pagano et gentili: Pœnitentia vero solis fidelibus, quia exercetur per modum iudicii, quod tantum vim habet erga Ecclesiæ filios et subditos. Insuper Baptismus conferri potest etiam pueris, et amentibus; Sacramentum vero Pœnitentiæ solis adultis ratione utentibus. — Apparet etiam utriusque Sacramenti discrimen ex diversitate eorum effectus, et applicationis: « Nam, inquit Concilium, alius est « Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismus enim Christum « induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen « novitatem, et integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis « nostris fletibus et laboribus, divina id exigente Justitia, pervenire « nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit »: nempe Cypriano, lib. *De lapsis*,

Nazianzeno, *Oratione in sancta lumina*, Damasceno, lib. 4. *De Fidē*, cap. 10. — *Confirmatur*: Christus Dominus Joann. 20. dat Apostolis potestatem non solum remittendi, sed etiam retinendi peccata: sed hæc potestas prorsus esset frustranea, si peccatorum remissio, quæ fit per Pœnitentiam, esset dumtaxat suscepti Baptismi recordatio; non enim Sacerdotes prohibere possunt, quominus fideles suscepti Baptismi recordentur; igitur Sacramentum Pœnitentiæ non est simplex Baptismi recordatio.

DICES 1: Non alia est novæ Legis Pœnitentia ab ea, quam prædicavit S. Joannes: sed Marci 1. *Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: igitur Pœnitentia novæ Legis non distinguitur a Baptismo. — **Distinguo minorem**: non alia est Pœnitentia virtus, *concedo*: Sacramentum, *nego*. Duplex enim est Pœnitentia; una quidem virtus, quæ fuit necessaria cuivi tempore universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, ad gratiam assequendam, etiam illis, qui Baptismi Sacramento initiari cupiebant, ut diximus: alia vero, quam Christus instituit in Sacramentum, quando facultatem dedit Apostolis absolvendi a peccatis, quam SS. Patres omnino a Baptismo distinguunt, ut jam diximus.

DICES 2: S. Augustinus, lib. 1. *De nuptiis et concupiscentia*, c. 33. explicans illud Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, docet illud sic accipiendum esse, ut eodem lavacro regenerationis, et verbo sanctificationis (idest Baptismo) omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum veniam fidelibus impetretur.* — **Respondeo**, ipsum aliud nelle quam quod Pœnitentia, tam virtus, quam Sacramentum, nullatenus impetrare possit veniam peccatorum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. Nam sequitur: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: Dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur? Itemque elemosynarum largitas, et beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremo regni cælorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, uli nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, ubi non solum reatus, sed nec concupiscentia ulla erit peccati; quorum erit, nisi baptizatorum?* Quibus verbis significat S. Augustinus Pœnitentiam esse necessariam adultis ante Baptismum; sed ut prosit, necessario requiri votum Baptismi: adeoque nisi Baptismus sequeretur, ubi et quando commode sequi posset, nihil prodesset; uti nec Sacramentum Pœnitentiæ, nisi præcederet realis susceptio Baptismi, quia nimirum Baptismus est janua omnium Sacramentorum.

URGEBIS: Non alia fuit S. Augustini sententia ab ea, quam habuit ejus discipulus S. Fulgentius: sed S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*,

cap. 30. Baptismum appellat *Sacramentum fidei, et Pœnitentiæ*, juxta quod in Evangelio scribitur Lucae 3. quod Joannes prædicavit Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum. — **Respondeo**, illum idcirco appellare Baptismum, *Sacramentum Pœnitentiæ, et fidei*, quia Baptismus in adultis, qui mortaliter peccaverunt, necessario supponere debet fidem et Pœnitentiam, ut colligitur ex his verbis S. Petri. *Actor 2. Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Quod autem ea sit, et non alia, S. Fulgentii sententia, apparet ex ejus verbis; ait enim: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic a malis suis fuerit per Pœnitentiam, fidemque conversus, et per Sacramentum fidei, et Pœnitentiæ, idest, per Baptismum liberatus.* Intellige non quæcumque Pœnitentiam, sed illam quam ante Baptismum oportet agere, idest, virtutem Pœnitentiæ; quippe confestim adjungitur: *Et majoribus quidem necessarium esse, et Pœnitentiam de malis suis agere, et fidem Catholicam secundum regulam veritatis tenere, et Sacramentum Baptismatis accipere: parvulis vero, qui nec propria voluntate credere, nec Pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, Sacramentum fidei, quod est sanctum Baptisma, quamdiu rationis ætas rerum capax esse non potest, sufficere ad salutem.*

Conclusio tertia. — SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ IMMEDIATE EST A CHRISTO DOMINO INSTITUTUM, IDQUE POST SUAM RESURRECTIONEM, NEMPE JOANNIS 20. QUANDO DIXIT APOSTOLIS: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERITIS PECCATA, etc. Hæc Conclusio duas habet partes, nempe quod Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit a Christo Domino, et quod dumtaxat institutum fuerit post Christi Domini Resurrectionem.

Primam aperte tradit Concilium Tridentinum, Sess. 14. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit.* Nec obstat, quod Concilium non asserat, hoc Sacramentum esse immediate a Christo Domino institutum; quamvis enim non subjiciat particulam illam *immediate*, evidenter tamen ex ejus doctrina colligitur; quippe cum non alium cognoscat auctorem Sacramentorum, quam Christum Dominum. Et insuper Can. 5. et Can. 6. docet confessionem, de qua maxime moveri posset controversia, esse ex Christi mandato, sicut probabimus Articulo sequenti.

Utramque partem docet idem Concilium ibidem cap. 14. cum ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, etc.*

Hujus autem veritatis nulla alia proferri potest ratio *a priori*, quam Christi Domini voluntas, qui pro libito Sacramenta instituit quando, et quomodo voluit. Nihilominus non desunt congruentiæ, cur ejus Sacramenti institutionem distulerit post suam Resurrectionem: *primo*, quia conveniens non erat, quod prius daretur potestas in corpus Christi mysticum, quam in Corpus Christi verum: hanc autem Apo-

stoli tantum acceperunt in ultima cœna, in qua licet forte Christus Discipulos docuerit omnem omnino statum futurum Ecclesiæ, et consequenter tradiderit doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ postmodum instituendo: nihilominus nulla ratione colligi potest, ibi institutum fuisse hoc Sacramentum: tum quia id nullibi Scriptura docet; tum quia nondum erat collata potestas remittendi peccata, sine qua Sacramentum istud nullam omnino habere potest efficaciam. *Insuper*, Christi Resurrectio est exemplar perfectæ justificationis, et resurrectionis mysticæ. qua homo per Pœnitentiam resurgit a morte peccati: unde S. Paulus ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*: idest, ut justificationis perfectum exemplar nobis exhiberet. Oportuit ergo Christum Dominum prius resurrexisse, quam institueretur hoc Sacramentum, quo peccator ad vitam gratiæ revocatus et restitutus, non moriatur iterum morte peccati, quemadmodum *Christus Dominus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ait ibidem Apostolus.

DICES 1: Tunc institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, cum potestas clavium est Apostolis collata: sed illam potestatem Christus Dominus Apostolis tradidit ante suam Passionem, nempe Matth. 18. cum dixit: *Amen, dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*: igitur tunc fuit a Christo Domino institutum Sacramentum Pœnitentiæ. — **Nego minorem**: eo loco enim dumtaxat promissa fuit Apostolis potestas clavium ad remittenda vel retinenda peccata: non autem de facto fuit eis collata, quia hæc potestas solum spectat ad Sacerdotes, ut probabimus infra: Apostoli autem, dum Christus hæc dixit Matth. 18. nondum erant Sacerdotes, quippe cum hanc dignitatem dumtaxat obtinuerint in nocte cœnæ: ac subinde ibi fuit potius promissio conferendæ potestatis clavium, quam vera et realis illius collatio.

INSTABIS: Perperam igitur ad asserendam institutionem hujus Sacramenti, proferunt Catholici verba illa Christi Domini dicentis Petro Matth. 16. *Dabo tibi claves regni Cælorum*. Et Matth. 18. quando omnibus Apostolis dixit: *Quæcumque solveritis, etc.* — **Nego sequi**; nam etiamsi Christus Dominus solum exhibuerit potestatem absolvendi post Resurrectionem, tamen diserte eam jam pollicitus fuerat præfatis locis: unde cum nec mentiri, nec fallere possit, promissiones illæ erant velut arrhæ, et tamquam pignora ac rudimenta futuræ post Resurrectionem institutionis.

URGEBIS: Si tantum Joann. 20. Christus Dominus dedit Apostolis potestatem absolvendi, sequitur, quod illi soli eam facultatem habuerunt, qui præsentibus erant, cum hæc protulit, ac subinde, quod S. Thomas ea potestate caruit: statim enim post præfata verba: *Accipite Spiritum sanctum*, subiungitur: *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando venit Jesus*. Sed hoc consequens est absurdum: alioqui S. Thomas incompletam omnino ac imperfectam auctoritatem Apostolicam habuisset: igitur, etc. — **Nego sequelam majoris**: nam, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 12. in Joann., cap. 56. *Dicimus virtutem Spiritus, ex intentione dantis Christi, in omnes Discipulos pertransisse: non enim quibusdam, sed omnibus Di-*

scipulis dedit. Quare liberalitate dantis non solum præsentis, sed etiam absentes Apostoli, Spiritum sanctum acceperunt. Quod autem non violenta, sed tuta veraque ista ratio sit, auctoritate S. Scripturæ monstrabimus. Jussit Deus quondam Moysi (Num. 11.) septuaginta seniores Judæorum eligere. Dixit autem de Spiritu, qui erat in Moyse, ablatum se, atque impositurum in illis. Cum vero Heldad, et Medad de 70. Seniorum numero in Synagoga remansissent, ac Spiritus omnibus illis 70. immissus fuisset, prophetabant quidem, qui erant cum Moyse, prophetabant autem etiam illi duo qui aberant, etc. Non ergo licet abfuerit Thomas a participatione Spiritus decidit, cum de numero esset eorum, quibus dignitate Apostolatus decoratis, Spiritus debebatur.

DICES 2: Christus Dominus Joann. 20. eandem dedit Apostolis auctoritatem remittendi peccata, quam ipse acceperat a Patre, ut diximus supra pag. 294. ait enim: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*: sed ipse reconciliavit peccatores absque ministerio alicujus Sacramenti: ergo per illa verba, *Accipite Spiritum sanctum*, etc. non censetur instituisse aliquod Sacramentum, quo necessario uti debèrent Apostoli, et eorum Successores ad diluenda peccata post Baptismum commissa. — **Distinguo majorem**: habuerunt eandem, idest, omnimodam, *nego*: idest, similem, et participatam, *concedo*. Quamvis enim Apostolis potestatem reconciliandi peccatores similem ei, quam ipse acceperat a Patre, tradiderit Christus Dominus, inde tamen non sequitur eandem; et omnino æqualem eis tradidisse; siquidem Christus habebat potestatem excellentiæ, quæ nullis externis signis erat alligata, utpote cum ille esset verus Deus, verusque Dei Filius, penes quem est facultas condonandi peccata plenario jure, et independenter ab omni signo sensibili; Apostoli autem habebant dumtaxat potestatem participatam, et alligatam signis exterioribus Baptismi, et Pœnitentiæ. Ad auctoritatem vero S. Joannis dico, per eam intelligi posse missionem illam, quâ Christus mittebat Discipulos ad annuntiandum Evangelium medias inter hominum persecutiones, sicut ipse a Patre missus fuerat, ut interpretatur S. Gregorius, Homil. 26. in Evangelia, ubi explicans ea verba, ait: *Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit, quem videlicet in mundum venire ad Passionem voluit: sed tamen amavit eum, quem ad Passionem misit. Electos vero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo et Filius amatur a Patre, et tamen ad Passionem mittitur: ita et Discipuli a Domino amantur, qui tamen ad Passionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur: Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos, idest, ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM SIT MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

NOTANDUM 1. Omnia Sacramenta novæ Legis constare materia et forma, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi enumeratis novæ Legis Sacramentis, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Porro in aliquibus Sacramentis materia hæc est duplex, *remota* videlicet, et *proxima*: sic in Baptismo materia proxima est ablutio exterior, remota vero aqua naturalis. *Insuper, utraque materia esse potest duplex, una ex qua Sacramenta fiunt et componuntur; alia vero circa quam Sacramenta versantur.* Quæritur ergo, quænam sit materia tam remota, quam proxima sacramenti Pœnitentiæ.

NOTANDUM 2. Certum esse, quod actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio concurrunt per modum materiæ ad sacramentum Pœnitentiæ; hoc enim docet Concilium Florentinum loco supra citato, ubi ait: *Quantum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes; quarum prima est cordis Contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris Confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccato, secundum arbitrium Sacerdotis: que quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam.* Idem statuit Concil. Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ubi ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, et ad plenam, et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Quæ Concilia signanter hos pœnitentis actus appellunt *quasi materiam*: quia videlicet ex eis non constituitur Sacramentum Pœnitentiæ tamquam materia *ex qua*, sed tantum sicut materia *circa quam* istud occupatur.

NOTANDUM 3. Quod etiamsi ad confectionem alicujus Sacramenti plura ita necessario concurrant, ut sine illis Sacramentum nec fieri, nec existere posset: illa tamen omnia non habent rationem Sacramenti, neque sunt illius partes essentielles, ut patet in Eucharistia, ad cujus confectionem necessario concurrunt verba consecrationis; attamen species consecratæ habent rationem Sacramenti, etiamsi verba consecratoria amplius non existant: similiter in Baptismo ablutio activa absolute necessaria est ad illius confectionem; ejus tamen formalis ratio potissimum consistit in ablutione passiva. Unde fit, quod licet res et verba concurrant ad confectionem Sacramenti, utrumque tamen ad Sacramenti essentiam ex æquo non spectat: sed in alterutro tantum maxime consistit formalis ratio ac vis præcipua Sacramenti, quia alterutrum eorum majorem refert similitudinem gratiæ, quam significat et efficit. Sic in Baptismo v. g. quia ablutio solvens corporis sordēs majorem habet similitudinem cum gratia abludente animam a peccatis; idcirco ratio significationis ipsius gratiæ magis consistit in ipsa ablu-

tione, quam in invocatione Trinitatis, quæ fit cum ipsa actuali ablutione.

Duo itaque hic occurrunt determinanda: *primum*, an et quæ peccata sint materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: *secundum*, utrum et quomodo actus pœnitentis sint materia proxima circa quam Sacramentum istud occupatur.

Conclusio prima. — SOLA ET OMNIA PECCATA POST BAPTISMUM COMMISSA, SUNT MATERIA REMOTA CIRCA QUAM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ. Hæc est communis apud Theologos, eamque aperte docet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1. ubi cum recensisset Sacramenti Pœnitentiæ institutionem, statim subdit: « Quo tam insigni facto, et « verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad « reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum « consensus semper intellexit, » et cap. 2. *aperiens discrimen Sacramenti Pœnitentiæ a baptisinate, ex parte Ministri*, ait: « Constat certe « Baptismi Ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: *Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, « qui foris sunt, judicare?* Secus est de domesticis fidei, quos Christus « Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam « hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint. . . . ante hoc tribunum tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non « semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari ». Unde subdit circa finem capituli: « est autem « hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus ». Quibus verbis Concilium aperte significat sola peccata post Baptismum rite susceptum commissa, esse materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ.

Hujus utique veritatis ratio nulla subjici potest *a priori*, quam Christi Domini voluntas, quæ nobis per Ecclesiæ sententiam et doctrinam innotescit; *a posteriori* vero confirmari potest hæc assertio ex iis encomiis, quibus SS. Patres Pœnitentiæ Sacramentum celebrant, maxime cum ipsum appellant secundam post naufragium tabulam; quo significant hoc Sacramentum duntaxat esse institutum in subsidium eorum, qui recuperata animæ sanitate, et comparato innocentie portu, iterum sese peccati naufragio mittunt.

Secundam partem, nempe quod omnia omnino peccata post Baptismum commissa per Pœnitentiam deleri possint, jam constat ex iis quæ diximus de efficacitate pœnitentiæ virtutis; idque aperte docet ibidem Concilium Tridentinum Can. 5. ubi ait: *Dominus noster Jesus e terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, et Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant.* Patebunt hæc fusius ex dicendis de virtute clavium, et virtute absolutionis.

Conclusio secunda. ACTUS PŒNITENTIS, NEMPE CONTRITIO, CONFESSIO, ET SATISFACTIO, SUNT MATERIA PROXIMA, ET PARTES SA-

CRAMENTI PŒNITENTIÆ, NON QUIDEM ESSENTIALES, SED INTEGRALES. Hæc Conclusio duabus maxime partibus constat, quas utique tradit et edocet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. ubi cum dixisset, præcipuam vim Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in illis verbis Ministri, *Ego te absolvo*, statim subjicit: « Sunt autem quasi materia hujus « Sacramenti ipsius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confessio, et « Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, « et ad plenam et integram Sacramenti perfectionem, ex Dei insti- « tutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. *Unde Canon. 4. sic definit:* « Si quis negaverit ad integram et perfectam « peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi ma- « teriam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem « et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema « sit ». Quibus verbis Concilium aperte declarat tres illos pœnitentis actus non esse proprie materiam, *ex qua* componatur et constituatur essentialiter Sacramentum Pœnitentiæ, sed *quasi materiam*, quia videlicet in eos maxime, et proxime tendit Sacramentalis absolutio; unde sunt equidem partes *integrales* ipsius Sacramenti Pœnitentiæ.

Quod autem non sint partes *essentiales*, quibus videlicet Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter constituatur, docet Doctor. *dist. 16. qu. 1. n. 7.* ubi ait: « De Pœnitentiæ Sacramento dico, quod ista nullo « modo sunt partes ejus, quia, ut dictum est *dist. 14.* Pœnitentia Sa- « cramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis, etc. « hujus autem nulla pars est Contritio, quæ est quoddam spirituale « in anima; neque Confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacer- « dotis, sed actus rei accusantis se, neque Satisfactio, sed sequitur « illam absolutionem Sacramentalem. Hæc tamen tria ad Sacramen- « tum Pœnitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, « vel sequentia. Simpliciter enim requiritur Confessio, quia Sacerdos « non absolvit reum arbitrarie, nisi prius sibi reus tuerit accusatus « in foro illo. Non est etiam utilis illa absolutio, nisi præcedat in con- « fitente aliqua Contritio vel Attritio. Partes istius distinctionis patent « ex dictis supra; sufficit enim quod aliqua displicentia licet informis « præcedat, et tunc ille capax est absolutionis Sacramentalis, et per « illam fit Contritus. Satisfactio autem debet sequi Sacramentum Pœ- « nitentiæ, ad hoc ut habeat efficaciam, et hoc in re, vel in voto, nisi « Judex posset perpendere illas pœnas alias præcedentes, sufficere ad « totalis pœnæ solutionem, etc. ». Quibus verbis, ut fit evidens, Doctor non negat tres actus Pœnitentis esse necessario requisitos ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ; sed tantum quod non sint partes essentialiter, ex quibus illud constat. Siquidem Sacramentum Pœnitentiæ maxime supponit pro absolutione Sacerdotis, in qua potissimum ejus Sacramenti virtus consistit, ut docebat supra Concilium Tridentinum.

Insuper sæpe sæpius, imo ordinarie perficitur prius, non solum natura, sed etiam tempore, quam impleatur Satisfactio; ac subinde satisfactio non potest esse materia intrinseca, et pars essentialiter componens sacramentum Pœnitentiæ; ac subinde nec habere proprie rationem materiæ, siquidem materia præcedere debet formam, aut certe illam comitari; Satisfactio autem ordinarie posterior est forma absolutionis.

Unde etiam signanter tres illi actus dicuntur a Conciliis Florentino et Tridentino *quasi materia*, ut nempe significetur eos non esse proprie dictam materiam, quasi ex illis constare debeat hoc Sacramentum, quemadmodum Baptismus constat ex ablutione et verbis.

Nec obstat, quod Catechismus Concilii Tridentini agens de materia Sacramenti Pœnitentiæ, n. 17. dicat: *Neque vero hi actus, quasi materia a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, que extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione.* Hoc, inquam, non obstat; nam præterquam quod Catechismus ille editus est et compositus maxima ex parte a discipulis S. Thomæ, ut constat ex Articulo secundo illius præfationis, ea dumtaxat ratione appellantur illi actus vera materia, non quod ex eis constituatur Sacramentum, tamquam materia *ex qua* essentialiter componatur, sed tantum quod sint materia *circa quam* versatur; unde etiam signanter idem Catechismus appellat illos actus partes integrantes, ait enim n. 2. « Hæ autem « partes ex earum partium genere esse dicuntur, quæ ad aliquod totum « constituendum necessariae sunt; quoniam, quemadmodum hominis « corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis, et « aliis ejusmodi partibus, quarum aliqua si desit, merito imperfectum « videatur, perfectum vero, si nulla desideretur; eodem etiam modo « Pœnitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut, quamvis quod « ad ejus naturam attinet, Contritio, et Confessio, quibus homo justus « efficitur, satis sit, tamen nisi tertia etiam pars, idest, Satisfactio, « accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit, necesse sit. Quare « adeo inter se hæ partes connexæ sunt, ut Contritio confitendi et « satisfaciendi consilium et propositum inclusum habeat, Confessio- « nem Contritio, et satisfaciendi voluntas; satisfactionem vero duæ « reliquæ antecedant ». *Hæc Catechismus*, quibus verbis aperte significat, eatenus tres actus pœnitentis censi partes Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus ad ejus integritatem concurrunt. Quæ utique doctrina plane eadem est, quam tradit Doctor, ut liquet ex verbis supra laudatis, ubi quamvis non dicat, eos actus hac ratione appellari posse partes Pœnitentiæ, istud tamen facile potest colligi ex ejus discursu.

Quare vix satis mirari possum, quomodo Lugo, disp. 12. n. 58. ausus fuerit scribere: « Scoti sententiam negantem illas partes esse « intrinsecas, sed solum requiri tamquam dispositiones, non pauci « Theologi graviore censura illam afficiunt, nam Cajetanus q. 9. art. 2. « ait esse erroneam, alii dicunt esse temerariam, alii plusquam teme- « rariam; alii in bonum sensum conantur verba Scoti trahere, ut An- « gelus, qui dicit Scotum non negasse illas esse partes intrinsecas, « sed solum negasse esse proprie materiam, quod videtur juxta modum « loquendi Concilii Florent. et Tridentini, ubi dicitur illa quasi ma- « teria. Alii dicunt Scotum velle, quod Sacramentum non supponat « in recto pro illis actibus pœnitentis, sed solum pro absolutione, con- « notando alias partes in obliquo. Alii, ut Vega, lib. 13. in Triden- « tinum, cap. 15. quod Scotus non negat illas esse partes integrales, « sed solum negat esse partes essentielles. Hæ tamen explicationes dif- « ficile aptantur Scoti verbis, ut consideranti patebit ». *Ita Lugo*. Verum apparet vel ipsum non legisse Doctorem, vel ejus mentem satis apertam

non intellexisse, dum negat explicationem Vegæ non posse aptari verbis Doctoris: contrarium enim satis aperte constat ex ejus verbis mox laudatis.

DICES 1: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum actus judicialis, ut colligitur ex Joan. 20. et Matth. 18. et docetur a Tridentino, Sess. 14. cap. 2. et 5. at judicium humanum intrinsece constat, non solum ex sententia Judicis, sed ex aliis actibus judicialibus, scilicet accusatione, examine, confessione, et satisfactione rei: igitur Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter etiam constat, non solum Absolutione sacerdotali, sed etiam ex actibus pœnitentis seipsum accusantis, et per convenientem dolorem conceptum de peccatis seipsum quodammodo defendentis apud Deum: ac tandem per satisfactionem resarcientis irrogatam Deo per peccatum injuriam et offensam. — **Nego minorem:** judicium enim humanum essentialiter et in recto solum dicit sententiam Judicis, per quam absolvitur, vel condemnatur reus; alia vero connotat in obliquo, tamquam necessario prærequisita, ut justa sententiâ possit proferri. Unde quemadmodum sententia in judicio humano sola significat absolutionem, vel condemnationem; ita similiter in judicio Sacramentali sola sententia Sacerdotis significat remissionem peccatorum, et per consequens ipsa causat remissionem peccatorum; quia proprium est Sacramentis causare quod significant. Quæ utique responsio firmatur ex Concilio Tridentino, Sess. 13. cap. 6. ubi solum Absolutionem vocat actum judicialem: *Quamvis, inquit, absolutio Sacerdotis beneficii sit dispensatio, tamen non est nudum solum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut Judice sententiam pronuntiatur.* Similiter Can. 9. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem... anathema sit.*

DICES 2: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum reconciliationis: unde aliquando hoc nomine solet appellari: sed reconciliatio constat ex voluntaria utriusque partis quasi revocatione, non solum ex parte offensi, sed etiam ex parte offendentis, qui eo ipso retractat offensam: igitur reconciliatio, quæ fit in Pœnitentia, non solum constat ex actu Sacerdotis, qui gerit vices Dei offensi, sed etiam ex actibus pœnitentis. — **Nego minorem:** revocatio enim offendentis est tantum quid prævium, seu dispositivum ad revocationem partis læsæ, in qua utique revocatione partis læsæ priorem sententiam de puniendo offendente rescindentis, et offensam condonantis, formaliter stat reconciliatio, seu remissio offensæ; ac subinde actus pœnitentis, maxime Confessio et Contritio, sunt equidem præviæ dispositiones ad reconciliationem peccatoris cum Deo; hæc autem reconciliatio formaliter consistit in ipsa absolutione Sacerdotis condonantis offensam vice et auctoritate Dei. Quam utique responsionem approbat Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 4. ubi loquens de Contritione, quæ est nobilior pœnitentis actus, ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic Contritionis motus necessarius, et in homine post Baptismum lapsa, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Docet itaque Concilium, Contritionem solum præparare ad remissionem

peccatorum, et gratiæ collationem; ac subinde non habere rationem partis essentialis Sacramenti; ut enim esset pars essentialis, non solum deberet disponere, sed revera significare et conferre gratiam et remissionem peccatorum ex opere operato; siquidem pars essentialis Sacramenti non aliud est, quam practica significatio gratiæ, idest, significatio et efficientia gratiæ; et ideo quod gratiam non efficit, neque Sacramentum est, neque pars essentialis Sacramenti.

URGEBIS: Non solum absolutio Sacerdotalis, sed etiam actus pœnitentis significant illam remissionem; nam signa Contritionis sunt etiam signa interioris remissionis, et per Confessionem significatur, quod sicut peccata exterius manifestantur, ita etiam ab anima ipsa excludantur: Satisfactio etiam aperte significat remissionem pœnæ peccatis debitæ: igitur tres illi actus pœnitentis sunt veræ partes essentielles Sacramenti. — **Nego minorem:** contritio enim, Confessio et Satisfactio non magis significant remissionem peccatorum, quam oratio v. g. qua homo gratiæ auxilium exorat, ad debite hoc Sacramentum suscipiendum: sola itaque absolutio Sacerdotalis est, quæ formaliter significat et efficit gratiam remissivam peccatorum; quemadmodum in iudicio humano, accusatio non assumitur ad significandam remissionem, sed ad informandum Iudicem de causa, qui pro sua potestate secundum æquitatem absolutionis aut condemnationis sententiam profert; quæ proinde sola significat remissionem aut condemnationem. Concludendum est ergo cum nostro Vega, qui interfuit Concilio Tridentino, lib. 13. *De Justificatione*, cap. 15. « Verissimum est, quid-
« quid alii sentiant, quod Doctor Subtilis, et communis Nominalium
« Schola defendit, solius Absolutionis virtute, peccatoribus conferri
« gratiam pœnitentibus; nam claves solis Sacerdotibus collatæ sunt,
« et soli ipsi debent remittere peccata, et per eorum Absolutionem
« fertur gratia confessis: absentibus omnibus aliis actibus ipsorum
« pœnitentium, et sola absolutio est signum gratiæ, et gratia ratione
« aliorum actuum concessa, datur propter opus operantis ».

URGEBIS: Concilium Tridentinum, Sess. 11. cap. 3. ait: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc.* Igitur supponit Concilium aliquam vim Sacramentalem esse in materia, nempe in actibus pœnitentis. — **Respondeo,** merito Concilium dixisse præcipuam vim esse in forma Absolutionis; quoniam scilicet tota vis, quæ est in actibus pœnitentis, non est proprie Sacramentalis: alioquin sequeretur, quod ipse pœnitens esset partialis Minister hujus Sacramenti, idque præcipuus; siquidem plures partes Sacramenti subjiceret, quam Sacerdos: hoc autem dici nequit; quippe cum omnis Minister Sacramenti distinguatur a suscipiente, et insuper solus Sacerdos a Conciliis Florentino et Tridentino dicatur hujus Sacramenti Minister.

— **Ex his sequitur,** quod si Sacramentum Pœnitentiæ accipiatur secundum vulgarem et communem significationem, illius partes sunt Contritio, Confessio, et Satisfactio; si vero accipiatur in strictiori significatione, et quatenus formaliter est signum practicum gratiæ, sola Absolutio habet rationem Sacramenti, quia Absolutio est, in qua principaliter residet sacra Dei virtus, absolvens penitentem a peccatis, et

conferens ei gratiam, per quam absolvitur a peccatis, quibus prius ligatus tenebatur. Unde merito Subtilis Doctor, dist. 14. *Sacramentum Pœnitentiæ* sic describit: *Pœnitentia est Absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus Absolutionem animæ a peccato.* Quæ utique definitio, quamvis paulo longior videatur, nihilominus nullam omnino particulam superfluum continet, ut patebit singulas illius partes ponderanti. Interim si brevior definitio quæratur, hæc poterunt subjici, quas profert noster Bosco, disp. 7. sect. n. 4. *Pœnitentia est Sacramentum, quo Sacerdos tamquam Judex, confitenti cum debito dolore confert remissionem peccatorum, cum onere satisfaciendi. Vel sic: Sacramentum Pœnitentiæ est signum efficax gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi. Aliter: Est Sacramentum remissivum peccati per modum Judicii. Vel hanc clariorem subjicio: pœnitentia est Absolutio peccatorum debite confessorum.*

SEQUITUR SECUNDO, Pœnitentiam supponere pro Absolutione Sacerdotali, ut docet Doctor, dist. 16. q. 1. n. 7. *Tum quia* (inquit Vega, lib. 13. in Concilium Tridentinum, cap. 15.) *Sacramentum Pœnitentiæ est signum gratiæ, non prognosticum, hoc est, gratiæ futuræ; neque rememorativum, hoc est, gratiæ præteritæ; sed demonstrativum, hoc est, gratiæ quæ in præsentem confertur.* Confessio autem, aut Contritio non sunt signa demonstrativa gratiæ; siquidem Confessio non connotat gratiam præsentem, sed tantum formaliter est peccatorum declaratio et accusatio. Similiter Contritio si sit imperfecta, seu dumtaxat Attritio, est tantum dispositio ad gratiam sacramentalem. *Tum quia* sola Absolutio significat remissionem, quæ est effectus hujus Sacramenti: ergo ipsa Absolutio, non vero Contritio aut Confessio, habet perfectam rationem Sacramenti. *Tum denique,* quia ex Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 3. præcipua vis Sacramenti Pœnitentiæ consistit in Absolutione; ac subinde Absolutio primatum obtinet in hoc Sacramento.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM SIT FORMÆ SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

NOTANDUM 1. Quod cum Sacramenta novæ Legis constare debeant materia et forma. sive stricte, sive minus proprie dicta; inde fit, quod etsi essentia Sacramenti Pœnitentiæ formaliter sumpta consistat in Absolutione sacerdotali, nihilominus cum ad illud etiam concurrant actus pœnitentis, qui se habent per modum materiæ; hinc est, quod verba hujus Absolutionis dicantur forma hujus Sacramenti; quia videlicet per Absolutionem actus pœnitentis determinantur ad Sacramentum conficiendum; sic enim definit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, dicens: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Absolvo te, etc.* Similiter Tridentinum, Sess. 14. cap. 3. *Docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam... in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo; quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant,*

neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae. Preces illae sunt: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, etc. Et hæc quidem preces verbis essentialibus præmittuntur; postponuntur autem: *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, et præmium vite æternæ. Amen.*

NOTANDUM 2. Cum Doctore Subtili in 5. dist. 11. q. 1. n. 4. quod in Sacramento Pœnitentiæ non requirantur verba ita præcisa et determinata ad ejus confectionem, sicut in Baptismo et Eucharistia: « *Quia, inquit Doctor, Sacramentum hoc institutum est per modum* »
 « *Judicii: sententia autem potest a Judice ferri quibuscumque verbis,* »
 « *dummodo Judicis mentem expriment: quare, inquit Doctor, non est* »
 « *necesse esse ita præcisa verba in isto Sacramento, sicut in Baptismo,* »
 « *vel Eucharistia, quia sufficit, quod exprinatur actus sententiæ ab-* »
 « *solventis; sicut et in judicio publico non oportet esse limitata verba:* »
 « *ait enim unus de Theodoro Martyre, Jubeo ignibus tradi; alter de* »
 « *Cypriano sancto, gladio animadverti placet. Communiter tamen ista* »
 « *verba sunt apta: Ego te absolvo: quæcumque alia præmittantur, vel* »
 « *consequantur, secundum diversam consuetudinem in diversis Eccle-* »
 « *siis.* ». Quibus verbis significat Doctor, quod quæcumque forma, seu verba, per quæ significatur et explicatur, remissionem peccatorum fieri auctoritative, et per modum judicii ac sententiæ, erit sufficiens forma hujus Sacramenti, in quo Minister officium implet Judicis, et cum auctoritate sententiam Absolutionis profert: nihilominus præferenda sunt ea verba, quæ communiter præscribit ac profert Ecclesia, nempe: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Utrum autem omnes illius Absolutionis particulæ ita necessario debeant proferri, ut si omitteretur aliqua, invalida foret Absolutio, determinandum erit in sequentibus.

NOTANDUM 3. Theologos varias ire in sententias circa sensum ac genuinam significationem illorum verborum, *Ego te absolvo*: primo namque Abulensis 1. par. sui Defensorii, cap. 5. et 6. dicit, quod improprie suppletur verbum absolvo; « *quia, inquit, proprie loquendo,* »
 « *nec Sacerdos, imo nec Deus absolvit a culpa, vel a pœna peccati.* »
 « *Tum, quia Scriptura nusquam dicit, quod peccata solvantur, sed* »
 « *quod dimittantur, deleantur, etc. Tum, quia peccata non sunt pro-* »
 « *prie vincula, nec consequenter homo eis ligatur, aut ab eis solvitur.* »
 « *Tum, quia homo non potest absolvi a culpa, quæ jam præcessit, nec* »
 « *a pœna, quæ nondum advenit; sed dumtaxat a reatu pœnæ, ad quam* »
 « *subeundam homo propter peccatum obligatur.* ». Verum illa sententia merito rejicitur ab omnibus Theologis; tum, quia contradicit Scripturæ, quæ peccatorum remissionem explicat ad modum solutionis: sic Isaiæ 58. *Dissolve obligationes impietatis*, etc. Et Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelo. Tum quia docere videtur, quod transacto peccato solum remaneat reatus pœnæ, a quo dumtaxat homo absolvitur.* — *Secundo*, non videtur etiam probanda sententia Nominalium, maxime Gabrielis, asserentis horum verborum, *Absolvo te*, sensum hunc esse: ego eximo te ab obligatione

subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ: remittere enim peccatum non est dumtaxat relaxare obligationem confitendi peccatum. *Adde quod* illa Absolutio foret nulla, quando quis solum confitetur peccata venialia, vel alia jam confessa, et remissa, siquidem etiam ante Absolutionem pœnitens erat liber ab obligatione illa peccata confitendi — *Tertio*, non etiam probatur explicatio Hugonis a S. Victore asserentis, hæc, *Absolvo te*, significare, remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam; hæc enim Absolutio verba Christi Domini et formæ Absolutionis detorquet in sensum improprium, etenim pœna non est peccatum, licet ex peccato oriatur: unde remittere peccatum, non est dumtaxat relaxare pœnam peccatis debitam. Nec etiam hæc verba, *Absolvo te*, significant solutionem a pœna temporalis debita peccatis, ut volunt Alensis, et S. Bonaventura: *tum* quia, ut mox dictum est, remittere proprie peccatum, non est tantum relaxare pœnam ipsi debitam. *Tum*, quia fieri potest, ut quis cum tanta Contritione accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut virtute illius Contritionis relaxetur tota pœna temporalis. — Similiter non probatur modus dicendi sancti Thomæ 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. ubi rejecto modo explicandi Magistri Sententiarum, addit: *Esset autem perfectior expositio: Ego te Absolvo, idest, Sacramentum Absolutionis tibi impendo*. Hæc enim explicatio videtur nugatoria: quia idem per idem significat: insuper in aliis Sacramentis verba formæ non significant collationem Sacramenti, sed applicationem materiæ, vel aliquid aliud: *tum* quia verba Sacramentalia usurpari debent in eadem significatione, quam ex hominum institutione habent in humano sermone; non enim possunt significare, nisi id ad quod significandum sunt instituta, et ideo illa vox, *ego*, et illa vox, *te*, idem significant intra, et extra Sacramentum; sed hæc verba, *Ego te absolvo*, ex hominum institutione non habent significare seipsa per significationem reflexam; sed aliquid condistrictum ab ipsis: ergo nec Sacramenta significant directe seipsa, sed aliquid aliud; quod maxime apparet ex formis aliorum Sacramentorum; nulla enim est quæ reflexe seipsam significet, sed vel materiam vel effectum: forma enim Baptismi non significat: impendo tibi Sacramentum Baptismi; sed applico: tibi aquam quæ est symbolum absolutionis interioris animæ a peccato. — Censerem igitur verba illa, *Absolvo te*, idem significare, ac remitto tibi *peccata, et commissa*; hæc enim cadit in omnia prorsus peccata, non solum mortalia et venialia, quæ actu remittuntur, sed etiam in peccata jam confessa et remissa, quoniam, ut dicimus agendo de confessione peccatorum jam remissorum, in pœnitente, quantumvis peccata ei fuerint condonata, semper remanet aliquis reatus indignitatis, qui per iteratam absolutionem minuitur, quia per frequentem iterationem Sacramenti Pœnitentiæ homo minus fit indignus Dei beneficiis et amicitia.

His ita prænotatis, duo occurrunt hæc in Quæstione determinanda: *primum*, utrum et quæ verba necessaria sint ad formam Sacramenti Pœnitentiæ: *secundum*, utrum ea forma ita necessario debeat verbis proferri, ut data scripto absenti aut præsentis esset invalida.

Conclusio prima. — SOLA VERBA, ABSOLVO TE, SUFFICIUNT AD ESSENTIAM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ. Hæc est communior cum

Subtili Doctore loco in secundo Notabili laudato, et Angelico, qu. 81. art. 3. quibus favent Concilia Tridentinum et Florentinum in primo Notabili laudata, ubi dumtaxat pro forma Sacramenti Pœnitentiæ annotant hæc verba; *Ego te absolvo*. Nec obstat quod scripserint particulam, (etc.) Nam præterquam quod in aliquibus Editionibus Concilii Florentini illa particula non reperitur, ideo hæc particulam subjiciunt Concilia, non ut denotent cætera verba, quæ in formula absolutionis adjici solent, esse necessaria ad ejus essentiam, sed quod ad illius perfectam significationem et explicationem conferant, et illa necessario sint proferenda, saltem ex præcepto Ecclesiæ. Adde quod etiamsi eas omnes particulas, nempe *a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* declarent: sicut expresserunt, *Ego te absolvo*, adhuc non esset consequens, omnes eas esse de necessitate Sacramenti. Nam Concilium Florentinum formam Sacramenti Confirmationis expressit his verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Similiter formam Sacerdotii declaravit his verbis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*: et tamen in disp. de Sacramento Confirmationis et Ordinis demonstrabimus, explicitam invocationem sanctissimæ Trinitatis ad ejusmodi Sacramentorum formam non esse absolute necessariam.

Huic veritati adstipulatur **Cathechismus S. Pii V.** et Conc. Trid., decreto editus, qui proferens formam Sacramenti Pœnitentiæ, hæc habet, num. 19. *Est autem forma, Ego te absolvo: quam non solum ex illis verbis licet colligere: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis: sed ex eadem Christi Domini doctrina, quam ab Apostolis traditam accepimus.* — Nec obstat, quod tam Concilia, quam Cathedismus præmittant particulam, *Ego*: communis enim Doctorem sententia est, illam non pertinere ad essentiam formæ: cum per ejus omissionem, sensus, qui intenditur a Christo et Ecclesia, sufficienter intelligatur in verbo *Absolvo*, quod idem est, ac *Ego absolvo*: ut in simili diximus de eadem particula, quæ omitti potest in forma Baptismi.

Porro hujusce veritatis rationem congruam exprimit Doctor verbis in secundo Notabili laudatis, nempe quod Sacramentum Pœnitentiæ administraretur per modum judicii; in judicio autem humano sufficit, quod exprimaturs actus sententiæ absolventis, nec enim opus est, quod proferatur species delicti, a quo reus absolvatur, vel propter quod condemnetur; neque necesse est exprimi, qua auctoritate Judex absolvat, aut condemnet, ordinaria, an delegata, principali, an secundaria, seu ex commissione: igitur pari ratione sufficet in judicio Sacramentali, quod exprimaturs actus sententiæ absolventis, nec opus est exprimere delictum, a quo pœnitens absolvitur; nec qua auctoritate id fiat: ac subinde non erit necesse ad essentiam hujus formæ, addere illa verba: *a peccatis tuis, in nomine Patris, etc.* — *Confirmatur*: sicut enim a simili in oratione Dominica dicimus: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, non adjicientes, quid eis dimittamus, et sicut Joann. 11. Christus Dominus Apostolis loquens de Lazaro, dumtaxat ait: Solvite eum, et sinite abire; neque judicavit opus esse adjicere, a vinculis, quibus illicatur: similiter, in vulgari sermone, qui offensam passus est, dum eam vult remittere, sufficit quod dicat, Condoneo tibi, vel re-*

mitto tibi, quia per illa verba sufficienter intelligitur remittere et condonare offensam; ita a simili Sacerdos loquens nomine Dei, cum ait; *Ego remitto tibi*, vel *absolvo te*, sufficienter significat remissionem offensæ vel debiti ex peccato resultantis: — *Denique*, ea verba sufficienter ad essentiam formæ Absolutionis Sacramentalis, quæ principalem effectum Sacramenti significant: sed sola verba, *Absolvo te*, significant principalem effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissionem peccatorum: igitur, etc. *Major constat*: quia proprium est essentiæ Sacramentorum novæ Legis id efficere, quod significant; ac subinde ea verba sufficienter ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quæ sufficienter ejus effectus declarabunt. *Minor vero suadetur*; verba enim Sacramentorum habent suam determinatam significationem ex circumstantiis adjunctis; unde quamvis illa verba, *Absolvo te*, videantur indeterminata et indifferentia ad significandam absolutionem eujuscumque delicti, vel in foro civili, vel Sacramentali; nihilominus dum proferuntur super pœnitentem, qui sua peccata coram Sacerdote deposuit, determinantur ad significandam absolutionem ab ejusmodi peccatis per Sacerdotem, ut Judicem vice Christi factam; quæ est principalis effectus hujus Sacramenti.

DICES 1: Illa verba non sufficienter ad essentiam formæ Sacramenti, quæ determinate et explicite non exprimunt effectum Sacramenti: sed illa verba, *Absolvo te*, non significant determinate effectum Sacramenti Pœnitentiæ: siquidem indifferentia sunt ad significandam Absolutionem, vel a peccatis, vel ab excommunicatione, et aliis censuris: ergo necessum est, ut determinentur per sequentia verba, *a peccatis tuis*. — **Nego** minorem: nam, ut mox diximus, licet præfata verba ex se videantur indifferentia ad significandum tam Absolutionem a censuris, quam a peccatis, maxime quando pœnitens pluribus vinculis simul est constrictus, puta vinculis excommunicationis, aut alterius censuræ, necnon et vinculo reatus culpæ et pœnæ, tamen ubi profertur super pœnitentem, qui confessus est peccatum sacramentaliter; scilicet in ordine ad obtinendam Absolutionem a vinculo reatus culpæ et pœnæ, in quem solum reatum solvendum proprie cadit Sacramentalis Absolutio (siquidem effectus hujus Sacramenti non est proprie solutio a vinculo excommunicationis, et alterius censuræ, sed tantum a vinculo reatus culpæ et pœnæ), hinc eo ipso, quo Sacerdos, audita Confessione pœnitentis, administrat Sacramentum Pœnitentiæ per ista verba, *Absolvo te*, perfecte ac determinate significat, se absolvere a peccatis quoad culpam et pœnam: non autem a vinculo excommunicationis, aut alterius censuræ: igitur significatio verbi *Absolvo*, ex prævia Confessione Sacramentali, et intentione Sacerdotis, satis determinatur ad Absolutionem a vinculo culpæ et pœnæ.

INSTABIS: Si verba formæ determinari debeant per præviam Confessionem Sacramentalem, consequens est, quod illa Confessio sit pars essentialis Sacramenti: siquidem concurrat ad determinationem formæ et Absolutionis, in qua præcipua hujus Sacramenti virtus consistit: sed hoc est contra assertum in præcedenti Quæst. in qua diximus, actus pœnitentis non esse partes essentielles hujus Sacramenti: igitur alterutra nostra assertio est falsa. — **Nego** sequelam majoris, et ejus rationem *distinguo*: prævia Confessio concurrat ad determinationem

formæ per modum alicujus intrinseci, quasi esset pars illius orationis, qua forma Sacramentalis exprimitur, *nego*: concurrit per modum alicujus extrinseci et circumstantiæ, vel potius materiæ, per quam verba Sacramentalia habent significationem Sacramentalem, *concedo*. Quamvis enim verba formæ Sacramentorum determinate designare debeant materiam, tamen contingit interdum, quod ipsa materia concurrat ad determinationem verborum; verbum enim *baptizo* v. g. in forma Baptismi, non habet ex se, quod significet abluionem fieri in aqua naturali, quod tamen requiritur ad essentiam Sacramenti Baptismi, sed id dumtaxat obtinet ex determinatione ipsius materiæ, quæ non est vinum, aut alius liquor, sed tantum aqua naturalis. Unde quamvis ipsa forma potius determinet materiam, quam vice versa, hinc tamen non excluditur omnis omnino determinatio materiæ respectu formæ, licet principalis determinatio competat formæ; quod etiam fit in hoc Sacramento, in quo forma si non sola, saltem præcipue significat, et causat remissionem peccatorum.

URGEBIS: Si illa verba, *absolvo te*, sufficiant ad formam et essentialiam significationem hujus Sacramenti, sequitur, quod eis prolatis, quæcumque postmodum verba omittantur, aut proferantur, infallibiliter ponatur Sacramentum, et ejus effectus, nempe solutio peccatorum: sed id videtur falsum; enimvero si prolatis illis verbis, *absolvo te*, Sacerdos statim adjiceret *ab alienis peccatis*, aliena prorsus esset significatio; ac subinde nullus esset Sacramenti effectus: igitur essentia Absolutionis non solum consistit in illis verbis, *absolvo te*, sed necessario adjici debent illa verba, *a peccatis tuis*. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, quod si verba, *absolvo te*, proferat Sacerdos super pœnitentem cum legitima intentione eum absolvendi a peccatis commissis, tunc valida est absolutio, licet post prolata illa verba intentionem mutans, adjiciat hæc verba, *a peccatis alienis*: si autem ab initio prolationis habuit intentionem proferendi hanc orationem integram, *absolvo te ab alienis peccatis*, absolutio prorsus est invalida; quippe cum sit contra ritum et formam hujus Sacramenti.

DICES 2: Ea verba sunt de essentia hujus Sacramenti, quæ Christus illud instituendo protulit: at Christus instituendo Sacramentum Pœnitentiæ, meminit peccatorum: igitur, etc. *Major constat*: ideo namque Ecclesia censet invocationem Trinitatis esse necessario et essentialiter prærequisitam ad formam Baptismi, quia Christus Apostolos delegando, ut baptizarent, ait; *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. *Minor etiam constat* ex verbis Joan. 20. Christus enim ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. — **Nego majorem**; nec enim omnia verba, quæ Christus Dominus protulit instituendo Sacramenta, sunt de essentia illorum formæ; alioqui dum Sacerdos pœnitentem absolvit, proferre deberet præfata verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: nec usurpare deberet verbum *absolvo*, sed proferre, *Remitto tibi peccata*; quippe Christus Dominus non meminit verbi *absolvo*, sed dumtaxat *remitto*. — Ad ejus probationem nego paritatem: cum enim in Baptismate fieri debeat professio fidei, et idcirco expressa et distincta debuerit esse invocatio sanctissimæ Trinitatis, quæ utique non intelligitur sub illo verbo *baptizo*, ideo necessario fuit usurpanda illa invocatio explicita sub iisdem verbis, quibus eam Christus Dominus

expresserat; secus autem est in Sacramento Pœnitentiæ; nam (ut diximus) verbum *absolvo*, prævia confessione peccatorum, satis determinate et explicite significat peccata prius confessa, ut non opus sit eorum expressam mentionem fieri: ideo autem Christus Dominus hoc Sacramentum instituendo, meminuit remissionis peccatorum, ut videlicet significaret Apostolis, quænam esset materia illius Sacramenti. ne forte si dixisset solum: *Quorum remiseritis*, non adiciendo *ly peccata*, existimarent ipsum eis dedisse potestatem solvendi quæcumque vincula, sicut videbatur promississe, quando dixit: quæcumque solveritis super terram: nulla autem apparet ratio, cur expresserit, nonina Patris, Filii, et Spiritus sancti in Baptismate, nisi quia significare volebat, illa verba esse necessario usurpanda in forma Baptismi. — Ex his itaque sequitur, non esse verum quod docet Durandus in 3. dist. 22. q. 2. et cum eo Gerson alphabeto 33. necnon et Concilium Coloniense in Enchiridio, tit. de pœnit. nemp. omnia hæc verba, *absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris*, etc. esse de essentia formæ Absolutionis. *Nec etiam* probanda est sententia Gabrielis, dist. 14. q. 2. asserentis ad formam absolutionis necessaria esse illa verba, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Non est pariter admittenda sententia eorum, qui dicunt cum Petro Soto lect. 4. de Confess. saltem illa verba, *Absolvo te a peccatis tuis*, esse de essentia. *Nec tandem* probanda est eorum doctrina qui cum eodem Soto in 4. dist. 22. qu. 1. art. 1. volunt, quod in casu necessitatis sufficeret proferre verbum *absolvo*, absque eo quod designetur persona absolvenda: nam, ut diximus, cum verbum *absolvo* sit indifferens, necessario determinari debet ad significationem Sacramentalem per personam pœnitentem, et confessam sua peccata.

Patet etiam secunda pars, nempe quod illa forma Sacramenti Pœnitentiæ exprimi possit quibuscumque verbis actum juridicum absolutionis Sacerdotalis significantibus; nam, inquiebat Doctor in primo Notabili, in isto Sacramento sufficit, quod exprinatur actus sententiæ absolventis, et in iudicio publico non oportet esse limitata verba, etc. Cum igitur sola mutatio essentialis, et quæ sensum omnino diversum efficit, invalidum efficiat Sacramentum; de essentia vero Sacramenti Pœnitentiæ tantum sit, ut proferatur per modum actus judicialis, inde fit, quod quibuscumque verbis judicialem sententiam exprimentibus utatur Sacerdos in forma Absolutionis, Sacramentum erit validum; unde valida esset Absolutio, si Sacerdos diceret: *Solvo te a peccatis*, vel *dimitto*, aut *remitto tibi peccata tua*. Quod utique maxime confirmatur tum exemplo Christi, qui ejusmodi verbis usus est, dum meminit Sacramenti Pœnitentiæ; nam Joan. 20. ait: *Quorum remiseritis, remittuntur eis*. utque ait Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*. Et Petro Matth. 10. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælo*. Tum quia ipse Christus adumbrans Mare. 2. Matth. 9. Luc. 5. quod acturus erat in Sacramento Pœnitentiæ, postea dicit paralytico: *Fili remittuntur tibi peccata tua*, idest, ego remitto tibi peccata tua: *Dixerunt enim intra se Pharisæi et Scribæ: Hic blasphematur, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, eas non arguit, sed paralytici sanatione confirmat. Ut sciatis, inquit, quia filius hominis habet potestatem*

in terra dimittendi peccata, tunc aut paralytico; Surge, tolle lectum, et vade in domum tuam. Et statim surrexit, et abiit inde coram omnibus in domum suam. At idem in persona Christi dicere possunt, et donare Presbyteri ministerialiter et instrumentarie, quod auctoritate per excellentiam Christus dixit, et donavit. Nihilominus, ut observat Doctor loco supra laudato, proferenda est formula præscripta ab Ecclesia, his verbis: *Ego te absolvo, etc.* nec eam citra peccatum licet immutare.

QUÆRES: *Utrum Sacerdotis manus impositio super penitentem necessaria sit in hoc Sacramento?*

RESPONDEO, eam non esse absolute necessariam, tum quia nec ex Scriptura, nec ex Traditione, neque ex ulla ratione colligitur ejusmodi necessitas. Non quidem ex Scriptura, nam quoties Christus Dominus hujus Sacramenti mentionem fecit, nullatenus meminit hujus manuum impositionis, ut apparet ex omnibus oraculis jam laudatis. Non etiam ex Traditione, siquidem neque SS. Patres, neque Concilia hujus necessitatis meminerunt, nisi dumtaxat quando publice penitentes cum Ecclesia erant reconciliandi, et ab ulteriori publica Pœnitentia solvendi, quo utique in casu fiebat quidem manus impositio. Verum ista absolutio non erat Sacramentalis, sed dumtaxat reconciliatoria, quod optime colligitur ex Concilio Arausicano primo, cap. 3. ubi legimus: *Qui recedunt de corpore, Pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatione, manus impositionem eis communicare: quod morientis sufficiat reconciliationi: si supervixerit, stet in ordine Pœnitentium, ut offensis necessariis Pœnitentiæ legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiat.* Similiter in Carthaginensi quarto, Can. 79. *Penitentes, qui in infirmitate viaticum acceperint, Eucharistiæ non se credant absolutos sine manus impositione si supervixerint.* Censent igitur ejusmodi Concilia, illam manuum impositionem non esse absolute necessariam ad hujus Sacramenti licitam et validam administrationem, quippe cum moribundi absque ea absolvi possint.

Denique, ratio Theologica in contrarium militat, siquidem manus impositio ideo fit in Sacramentis Ecclesiæ, ut designetur copiosus gratiæ effectus, quo indigere videntur, quibus imponuntur manus ad illa obeunda munia, ad quæ destinantur. Sic manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, ut nempe per eam homo accipiat plenitudinem Spiritus sancti, qua roboretur et vegetetur ad constanter et animose confitendam fidem, ad quod certe opus est gratiæ excellentia. unde Act. 8. legimus de Apostolis, quod fidelibus recenter baptizatis *imponebant manus, et accipiebant Spiritum sanctum.* Similiter in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis ad divina mysteria obeunda, fit etiam hujusmodi manus impositio, ut nempe per eam significetur conferri plenitudo gratiæ ad digne et debite hæc munia implenda. Unde S. Paulus Timotheum monebat, Epist. 2. cap. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Sed Sacramentum pœnitentiæ ordinatur tantum ad remissionem peccatorum; non autem ad obeunda aliqua munia, nec ad obtinendam specialem gratiæ excellentiam: igitur ad hoc Sacramentum non requiritur manus impositio. Adde quod manus impositio solum fiat in Sacramentis, per quæ suscipiens deputatur ad

solemnem aliquem actum exercendum, eo quod manus sit potissimum operationis organum, unde illa fit in duobus Sacramentis, puta Confirmatione, per quam fidelis constituitur quasi miles Christi ad ejus nomen et Religionem audacter tuendam et profitendam coram tyrannis et infidelibus; et in Ordine, per quem homo segregatur a communi fidelium cœtu, ut specialiter destinetur ad Dei cultum et Religionis ministerium: per susceptionem autem aliorum Sacramentorum, nempe Eucharistiæ, Pœnitentiæ etc. homo specialiter non destinatur ad aliquem actum fortiter ac prudenter exercendum; ac subinde in eis non videtur necessaria illa actus designatio per manus impositionem.

DICES 1: Sacramentum Pœnitentiæ appellatur a Patribus manus impositio. Sic S. Clemens, lib. 2. *Constitutionum Apostolicarum*, c. 41. ait: « Ut Ethnicum Baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc « per manus impositionem, utpote pœnitendo mundatum in antiqua « pascua restitue, eritque ei loco lavacri³ manuum impositio. » Et Concilium Carthaginense quartum, cap. 76. loquens de moribundo pœnitente, ait: « Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem ». Hinc Sanctus Leo, Epist. 92. scribit: « Qui tibi immolati usi sunt, possunt jejuis, et manus impositione purgari ». Igitur quemadmodum Baptismus dicitur ablutio, et Confirmatio Chrisma, quia ablutio est absolute necessaria ad Baptisma, et chrismatio ad Confirmationem, pari ratione manus impositio dicenda est necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. — **Nego consequentiam**; appellatur enim *impositio manus* tantum a cæremonia quæ fieri solet in hoc Sacramento, cum Sacerdos Absolutionem impertiendo pœnitenti benedicit; hæc autem cæremonia prorsus accidentalis est, non vero essentialis; quippe cum citra peccatum, saltem mortale, possit omitti. *Adde quod* plerumque SS. Patres et Concilia, dum meminerunt impositionis manus faciendæ, cum conceditur Absolutio, non loquantur de Absolutione Sacramentali, sed reconciliatoria.

DICES 2: Sacerdos in aliis Sacramentis præter verba, aliquem actum exteriorem exercet erga suscipientem: igitur etiam in hoc Sacramento debet exerceri: sed hic alius esse non potest, quam manus impositio: ergo, etc. — **Nego sequelam majoris**: et ratio disparitatis est, quod cætera Sacramenta, præter Eucharistiam, consistant in applicatione materiæ: unde in eis requiritur actus exterior: secus autem est de Pœnitentia et Eucharistia: sicut enim in Eucharistia Sacerdos sola verborum prolatione super materiam perficit Sacramentum, ita sola Sacerdotis absolventis verba super pœnitentem perficiunt absolutionis Sacramentum. *Adde quod* si quis actus exterior desideraretur in Pœnitentia ex parte Ministri, ille dici posset crucis obsignatio, per quam significaretur, quod pœnitens peccati remissionem accipiat per Sanguinem et meritum Passionis et crucis Christi.

Conclusio secunda. — ABSOLUTIO SACRAMENTALIS NECES-
SARIÓ DEBET ESSE VOCALIS, SEU VOCE EXPRIMI.

Colligitur primo ex Decreto Eugenii, ubi de Sacramento Pœnitentiæ legimus: « forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, *Ego te absolvo* ». Et Tridentino, Sess. 14. c. 6. ubi hæc habentur: *Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispen-*

satio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Eucangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis quo ab ipso velut a Judice sententia pronuntiatur, etc. Sed ista significant Absolutionem in Pœnitentia vocalem, seu verbalem esse debere: igitur, etc.

Confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nusquam a temporibus Apostolorum ad præsentem usque diem aliter hoc Sacramentum, sicut et alia, quam verbis humana voce prolatis administravit. Unde quamvis Christus Dominus non dixerit explicite pronuntiandas esse voces aliquas, quando pœnitentes absolvuntur a peccatis, sicut nec dum administrantur alia Sacramenta; nihilominus id implicite signasse censetur, dum *De Baptismo*, ait: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Et in *Eucharistia*, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde perpetua Patrum et Ecclesiæ praxis semper insinuavit has in Baptismo voces esse pronuntiandas: *Ego te baptizo*: et in *Eucharistia*: *Hoc est corpus meum*: nec usquam Baptismum aut Eucharistiam per nutus vel scripta fuisse confectam: idem igitur est iudicium de Pœnitentia, idque jure potiori, cum sacramenti Pœnitentiæ forma, non tantum debeat exprimere effectum ejus, puta remissionem peccatorum, sed præterea significare debet hunc effectum a Sacerdote fieri, seu ministrum hic et nunc eam operari peccatorum remissionem ex potestate sibi a Christo Domino collata.

DICES 1: Eo modo concedi potest Absolutio, quo fieri potest peccatorum accusatio per Confessionem: sed valida potest esse Confessio, etsi non fiat per locutionem vocalem, sed tantum scripto, nutu, vel aliquo signo exteriori: igitur pari ratione non est de essentia Absolutionis, quod voce humana proferatur. — **Nego majorem;** et ratio disparitatis est *primo*, quia in Sacramentis forma debet esse distinctior et expressior, quam materia. Unde cum Absolutio se habeat per modum formæ, Confessio vero per modum materiæ, conveniens fuit, ut Absolutio voce humana proferatur, quo ejus significatio distinctior appareret. *Secundo*, plures causæ occurrere possunt, quæ pœnitentem a Confessione vocali, potius quam Sacerdotem a vocali Absolutione moraliter præpediant. Constat enim omnes mutos et ignotæ linguæ homines verbis non posse sua peccata promere; Sacerdos vero cum possit verbis efferre quæ mente concipit, vix aliquæ causæ occurrunt, quæ ipsum a vocali formæ prolatione impedire valeant.

INSTABIS: Si verba vocalia necessario requirantur ad validam Absolutionem, maxime vel quia absolutio est, vel quia Sacramentalis est: at neutrum dici potest. Non quidem primum, quia non omnis Absolutio scriptis expressa est invalida: enimvero absolutio ab excommunicatione, et censura dari potest, osculo, nutu, vel scripto, saltem a summo Pontifice, ut constat ex Clementina *De sententia excommunicationis*, cap. finali. Non etiam quia Sacramentalis est, alioqui nullum Sacramentum celebrari posset aliter quam voce; quod non est verum, siquidem Matrimonium, quod est verum Sacramentum, valide conficitur per nutus, signa, et scripta consensum internum testificantia: igitur, etc. — **Nego minorem,** quoad utramque partem: et quantum ad primam dico rationem disparitatis esse inter absolutionem a peccatis et a censuris, quod sicut hæc non requirit certam formam ver-

borum, ita nec verba proprie dicta; quia non operatur ut instrumentum Christi ad producendum aliquem effectum supernaturalem, sed tantum ut instrumentum absolventis et reconciliantis hominem Ecclesiæ, cui Christus auctoritatem concessit infligendi censuras, et ab eis absolventi; unde penes eam est præscribere modum, quo contrahatur ac solvatur excommunicatio et aliæ ejusmodi censuræ; non sic autem censendum est de forma Sacramentorum, quam Ecclesia pro libito non potest immutare. *Ad secundum dico*, non idem esse iudicium de Matrimonio, ac de aliis Sacramentis; cum enim Matrimonium fiat per mutuum consensum partium, id omne quod potest hunc mutuum consensum exprimere, potest etiam sufficere ad valorem hujusmodi Sacramenti: secus autem est de sacramento Pœnitentiæ, sicut et de aliis, in quibus forma est determinata.

DICES 2: Ea sufficiunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ requiruntur essentialiter ad rationem Judicii fori externi: siquidem, ut diximus, Christus Dominus instituit hoc Sacramentum per analogiam ad iudicium fori externi: at non est essenziale iudicio fori externi, quod Judex proferat vocalem sententiam: ergo nec in Pœnitentiâ. — Nego majorem; Christus namque instituit Sacramentum Pœnitentiæ: quoad aliqua tantum essentialia, quæ videlicet communia sunt omni iudicio, puta quoad accusationem rei, cognitionem criminum, et sententiæ prolationem, non vero quoad ea, quæ videntur necessaria tantum pro voluntate principum, qualia sunt, quod iudicia scripto lata irrita sint aut legitima; quod prolata sententia in absentem valida sit aut invalida; siquidem voluit Christus Dominus ut suum in Pœnitentiâ iudicium esset vocale, et ferretur in rem præsentem; tum, ut clarius exprimeretur auctoritas judiciaria, tum, ut Judex certius cognosceret statum et affectum absolventi, vel condemnandi. Ideo sit

Conclusio tertia. — INVALIDA ESSET ABSOLUTIO LITTERIS CONSIGNATA, SEU AD ABSENTEM DIRECTA.

Probatur ex Concilio Trid., Can. 31. cap. 2. ubi dicit, *eos qui se crimine aliquo post Baptismum contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, sed ante hoc tribunal (Pœnitentiæ) tamquam reos sisti voluit Christus, ut per Sacerdotum sententiam quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari*: sed confugere ad tribunal, et ante illud sisti, nihil aliud est, quam Sacerdoti præsentem manifestare sua peccata, ut ab eo percipiatur Absolutio: igitur ex sententiâ Concilii Tridentini, Christi Domini voluntas fuit, ut confessio fieret præsentem Sacerdoti, et ut præsentem reo Absolutio concederetur.

Probatur similiter ex lib. *De vera et falsa Pœnit.* cap. 10. ubi exemplo leprosororum mundatorum, quos Christus Luc. 17. jussit, ut se sisterent Sacerdotibus, quatenus de lepra mundata judicarent, colligit necessarium esse, ut pœnitentes coram Confessario Sacerdote se sistant, ac in ejus præsentia peccata deponentes Absolutionem recipiant. Ait autem: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per scriptum manifestanda, dixit enim: Ora monstrate,*

et omnes, non unus pro omnibus, non alium statuat nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum, sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis, erubescencia enim ipsa partem habet remissionis: in hoc enim, quod per seipsum dicit Sacerdoti et erubescenciam vincit timore offensi, fit venia criminis. Sic Aug.

Idem docet Subtilis Doctor, in 4. dist. 17. ubi respondens ad octavam argumentum, ait: « Ad aliud videtur Confessio quandoque « facienda per scriptum, ut legitur de Thoma Cantuariensi, qui misit « ad Curiam pro Absolutione, sed hoc videtur esse contra rationem « Confessionis, quia omnis scriptura ex sui natura nata est esse pu- « blica; quamtumcumque enim aliquis conservet secrete apud se scri- « ptum, tamen ex quo mittit illud, vel propter nuntium, vel propter « illum, ad quem mittitur, potest publicari, et semper ex sui natura « est patulum cuicumque legenti, loquens quod ibi continetur. Qui- « libet ergo scribens aliquid, facit in hoc, quod est contra naturam « signi idonei in Confessione: et in ista scriptura tollitur verecundia, « quæ est pœna magna in Confessione; et hoc nisi confitens sit præ- « sens, quando per scriptum confitetur, et ideo quod dicitur 30. q. 5. « *qualis debeat*, quod quis potest confiteri per scripturam, Joannes « exponit, quando confitens est præsens; quia absens non potest li- « cite; igitur absens expectet præsenciam cum proposito confitendi « ea habita ». Quibus verbis aperte significat nullam esse Confessionem in scriptis factam; ac subinde nullam Absolutionem datam absenti. Quod probat, tum ex natura Confessionis, quæ non debet vergere in perniciem confitentis, et quæ annexam habere debet verecundiam. Idque confirmat ex glossa Joannis Andreae, super 4. q. 5. cap. 4. in fine, qui negat confiteri posse aliquem, aut absolvi a peccatis in absentia. Nec obstat quod in eodem capitulo non agatur de Pœnitentia, aut Confessione sacramentali; Doctor enim suum intentum colligit, non ex verbis capituli, sed ex expositione ipsius Joannis Andreae. — Porro, quod Confessio, ac subinde Absolutio absenti data sit invalida, constat ex Decreto Clementis octavi; qui, ut famosam controversiam de validitate Absolutionis et Confessionis factæ absenti in scriptis, quam propugnabant aliqui Theologi societatis Jesu, et de illius nullitate, quam asserebant alii Theologi, priorem damnavit sententiam hoc decreto. *Die 20. mensis Junii, anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1602. in generali Congregatione S. Romanæ, et universalis Inquisitionis, habita in palatio Apostolico in monte Quirinali, coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente, divina providentia Papa Octavo, proposita quæstione, utrum liceat per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente Absolutionem obtinere: Sanctissimus Dominus Noster auditis votis Patrum Theologorum, et re cum Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet, licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente Absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam condemnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio, publicis, privatisque lectionibus, concionibus, et congressibus doceatur; neve unquam*

tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputative tractaverit, nisi forsitan impugnando: vel ad praxim, seu directe vel indirecte deduxerit, præter excommunicationem lætæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, et a qua non possit, præter quam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, et S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi: aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.

REPONES, Pontificem non declarare illam Absolutionem esse invalidam, sed tantum illicitam; quia nimirum dixit, hanc propositionem a se damnari, quod asserat: *Licere per litteras absenti confiteri*. Verum contrarium apparet ex verbis ipsius Decreti, quibus prohibetur ne in praxim quovis modo deducatur: si enim absolutio aut confessio per Epistolam esset tantum illicita, sequeretur quod saltem in casu necessitatis esset valida, et consequenter licita: nam in urgente extrema necessitate omnia valida sunt licita. Unde consequens est, quod si revera esset tantum illicitum, non autem omnino invalidum confiteri absenti, vel absentem absolvere, nulla auctoritate humana, civili, aut Pontificia, in casu necessitatis id prohiberi posset, maxime in casu summæ necessitatis. Cum igitur summus Pontifex sub pœna excommunicationis sibi reservata prohibeat asserere, quod liceat, *per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem Absolutionem obtinere*: manifestum est, quod pariter censeat talem Confessionem et absolutionem esse invalidam. — Respondent aliqui cum Suarez ad 3. part. disp. 21. sect. 4. Summum Pontificem non damnasse utramque partem supra dictæ propositionis divisim, sed tantum conjunctim et collective, nempe quod non liceat equidem Absolutionem dare absenti, Confessionem vero interdum absenti fieri per litteras non sit vetitum. — Verum etsi hæc dumtaxat ita essent, semper haberemus propositum intentum. At interpretatio illa Suarez omnino repudiata fuit auctoritate Pauli V summi Pontificis, ut patet ex decreto facto in generali Inquisitione his verbis expresso: *Die 14 Julii anno 1605. proposita causa P. Francisci Suarez Jesuitæ: et consideratis his, quæ scripsit tomo 4. in 3. partem S. Thomæ sect. 4. disp. 21. interpretando decretum felicitis recordationis Clementis Pape octavi die 10. Junii anno 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicet, licere per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem Absolutionem obtinere, ac etiam mature discussis his quæ idem P. Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis: auditis votis illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, et ideo amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta alias facta a felicitis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in actis S. Officii. Præterea eodem anno die 20. Julii eadem Congregatio decrevit: Ex libris Patris Francisci Suarez Jesuitæ, disp. 23. sect. 1. n. 12. amoveantur infra scripta verba, videlicet: atque ex hac resolutione usque ibi, in absentia Confessoris. Idem P. Suarez corrigat suum librum, et antequam eulget, ostendat huic sacræ Congregationi. Et rursus die 18. Augusti hoc emanatum est Decretum: Sanctissimus decrevit ex tom. 4.*

Patris Suarez Jesuitæ in 3. part. S. Thomæ. disp. 21. de Confess., sect. 4. cui titulus est: utrum de necessitate Confessionis sit, ut pœnitens Sacerdoti præsenti immediate, et per seipsum revélet peccata sua, totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam.

DICES 1: Sacramentum Pœnitentiæ, ut supra diximus Concl. 2. institutum est per modum judicii; unde Absolutio Sacramentalis est quædam sententia data in foro conscientiæ: sed in judicio forensi Judex potest absolvere absentem: igitur et in Tribunali Pœnitentiæ Sacerdos poterit pœnitentem absentem a peccatis absolvere. — **Nego paritatem:** licet enim Sacramentum Pœnitentiæ habeat aliquam similitudinem cum judicio forensi, in multis tamen ab eo discrepat; primo namque in tribunali Pœnitentiæ idem est accusator, testis et reus, quia judicium est voluntarium, tam ex parte rei, quam ex parte Judicis. *Secundo*, ipse reus absolvitur, vel damnatur secundum ea, quæ contra, vel pro se profert, quia videlicet judicium istud institutum est in favorem rei, cui idcirco fides adhibenda est: maxime cum adversum se injustitiam suam et delictum suum confitetur. *Tertio*, quia Judex forensis non debet esse sollicitus de statu interno et affectu illius, quem absolvit; Sacerdos autem debet habere certitudinem moralem de statu et affectu præsenti illius, cui Absolutionis beneficium impendit; hoc autem nosse non potest, nisi ipse absolvendus manifestaverit; quod utique præstare non potest, dum absens est; cum enim homo assidue mutationi subjaceat, quantumvis scripto suam dispositionem fuerit obstatus, poterit illam revocasse, dum Sacerdos absenti Absolutionem largiretur. Inde fit, quod etsi in judicio forensi Judex possit absolvere absentem; id tamen præstare non potest Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ.

DICES 2: Doctor Subtilis supra laudatus retert, quod S. Thomas Cantuariensis absens Absolutionem petierit a Sede Apostolica. Et S. Cyprianus, lib. 3. Epist. 17. ait, quod lapsi per Epistolam Absolutionem petentes, eam obtinere possent: igitur Absolutio absenti data potest esse valida. — **Nego consequentiam:** et ad factum S. Thomæ, quod refert Baronius, tomæ 12. ad annum 1164. n. 6. respondeo, quod Absolutionem Sacramentalem a Sede Apostolica non postulavit, nec eam ipsi dederit Alexander III summus Pontifex, sed tantum canonicam; propterea quod fateretur se non omni, qua debebat constantia contra Regem Angliæ, et ejus proceres, Ecclesiæ jura propugnasse; unde se Sacerdotio indignum judicabat, ut colligitur ex scripto summi Pontificis, in quo sic habet: *Si te recolis aliquid commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus et providus habeatur, tibi consulimus per Pœnitentiam confiteri: quo facto misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit, quam ad actus, tibi consuète pietatis suæ miseratione dimittet; et Nos de Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, meritis confidentes, te ab eo, quod est commissum, absolvimus; et id ipsum fraternitati tuæ auctoritate Apostolica relaxamus.* Quibus apparet non sacramentalem, sed tantum canonicam Absolutionem ei tribuisse; quippe cum ipsum moneat, ut conveniat Sacerdotem discretum, cui confiteatur, ut ab eo sacramentalem Absolutionem recipiat. Ad sanctum Cyprianum, dico contrarium potius ex eo colligi, ait enim: *Sic qui infirmitatis periculo*

occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possit, ut manu eis in Pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace. Ubi significat præsentiam Sacerdotis requiri. Et insuper, ibi non agit de Absolutione sacramentali, sed tantum de canonica; alioqui non diceret, eam in absentia Sacerdotis impendi posse a Diacono. Pax ergo, de qua ibi agit Cyprianus, erat absolutio a pœnis satisfactoriis: hæc autem concedi poterat a Diaconis, cum etiam hodie usitata sit Archidiaconorum ab excommunicatione Absolutio, tametsi in solo Diaconatus Ordine constituti sint. Nec mirum, cum constet ex lib. 8. Constitutionum Apostolicarum Clementis, auctoritatem excommunicandi habuisse Diaconos, absente Presbytero, c. 34. ibi: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam. si quid tale contingat, absente scilicet Presbytero.* Habuerunt igitur, illo absente, etiam potestatem absolvendi ab excommunicatione, nam ejusdem est absolvere, cujus est excommunicare. Addit Pamelius in annotationibus ad illam Epistolam Cypriani: « Fortassis cum Episcopus absens, et Presbyteri multi carceribus inclusi essent, ex privilegio quodam Diaconis in necessitate permessa est Pœnitentium reconciliatio, sicut a S. Gregorio Presbyteris aliquando concessam legimus sacramenti Confirmationis administrationem, quæ solis alioqui Episcopi competit ». Ita Pamelius.

OBJECIES 2: Varias historias, ex quibus apparet, Absolutionem sacramentalem, fuisse per litteras absentibus datam; id namque primo colligitur ex historia Serapionis, quam describit S. Dionysius Alexandrinus Epistola ad Fabianum, referente Eusebio, lib. 6. *Historia*, c. 36. « Serapion vir annosæ virtutis tempore persecutionis, præ imbecillitate sacrificat idolis; postea sæpenumero in Ecclesiam recipi supplicat; sed quia idolis sacrificasset, ejus postulationi nemo auscultabat: in gravem morbum delabitur, triduo deinceps mutus, et absque sensu vivit: quarto die paululum relevatus, jubet per nepotem suum advocari Sacerdotem, qui forte morbo vexatus cum ad eum accedere non posset, dat particulam Eucharistiæ puero, quem miserat ægrotus, præcepitque ei, ut madefactam in vos Senis infunderet: infundit, illico Serapion extremum spiritum dedit ». De eo Dionysius subjicit: *Nunc igitur satis constat eum fuisse reservatum, et eo usque in vita mansisse, quoad usque penitus esset culpæ vinculis solutus, et ipsa labe, qua erat idolis immolando aspersus, omnino deleta, posset pro multis bonis, quæ gessisset in vita, in numerum Confessorum referri.* Ex iis sic argumentari licet: ille senex, antequam in morbum incidisset, Absolutionem sacramentalem ab idololatria non fuerat consecutus: ut enim habet Dionysius, illi non fuerat supplicatio concessa, qua in pœnitentium numerum recipi postulabat; nec potuit illi concedi Eucharistiæ participatio, nisi post acceptam Absolutionem, ne indigno concederetur. Deinde dicitur: ad hoc tempus reservatus, ut penitus esset culpæ vinculis solutus; hic autem effectus non est Eucharistiæ, sed Absolutionis proprius: igitur per Sacerdotem fuit absolutus, antequam Eucharistiæ participatio concederetur. Non per Sacerdotem præsentem; morbo enim detinebatur in lecto: ergo per

internuntium. — *Constat secundo*, ex historia Roberti Carnomanensium Episcopi, qui tempore Joannis VIII anno 872. in aegritudine positus scribit ad Episcopos circa muros Andegavenses residentes; sua illis peccata per Epistolam confitetur, per illos petit absolvi; annuentes Episcopi illi rescribunt. Extat Roberti Epistola tomo 3. Conciliorum Galliae, cujus haec sunt verba: *Pietatis vestrae misericordiam singultu interposito implorare non cesso, quatenus potestate vobis caelitus collata, vincula meorum peccatorum enodetis, et precum vestrarum studiis commissa mea expietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potius vestro interventu caelestia merear sublimari ad gaudia*. Respondent in hunc modum Episcopi in sua Epistola cui titulus est *Epistola absolutionis, quam ei remiserunt iidem venerabiles Consacerdotes de loco obsidionis*. In qua quidem Epist. inter caetera haec habentur: *Tibi peccata tua confitenti per Ecclesiasticam Apostolicae auctoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit Discipulis, et Apostolis, dicens: accipite Spiritum sanctum, etc. et per eosdem Apostolos suos ipsorum Successoribus, quorum vices, licet indigni, tenemus. Et infra: Gratia, et potentia sua, virtute Spiritus sancti, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua: liberet te ab omni malo, conservet te in omni opere bono, et perducat te ad vitam aeternam, et ad SS. Sacerdotum, consortium. Amen.* — *Constat tertio* ex Confessione Hildeboldi Sussionensis Episcopi facta Hincmaro Rhemensi, cujus meminit Sirmundus in notis ad praecedentem Epistolam, ubi asserit illius Absolutionis hunc in vetusto codice legi titulum: *Exhortatoria Hincmari Metropolitanus ad Hildeboldum Episcopum corporea infirmitate detentum, in qua juxta petitionem litterarum Confessionis illius sua auctoritate eum per absentiam corporalem reconciliando absolvit.* — *Constat quarto*, ex Rescripto Gregorii VII ad Episcopum Lincolnensem, quod extat lib. 1. Epistola 31. his verbis: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principum Apostolorum Petri et Pauli summi, quorum vices, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, et commissos excessus plangendo, quantum volueris.* — *Constat quinto*, ex altero ejusdem rescripto ad Episcopum Lodiensem, cujus haec sunt postrema verba: *Quia in extremo videris positus, fraterna compassione ducti, auctoritate beati Petri Apostolorum Principis absolvimus te a peccatis, etc.* extat lib. 2. Epistola 6. — **Respondeo**, his et similibus auctoritatibus et testimoniis non significari sacramentalem Absolutionem peccatorum absentibus fuisse legitime datam; sed vel solum poenitentiarum canonicarum remissionem, vel concessionem indulgentiarum, vel denique spirituales quamdam benedictionem per modum precum et orationum, quibus Praesules absolventes optabant, et Deum precabantur, ut vel gratiam Poenitentiae concederet iis, quos videbantur absolvere, vel eis poenam peccatis debitam ex misericordia relaxaret. Cujus utique responsionis ratio est aperta, quippe cum ejusmodi Absolutiones non praecedant distinctae accusationes peccatorum, sed dumtaxat generales et indistinctae: porro Confessio peccatorum generalis et indistincta, extra casum necessitatis, non sufficit ad obtinendam sacramentalem Absolutionem. — *Confirmatur* haec responsio ex eo quod similis Absolutio concessa fuerit iis,

qui nullam peccatorum accusationem etiam generalem et indistinctam videntur præmississe; nam Gregorius VII lib. 8. *Epistolarum*, scribens Epist. 2. ad Alphonsum Hispaniæ Regem, postquam ipsum variis laudibus extulit, illum, illiusque Proceres a peccatis absolvit in hæc verba: *Omnipotens Deus, omnium rerum Creator et Rector, omnium dignitatum, ineffabilis dispositor. qui dat salutem Regibus, meritis Altissimæ Dominæ Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum, auctoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli. Nobis licet indignis per eos qualicumque commissa, te tuosque fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis, etc.*

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM FORMA ABSOLUTIONIS VALIDE FIERI POSSIT VERBIS DEPRECATIVIS, ET SUB CONDITIONE.

NOTANDUM 1. Eam fuisse veterum quorundam Theologorum sententiam, quod Absolutionis forma esse deberet omnino deprecativa, ita ut foret invalida si verbis indicativis proferretur, ut colligitur ex sancti Thomæ Opusc. 22. ubi ejusmodi sententiam impugnat. Alensis vero, part. 4. qu. 21. memb. 1. et S. Bonaventura, in 4. dist. 18. part. 1. art. 2. qu. 11. videntur asserere formam absolutionis partim esse indicativam, et partim deprecativam: *Nam, inquit S. Bonaventura, Sacerdos se habet ut Dei meliorem ad hominem, et hominis ad Deum: unde per ipsum peccator ascendit ad Deum; et sic Sacerdos est os peccatoris, sive loquens pro peccatore: et per ipsum descendit Deus ad hominem, et sic Sacerdos est Angelus Dei, imo os, eo quod ipse separat pretiosum a vili. Secundum quod ascendit, habet se per modum inferioris et supplicantis: secundum quod descendit per modum superioris et judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, et ad hoc est idoneus: juxta vero secundum modum potest Ecclesiæ reconciliare; et ideo in hujus significationem in forma Absolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum: et subjungitur Absolutio per modum judicativum: et deprecatio gratiam impetrat, sed Absolutio præsupponit tantum; nunquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus a Deo. Si ergo quæretur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum est, quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis Absolutionem, sed per modum impertientis nequaquam.* Hæc Seraph. Doctor. — Sunt etiam qui contendunt formam Absolutionis verbis deprecativis conceptam fore validam. Ita Mayronius, in 4. dist. 14. qu. 1. et Aureolus, dist. 23. asserentes formas Sacramentorum posse esse deprecativas, vel indicativas, pro diversa Ecclesiæ consuetudine. Nec ab eis distat Dominicus Soto, in 4. dist. 3. qu. unica, ubi docet Absolutionem verbis deprecativis valide posse conferri, quamvis non licite; ac subinde valere hanc formam, *Absolvit te*, vel *Absolvat te Christus*: nam, inquit, etiam forma Extremæ-Uctionis est deprecativa, his verbis concepta: *Indulgeat tibi Dominus*, etc. Nec ab ea sententia distare videtur Gamachæus, qui cap. 5. *De Confirm.*, dicit Confirmationis substantiæ formam non mutare hæc formulæ, *Ego consigno te*, vel, *Confirmo te*, vel, *Signet te Deus, Confirma eum, Domine*.

NOTANDUM 2. Quod etsi auctores tum veteres, tum recentiores, qui pro forma deprecativa Absolutionis militant, maxime niti videantur auctoritati et praxi Orientalis Ecclesiæ, ut apparebit ex eorum fundamentis infra evertendis, nihilominus, ut optime notat Arcudius, lib. 4. cap. 3. nulla unquam fuit controversia de hac re inter Græcos et Latinos; « Ac proinde, *inquit*, non est verisimile antiquam « formam hujus Sacramenti ex odio alicujus, vel malitia Græcorum « mutatam fuisse aliquando; imo Græcos passim nequidem scire, quid « sibi velint hujusmodi termini *materia*, et *forma* in Tract. *De Sacra- « mentis*, si paucos doctores excipias »: ac subinde non est cur aliqui neoterici tantopere suæ sententiæ patrociniū accersant pro vindicanda forma deprecativa Absolutionis, ex Græcorum Euchologiis, sive Ritualibus, et praxi. Quamquam enim ejusmodi Euchologia et Ritualia præferant formam deprecativam, nihilominus, ut apparebit ex dicendis pag. 331. a consueta Ecclesiæ Latinæ praxi Græci non dissentiunt.

NOTANDUM 3. Quantum ad secundam partem Quæstionis, nempe *De Absolutione sub conditione*, eam conditionem distingui posse triplicem: nimirum de præterito, de præsentī, et de futuro. De præterito quidem, ut puta si quis diceret: *Absolvo te a peccatis confessis, si revera ea admiseris*; de præsentī vero: *Absolvo te, si rerum habeas dolorem de peccatis, et firmum propositum non peccandi de cætero*; de futuro autem: *Absolvo te si iterum non peccaveris*. Porro discrimen est inter hujusmodi condiciones, quod Sacramenta valide ministrentur sub conditione de præsentī vel de præterito; siquidem condiciones illæ intentionem conditionalem efficiunt absolutam, juxta illud *Instit. De Verb., oblig.* § 7. *Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt*, veluti si Titius Consul fuit, vel si Mævius vivit, dare spondes. *Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; sin autem ita se habent, statim valet: quæ enim per rerum naturam, sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint*. Ita Jus Civile, quo etiam utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat; nam, ut habetur *De novi operis denuntiatione*, quia vero sicut leges non delignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjvantur. Unde etiam in Jure Canonico, cap. 2. *De Bapt.*, discernitur, de quibus dubium est an baptizati fuerint, ut baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, *Ego te baptizo*. Unde superest tantum difficultas, utrum Absolutio data sub conditione de futuro sit invalida, donec illa conditio adjiciatur.

Conclusio prima. — ABSOLUTIO SACRAMENTALIS VERBIS DEPRECATIVIS EXPRESSA NON EST VALIDA.

Probatur primo ex Conciliis Flōrent. et Tridentin., in quibus discernitur (ut dictum est in superiori Quæstione) formam Absolutionis esse his verbis conceptam, *Ego te absolvo: Quibus, inquit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 3. quamvis de Ecclesiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria: at si valida foret Absolutio verbis deprecatoriis concepta,*

verba essentialia illius formæ non essent præfata, *Absolve te*, et preces adjungi solitæ non solum essent necessariæ administrationi hujus Sacramenti, sed etiam ad illius formæ essentialiam spectarent: igitur ex sententia Conciliorum forma Absolutionis non debet esse deprecatoria.

Probatur insuper ratione, quam Concilium Tridentinum ibidem cap. 6. insinuat, dum ait, quod Absolutio Sacerdotis est *ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a Judice sententia pronuntiatur*: sed sententia Judicis indicativo vel imperativo modo, non autem optativo seu deprecativo fertur, ut constat ex omnibus humanis judiciis civilibus et Ecclesiasticis; sententia enim est actus Superioris auctoritatem exercentis; deprecatio vero est actus inferioris potestatem non habentis; enimvero, qui supplicat, ostendit se non habere potestatem ejus efficiendi, quod postulat ab alio sibi fieri; si enim posset id assequi per se, non oraret ut ab alio sibi fieret: igitur Absolutio Sacerdotalis non debet fieri verbis deprecativis. *Deinde*, eo modo fieri debet Absolutio, qui magis quadrat institutioni ac promissioni Sacramenti Pœnitentiæ: sed modus indicativus magis ipsi convenit, quam deprecativus; enimvero Scriptura referens promissionem et institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, nullibi meminit orationis aut deprecationis; siquidem Christus non dixit, peccata pro quorum remissione oraveritis, dimittentur: sed, *Quorum remisieritis peccata*, etc. neque dixit: *quæcumque petieritis solvenda*, sed: *et quæcumque solveritis*, etc. Igitur, ut verificetur Sacramenti Pœnitentiæ institutio, Sacerdos non debet orare, sed remittere; alioquin non poneret id cui peccatorum remissio et ablatio promissa est. Patebit evidentius, ac confirmabitur efficacius nostræ assertionis veritas ex solutione eorum omnium, quæ obtrudere solent quidam Novatores.

OBJICIUNT ITAQUE PRIMO: Non aliter Sacerdotes novæ Legis benedicere debent fidelibus, et eos a Deo aversos ipsi reconciliare, quam Sacerdotes Aaronici benedicebant Israëlitis, eosque propter peccatum Deo infensos reconciliabant: sed id dumtaxat exequiebantur deprecative; sic enim Deus præscribit Moysi, num. 6. *Loquere Aaron, et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem: invocabuntque nomen meum super filios Israël, et ego benedicam eis*. Igitur Sacerdotes novæ Legis convenientius populo Christiano benedicent, et reos absolvent verbis deprecativis, puta *Absolvat te Deus*, quam indicativis: *Ego te absolvo*. — **Nego majorem**: neque enim Sacerdotibus Aaronicis Christus Dominus dederat potestatem absolvendi a peccatis, nec eis dixerat: *Quorum remisieritis peccata, remittuntur eis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, et in caelo*. Adde quod illa benedictio, qua Sacerdotes Levitici benedicebant Israëlitas, non erat Sacramentalis, sed impetratoria tantum, et cæremonialis, similis ei, quam Episcopi impertiri solent fidelibus, dum ajunt: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater*, etc. necnon et illi, qua Sacerdotes in fine sacrificii Missæ benedicunt populo, dicentes: *Benedictio Dei omnipotentis descendat super vos, et maneat vobiscum, in nomine Patris*, etc. Secus autem de benedictione Sacramentali, dum enim illius Scriptura

meminit, eam attribuit Sacerdoti; sic enim Sanct. Paulus 1. ad Corinth. 10. ait: *Calix, cui benedicimus*, etc. Idest, inquit glossa, *Cui nos Sacerdotes quotidie benedicimus*: porro Absolutio Sacerdotis in Pœnitentiæ tribunali Sacramentalis est.

URGEBIS: Ideirco colligitur Absolutio indicativa, quia, ut mox dictum est, Christus Dominus dixit Apostolis: *Quorum remisistis*, etc. quibus verbis eis potestatem concedit remittendi peccata: sed inde non sequitur, quod Apostolis licuerit peccata remittere verbis indicativis. **Probat**ur: non aliter Christus Dominus, Joan. 20. concedit potestatem remittendi peccata, quam Lucæ 9. et Matth. 10. dat eis potestatem infirmos sanandi, et ejiendo dæmones: at Apostoli infirmos sanando, et ejiendo dæmones; non utebantur verbis indicativis, sed solum deprecativis, sicut S. Petrus ait Aeneæ Paralytico: *Sanet te Dominus Jesus Christus*: igitur nec Sacerdotes uti debent his verbis indicativis, *Absolve te*, sed his deprecativis, *Absolvat te Christus Dominus*. — **Nego minorem**: et ad ejus probationem dico, primo certum esse, quod Apostoli infirmos curando, et mortuos suscitando, nedum verbis optativis et deprecativis usi fuerint, sed etiam indicativis et imperativis, ut apparet ex laudato capite Actorum: siquidem ibi non dicit, *sanet te Dominus*, sed *sanat*, unde statim addit: *Surge, et sterne tibi*. Similiter ibidem Tabitham resuscitando dixit: *Tabitha surge*. Similiter Actor. 3. idem Petrus claudo dixerat: *Quod habeo, hoc tibi do, in nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Adde quod* reponere possim, aliam esse, et aliter traditam Apostolis potestatem absolvendi a peccatis, ab ea quam habebant ad sanandum ægros; quippe hæc potestas non oriebatur ex virtute et caractere in iis residente, sicut potestas absolvendi, quæ fundatur in caractere Sacerdotali et ministeriali potestate, qua nempe Sacerdotes applicant Sacramentum, tamquam signum sacrum, et cujus positionem, necessario et infallibiliter confertur gratia sanctificans peccati expunctiva et remissiva.

OBJICIUNT 2. SS. Patres, qui quoties meminerunt formæ Absolutionis, toties eam orationem et preces Sacerdotis appellant, docentque Sacerdotes non aliter, quam per orationem peccata dimittere. Sic S. Dionysius, lib. *De Hierarch. Eccles.*, c. 7. Absolutionem Sacerdotis, deprecationem appellat, et c. 6. agens de Ordinatione Episcopi, ait: *Sanctissimis invocationibus, seu precationibus perficitur*. Sic pariter S. Pacianus parenæsi ad Pœnitentiam: *Qui fratribus suis peccata non tacet, Ecclesie lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur*. Christi preces appellat preces Ecclesie. Ut enim ait ibid., *In uno, et altero Ecclesia est, et in Ecclesia Christus*. Ex S. Ambrosio, lib. 3. *De Spiritu Sancto*, c. 19. *Videamus utrum peccata donet Spiritus. Sed hic dubitari non potest, cum ipse Dominus dixerit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remissa sunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent; neque enim in suo, sed in Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. Isti regant, Divinitas donat; humanum enim obsequium, sed magnificentia superne est potestatis*. Et August. 3. c. 16. *Quid est impositio manuum, nisi oratio super hominem?* Et ex lib. *Quinquaginta homiliarum*, Homil. 49. *Si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, ut pro vobis Ecclesia oret, agite*

Pœnitentiam: nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago: ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, etc. Ex S. Hieron. ad illud Psal. 28. Vox Domini intercedentis flammam, ait: Quotidie in unoquoque nostrum flammam libidinis per Confessionem, et gratiam Spir. S. intercidit: idest per orationes Sacerdotum facit cessare. Et S. Chrysost., lib. De Sacerdotio, ubi dixit Sacerdotes conferre ad animarum salutem, subdit: Nec vero hoc docendo, aut monendo faciunt; sed etiam orationibus adjurando; nec solum quando nos regenerant, sed etiam deinceps potestatem habent indulgendi peccata. Et S. Leo, Epist. 91. Ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri... si quis eorum, pro quibus Domino supplicavimus, a munere indulgentiæ presentis occiderit... necessarium est, ut peccatorum reatus Sacerdotali supplicatione solvatur. Sed orandi, rogandi, supplicandi verba significant Pœnitentiæ formam esse deprecativam. — Respondeo, SS. Patres idcirco appellasse formam Absolutionis orationem, primo, inquit Arcudius. propter consequentes et concomitantes preces, quæ cum ipsa forma antecedenter et consequenter proferuntur; eo fere modo, quo quidquid dicitur in Officio divino, appellatur oratio, quamquam in illo legantur historiæ et vitæ Sanctorum, quæ non sunt orationes formaliter, sed potius narrationes. Secundo, Absolutio dicitur oratio, quia implicite et virtualiter continet orationem, qua ex Christi institutione Sacerdos ipsius Christi Domini nomine petit efficaciter remissionem peccatorum; Sacerdos enim Sacramentum conferens optat exaudiri a Deo; et statim adest divina Majestas verbis sui ministri operans remissionem peccatorum. Et hac ratione etiam Sacramentorum omnium formæ passim a SS. Patribus vocantur preces et orationes. Unde sanctus Augustinus, lib. 3. De Baptismate, c. 18. Deus exaudit homicidam super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur deprecantem. Tertio, quia inferioris ad superiorem sermo est quædam orationis species; fieri enim debet cum humilitate, reverentia, et animi demissione, quæ precum et orationum sunt appendices. His adde, quod SS. Patres sæpius loquantur de Absolutione cæremoniali solita concedi publice pœnitentibus post exactos Pœnitentiæ labores; illa siquidem concedebatur a Sacerdotibus iis qui pœnitentialibus operibus defungebantur intuitu supplicationum et precum totius Ecclesiæ, præcipue vero Sacerdotum, necnon et Martyrum, ac eorum, qui Christi fidem et nomen coram infidelibus constanter professi fuerant, propter ejusmodi Confessionem varia tormenta perpassi; de quibus utique precibus ait sanctus Ambrosius, lib. 2. De Pœnit., cap. 10. Fleat pro te mater Ecclesia. et culpam tuam lacrymis lavet; videat te Christus mœrentem: amat, ut pro uno multi rogent: motus viduæ lacrymis, quia plurimi pro ea flebant filium ejus resuscitavit. Similiter sanctus Pacianus, Christi preces, inquit, sunt suffragia fidelium. Hinc Tertullianus, lib. De Pœnit., cap. 10. Cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras, cum illi super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur.

OBJICIUNT 3. Si Sacerdotes tempore S. Augustini usi fuissent hac forma: *Ego te absolvo*, ipse non arguisset ejusmodi loquendi formulam in hæreticis: *Ego tibi peccata remitto*, cum a peccatis absolvere sit ea

remittere: sed ipse lib. 50. *Homiliarum*, Homil. 23. cap. 8. expendens Magdalenæ conversionem, et hæc verba: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* ubi dixit, Christum peccata dimittere non quatenus hominẽ, sed quatenus Deum, statim arguit eos, qui dicebant: *Dimitto tibi peccata; Medicus bonus*, inquit, *ægroto non solum præsentibus sanabat, sed et futuros etiam prævidebat, futuri enim erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo.* Et circa finem capituli: *Audet sibi hoc homo usurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico.* Quæ sane non protulisset, si illa forma indicativa, *Ego te absolvo*, tunc temporis in Ecclesia fuisset in praxi. — **Respondeo**, sanctum Augustinum non arguere eos, qui nomine et auctoritate Christi, tamquam ejus Vicarii, dicunt: *Ego peccata dimitto*: nam cap. seq. faetur Apostolos a Christo accepisse potestatem remittendi peccata; sed quod eam sanctificandi vim, ac peccata dimittendi suæ propriæ sanctitati, suisquẽ meritis adscriberent, arbitrati se sanctissimos esse, quod improborum consortio non inficerentur, et alios ex sua societate justificare possent. Unde eis attribuit illud Isaïæ 32. *Recede a me, quoniam mundus sum.* Hinc, ut subdit S. Augustinus, *In collatione nostra cum eis a Cognitoire confessus esset oblatas, ut sederent nobiscum, respondebant: Scriptum est, nos cum talibus non sedere.* Psalm. 25. *Non sedi cum concilio vanitatis, ne scilicet per contactum subsellium ad illos veluti nostra contagio perveniret.* Unde sic eos urget sanctus Augustinus: *Quare nobiscum ingressi in Ecclesiam, cum scriptum sit consequenter, et cum iniqua agentibus non introibo?.... ideo melior Judæis, quam hæretici apparuit intellectus. Judæi quippe dixerunt: Quis est hic qui peccata dimittit? audet sibi homo hoc usurpare? quid contra hæreticus? ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico, etc.* Cum igitur illi hæretici, videlicet Montanistæ, et ex eis originem ducentes Donatistæ, (qui se *catharos*, hoc est, mundos, alios vero imundos existimabant, et idcirco sibi arrogabant facultatem alios sanctificandi ex sua societate, et propriis meritis) in fundamentum sui erroris proferrent illud Matth. 18. *Quæcumque solveritis*, etc. non negat sanctus Augustinus Christum dedisse hanc potestatem Apostolis; sed ait, Deum esse principem causam, homines vero tantum ministros. *Nescitis*, inquit cap. 9. *quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit? daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, et ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid est homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse Medicus? mecum quære Medicum: nam, ut hoc evidenter ostenderet Dominus, a Spiritu sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco (nempe Joan. 20.) sic ait resurgens a mortuis: Accipite Spiritum sanctum; et continuo subjecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus Domini dimittit, non vos, Deus autem Spiritus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum? Quid estis vos, nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Unde concludit: Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus; in Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt: sed qui dimittit per hominem, potest dimittere et præter hominẽ: neque enim*

minus est idoneus per se dare, qui potest per alium dare. Non igitur negat sanctus Augustinus verba formæ Absolutionis, sed superbiam eorum, qui suis meritis remissionem peccatorum tribuebant, improbat.

OBJICIUNT 4. S. Cyprianum, lib. *De Lapsis*, ubi ait: *Nemo se fallat, nemo se decipiat: solus Dominus misereri potest: veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris: homo Deo esse non potest major: nec remittere, aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est: igitur censet S. Cyprianus Sacerdotem absolvere non posse actu juridico a peccatis, sed id soli Deo esse tribuendum. — Nego consequentiam: non enim ea mens est S. Cypriani; sed ibi arguit eos, qui nondum bene dispositis per debitam satisfactionem, et salutaris Pœnitentiæ labores, beneficium Absolutionis Christi negatoribus et lapsis a fide impendebant. Unde antea dixerat: *Oportet Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, et secandum, et putaminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, et clamet licet, et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias agat postmodum, cum senserit sanitatem.* Unde statim subdit causam, cur hæc fuerit peroratus: *Emersit enim, Fratres dilectissimi, novum genus cladis, et quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum, sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura: non quærent sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam, Pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi, extremeque delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixæ, dissimulato dolore contegitur, a diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidus et infectis nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, et contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt.* His igitur verbis significat sanctus Cyprianus, se dumtaxat insectari eos Sacerdotes, non qui ambirent concedere veniam et remissionem, cujus conferendæ non haberent facultatem, sed quod crudeli misericordia et nimia facilitate ac indulgentia eam lapsis nondum debite dispositis largirentur. Adde quod S. Cyprianus ibi non loquatur de Absolutione a peccatis, sed tantum ab excommunicatione, et aliis Ecclesiæ censuris, quibus in idololatriam lapsi innodabantur, donec peracta sufficiente pro delicto Pœnitentia, ab eis solverentur. Unde subdit: *Ante expiata delicta, ante Exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu Sacerdotis; ante offensam placatam indignantis Domini, et minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus vendicant. Non est pax illa, sed bellum, nec Ecclesiæ jungitur, quæ ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui flere jugiter et rogare Dominum suum debent, intercepta Pœnitentiæ lamentatione com-**

municare se simulant?... Non concedit pacem facilitas illa, sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem.

OBJICIUNT 5. Non est verisimile Ecclesiam Orientalem, maxime apud Græcos, nusquam habuisse legitimam ac validam formam Absolutionis: sed illi solum absolvent verbis deprecatoriis: igitur hæc forma non est illicita, nec invalida. — Nego minorem: cujus contrarium apparet ex Græcorum Euchologio; nam in eo præmittuntur quidem hæc verba precatória: *Dominus noster Jesus Christus, et Deus, qui mandatum ligandi et solvendi peccata Discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua.* Sed orationem hæc consequuntur verba: *Ego vero indignus ejus servus absolvo te a peccatis tuis.* Item: *Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit, et universi orbis peccatum tollit, delicta tua delet: Ego vero condono tibi omnia peccata tua.* Et Arcudius ipse ritum Ecclesiæ Græcæ peritissimus, utpote natione Græcus, et eruditione singulari rerum Ecclesiasticarum instructissimus, agens lib. 4. *De Forma Pœnitentiæ*, diserte ostendit, quod etsi imperitiores Græci interdum utantur forma deprecatoria, tamen peritiores non nisi imperative vel indicative absolvent; nam inter varias Absolutionis formulas, quas ibi refert, nulla est, quæ præter preces adjunctas, non præferat auctoritatem sententiæ judicialis: solent enim Sacerdotes dicere pœnitenti: *Habeo te venia donatum:* aut *habeo te absolutum*, vel quid simile, quod utique, *inquit*, phrasi Græca æquivalet istis: *Veniam do, ignosco, condono, indulgeo*, seu, *remitto tibi peccata*: Præsules autem honoris, dignitatis, aut humilitatis gratia dicunt: *Mea mediocritas, seu mea humilitas te absolutum habet.* Id ut ostendat Arcudius, refert diploma Pacomii Patriarchæ Constantinopolitani latum adversus Arsenium quemdam virum Catholicum et Latinis conjunctum; in quo continetur excommunicatio Arsenii his verbis: *Nostra mediocritas habet te excommunicatum, seu separatum ab individua Trinitate in hoc, et futuro sæculo:* tum etiam ejusmodi Arsenii Monembasiæ Episcopi depositio his verbis: *Te habeo depositum, seu, Mea mediocritas habet te depositum, et exutum omni Sacerdotio*, idest, deponit et exuit.

Quia vero quosdam Catholicis Latinis adversantes excommunicaverat Arsenius, eos absolvens ab excommunicatione Pacomius: *Cunctos vero orthodoxos habemus absolutos et benedictos*, idest, absolvimus et benedicimus. Idem etiam Latine dicitur alicui seipsum excusanti, *Habeo te excusatum*, idest, te excuso.

Refertur etiam ab Arcudio quædam Absolutio Michaelis Antiocheni Patriarchæ super continentem ita concepta: *Gratia, dono, potestate Sancti spiritus quæ a Christo data Apostolis ligandi et solvendi peccata hominum, cum ait: Accipite, etc. Quæcumque alligaveritis, etc. et ad nos continua successione transiit, mediocritas nostra habet venia donatum spiritualem filium suum Theodosium, in quibuscumque ipse ut homo deliquit, et in Deum verbo, opere, cogitatione, omnibusque suis sensibus peccavit, etsi excommunicatione vel imprecatione Pontificis, seu Sacerdotis, aut Patris, aut Matris sue, obnoxius fuit, vel sibi ipsi malum imprecatus, seu jusjurandum violavit: vel etiam aliis quibusdam erratis confixus est: et hæc quidem spiritualibus Patribus confessus est, ab eisque impositam sibi Pœnitentiam diligenter perfecit, a reatu, nexu,*

et ligamine horum omnium omnipotenti potestate, gratiaque sancti, et adorandi Spiritus, eum solvimus, et habemus liberum, et veniam donatum.

Hanc absolvendi formam Leopoli, quæ Russiæ Metropolis est, Petro cuidam Archidiacono concessam a Joachimo Patriarcha Antiocheno, qui regiones illas peragraverat, se vidisse testatur Arcudius; unde colligitur ab Antiochenis Antistitibus usurpatam antea fuisse formam Absolutionis indicativam et absolutam, qua dicitur, *Solvimus*, etc. Idem ait ab Hypatio Metropolita Chioviensi librum ostensum sibi fuisse Rutorum idiomate manuscriptum, in quo ad calcem absolutoriæ deprecationis hæc habetur forma: *Ego Pater tuus spiritualis, potestate mihi a Deo et a Superioribus meis concessa, absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Gabriel Philadelphensis in libello de Sacramentis hanc refert Pœnitentiæ formam: *Gratia sanctissimi Spiritus per meam humilitatem habet te veniam donatum, et absolutum.* Igitur Græci ab Ecclesiæ Latinæ praxi in hujus Sacramenti forma secundum formam indicativam non dissentiunt.

URGEBIS: Participia illa præteriti temporis, *absolutum, condonatum*, et eis similia non ostendunt aliquid, quod actu fiat in præsentem tempore, sed quod antea factum fuerit: igitur Græcorum forma, quæ per ejusmodi participia declaratur, non est indicativa, nec idem significat, ac absolvo seu condono. — **Negat antecedens** Arcudius: nam, inquit, apud Græcos Ecclesiasticos Auctores participia ista usurpantur ad significandam rem præsentem; nam in Conc. Ephesino, p. 2. actione 1. refertur sententia depositionis Nestorii, qua actu destituitur his verbis concepta: *Blasphematus ab eo Dominus noster Jesus Christus decrevit per præsentem Synodum sacrosanctam eundem Nestorium ab Episcopali dignitate, omnique catu sacerdotali alienum esse.* Et in Chalcedonensi, act. 1. S. Flavianus Patriarcha Constantinopolit. una cum Synodo, Eutychem hæresiarcham sic deponit: *Decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, alienum eum esse ab omni officio Sacerdotali, et a nostra communione, atque a munere præsidendi Monasterio.* Igitur participia illa, *condonatum et absolutum*, idem significant, ac absolvo, seu condono.

INSTABIS: Forma indicativa, *habeo te absolutum*, vel *ego tibi condono*, non est in Euchologio Græcorum, ut ipsemet Arcudius fatetur; sed ejus loco habetur hæc deprecativa, *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc a peccatis suis*: igitur Græci non utuntur forma indicativa, sed deprecativa. — **Nego consequentiam**: nam ut observat idem Arcudius, major pars equidem Græcorum ea forma utitur propter ignorantiam, quia videlicet illi nesciunt omnem Absolutionis vim eis paucis verbis includi: *Habeo te condonatum*: unde doctiores apud eos utuntur hæc forma indicativa, quæ etiam habetur in Euchologio, quod Leo Allatius inter recentiores Græcos eruditissimus supeditavit: in eo namque Germanus Amatuthensis Episcopus ita loquitur: *Humilitas nostra per gratiam et potestatem sanctissimi Spiritus, datam a Servatore nostro Jesu Christo Discipulis ejus, ad peccata hominum liganda et solvenda, cum dixit eis: accipite Spiritum sanctum, etc. ex ipsis autem ea divina gratia continua successione pertransivit ad nos, condonatum habet filiam suam in omnibus, in quibus ut homo peccavit, verbo, opere, mente, et omnibus suis sensibus.*

INSTABILIS ITERUM: Non solum imperiti, sed etiam doctiores Græci, tam veteres quam moderni, utuntur forma deprecativa: igitur nulla responsio. *Probat*ur *antecedens*: primo quidem ex Dialogo Simeonis Thessalonicensis, ubi pœnitens dicitur, non confiteri Sacerdoti, sed Deo; ac subinde censet Sacerdotem solum Deum deprecari, ut absolvat. *Insuper* in lib. *Pœnitentiali*, manuscripto Bibliothecæ Barberinæ, quem ab annis fere centum quidam Græcus Diaconus nomine Basiliscus exscripsit e vetusto codice, Sacerdos ita pœnitentes absolvendo alloquitur: *Deus parcat tibi per me peccatorem, et in hoc sæculo, et in futuro*. Tertio Nicolaus Cabasilas Thessalonicensium Episcopus, lib. *Expositionis divinæ lithurgiæ*, cap. 29. ait: *Peccatorum remissio pœnitentibus datur per orationes Sacerdotum*. Idem habet Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha 1. responsione ad Lutheranos, ubi ait: *Precationes Sacerdotum ad Deum convertunt, et veniam impetrant*: igitur, etc. — **Nego antecedens**: et *ad primam* ejus probationem dico, merito Simeonem dixisse peccatorem non confiteri Sacerdoti, sed Deo; quia Sacerdos sedens pro Tribunali vices Dei agit: unde sicut Confessionem excipit nomine Dei, sic absolvit. *Ad secundam* dico, potius contrarium ex illa evinci: nam *Deus tibi per me parcat*, idem est, ac *ego tibi nomine Dei parco*. Ad Cabasilam dico, eum varios in errores impingere, quos refellit Bessarion, maxime in eo quod dicat Eucharistiam oratione Sacerdotum effici, quasi orationes fieri solitæ in Canone Missæ efficiant præsentiam corporis Christi, non autem hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, etc. *Ad Jeremiam* dico, eum dumtaxat velle, quod Sacerdotum orationes sint necessariae tum Sacerdotibus, tum aliis fidelibus ad Domini mensam accedentibus: non negat autem Absolutionem fieri per auctoritatem Sacerdotis; scribit enim ipsemet, cap. 12. *Remissionem peccatorum injuncta multa damus*, etc.

OBJICIUNT 6. Absolvendi seu pœnitentes Deo reconciliandi forma talis esse debet in Sacramento Pœnitentiæ, qualis habetur in Ecclesiæ Latine antiquioribus Pœnitentialibus, Sacramentariis, et Ritualibus: at in eis ante annum Christi 1200. ejusmodi Absolutionis formula præscripta non est indicativa, sed dumtaxat deprecativa: igitur talis etiam nunc est habenda. *Major constat*: cum enim isti libri sint practici, singulos explicant Ritus, et singulas actiones ac cæremonias in administratione Sacramentorum observari solitas: Sacramentorum autem formæ præcipuum inter ejusmodi ritus locum obtinere debent, ut scilicet Sacerdotes propter incuriam, aut ignorantiam deficiant in sacramentis conferendis, inanem et invalidam formam proferendo. *Minor vero probatur*: primo quidem ex Ordine Romano, quem antiquissimum esse nemo diffiteri potest, utpote qui citetur ab Amalario, et Alcuino Caroli Magni Præceptore; in eo autem refertur forma Absolutionis concedi solitæ pœnitentibus feria 4. in Cœna Domini: Archidiaconus enim pœnitentem e privato loco, ubi Pœnitentiam egit, in atrium Ecclesiæ deducens, ac præ foribus ejusdem Ecclesiæ eum sistens Antistiti, sic Pontificem alloquitur: *Redintegra in eo, Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ Reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo*. Quibus verbis, Archidiaconus postulans Absolutionem pœnitentis, non rogat Judicis sententiam, sed deprecationem Pontificis.

Signum igitur est quod tunc temporis Absolutionis formula tantum erat deprecatoria. *Quod utique confirmatur ex his quæ sequuntur: nam præmissis plurimis orationibus et precibus, quas Episcopus super pœnitentem recitat, tandem hac oratione Absolutionem concludit: Adesto Domine supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti hujus operis Ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare.* Plures alias idem Ordo preces isti similes addit, ad unius pœnitentis, aut plurium Absolutionem, et reconciliationem. Eamdem pene Absolutionis formulam referunt liber Sacramentorum S. Gregorii, Alcuinus, lib. *De divinis officiis*, cap. *De Crana Domini*, et Burcardus, lib. 19. *Decretorum*. Idem quoque habent plurimi Pontificales Rituales, Sacramentarii, ac Pœnitentiales libri manuscripti plurium Ecclesiarum Cathedralium, in quibus non alia habetur forma Absolutionis super pœnitentem publicum aut privatum, quam deprecativa, seu preces et orationes, quibus Sacerdotes Deum exorant, ut pœnitenti commissa peccata indulgeat. — **Respondeo 1.** Negari posse *majorem*; siquidem præcipuus Sacramentorum librorum scopus est, Missarum orationes et præfationes, et similia (quæ variantur in celebratione tremendorum mysteriorum) describere, ut videlicet Sacerdotes per totum anni curriculum habeant modum rite ac debite singulis diebus celebrandi, non autem eorum intentum est, referre formas Sacramentorum, nisi obiter. Quantum autem ad Ritualia et Pœnitentia spectat, dico in eis non accurate fuisse expressas Sacramentorum formas, ne forte ejusmodi libri incidentes in manus infidelium, Sacramenta exponerentur ludibrio: hinc Innocentius I, Epist. 1. cap. 3. aperiens ritum et modum tradendæ Confirmationis, designat quidem materiam, non vero formam; scribit enim: *frontem oleo signare solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paraclitum: verba autem dicere non possum, ne magis videar prodere, quam ad consultationem respondere.* Quapropter consuetum erat Episcopis, et Sacerdotibus ejusmodi Sacramentorum formas viva voce, vel scriptis particularibus et occultioribus tradere; ac subinde ex ejusmodi libris nil quidquam contra nostram assertionem potest colligi. *Respondeo secundo*, negando *minorem*: nam apparet ex verbis præfatæ orationis depromptæ ex Ordine Romano, Episcopum per eam non ministrare sacramentum Pœnitentiæ, sed tantum petere a Deo fiduciam, divinum sibi commissum ministerium debite exequendi; ea scilicet, qua pollet, auctoritate in pœnitentes: unde in eodem Ordine, post varias recitatas orationes habentur hæ Absolutionis formulæ: *prima* quidem pro plurimis absolvendis: *Nos etiam secundum auctoritatem nobis indignis a Deo concessam absolvimus vos ab omni vinculo delictorum restorum, ut mereamini habere vitam æternam per eum, qui vivit*, etc. Singularis autem Absolutionis formula hæc est: *Frater N. Dominus Jesus, qui dixit Apostolis: Quæcumque ligaveritis, etc. Ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, et operatione negligenter egisti.* Porro his verbis Sacerdos idem significat ac si diceret: *Absolvo te ut Minister Christi*, etc. — Quantum ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii, et quædam Ritualia et Pœnitentia, dico, non mirum, quod in eis

dumtaxat scribantur orationes supra pœnitentem dicendæ: quoniam Sacerdôtibus, ut mox dictum est, satis nota erat forma indicativa, utpote cum eam memoria traditam haberent, ne scilicet exteris proderetur. Sunt tamen plurimi Pontificales et Pœnitentiales libri manuscripti, in quibus habetur Absolutio indicativa precibus adjuncta. Nam in Gregoriano Sacramentario, quod manuscriptum habetur in Bibliotheca Victoriana Parisiensi, hæc legitur formula: *Absolvimus te vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus potestatem ligandi, et solvendi dedit, ut quantum ad te pertinet accusatio, et ad nos remissio, sit Dominus Omnipotens, tibi vitæ salus, et omnibus tuis peccatis indultor.* Similiter in antiquo manuscripto sancti Rhemigii Ecclesiæ Rhenensis, cujus meminit Menardus, inter varias benedictiones Episcopales, hæc ait contineri: *Auctoritate B. Petri, cui traditæ sunt claves regni cælorum, et potestas ligandi, et solvendi animas, cui licet merito longe simus dissimiles, quoniam potestate a Deo concessa existimus consimiles, Ego divinitus vos absolvo a vinculis peccatorum vestrorum.* Et ad finem antiquissimi Ecclesiæ Turonen. Sacramentarii caractere antiquo 600. annorum habetur hæc Absolutio indicativa: *Absolvimus vos, fratres, ab omnibus criminibus vestris.* In Ecclesiæ Rothomagensis Bibliotheca Pontificale quoddam est antiquius annis 450. ubi hæc habetur Absolutionis formula: *Ipsè Deus vos absolvat, et quantum nostræ fragilitatis permittitur, sitis. absoluti ante Tribunal Domini Nostri Jesu Christi.* Ex quibus apparet formam indicativam non esse recenter in Ecclesiam invecam; siquidem ejus formulæ correspondent ei quæ nunc est in praxi.

URGEBIS: Auctor ille Anonymus, quem opusc. 22. impugnat S. Thomas, ajebat, formam indicativam incepisse tunc temporis a 30. annis; quod utique non negavit S. Thomas, nec ostendit formam indicativam longe esse antiquiorem. *Insuper* Magister Sententiarum, qui veterum Patrum et Theologorum sententias collegit circa doctrinam de Sacramentis, non meminit formæ Absolutionis indicativæ, nec recenset aliquem, qui ea fuerit usus. *Guillelmus Parisiensis, ait: Confessarius non dicit more Judicum forensium: Absolvimus te: sed magis orationem facit super eum, ut Deus Absolutionem, remissionem et gratiam sanctificationis tribuat:* igitur tunc temporis forma Absolutionis indicativa non erat in usu. — **Nego consequentiam:** et ad primum nego antecedens, nam S. Thomas eum hominem temeritatis arguens, ait: *Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Sed certum est, addit S. Doctor, *quod jam sunt anni 1200. et amplius, quod dictum est Petro: Quodcumque solveris.* Merito vero eum arguit, cum ex antiquissimis codicibus allatis apertum sit dudum ante illud tempus Absolutionis indicativas formulas in usu fuisse, nec eam absolvendi formam deprecatoriam retro actis temporibus ante an. 30. fuisse communem apud omnes. *Ad secundum* respondet S. Thomas, cap. 2. Nec Magister formam posuit, nec legitur de alia forma, quod aliquis Sanctorum sit usus; nec etiam legitur, quod aliquis istam formam negaverit: legitur autem, quod Institutor Sacramenti dixit: *Quodcumque solveritis,* etc. quod est majus omni auctore. *Ad tertium,* cum Anonymus ille objiceret famosos et antiquos Magistrum Guillelmum Parisiensem Episcopum, Guillelmum Altisiodorensem, et Hu-

gonem Cardinalem sensisse pro forma deprecativa; *respondet* opusculo prædicto: *primo* non constare, quod ita senserint: *secundo*, si ita senserint eorum opinionem præjudicare non posse communi sententiæ Magistrorum Parisiis Regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis, *Ego te absolvo*, Absolutionem non esse per solam orationem deprecativam. Et ait merito non constare, quod ita senserint: Guillelmus enim Parisiensis vult tantum Sacerdotem non absolvere propria virtute, sed divina; nam ibi quærit quando certis in casibus pœnitens uni tantum Sacerdoti non potest confiteri, cogiturque Confessionem apud duos Sacerdotes edere, seu partiri, quis ex illis gratia sanctificationis infundat: et ait, utrumque concurrere ad gratiam illam infundendam; quia Confessarius non absolvit morè fornicosorum Judicum, sed magis orationem facit super pœnitentem, ut Deus Absolutionem et gratiam sanctificationis tribuat. Ac si diceret, eam gratiam a Deo produci, quem ideo sua Sacerdos oratione rogat. Attamen officium sanctificationis per Absolutionem et Benedictionem Sacerdoti tribuit: quo quidem officio vincula peccatorum disrumpuntur, in cordibus pœnitentium maculæ asperguntur, gratiæ infunduntur, sed per divini nominis invocationem, ut ait, cap. 21. Quod autem non negaverit, Sacerdotes habere facultatem remittendi peccata, ex delegata sibi judiciaria auctoritate, ipsemet docet, cap. 4. ubi ait: « Idcirco
« datas esse Sacerdotibus claves Ecclesiæ, ut essent, *inquit*, qui aperi-
« rent pulsantibus, et introducerent intrare volentes, et tanquam offi-
« ciales misericordiæ ipsius, fugientes ad ipsam tota aggratulatione
« et applausu recipere reos, absolverent peccata, remitterent omnibus
« bonis gratiæ, et gloriæ, spoliatos a latronibus infernalibus restituere,
« rent, vulneratos spiritualiter, et morbosos celesti medicina, ac vir-
« tute divina sacramentorum medicamentis sanarent ».

OBJICIUNT DENIQUE: Pœnitens ipse dum a Sacerdote absolutionem postulat in Confessione generali, quam partim præmittit accusationi distinctæ peccatorum, tantum precatur Sacerdotem orare pro se ad Dominum Deum nostrum: igitur Ecclesiæ mens est, Sacerdotem non posse absolvere verbis indicativis, sed dumtaxat deprecativis. — **Nego consequentiam:** primo namque ea Confessio generalis non habet rationem partis sacramentalis, sed tantum est preparatio ex parte pœnitentis ad accusationem faciendam, et Absolutionem percipiendam; cujus signum est, quod etiam in ea Confessione generali pœnitens non solum sua vota dirigit ad Sacerdotem, sed etiam ad B. Virginem, B. Michaëlem, B. Petrum et Paulum, et omnes Sanctos orare pro se ad Dominum Deum. Certum est autem, nec B. Virginem, nec alios Sanctos posse ei opitulari per applicationem Sacramenti, sed dumtaxat per modum suffragii: igitur nec etiam orationem dirigit ad Sacerdotem eo fine, ut sibi per Absolutionem deprecativam sacramentum Pœnitentiæ largiatur. Quod maxime confirmatur ex eo, quod Sacerdos ipse ejusmodi supplicationem publice recitet in introitu Missæ, et exoret astantes ut pro se precetur, sicut et ipsimet astantes a Sacerdote petunt mutuo; nec tamen Sacramentalem Absolutionem ab astantibus petit Sacerdos, nec astantes vicissim a Sacerdote; ac subinde oratio, quam pœnitens confitendo generatim recitat, est tantum intercessio, qua Sacerdotem exorat, ut impetret a Deo gratiarum auxilia, quibus debite ad Abso-

lutionem sacramentalem disponatur. Quod etiam præstat Sacerdos, cum statim subjiciat: *Misereatur tui*, etc. necnon et, *Indulgentiam*, et *Absolutionem*, etc.

Conclusio secunda. — ABSOLUTIO DATA SUB CONDITIO-
NE PRÆSENTI ET PRÆTERITO POSSET ESSE VALIDA; SUB CONDITIO-
NE AUTEM DE FUTURO ESSET INVALIDA.

Prima pars constat; nam, ut diximus agendo de Baptismo, legitime confertur Baptismus sub conditione de præterito et præsentī, puta sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*. Quinī igitur Sacerdos dubitans, an formam Absolutionis legitime protulerit, possit eam repetere sub hac conditione: *Si non es absolutus, Ego te absolvo*. Similiter si dubitet rationabili ex causa de legitima dispositione pœnitentis, poterit hanc adjicere conditionem: *Si es recte dispositus, Ego te absolvo*. Cujus utique ratio est, quod ejusmodi conditiones non suspendant effectum præsentem Absolutionis sacramentalis, et illæ transeunt in absolutas propositiones, dum revera adest conditio præsens. — Hæc tamen absolvendi formula vix utendum est; siquidem indicium esset, quod Sacerdos sub dubio traderet Absolutionem, quæ debet esse non dubia; quamvis enim maximæ curæ debeat esse Sacerdoti cognoscere dispositionem pœnitentis, dolorem scilicet et propositum; ipsi tamen facta diligentī excussione credendum est, et ita impendenda Absolutio, nec reputanda materia dubia, quæ revera non debet dubia existimari.

Secunda pars est communior apud Theologos, qui varias in ejus confirmationem rationes proferunt; at alia melior, et efficacior ratio non occurrit, quam Christi Domini voluntas, qui noluit judicium sacramentale, et remissionem peccatorum, quæ fit per Absolutionem sacramentalem, pro voluntate Ministri posse suspendi de futuro, dum adest legitima ac sufficiens materia: quæ utique voluntas constat ex communi sensu Ecclesiæ, quæ noluit admittere Absolutionem sacramentalem sub conditione suspensiva ipsius valoris, ut constat ex continua praxi, et omnibus Ritualibus, in quibus nusquam reperitur hujusmodi formula Absolutionis conditionalis de futuro.

Unde discrimen est inter Matrimonium et alia Sacramenta, quod contractus matrimonialis admittat conditiones de futuro, puta cum contrahitur per procuratorem cui delegans suas committit vices, et per eum talem conjugem ducit, si ipse procurator postmodum consentiat, sicut fieri solet in aliis contractibus; ita ut non sit absolutus, sed tantum initiatus contractus, nisi impleta conditione; cujus ratio est, quia Christus non mutavit naturam contractus in Matrimonio, sed solum illum evexit ad Sacramenti dignitatem. Ablutio autem Baptismalis, v. g. æque fit perfecta et completa, sive addatur conditio futura, sive non; et similiter pronuntiatio formæ, *Ego te baptizo*, cum sit actio externa, ubi posita est, quantumvis deficiat conditio, similiter fieri non potest, ut ea posita non fuerit. Idem dicendum est de materia et forma sacramenti Pœnitentiæ; nam eis semel positis, necessario ponitur effectus, idest, remissio peccatorum: alioquin non esset signum certum et efficax ejusdem remissionis.

Non obstat, quod leges civiles admittant sententiam publicam con-

ditionatam ut suspensivam doloris, uti etiam particulares remissiones conditionales debitorum; et similiter quod leges Canonice admittant Absolutionem a censuris sub conditione de futuro: non enim eadem est ratio de iudicio sacramentali; quippe enim Christus Dominus voluerit Sacramentum Pœnitentiæ subsistere ac fieri per verba, quæ significarent actualem remissionem peccatorum, ut colligitur ex usu et praxi Ecclesiæ, uti jam diximus.

DICES: Sacerdos per illa verba, *Absolvo te*, non solum absolvit a culpa, sed etiam a pœna temporali, saltem partialiter, juxta proportionem satisfactionis, quam imponit; et tamen ab ea parte pœnæ non absolvit absolute, sed tantum sub conditione satisfactionis postea implendæ de futuro; et consequenter suspendit effectum Absolutionis quoad eam partem: igitur pari ratione eum suspendere potest quoad remissionem culpæ. — **Répondeo**, revera suspendi effectum partialem Absolutionis, donec ponatur ejusmodi satisfactio; quia videlicet remissio pœnæ non est primarius ejus Absolutionis effectus, sed veluti secundarius; unde non mirum, si hic suspendi possit, donec satisfactio impleatur. Secus autem est de remissione culpæ, quia cum sit primarius effectus, non potest suspendi quin irritum sit Sacramentum.

QUÆSTIO QUINTA.

QUISNAM SIT EFFECTUS ABSOLUTIONIS SACERDOTALIS, SEU QUOMODO REMITTAT REATUM CULPÆ ET PŒNÆ.

NOTANDUM 1. Certum esse, et sufficienter constare ex jam pluries dictis, in hominis peccatoris justificatione, revera peccatum dilui quoad reatum culpæ, et non solum tegi, seu non imputari; nam præter quam quod Scriptura sacra constanter asserit, peccata dimitti, deleri, tolli, hominemque ab iis mundari, et super nivem dealbari, unde homines, quibus peccatum dimittitur, appellantur *filius et amici Dei, sancti et immaculati*: quæ omnia vere et proprie dici non possunt, si peccati macula remaneat, quæ Dei oculis cuncta cognoscentis tegi non potest; ac subinde homo propter ipsam necessario odio haberetur a Deo: siquidem Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus*. Unde Concil. Trid., Sess. 5. in decreto *De peccato originali*, Can. 5. definit: *Si quis per Jesu Christi Domini Nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit*. Simili modo dicere potuisset: si quis per Jesu Christi Domini Nostri gratiam, quæ in sacramento Pœnitentiæ confertur, reatum actualis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. Certum est igitur per sacramentum Pœnitentiæ revera peccatum dimitti, quoad reatum culpæ. Quomodo autem id fiat, controvertitur apud Theologos.

NOTANDUM 2. Varia fuisse, maxime apud veteres Theologos, circa virtutem Absolutionis placita. *Primo* namque aliqui cum Hugone Victorino, lib. 1. *De Sacram.*, par. 14. c. 8. et Richardo item Victorino, 1. p. lib. *De potestate ligandi, atque solvendi*, c. 12. docuerunt, Sacerdotem

absolvere a pœna æterna debita peccato, postquam Deus solus ante Sacerdotis Absolutionem reatum culpæ remiserat. *Secundo*, nonnulli, cum Joanne Medina, tr. 2. *De Pœnit.*, q. 38. dixerunt, per Contritionem absolvi homines a culpa et a pœna æterna, non tamen ab exilio patriæ cœlestis; quam utique patriam, quia Sacerdos absolvendo aperit, ideo dicitur habere claves regni cœlorum. *Tertio*, docuerunt aliqui, maxime Nominales cum Ochamo relato a Gabriele, dist. 18. q. 1. homines absolvi a culpa et a pœna per Absolutionem Sacerdotis, non reipsa susceptam, sed in voto: unde quando postmodum conceditur Absolutio, homo solvitur ab obligatione confitendi, ac subjiciendi peccata dimissa clavibus Ecclesiæ. *Quarto*, Alexander Alensis et Seraph. Doctor docere videntur, potestatem Sacerdotis non valere circa remissionem culpæ aut pœnæ æternæ, sed dumtaxat circa remissionem pœnæ temporalis; quæ aliquando dicitur Absolutio a peccato, juxta illud 2. Machab., c. 12. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, hoc est a pœna peccatis debita. *Quinto* denique, nonnulli docuerunt cum Magistro sentent. in 4. dist. 18. Sacerdotem, cum profert illa verba: *Ego te absolvo*, solum significare quod declaret hominem absolutum a peccatis per præviam contritionem. Contra quas omnes sententias militandum erit in Conclusionè prima.

NOTANDUM 3. Ex Doctore Subtili, dist. 19. n. 4. auctoritatem absolventi a peccatis, (quam Christus nomine *clavis regni cœlorum* expressit). esse triplicem: « Auctoritas, *inquit*, judiciaria sentiendi cœlum huic
 « aperiendum, vel apertum esse, potest tripliciter intelligi: *uno modo*,
 « auctoritas simpliciter principalis: *secundo modo*, non principalis, sed
 « præcellens: *tertio modo*, non principalis, nec præcellens, sed parti-
 « cularis. *Prima* soli Deo convenit propter duo: *primo*, quia ipse solus
 « ex-se est justus, imò ipsa justitia: primum autem judicium non po-
 « tēst competere, nisi primo justo; quia judicium non est perfectum,
 « nisi sit et justum, juxta illud Psal. 118. *Feci judicium et justitiam*,
 « siquidem judicare est jus, vel justum dictare: primum autem justum
 « oportet esse perfectissimum, et ita justissimum: igitur primi justii. *Se-
 « cundo*, quia judicare est Præsidentis, juxta illud Apostoli ad Rom. 15.
 « *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Primus autem Præsidentis
 « non potest esse, nisi Deus solus. Unde sicut non potest alii com-
 « municare Divinitatem, sic nec primam potestatem judicandi, nec
 « per consequens clavem simpliciter principalem aperiendi cœlum.
 « *Secunda clavis*, scilicet non principalis, tamen præcellens, potest
 « intelligi quantum ad duplicem præeminentiam: unam quidem in
 « universalitate causarum judicandarum: aliam in firmitate sententiæ
 « definitivæ. Et utroque modo præeminentia potest convenire illi, qui
 « omnia merita et demerita novit, quæ sunt causæ propter quas Cæ-
 « lum est aperiendum, vel claudendum; et cum hoc habet volunta-
 « tem inseparabiliter conformem justitiæ divinæ. Propter primum po-
 « test in omnibus causis sentiendi, quia omnes novit: propter
 « secundum potest ejus sententiæ simpliciter esse firma et irrevoca-
 « bilis; quia semper justa. Hæc clavis, cum utraque præeminentia,
 « proprie est Christi, qui novit omnia merita et demerita judicando-
 « rum, et semper justitiæ divinæ conformiter judicat. Nec ista potest
 « esse in Ecclesia militante, saltem congrue, quia nullus in Ecclesia

« novit omnes causas judiciarias, nec habet voluntatem immutabiliter
 « justam. *Tertia clavis*, scilicet particularis, quantum ad causas co-
 « gnoscendas, et infirmas, quantum ad sententiam ferendam, puta quod
 « sit aliquando revocabilis, potest conferri alicui in Ecclesia militante,
 « qui potest in illa causa non nosse, et in illa secundum legem di-
 « vinam recte judicare; et si quandoque præter illam, sententia ejus
 « non erit firma, sed secundum illam erit firma ».

Duo itaque maxime hic occurrunt determinanda: *primum*, utrum
 Sacerdotes novæ Legis revera habeant facultatem absolvendi a reatu
 culpæ, aut tantum declarandi culpam esse remissam: *secundum*, utrum
 per Absolutionem Sacramentalem relaxetur tota pœna peccatis debita,
 aut saltem aliqua ex parte illa minuatur.

Conclusio prima. — * “ SACERDOTES NOVÆ LEGIS HABENT
 POTESTATEM VERE ET PROPRIE REMITTENDI PECCATA SIBI SUBJECTA
 QUANTUM AD REATUM CULPÆ, PER ABSOLUTIONEM SACRAMENTALEM. ” *
 Hæc est ita nunc certa et communis apud Theologos, ut Suarez, disp. 18.
 sect. 2. memb. 3. non dubitet dicere contrarias et oppositas sen-
 tentias esse erroneas; utpote cum opponantur doctrinæ Conc. Tri-
 dentini docentis ac dicentis Sess. 14. c. 6. *Quamvis Absolutio Sacer-
 dotis alicui beneficii sit dispensatio* (nempe ipsius Dei), *tamen non est*
solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel decla-
randi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso
reliquit a judice sententia pronuntiatur, etc. Unde Can. 9. *Si quis di-*
xerit Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicia-
lem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse
peccata confitentis; modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos
non serio, sed joco absolvat.... anathema sit. Quibus verbis Concilium
 aperte docet, Absolutionem Sacerdotis non esse dumtaxat declarati-
 vam remissionis peccati, sed verum actum judicialem, quo hujusmodi
 peccata remittuntur. Quamquam enim præcipuum Concilii intentum
 fuerit, ibidem definire contra hæreticos solam fidem absque Pœni-
 tentia seu Contritione non sufficere ad veram justificationem; nihi-
 lominus nostram etiam assertionem satis aperte insinuat. Quod ulterius
 probatur ex eodem Concilio ibidem, cap. 1. cum præmisisset hæc verba
 Christi Domini: *Quorum remiseritis peccata*, etc. subdit: *Quo tam in-*
signi facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi
peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, et Apostolis,
et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Pa-
trum consensus semper intellexit. — Quare merito proscripta fuit a
 summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII et Urbano VIII hæc Baji pro-
 positio: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absol-*
ventis, sed a solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens et inspirans vivificat
eum, et resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.

Probatur secundo hæc nostra assertio auctoritate SS. Patrum,
 qui Sacerdotibus novæ Legis veram ac perfectam potestatem absol-
 vendi a peccatis agnoverunt. Ita præ cæteris S. Ambr., lib. 1. *De Pœ-*
nitent., c. 2. exponens hæc verba: *Quorum remiseritis peccata, remit-*
tuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt; ait: *Jus hoc permissum*
solis Sacerdotibus est: recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros Sa-

cerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ veros Sacerdotes non habet. Et lib. 2. c. 2. ait: *Impossibile videbatur per Pœnitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est: factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur.* At nuda potestas declarandi peccata esse remissa a Deo non videbatur aliquid impossibile; siquidem Nathan Propheta declaravit Davidi peccatum a Deo fuisse remissum: igitur mens S. Ambrosii non est, quod Sacerdotis Absolutio sit dumtaxat ipsius remissionis declaratio. Idem docet S. Chrysostomus, Hom. 5. in verba Isaiaë, et lib. 3. *De Sacerdotio*, c. 4. ubi clare dicit: *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ nævos, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.* Idem S. Augustinus pluribi, maxime lib. *De Catechizandis rudibus*, c. 17. et S. Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum, et alii plurimi Patres, quos laudat Canisius 2. p. *Ca-thechismi*, c. 1.

Probat tertio hanc veritatem Subtilis Doctor hac ratione: Sacramenta novæ Legis revera efficiunt quod significant, sunt enim signa practica: sed Absolutio Sacramentalis significat remissionem peccati quoad culpam et condonationem æternam: igitur, etc. Ait autem Doctor: « Si Sacramentum Pœnitentiæ revera non remitteret culpam, « aperte sequeretur, quod non esset Sacramentum novæ Legis, nec « aliqua causalitas vel dispositio causalis ad primam gratiam, quia « numquam digne susciperetur, nisi ab habente jam primam gratiam; « nullus enim attenditur digne solutus a Deo, nisi prius sit solutus. « *Item*, susceptio istius Sacramenti est instrumentum ad gratiam, hoc « est, dispositio efficax necessaria ex statuto divino ad gratiæ susce- « tionem: instrumentum autem, vel dispositio prævia, non est signum « rememorativum, sive ostensivum alicujus, ut jam præteriti, sed fu- « turi: ergo collatio Sacramenti Pœnitentiæ, ad hoc ut fiat digne, non « oportet, ut sit signum Absolutionis divinæ præcedentis. » *Hæc ille.* Ideoque concedit, quod Sacramentum Pœnitentiæ potest digne recipi ab attrito, et hoc tanta Attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad justificationem suscipienda in termino Attritionis; et quod si non fecte recipiatur in termino, recipiatur gratia prima, quia a Deo confertur; et Absolutio Sacramentalis est signum efficax illius Absolutionis sequentis in ultimo instanti ipsius, sicut prolatio verborum est signum confectionis Corporis Christi. *Unde colligit Doctor:* « Se- « cundum hoc patet, quomodo Sacramentum, hoc est instrumentum « ad gratiam primam, sit dispositio prævia, eo modo quo alteratio po- « test dici instrumentum respectu generationis substantiæ, quia est « dispositio prævia. Alioquin, ut ait dist. 14. q. 4. n. 7., non appa- « reret quomodo Sacramentum Pœnitentiæ esset secunda tabula, si « numquam per ipsum, ut Sacramentum est, posset recuperari secunda « gratia amissa, sed tantum per Attritionem, tamquam per præviam « dispositionem, et per Contritionem tamquam per dispositionem com- « pletivam ». *Hæc Doctor*, quibus aperte significat Sacramentum Pœ- nitentiæ non fore distinguendum a Sacramentis veteris Legis, nec esset secundam post naufragium tabulam, si revera Sacerdotes per Absolutionem Sacramentalem non remitterent peccata; siquidem Sacramentum hoc numquam liberaret naufragum a periculo submersionis,

utpote qui jam periculum evasisset per Contritionem ante ejusmodi Sacramenti susceptionem.

Confirmatur hæc assertio ex refutatione aliarum sententiarum; *primo* namque falsum est Sacerdotem dumtaxat absolvere a pœna æterna debita peccato, postquam solus Deus reatum culpæ remisit: *tum quia* juxta Concilium Tridentinum, Sess. 6. c. 14. *Pœna æterna una cum culpa remittitur*: igitur, si ante Sacramenti susceptionem remissa erat culpa, etiam remitti debuit pœna æterna: *tum quia* culpa mortalis non potest deleri, nisi per infusionem gratiæ: gratia autem sanctificans de via ordinaria stare non potest cum reatu et obligatione ad pœnam æternam; alioqui sequeretur, quod aliquis posset esse simul filius gloriæ et gehennæ, et destinatus ad felicitatem et ad damnationem; gratia enim est semen gloriæ; reatus autem pœnæ obligatio ad damnationem et pœnam æternam.

Secunda pariter sententia subsistere non potest, nempe quod Absolutio sit tantum aperitio, aditus, et via ad patriam cælestem: *tum* quia sola peccata possunt nobis ejusmodi viam præcludere: igitur ubi semel remissa sunt, talis via et aditus non possunt ocludi: *tum* quia, ut mox dictum est, per Contritionem remittitur pœna æterna, quantum ad pœnam sensus: ergo multo magis quantum ad pœnam damni, quæ est ipsa eliminatio et remotio a patria cælesti: *tum* denique, quia nullum est fundamentum, quo maxime nituntur illius sententiæ assertores, nempe quod aliquis carere possit culpa, et reatu pœnæ, et tamen exulare a cælo, sicut Joannes Baptista, et alii exulabant in Limbo: non est enim idem ferendum judicium de fidelibus justis post Christi Resurrectionem et Ascensionem, ac de Patribus ante ejusmodi Resurrectionem; hi enim ibi detinebantur, non quod haberent reatum pœnæ luendæ: sed eo quod non erat solutum pretium sanguinis Christi, nec conveniebat ipsos prius intrare gloriam, quam Christum: sicut nec modo carentia gloriæ corporis est aliquis reatus pœnæ luendæ, sed dilatio gloriæ debitæ ob justam congruentiam.

Tertia pariter sententia, nempe quod per Absolutionem homo liberetur ab obligatione confitendi peccata, refellitur: *primo*, quia inde sequeretur, quod falsa esset formula Absolutionis a peccatis; siquidem absolvere a peccatis, et obligatio confitendi peccata, duo sunt omnino distincta: *secundo*, Absolutio, quæ datur solum de venialibus peccatis, nil prorsus efficeret, siquidem non est necessaria obligatio ejusmodi peccata confitendi: *tertio*, sequeretur claves Ecclesiæ et potestatem non fuisse collatam in ordine ad mundandam animam, sed tantum ad cæremoniam extrinsecam adhibendam.

Denique, quarta sententia omnino aliena est ab efficacitate hujus Sacramenti, totamque illius efficaciam evertit; nam ad evacuandum reatum pœnæ temporalis plurima alia suppetunt faciliora remedia, ut constat in indulgentiis, et sacrificio Missæ; ac subinde non opus fuisset instituire peculiare Sacramentum ad ipsius pœnæ temporalis remissionem.

OBJICIES 1. Solus Deus remittere potest peccatum: igitur Sacerdotes revera peccatum non remittunt. *Probat*ur antecedens ex illo Isaïæ 13. ubi Deus ait: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Et Matth. 9. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Unde S. Augustinus, lib. 50. *Homiliarum*, Homil. 23. *Nemo tollit peccata, nisi solus Deus,*

qui est Agnus tollens peccata mundi; tollit autem et dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt. Et super Psalm. 31. exponens hæc verba: *Remissisti impietatem peccati mei*, aperte docet, remissionem peccati ad solum Deum spectare. Idem docent alii SS. Patres infra laudandi. — **Distinguit antecedens Doctor**, n. 24. Solus Deus dimittere potest peccata, potestate propria et principali, *concedit*: delegata et ex commissione, *negat*. Nec enim particula *solus* excludit remissionem fieri posse ab alio, quam a Deo; nam similiter dicitur Psalm. 71. *Deus facit mirabilia magna solus*, quod intelligitur dumtaxat de virtute propria et principali; nam *Ecclesiastici* 31. de homine dicitur, quod fecit mirabilia in vita sua: igitur Sacerdos revera remittit peccatum quantum ad reatum culpæ et pœnæ æternæ; sed instrumentaliter tantum, ut Doctor n. 24. optime explicat dicens: *Facit, sed non facit nisi instrumentaliter, non quidem attingendo eum effectum, nec virtute propria, nec alterius, sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum: necessitans, inquam, ex divina pactione; et tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum dicitur agens instrumentale, ut est de alterante et generante, proprium autem est Deo principaliter mundare, et remittere illud debitum, etiam attingendo illum effectum* (physice); horum autem neutrum convenit Sacerdoti, utpote qui solum moraliter attingit illum effectum, idque ex commissione et delegatione Dei, sicut procurator ex facultate Domini sui remittere potest debitoribus quod suo Domino solvere tenentur. Quam utique explicationem etiam approbat S. Gregorius. Homil. 26. in Evangelia, ubi expendens illud Joannis, *Quorum remiseritis peccata*, etc. ait: *Apostoli principatum superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent*. Nota principatus superni iudicii, et vice Dei eos peccata relaxare; ita ut quas culpas Deus suo supremo iudicio solvit, easdem Apostoli solvant; alioqui enim non superni principatus, sed inferioris iudicii sententiam ferrent, si solam pœnam, non culpam relaxarent..... *Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur*. Nec aliud certe voluerunt SS. Patres, maxime S. Augustinus; siquidem præterquam quod docet, ut diximus, Sacerdotes novæ Legis habere in se veram auctoritatem absolvendi a peccatis, dum ait, solum Deum pœnitenti dimittere peccata, id dumtaxat intelligit de auctoritate principali; siquidem eodem modo docet verum Ministrum Baptismi ita baptizare, ut tamen solus Christus sanctificare dicatur. Sic lib. 2. *Contra Cresconium*, cap. 21. *Tingere, inquit, possunt et boni et mali: abluere autem conscientiam non nisi ille, qui semper bonus est*. Et de Sacramentis in universum ait, lib. 3. cap. 5. *Sive a fidei, sive a perfido dispensatore Sacramentum quisque percipiat, non sanctificat, nisi Deus*. Unde Doctor, dist. 14. quest. 4. n. 11. *Concedo, inquit, quod Sacerdos ita dimittit peccatum in Penitentia, sicut in Baptismo, et ita absolvit sicut baptizat: quia utrobique simpliciter verum est, quod ministrat Sacramentum; effectum autem Sacramenti ministerialiter, quia aliquid causat, ad quod, secundum dispositionem seu actionem Dei, regulariter sequitur effectus Sacramentum*.

OBJICIES 2. Historiam Lazari, quem Christus Dominus solus ad vitam revocavit: postmodum vero Discipulis jussit, ut eum solverent, et sinerent abire: sic enim legimus Joann. 11. *Voce magna clamavit Jesus: Lazare veni foras; et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis (Discipulis) Solvite, et sinite abire.* Quem utique locum expedientes SS. Patres, inde colligunt. prius peccatorem debere vivificari per Christum, quam Sacerdotum ministerio solvatur. Hoc præcipue docet S. Gregorius, Homil. 26. in Evangelia, ubi agens de potestate ligandi, atque solvendi tradita a Christo Apostolis, ait: *Causæ ergo pensandæ sunt, et cum ligandi, atque solvendi potestas est exercenda, videndum est, quæ culpæ, aut quæ sit Pœnitentiæ secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententiâ absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis: quod bene quatruiduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, et vivificavit, dicens: Lazare veni foras; et postmodum is qui vivens egressus fuerat, a Discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cunque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit Discipulis: solvite eum, et sinite abire. Ecce illum Discipuli jam viventem solverunt, quem Magister resuscitaverat mortuum; si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fetorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Ubi duo dicit S. Gregorius: *primum*, quod sententiâ Sacerdotis absolventis non antecedit, nec comitetur, sed tantum sequatur sententiâ Dei hominem vivificantis; ac subinde Sacerdos nullum peccatorem, nisi jam per gratiam viventem potest solvere; et consequenter revera Sacerdotes non remittunt peccata. *Secundum* vero, quod non aliter Sacerdotes solvant hominem mortuum peccato, quam Discipuli solverunt Lazarum: igitur quemadmodum hi solverunt jam viventem, ita et illi. Idem docet S. Augustinus, tract. 6. in Joann. ubi ex illo miraculo colligit Christum sibi retinuisse potestatem remittendi peccata: servis autem ministerium dedisse, ne servus in servo speraret. Et in caput Matth. 16. *Christus, inquit, per se intus vivificat. Ministris potestatem solvendi post vitam tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat.* Et exponens illud Psalm. 87. *Numquid medici suscitabunt eum, etc. Viventes, inquit, curare ministerio suo possunt Sacerdotes: non autem mortuos suscitare.* Et in Psalm. 101. Concione 2. *Merito per Exlesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem mortuos non nisi intus clamante Domino potest; hoc enim Deus interiorius agit. Loquimur ad aures vestras; unde scimus quid agatur in quolibet vestrum. Quid autem intus agitur, non a vobis, sed ab illo agitur.* Ergo, ex mente illorum sanctorum Patrum, remissio peccatorum, quæ est hominis a morte peccati suscitatio, fit a solo Deo, non autem a Sacerdote. — **Distinguo consequens:** fit a solo Deo, tamquam causa principali, *concedo:* a solo Deo, tamquam excludente consortium causæ ministerialis, *nego.* *Secundo* S. Gregorium similiter, *distinguo:* Sacerdotis Absolutio sequitur arbitrium æterni Judicis in discernenda dispositione pœnitentis, *concedo:* in impertienda remis-

sione peccati, *nego*. Nihil enim aliud intendit S. Gregorius; siquidem agit ibi de discretione, quam adhibere debent Sacerdotes, antequam pœnitentes absolvant, ut si debite dispositos inveniant. eos absolvant; nam antea dixerat: *Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt, et alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuerunt: horum profecto locum in Ecclesia tenent Episcopi; grandis honor, sed grave pondus! durum est enim. ut qui propria moderamina vitæ nescit, iudex fiat alienæ: et plerumque contingit, ut hic iudicii locum teneat, cui ad locum vitæ minime concordat; ac proinde sæpe agitur, ut vel damnet imperitos, vel alios ipse ligatus solvat. Et paulo post subdit, verba in objectione posita, causæ pensandæ sunt, etc. — Respondeo tertio, S. Gregorium nihil aliud intendere, quam quod non sit absolvendus, nisi quem Deus jam vivificare incepit per impulsum Spiritus, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, ut loquitur Concilium Tridentinum. Triplex enim est in impiis justificationis gratia: prima præveniens et excitans; secunda cooperans et adjuvans; tertia habitualis formaliter sanctificans. Quælibet autem ex iis aliqua proportione dici potest vitæ, suscitatio, et absolutio peccatoris: prima quidem, quia per gratiam excitantem peccator, velut Lazarus in peccati sepulchro mortuus jacens, per eam, quasi divina Christi voce vocatur foras, et jam dat quædam signa vitæ; non quidem adhuc perfectæ, quia non potest peccator moveri ad Sacramentum Pœnitentiæ debite suscipiendum sine dispositionibus, videlicet fide, spe, et charitate, ac Attritione supernaturali; cum itaque has dispositiones non possit obtinere, nisi per gratiam, quæ est a solo Deo, ideo merito dicetur peccator non prius posse per Sacerdotem absolvi, quam vitam a Deo receperit; non quidem adhuc perfectam, sed imperfectam. Unde merito dixit S. Gregorius: tunc vera est Absolutio præsentis, cum æterni arbitrium sequitur Iudicis, hoc est, ille rite absolvitur a Sacerdote, quem Christus compunctionis testimonio, et Pœnitentiæ desiderio absolvendum significat. *Nec obstat*, quod utatur exemplo Lazari, qui prius perfectam vitam naturalem obtinuit, quam solveretur ab Apostolis; inde nanque colligere non licet, quod etiam prius peccator vivere debeat vitâ supernaturali perfecta, quam solvatur a Sacerdote: cum enim sensus illius exempli sit allegoricus, non debet rei veritati in omnibus quadrare; sed satis est, quod sicut ab Apostolis Lazarus vere solutus fuit, sic a Sacerdote pœnitens vere solvatur a vinculis, quibus tenetur. Et insuper sicut Lazarus non fuit solutus, nisi jam vivens, ita peccator prius vivere debet vitâ gratiæ, non quidem habitualis, sed actualis, qua dolet de peccatis, et movet se motu vitali, et exit foras per Confessionem, quam vitam perfectam obtineat per Sacerdotis Absolutionem. Hoc utique significat S. Gregorius, cum post præfata verba in objectione posita, statim subiicit: *Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur: Revivisce, sed: Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras, ac si aperte cuilibet mortuo in**

culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Venientem vero foras solvant Discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Ita S. Gregorius, quem licet interpretari de Absolutione Sacramentali, quam negat dandam, nisi ei quem Christus vivificavit; at quam vivificationem intelligat, manifestissime explicat cum ait eam prodere se in confessione peccati, quæ est effectus et signum compunctionis internæ. — Simili modo intelligendus est S. Augustinus; nam, ut inquit tract. 49. in Joann. ad illa verba, Lazare veni foras: Quomodo processit ligatis pedibus, miraris, et non miraris, quia surrexit quatruiduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, et adhuc ligatus, et adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces, et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, idest, magna gratia vocando: ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: solvite illum, et sinite abire. Quid est, solvite, et sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo. Similiter scribit Serm. 8. De verbis Domini, ubi: Quisquis malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole præmitur; ita quod in illo jam factum sit, quod in quodam Psalmo miserabiliter dicitur: Dixit stultus in corde suo, non est Deus, fit talis de quali dictum est: A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Quis eum resuscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens: Lazare veni foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit, foras prodire non posset, nisi viveret: (inchoative per gratiam prævenientem et adjuvantem ad eliciendum verum dolorem supernaturalem) vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione sui accusatio, Dei laudatio est.

DICES: Inquit S. August. Quid prodest Ecclesiæ si jam peccator voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesiæ confitenti, cui Dominus ait: quæ solveris in terra soluta erunt et in cœlo? — **Respondet:** ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est: quæ solveris, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos, Solvite eum, et sinite abire? Ecce nomine vitæ, intelligit solam Confessionem, quam ante Absolutionem Sacerdotis pœnitens habet a solo Deo, et quæ nisi præcesserit, nulla est potestas Sacerdotibus absolvendi, ut recte alio loco dixit S. Augustinus: Christus per se intus vivificat, Ministris solvendi post vitam potestatem tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat, idest, nisi recte fuerit confessus.

OUICIES 3. S. Hieronymum, qui explicans illud Matthæi, Quodcumque ligaveris, ait: Istum locum Episcopi, et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reipsum vita quærat. Legimus in Levitico de

*leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant; non quod Sacerdotes leprosos faciant, et immundos: sed quod habeant notitiam leprosi, et non leprosi, et quod possint discernere, qui mundus, quive immundus. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit Episcopus et Presbyter; non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates scit quis ligandus sit, quive solvendus: igitur ex mente S. Hieronymi eatenus tantum Sacerdos peccata solvit, aut remittit, quatenus soluta seu remissa declarat. — Nego consequentiam, et ad S. Hieronymum dico, eum illis verbis arguere ac reprimere quosdam Episcopos, qui nimiam licentiam sibi arrogabant pro libito, et non explorata dispositione pœnitentium, eos admittendi, vel rejiciendi ab Absolutione, contra quos docet, eorum potestatem non esse absolutam, sed certis legibus ligatam, quas utique servare debent, ut eorum sententia sit valida, absolvendo videlicet dumtaxat eos, quos Deus Absolutione dignos judicat. Quod ut ostendat, utitur exemplo Sacerdotum Leviticorum, qui priusquam dimitterent leprosos, prius judicabant de eorum munditia, aut immunditia legali. Quare non eos comparat penes potestatem, sed penes potestatis usum. Addit enim: *Cum pro officio peccatorum varietates audierit* (idest peccatorum species, et circumstantias notaverit), *scit quis ligandus sit, quisve solvendus*: non autem ait, quis solutus sit, aut ligatus; quod certe asseruisset, si Sacerdos tantum declararet peccata remissa, seu retenta; non autem remitteret, aut retineret.*

OBJICIES 4. S. Chrysostomum, Homil. 17. in Matthæum: *Liberare, inquit, a putredine peccatorum Christi virtutis est; ut autem ad illa iterum non revertantur, Apostolorum curæ est ac laboris.* — **Respondeo**, S. Chrysostomum ibi non instituere sermonem de Apostolis, ut Sacerdotibus, sive Judicibus secundariis, qui ex commissione cognoscunt in causa, et sententiam ferunt, vel Absolutionis vel retentionis in reum confitentem; sic enim Apostolis et eorum successoribus competit liberare a putredine peccatorum; nam, inquit S. Augustinus, lib. 1. *De serm. Domini in Monte*, cap. 6. condiendis et extinguendis putribus peccatorum Apostolicum salem Dominus misit in mundum; sed loquitur S. Chrysostomus de Apostolis, ut Prædicatoribus et Magistris orbis terrarum, qui ut tales non aliter habent facultatem sanandi a peccatis, quam movendo peccatores suis prædicationibus ad agendam Pœnitentiam. Unde subjicit ibidem: *Non pro vestra tantummodo salute, sed pro universo orbe vobis certamen erit: non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam Gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum, et hunc variis criminibus oppressum.* Mittebat autem Prophetas, non ut Judices, sed ut Prædicatores, et Magistros: igitur sanctus Chrysostomus ibi loquitur de Apostolorum missione ad prædicandum, non vero de ipsorum legatione ad absolvendum.

OBJICIES 5. Vel pœnitens accedens ad tribunal sacramentale est contritus, et sic jam liber est a peccato; vel solum est attritus, et in statu peccati, et sic indignus Absolutione: igitur Sacerdos in eo vere non potest peccatum absolvere. — **Respondeo**, utrumque interdum contingere, nempe quod aliquando pœnitens sit contritus, aliquando autem

dumtaxat attritus; dum autem accedit contritus, habet quidem jam peccata remissa: at non independentē ab Absolutione sacramentali; contritio quippe, qua peccatorum remissionem obtinuit, actu seu virtute continet votum emittendæ Confessionis, et obtinendæ Absolutionis. Unde illa peccati remissio recte tribuitur Absolutioni; quia non nisi in ordine ad ipsam conceditur, et si ipsa data opportunitate negligēretur, hæc negligentia in causa foret, cur nulla esset præfata peccati remissio. Quemadmodum originalis peccati remissio, quæ fieret per Contritionem ac amorem Dei, includentem votum Baptismi, non prodesset ad salutem, si data opportunitate suscipiendi Baptismum, quis ipsum negligēret. Similiter, qui cum sola Attritione accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, non est quidem dignus gratia immediate, sed solum mediate, quatenus idoneus est, ut per Absolutionem gratiam consequatur.

OBJICIES 6. Sacramentum Pœnitentiæ est medicina: at medicina prodesse non potest mortuis, sed dumtaxat vivis: igitur sacramentum Pœnitentiæ supponit vitam in suscipientibus. — **Respondeo ad minimum**, esse quidem medicinam contra lethalia vulnera peccati, quæ licet nondum intulerint mortem damnationis æternæ, respectu cujus homo peccator dici possit vivus, et curabilis; tamen intulerunt mortem gratiæ, et hoc sensu sacramentum Pœnitentiæ dicitur vivificare.

* “ OBJICIES 7. Ex S. Ambrosio, libri *Ad virginem lapsam*, cap. 7. ubi sic eam alloquitur: *Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi presumas ab humano die posse veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab illo solo convenit te in die iudicii expectare remedium.* In Dominum peccasse dicit virginem illam S. Ambrosius, quia fidem Christo datam de virginitate perpetuo servanda violaverat; ejus autem peccatum a solo Deo remitti posse, non ab Ecclesia asserit. — **Respondeo**, S. Ambrosium contendere dumtaxat virginem præfata securam esse non debere de sui remissione peccati; pro quo pœnitentiam agere debet ad finem usque vitæ; nam peccata gravissima stupri et interempti fœtus perpetua Pœnitentia expianda erant; sed non negat S. Ambrosius quin veniam obtinere possit, nedum a Deo, sed etiam ab Ecclesia, cum pœnitentiam peregerit, ad quam his verbis adhortatur: *Cum fide conceperis prævaricatricem animam gehennæ ignibus tradi. nec aliud remedium constitutum esse post Baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantumvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta, dummodo ab æternis pœnis libereris. Ergo hæc tecum cogitans et mente retractans, proprii facti, tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ hujus interimenda tibi est, et quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reviviscere, cogita, etc. talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, etsi non gloriam, certe pœnæ evacuationem.* Atqui frustra S. Ambrosius virginem lapsam ad Pœnitentiam adhortatus fuisset, si absolutionem ac veniam consequi illam non posse ab Ecclesia existimasset. *Nemo enim potest bene agere Pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*, ut ipse ait lib. 1. ubi et duritiam Novatianorum redarguit, qui Pœnitentiam indicebant quam non relaxarent, cum veniam negando, incentivum auferrent Pœnitentiæ. Igitur S. Ambrosius virginis lapsæ crimen ab Ecclesia remitti posse non negavit. Verum quid in exponendo Ambrosio

immorari opus est, cum in lib. *De Pœnitentia*, adversus Novatianos probet, nullum esse peccatum quod remitti pœnitentibus non possit ab Ecclesia? Notanda sunt hæc verba capituli primi: *Sed negant, his oportere reddi communionem, qui prævaricatione lapsi sunt, si unum tantum crimen exciperent sacrilegii, cui veniam negarent: dure quidem, sed divinis tantum redarjui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis convenirent. Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia.* *

OBJICIENS DENIQUE: Non aliter Sacerdotes habent potestatem solvendi, quam ligandi: sed ligandi potestas est tantum ad declarandum aliquem esse jam ligatum: igitur etiam absolvendi potestas erit tantum ad ostendendum aliquem esse absolutum. — **Respondeo** distinguendo *majorem*: non habent aliter quantum ad concessionem et auctoritatem, *concedo*: quantum ad exercitium, *nego*. Potestas enim ligandi dupliciter potest exerceri: primo quidem quatenus Sacerdos negare potest Absolutionem, et sic retinere peccata; secundo positive, quatenus potest obligare pœnitentem ad satisfactionem sacramentalem. Unde distincta *minore*, neganda est *consequentia*: siquidem Sacerdos hoc utroque modo non solum declarat hominem esse ligatum, sed etiam eum revera ligat, et obligat, tum ad habendas meliores dispositiones, ut debite Absolutionem percipere valeat, tum ad implendam satisfactionem sibi præscriptam.

Conclusio secunda. — PER SACRAMENTUM PœNITENTIE DIMITTITUR PARS ALIQUA PœNÆ TEMPORALIS, EAQUE MAJOR VEL MINOR SECUNDUM DISPOSITIONEM PœNITENTIS. Hæc colligitur ex Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 14. ubi sermonem faciens de satisfactione per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia vitæ spiritualis exercitia pœnitentibus præscribenda, subdit: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali; quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti.* Quibus verbis satis aperte significat Concilium, quod si non tota semper dimitatur pœna peccatis debita, una cum remissione culpæ, saltem aliqua illius pars relaxatur per Absolutionem sacerdotalem; alioqui frustra hæc scripsisset vocabula, *non tota semper.* Adde quod ea sit universalis Ecclesiæ, et Confessorum praxis, ut minores satisfactiones iniungant, ac præscribant iis pœnitentibus, qui accedunt ad tribunal cum majori Contritione, vel Attritione; quod utique signum est, Ecclesiam supponere aliquam partem pœnæ temporalis, majorem vel minorem, relaxari per sacramentum Pœnitentiæ, juxta propriam cujusque dispositionem, præter eam, quæ remittitur per impletionem satisfactionis præscriptæ a Sacerdote. Nec certe deest ratio idem insinuans; cur enim potius infusio gratiæ major aut minor fieret, juxta perfectiorem vel minus perfectam pœnitentis dispositionem, quam quod remittatur pars pœnæ temporalis, maxime cum sacramentum Pœnitentiæ institutum sit ad remissionem peccatorum, ac subinde ad solutionem cujusque vinculi et obligationis qua peccator constringebatur? Igitur nedum ad solutionem reatus culpæ, sed etiam ad solutionem reatus pœnæ.

Quam utique veritatem luculenter explicat Seraphicus Doctor, in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 2. n. 24. ubi inquirens, utrum Sacerdos remittat aliquam partem pœnæ peccatis debitæ, triplicem hac de re sententiam ac responsionem subjicit: *primam* quidem, quod Sacerdos absolvat non a pœna peccatis debita, sed a vinculo confessionis, obligando pœnitentem ad pœnam satisfactionis; quæ utique opinio videtur elici ex Hugone Victorino in lib. *De potestate ligandi*, ubi distinguuntur septem vincula, scilicet obdurationis, servitutis, captivitatis, æternæ damnationis, sive punitiois, perpetuæ detestationis, Confessionis, et pœnalis expiationis: a tribus primis absolvit Deus per gratiam præparantem, quæ emollit cor ad pœnitentiam, et est gratia gratis data; a vinculo servitutis per gratiam prævenientem, quæ est gratum faciens, et liberat a servitute peccati: a vinculo captivitatis per gratiam cooperantem, quæ expedit hominem, et solvit, seu excitat ad bona opera: a vinculo æternæ damnationis solvit, ligando, ad quintum scilicet ad vinculum perpetuæ detestationis: a sexto vero solvit per Ministrum ligando ad septimum: Sacerdos enim solvit confitentem peccatorem, ut non teneatur confiteri; sed ligat ad vinculum satisfactionis. Verum, inquit Seraphicus Doctor, iste dicendi modus est improbandus; Sacerdos enim absolvendo non dicit: *Absolve te a Confessione, sed a peccatis*. Unde subjicit *secundam sententiam*, nempe quod Sacerdos absolvat, non tantum a vinculo culpæ, sed etiam a pœna Purgatorii, obligando ad pœnam satisfactoriam; ac subinde non solvit aliquam partem pœnæ relaxando, sed solum commutando, hocque sub conditione, si videlicet expleat satisfactionem injunctam. Unde si illa satisfactio sit condigna, Sacerdos dicitur absolvere a tota; si non sit condigna, absolvit dumtaxat a tanta; unde si peccator moriatur ante condignam satisfactionem, punietur in Purgatorio. Verum, ait Seraphicus Doctor, hic dicendi modus etiam improbat; si enim Sacerdos dumtaxat commutet pœnas, frustra dicit pœnitenti: *Absolve te ab omnibus peccatis*; quippe cum nullum emolumentum, saltem quantum ad relaxationem pœnæ, ex hujusmodi Absolutione reportet pœnitens. Adde quod peccator accedens ad tribunal pœnitentiæ, tantam habere poterit contritionem, quod Deus omnem ipsi culpam, et pœnam remittat; ac subinde non opus erit illam pœnam commutare in aliam pœnam. Hinc *tertiam sententiam* subjicit Seraphicus Doctor, quam approbat et declarat his verbis: « Et ideo est tertius modus dicendi magis consonus rationi, fidei, et « pietati, quod Sacerdos aliquam partem pœnæ absolvendo dimittit ex « vi Clavium. Et hoc possumus intelligere sic: quod universæ viæ « Domini misericordia, et veritas, ideo in justificatione, quæ est opus « misericordiæ, misericordia sic remittit culpam, ut justitiæ regulam « non prætereat. Propterea adhuc detinet obligatum ad pœnam. Illa « autem pœna ob rigorem divinæ justitiæ est viribus nostris impro- « portionabilis, et nostræ cogitationis ignota, et pro illa oportet quod « satisfaciatur Deo. Providit ergo adhuc nobis viam misericordia divina, « et constituit arbitrum Sacerdotem, et illi dedit potestatem arbitrandi, « et laxandi pœnam, et manifestandi nobis, et partem pœnæ remittendi « ex virtute Passionis Christi, ut divina justitia pro illa parte solu- « tionem ab isto exigat, sed ex Passionis Christi pœna sit contenta. « Quanta sit illa pars, nostrum non est determinare, sed Dei. Et tunc

« Sacramentum Pœnitentiæ non tantum erit onerosum, sed etiam fructuosum. Hanc ergo opinionem sustinendo, concedendum est, quod Sacerdos remittit aliquam partem pœnæ, sicut ostendunt rationes, non æternæ, sicut ostendunt aliæ, non purgatoriæ, sed communiter illius pœnæ, qua Deus obligat peccatorem post Absolutionem a culpa, et pro illa numquam punitur in Purgatorio, nec alibi; sed pro illa parte, a qua non absolvitur, vel punitur hic sufficienter, vel Dominus exiget in Purgatorio ». Quod repetit in responsione ad 2. 3. 4. objectionem: *Ab æterna pœna, inquit, nullo modo solvit Sacerdos, a Purgatorio absolvit, non per se, sed per accidens, quia cum in pœnitente virtute clavium minuitur debitum pœnæ temporalis, non ita acriter punitur in Purgatorio, sicut si non esset absolutus.* Dum ergo in corpore Quæstionis dicit, Sacerdotem non remittere aliquam partem pœnæ purgatoriæ, intelligendus venit de remissione per se. Si autem objicias, quod hæc remissio præjudicat divinæ justitiæ; respondet: *Sicut in Baptismo per Passionis Christi meritum et solutionem solvitur peccator a tota pœna, ita in Pœnitentia per ejusdem Passionis Christi virtutem solvitur a parte pœnæ: ita quod in nullo præjudicatur justitiæ, imo verificatur illud Psalmistæ: Misericordia et veritas obviaverunt sibi: Misericordia autem supererogando pretium justitiæ satisfacit.*

Corollarium. — Ex his aperte satis et abunde confutata manet hæretica sententia Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis, qui lib. 5. *De Repub. Ecclesiastica*, fatetur quidem Sacerdotes novæ Legiſs habere potestatem revera solvendi ac ligandi peccatores apud Deum; at non respectu omnium peccatorum, sed dumtaxat quorundam. Duplicis quippe generis peccata distinguit, quorum quædam ita occulta sunt et latentia, ut nulla ratione exterius pateant, nec ullum afferant Ecclesiæ scandalum, qualis esset, verb. grat. deliberata animi interna voluntas adulterandi, nullo exteriori signo manifestata. Quædam vero ita notoria sunt et publica, ut Ecclesiæ scandalum afferant, ejusque sanctitatem inficiant, ut homicidium, adulterium publicum, etc. Docet autem occulta peccata non inducere vinculum, nec ligare, nisi apud Deum, a quo solo possunt dissolvi directe et immediate; quare si peccator occultus coram Deo perfecte contritus, ejusmodi peccati veniam exoret, eam consequitur; nec tenetur peccatum illud Sacerdotibus per Confessionem exponere. Si vero ita exponat, ut a Sacerdote absolvat, hæc Absolutio prorsus erit inutilis et otiosa: tum quia, inquit, peccatum istud remissum est antequam peccator accedat ad Ecclesiam: tum quia Ecclesia non potest solvere, quod ipsa non ligavit. Quatenus vero peccata sunt publica, remittuntur a Deo directe et immediate, ut sunt offensiva Dei, et ab Ecclesia quatenus sunt offensiva Ecclesiæ; idque dumtaxat post peractas satisfactiones, et perpeſsos labores pœnitentiales. Ex quibus colligit quod etsi Absolutio Ecclesiæ pœnitentibus non prosit, quantum ad remissionem occultorum peccatorum, nihilominus, inquit, SS. Patres hortati sunt penitentes, ut ab Ecclesia postularent ligationem et solutionem pro criminibus occultis, eo quod impositi Pœnitentiæ labores eis prodesſent, ut fructus et effectus interioris Pœnitentiæ: exercitia quippe durioris Pœnitentiæ a Sacerdotibus injuncta argumenta erant contriti

ac humiliati cordis. — Verum hoc hæreticum dogma efficaciter proscribitur ex dictis, siquidem constat Sacerdotes novæ Legis a Christo accipere potestatem remittendi quæcumque peccata simpliciter, et absque ulla exceptione: Christus enim Dominus indiscriminatim et universim ait, Matth. 16. *Quodcumque solveritis*, etc. Et Matth. 18. *Quæcumque solveritis*, etc. Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, etc. Quibus significatur, Apostolos et eorum Successores habere tam patentem et generalem potestatem remittendi quælibet peccata in Ecclesia militante, quam pateat et sese extendat solutio, seu remissio per Deum et Christum in cælis impertienda: ita enim hæc Evangeliorum oracula interpretantur SS. Patres, maxime S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*, cap. 5. ubi ait: *Omnem rerum cælestium potestatem a Deo Sacerdotibus esse traditam, et tantam ad remittenda peccata, quantum Deus Pater dedit Filio*: sed Pater æternus Filio suo dedit omnimodam potestatem remittendi peccata, tam publica, quam occulta: igitur, etc. Similiter S. Hilarius, Can. 16. in Matth. ita S. Petrum alloquitur: *O felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificationis illius Petra, quæ infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret! O beatus cæli janitor! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur: cujus terrestre judicium præjudicata sit auctoritas in Cælo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, soluti ejusdem conditionem obtineant et in cælo!* At peccata occulta, sicut et publica, quoad culpam et pœnam sunt inferni leges, tartari portæ, et claustra mortis; siquidem occidunt, et impediunt aditum Cæli: igitur non solum publica, sed etiam occulta peccata solvere possunt Sacerdotes. — Idipsum apertissime clamat S. Leo, Serm. 3. in anniversario suæ assumptionis ad Pontificatum, ubi cum declarasset summam a Christo auctoritatem Petro traditam, ait: *Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ejus æquitate fertur judicium, nec nimia est severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus solverit, aut ligaverit*. In hoc autem turpissime hallucinatur Spalatensis, quod confundat potestatem clavium quoad forum exterius et contentiosum, cum potestate clavium quoad forum interius: ait enim, cap. 7. num. 25. ligamen seu vinculum, quo peccatores Ecclesia ligat, in aliqua semper excommunicatione consistere, dum videlicet Ecclesia vel peccatorem publicum prorsus separat e numero fidelium, si sit contumax et incorrigibilis, vel dumtaxat ad tempus, donec scandalum debita satisfactione publica expiaverit. Sicque vult solum alligari vel retineri peccata per Ecclesiæ claves, cum ita in peccatorem publicum animadvertit; solvi autem et remitti, cum tollit ejusmodi excommunicationis vinculum. Sicque externum forum Ecclesiæ cum interno perperam confundit: siquidem potest aliquis ab excommunicatione solvi, qui nihilominus remanebit peccato obstrictus; sicut et alius absolvi potest a peccato per Contritionem perfectam, qui tamen remanebit excommunicatione ligatus: igitur diversa est potestas absolvendi ab excommunicatione, et ab illa, qua quis absolvitur a peccatis in foro interiori et secreto Sacramenti Pœnitentiæ.

DICES 1: Solus Deus potest remittere offensam sibi irrogatam: igitur Ecclesia in ejusmodi remissione partem non habet. *Antecedens constat*; ejus enim est offensam remittere, qui læsus fuit. — **Distinguo ante-**

cedens: auctoritate propria et principali, *concedo*: ex delegatione et commissione Dei, *nego*. Sicut enim privatus Judex non potest condonare offensam irrogatam Principi propria auctoritate, sed solum ex Principis delegatione; ita Sacerdos non ex propria, sed ex Dei concessionem remittit offensam Deo irrogatam.

DICES 2: Ecclesia solum potest solvere quæ ligare potest: sed ligare non potest occulta peccata, quia non judicat de internis et occultis; iudicium enim ejus totum externum est: igitur etc. — **Distingo minorem**: quamdiu occulta sunt et omnino interna, *concedo*: quando manifestantur, et nota fiunt per Confessionem, *nego*: tunc enim Ecclesia per suos Ministros ejusmodi occulta peccata retinere potest, si debitas dispositiones in pœnitente non requirat, ea vero absolvere, si idoneas dispositiones inveniat.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PARTIBUS PŒNITENTIÆ IN SPECIALI.

DIXIMUS in superiori Articulo Pœnitentiæ sacramentum tres ex parte Pœnitentis actus desiderare, ex quibus quasi materia necessario constare debeat, ut definit etiam Concilium Tridentinum, Sess. 14. c. 3. ubi legimus: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Unde S. Augustinus exponens illud Psal. 146. *Qui sanat contritos corde*, ait: *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Quibus verbis significat tres actus pœnitentis, nempe cordis Contritionem, oris Confessionem, et operis Satisfactionem. Superest autem, ut de singulis ejusmodi partibus in præsentem Articulo disputemus, quod utique exequemur tribus in sequentibus Sectionibus; quarum *prima* erit de Contritione tam perfecta, quæ vulgari nomine dicitur Contritio, quam imperfecta, quæ Attritio appellatur: *secunda* de Confessione: *tertia* vero de Satisfactione tam sacramentali, quam Ecclesiasticâ, seu publica.

SECTIO PRIMA.

DE CONTRITIONE.

CONTRITIONIS nomen deducitur a verbo *contero*, quod utique significat rem duram in minutissimas partes dividere, ut docet Aristot. 4. Meteorologicon, apposita quidem egregia similitudine: per peccatum enim hominis voluntas et cor velut induratur et obfirmatur in malo, juxta illud Job, cap. 41. *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus*: unde actus ille, quo hæc amovetur durities, et peccatum expungitur, merito a Theologis appellatur *Contritio*: hinc Guillelmus Parisiensis Pœnitentiam commendat, et describit ab ipsa cordis comminutione: *Pœnitentia*, inquit, *est cordis confRACTIO et comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.* Quam

utique Contritionis etymologiam sic optime declarat S. Bonav., in 4. dist. 16. art. 1. qu. 1. ad 7. ubi ait: « Dicunt aliqui, quod ideo hoc no-
 « mine censetur, quia sicut unguentum sanativum conficitur ex multis
 « herbis in mortariolo confractis, sic unguentum compunctionis confi-
 « citur ex herbis peccatorum, quæ natæ sunt in terra nostra, cum con-
 « teruntur in mortariolo conscientiæ: ita videtur Bernardus super Can-
 « tica dicere. Sed tunc ab hac Contritione non diceretur homo contritus,
 « sed conterens. Ideo addendum, quod in hac Contritione tria sunt at-
 « tendenda. *quod* conteritur, *et quo* conteritur, et *ad quid* Contritio
 « terminatur. *Quod* conteritur est cor peccatoris, quod est tamquam
 « vas fictile repletum veneno peccati. juxta illud: *Fel draconum vi-*
 « *num eorum*, etc. *Ad quo* conteritur est duplex mola: una superius
 « sursum elevans, et hæc est spes veniæ ex consideratione miseri-
 « cordiæ; alia mola deorsum, divini justitiæ. Et de his molis dicitur:
 « non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam. Istud
 « vas ad hoc conteritur. ut emollescat, quia durum est. Cor enim du-
 « rum male habebit in novissimo. Vel melius, ut peccati delectatio
 « totaliter effundatur: ideo dicitur Contritio, non fractio, quia fractio
 « est in majores partes; contritio in minores, et quando in majores
 « partes est fractio, sapor aliquo modo remanet; ut autem non rema-
 « neat, nec sapor, nec veritas, ideo in partes minimas conteritur; et
 « hæc delectatio totaliter removetur per pœnam æternam, et remo-
 « vetur per gratiam, et ideo utrobique dicitur Contritio, et in pœna
 « æterna. secundum illud: *Conteretur cum delinquente delictum*: et
 « per gratiam: *Cor contritum, et humiliatum, Deus, non despiciet*. Sed
 « aliter, quia ibi conteritur in pulverem, non ut aliud vas fiat; quia
 « de impiis dicitur: *Non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis*, etc.
 « Sed in Contritione gratiæ est Contritio ad generandum vas novum
 « et solidum per honorem gratiæ, et lacrymarum: et ideo recte dicitur
 « Contritio, non Attritio: quia partium tritarum est unio, ut fiat vas
 « in honorem, secundum illud de Paulo: *Vas electionis est mihi... Si*
 « *quis emundaverit se ab his, erit vas, etc.* ». Ita Seraphicus Doctor.
 Dicitur autem Contritio cordis, quia, inquit, Catechismus Tridentinus,
 num. 34. *Cordis nomen frequenter sacre Litteræ pro voluntate usur-*
pant: ut enim a corde motuum corporis principium sumitur, ita vo-
luntas reliquis omnes animæ vires moderatur ac regit. Hæc autem
 cordis Contritio primarius est ac præcipuus pœnitentis actus, necnon
 et fundamentum ac corona cæterorum: numquam enim debite pec-
 cata confiteremur, et nitremur frustra satisfactoriis operibus ea ex-
 piare, nisi dolorem haberemus de peccatis vite prioris, eaque per
 Contritionem detestaremur. *Etenim* (ait Auctor libri quæstionum *ve-*
teris et novi Testamenti, 3. p. q. 11.) *corporis membra læsa utique non*
sine dolore possunt sanitatis recipere medicinam: sic et peccatores non
possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus, qui pec-
caverit. Quoniam autem frequentior esse debet Contritionis usus,
 quippe cum nullum sit temporis punctum, quo præterita peccata
 in memoriam recurrunt, quin illico de his salutarem concipere dolo-
 rem debeamus, et illa detestari: idcirco diligentiori disquisitione exa-
 minanda est ac declaranda Contritionis natura, virtus, et dignitas.
 Quod utique pro modulo nostro præstabimus in quinque sequentibus

Questionibus, quarum *prima* aperiet quid et qualis sit Contritio: *secunda*, de quibus esse debeat: *tertia*, quanta et quamdiu debeat durare: *quarta*, quis sit ejus effectus: *quinta*, quæ et qualis sit Contritio imperfecta, seu Atritio.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID ET QUALIS SIT CONTRITIO.

NOTANDUM 1. Contritionis nomen in Scriptura sacra idem significare ac devastationem, vel exitium. Sic Isaïæ 51. *Vastitas et Contritio, et fames, et gladius, quis consolabitur te?* Et Jeremiæ 6. *Malum visum est ab Aquilone, et Contritio magna.* Et Psal. 13. *Contritio et infelicitas in vis eorum.* Apud Theologos vero usurpatur hoc nomen ad significandam displicentiam de peccatis præteritis; quæ utique significatio fundamentum habet in Scriptura sacra; nam Psal. 50. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.* Et Psal. 146. *Sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Hinc appellatur etiam cordis *humiliatio*; nam, ut mox laudata verba expendit S. Augustinus, *Qui cor non conterunt, non sanantur; quid est contereere cor? sacrificium Deo spiritus contribulatus.. Qui obtulerunt cor? Humiles. Quinam non obtulerunt cor? Superbi. Contritum sanabitur, elidetur elatum, ad hoc enim forte eliditur, ut contritum sanetur. Sanat contritos corde; sanat ergo humiliatos corde, etc.* Dicitur pariter *amaritudo* cordis; quia videlicet peccata reddit amara pœnitentis animo, juxta illud Isaïæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ... Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Nominatur etiam *compunctio*, quasi cordis punctio: « Quia videlicet, inquit Guillelmus Parisiensis Tract. *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. 5., tunc primo sentiuntur spinæ et aculei peccatorum, cum Spiritus cor peccatoris infusione gratiæ suæ vivificaverit, ac sanctificaverit; sive quia tunc in imo cordis, et in intimo cordis infiguntur, juxta illud quod legitur in Psalm. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Aliquando enim ante adventum ejus, et vivificam ejusdem visitationem corde, studio, vel potius mortificato et mortuo, nec vulnus peccati, nec ferrum in vulnere sentiebatur, nec aculei peccatorum, nec punctiones ipsorum. Nominatur autem compunctio apud Psalmistam, Psalm 4. *In cubilibus vestris compungimini*: et Act. 2. *His autem auditis, compuncti sunt corde.* Vel ita dicitur, quia, inquit *ibidem*, quemadmodum arbores thuris et mirrhæ sudibus ferreis vulnerantur, et ipsa vulneratione velut lacrymatæ sunt hujusmodi arbores, seu coagulata; sic compuncta corda pœnitentium thus devotæ orationis, et mirram internæ amaricationis emittunt. Tandem dicitur compunctio, quia quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus erumpere possit, ita corda quasi scalpello Contritionis inciduntur, ut peccati mortiferum virus possit foras erumpere. Quare et *scissio cordis* a Joële Propheta appellata est; *Convertimini* (inquit cap. 2.) *ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et fletu, et planctu, et scindite corde vestra* ».

NOTANDUM 2. Quod cum Contritio spectari possit *vel* secundum ipsammet actus entitatem, *vel* secundum modum, quo actus ipse eli-

citur, *vel* juxta principium, a quo elicitur, *vel* denique secundum effectum, quem ipsa producit; inde fit quod plures et variæ proferantur Contritionis definitiones secundum varium respectum: *primo* quidem, quantum ad substantiam et entitatem actus, definitur a Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 4. *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quæ utique definitio Contritionis ei convenit tam ut est actus virtutis, quam ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, siquidem utroque modo necessario debet esse dolor de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero. Licet quatenus est pars Sacramenti involvat præterea propositum confitendi, et satisfacendi, per quod distinguitur a Contritione quatenus est actus virtutis Pœnitentiæ, quæ ut sic non involvebat olim propositum confitendi, et satisfaciendi, sed tantum voluntatem puniendi, et vindicandi peccatum. Ratione vero principii dicitur *Dolor voluntarius puniens quod dolet se commisisse*: etenim Contritio est actus voluntatis nolentis ac dolentis se peccasse, ita quod si fieri posset, efficaciter vellet peccatum non a se fuisse commissum. *Tertio*, ratione effectus dicitur a S. Augustino *Dolor remittens peccatum*; vel a S. Gregorio *humilitas Spiritus annihilans peccatum inter spem et timorem.* Tandem ratione modi, quo exercetur, describitur a S. Isidoro: *Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrymis veniens de recordatione peccati et timore judicii.* Porro in prima definitione, quæ est omnium præstantissima, tres recensentur actus ad perfectam Contritionem convenientes, nimirum dolor de peccato commisso, ejus odium seu detestatio, et propositum amplius non peccandi. Quæritur autem, in quo potissimum ex illis actibus ratio formalis Contritionis consistat, et utrum tres illi actus ad veram et perfectam Contritionem necessario desiderentur. Cajetanus enim opusc. *De Contritione*, qu. 1. contendit Contritionem essentialiter consistere in actu odii de peccato, ita quod dolor sit tantum illius proprietas, propositum vero non peccandi de cætero ipsius doloris sequela et effectus. Suarez vero disp. 4. sect. 1. vult illam esse essentialiter detestationem peccati, quam tum ab odio, tum a dolore peccati vult esse distinctam. Aliqui vero, ut Conink., disp. 1. tit. 1. docent, Contritionem consistere essentialiter tam in actu doloris, quam in actu odii de peccato. Hæretici vero hujus temporis cum Luthero volunt Contritionem esse tantum amorem justitiæ, novam vitam, ac prioris vitæ emendationem; non vero ejusdem odium, displicentiam, detestationem, aut dolorem, ita quod Contritio non importet aliquid acerbum, aut amarum, sed omnia grata, jucunda, aut dulcia; unde inferunt dolorem seu tristitiam facere hominem magis hypocritam, non autem vere Pœnitentem.

NOTANDUM 3. Contritionem solito distingui duplicem, perfectam scilicet, quæ simpliciter dicitur *Contritio*, et est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum; et imperfectam, quæ appellatur *Attritio*, seu dolor de peccatis ex aliquo alio motivo honesto, quod non sit ipse Deus propter se amandus, et quatenus est summum bonum, a quo peccatum mortale avertit. Sciendum enim est, quod aliquis potest detestari peccatum propter varium finem: *primo*, propter timorem gehennæ, quam peccando incurreret: *secundo*, propter desiderium gloriæ et felicitatis æternæ, quam moriens in peccato perderet: *tertio*,

propter amorem virtutis, quam infuscaret, et odium vitii, quo inquinaretur; *quarto*, ex dilectione Dei, quem impense diligit, vel amore concupiscentiæ, propter varia bona, quæ ab eo recipit, vel amore amicitiae, nempe quatenus est summum bonum infinite perfectum et amabile, quod propriè est amare Deum propter se. Queritur autem in quonam ex istis motivis consistat ratio formalis Contritionis.

Tria igitur hac in Quæstione maxime occurrunt determinanda: *primum*, utrum ad perfectam Contritionem requirantur quatuor illi actus, nimirum odium, detestatio, et dolor de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero, necnon et confitendi, ac satisfaciendi: *secundum*, in quonam ex illis actibus formaliter Contritio consistat: *tertium*, utrum perfecta Contritio sit actus charitatis et amoris Dei formaliter, aut saltem a charitate imperatus.

Conclusio prima. — QUATUOR PRÆFATI ACTUS REQUIRUNTUR AD VERAM ET PERFECTAM CONTRITIONEM. Hæc colligitur ex Concilio Tridentino, quod ubi Contritionem definit et explicat, ejusmodi actuum meminit; nam Sess. 14. cap. 1. loquens de Pœnitentiæ virtute, quæ non est peccati remissiva, nisi quatenus est vera Contritio, hæc habet: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam consequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur.* Ubi ad perfectam Pœnitentiam requirit detestationem, odium, et dolorem de peccato. Capite autem 4. agens de Contritione, sic ait: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic modus Contritionis necessarius, et in homine post Baptismum lapsio, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ubi duplicem Contritionem delineat, nempe eam, quæ fit extra Sacramentum Pœnitentiæ, et eam, quæ Sacramento jungitur: ad utramque autem in nova Lege requirit non solum dolorem ac detestationem de peccato; sed etiam votum præstandi ea omnia, nempe Confessionem, et Satisfactionem, quæ ad Sacramentalem Absolutionem desiderantur.

Quod autem pariter odium etiam desideraverit, satis liquet ex eo quod ibidem Contritionem, quam in principio dolorem et detestationem appellaverat, statim post mox laudata verba simpliciter appellat odium; proscribens enim erroneam Lutheri sententiam, ait: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, etc.* Quod rursus iterum ibidem inculcat. Hinc Can. 5. sic definit: *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recôgitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, infidelitatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum*

et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium, anathema sit. Quibus verbis quamquam Tridentini Patres præcipue intenderint, definire contra hæreticos nostri temporis, ad veram Pœnitentiam non sufficere nudum ac sterile propositum melioris vitæ, sive cessationem a peccato; nihilominus haud obscure insinuant una cum odio ac detestatione peccatorum, et proposito melioris vitæ, etiam requiri dolorem de peccato commisso, sive interim dolor ille sit sensitivus, sive dumtaxat intellectivus.

Quando enim Contritio definitur per dolorem, ibi *dolor* non accipitur præcise pro ipso doloris actu, neque pro tristitia, quæ est passio, sed pro causa ipsius tristitiæ atque doloris, scilicet pro nolitione peccatorum: hæc enim tria differunt, nolitio, tristitia, et dolor; nam *nolitio* est actus voluntatis, scilicet nolle peccasse; *tristitia* vero est tristitia et passio, quæ oritur ex ipsa nolitione, et voluntatem afficit; *dolor* autem est passio, quæ subjicitur in facultate sensitiva, nimirum illa cordis anxietas, quam habet pœnitens ex nolitione et detestatione peccati. Porro ex his tribus sola nolitio videtur esse de essentia Contritionis: cætera autem sunt ejus effectus.

Nam, ut præclare docet S. Bonav., dist. 16. art. 1. qu. 1. ex S. August., lib. 14. *De Civ. Dei*, cap. 15. « Sicut peccatum perpetratur per consensum, sic e contra deletur et destruitur per dissensum voluntatis rationalis; et quia dissensus ab ea re, quam impossibile est non esse, generat dolorem, ideo dicendum, quod Contritio est dolor per essentiam. Sed attendendum, quod dolor dicitur dupliciter: uno modo ipse dissensus voluntatis; alio modo passio resultans in sentientem, vel sensualitatem ex illo dissensu, per quam prorumpit homo in lacrymas, et ille dissensus est de essentia Contritionis; sed illa passio est ejus effectus ». Hæc Seraph. Doct. Unde præclare colligit doctissimus noster Vega, lib. 13. *De Justificat.*, cap. 35. Si qui, *inquit*, sunt qui nollent quidem patrasse quæ admiserunt peccata, neque tamen dolent dolore sensitivo, aut etiam intellectivo de ipsis, ea detestatio peccatorum, absque ulla tristitia et dolore, ad justificationem sufficeret; idque constanter Scotus, Almaynus, et alii tradidere; et valde est hoc misericordiæ divinæ consentaneum. Nam et apud hominēs hoc nonnumquam satis est ad redeundum in gratiam cum illis. Nec verti in dubium potest, quin jam isti peccatores respiciant a suis peccatis, et vere eos illorum pœniteat. Et quatenus dolor, seu tristitia de peccatis proprie pro passionibus accipiuntur, quæ sequuntur ex affectibus eorum, qui nullatenus vellent acquievisse peccatis, adhibere possumus fidem nonnullis peccatoribus asserentibus, se non posse dolere de peccatis suis. Potest enim hoc assequi in dolore sensitivo, ex quo sequuntur lacrymæ, propter duram complexionem, vel propter nimium alioqui dolorem intensivum. Et non est mirandum, si alia magis sensibilia majorem causant dolorem, et in plures nos resolvant lacrymas. Et secundum Doctorem Subtilem, possibile etiam hoc est de dolore intellectivo, qui tristitia est, quia neque necessario sequitur, secundum ipsum, tristitia ex fuga, odio, seu nolitione peccati, licet ut plurimum conjuncta ipsi sit. Unde est illud

vulgatum S. Aug., lib. *De Pœnit.*, *Sicut Pœnitentiæ comes est dolor, ita lacrymæ testes sunt doloris.*

Quod si, ut assolent aliqui peccatores dicere, de hoc doleant, quod non dolent, et tali dolore sensitivo, vel intellectivo modo simpliciter dicant se nolle peccasse, admitti debent ad Pœnitentiam. Si tamen dicerent se non habere affectum, quo nolint consensisse peccatis, quæ admiserunt, quia non possunt talem affectum habere, et eum affectum more communi dolorem vocent, communibus et protritit rationibus ex malis, quæ sunt in peccatis, paulatim trahendi sunt, ut nolint ea admisisse. Fieri quippe nequit, ut doleant, quod non dolent de peccatis suis, si dolor accipiatur, ut plerumque fit, pro affectu, quo quis vult non peccasse. Nam is affectus semper subest potestati ejus, qui vere vult eum habere. Quia vero magis ille pendet ex Dei gratia et benignitate, quam ex nostra libertate, imprimis orandum est Deus, ut eum dignetur impertiri: *Quis enim (ut verissime dicit Bernardus, De tripl. miser.) scindet duritiam istam, nisi qui in passione sua petras excidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi a quo est omne datum optimum?* Hucusque Vega.

Cum autem pro se citet Doctorem Subtilem, libet ejus verba describere. Igitur Scotus, 4. dist. 14. q. 2. n. 17. in fine sic inquit: « Quandoque ex charitate sive ex contemplatione Dei statim inest quasi quædam detestatio peccati, et sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu justitiæ respectu illius tristitiæ: quandoque autem primo inest actus justitiæ (vindicativæ) et intensus in se, et tamen causæ proximæ, scilicet intellectus in considerando, et voluntas in detestando, non efficaciter moventur ex illo imperio justitiæ, forte quia carent habitibus, qui essent principia perfectionis in actibus suis ». *Prosequitur enim* n. 18. « Et licet istæ moveantur quandoque (scilicet intellectus in considerando, et voluntas in detestando), non tamen sequitur tristitia: quod etsi posset esse propter multas causas, propter hoc est quandoque, quia sicut intellectus conformatur parti sensitivæ in nobis, ita et appetitus intellectivus appetitui sensitivo quantum ad faciliter condelectari et tristari. Cujus ergo appetitus sensitivus non est natus tristari vel dolere, ejus voluntas non faciliter tristatur ». *Ex quo infert Doctor:* « Quod aliquis habet maximum actum Pœnitentiæ primo modo (idest maximum actum vindicandi peccatum a se commissum), et tamen nullum affectum (tristitiæ) vel modicum; et aliqui sine omni actu Pœnitentiæ primo modo, habent maximum effectum ejusdem rationis cum illo, qui natus est esse effectus Pœnitentiæ; et quod ille effectus sit major, vel minor, bene est aliqua excellentia in ordine ad deletionem peccati: sed simpliciter major est excellentia actus ad actum, ad quos actus sequitur hinc inde tristitia, quia plus delet meritorie peccatum actus causativus tristitiæ, quam ipsa tristitia. » Ergo secundum Doctorem detestatio peccati, utpote causativa tristitiæ, meritorie potest delere peccatum, esto per accidens, nulla tristitia, vel modica sequatur. Neque enim verisimile est Deum, qui est Pater misericordiarum, et qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, requisivisse ad conversionem et vitam, id quod non est in libera potestate peccatoris, veluti hic dolor seu tristitia consequens actum detesta-

tionis. Cæterum ipsam detestationem esse necessariam, ratio naturalis haud obscure dicit, quando novum induit hominem, et mutat statum suum, nisi exuat veterem per displicentiam aliquam, et nisi aliquo modo prior status ipsi displiceat; alias enim nulla subest causa mutandi; imo vix possibile est mutare: nam natura et nostra et nostrorum affectuum est, ut tandiu nobis hæreant quæ semel placuerunt, quamdiu nullo ab eis odio vel displicentia dimovemur; et si quæ semel approbaverimus, ea tandiu censemur probare, et firma ac rata esse velle, quamdiu non ea melius cogitantes reprobamus, aut retractamus. Ita Vega supra.

DICES 1: Sicut vere pœnitens dolere debet, ita et pudere: at pudor ille non est Confessio, nec Satisfactio; ac subinde neque odium, nec detestatio, aut dolor: igitur ad Contritionem requiruntur plures actus, quam supra dicti. *Insuper*, pœnitens non solum dolere debet, sed etiam gaudere, ut diximus agendo de Pœnitentia virtute, ac subinde sicut Contritio dicitur dolor, etiam dici debet gaudium. — Respondet ad utrumque Seraphicus Doctor *ibidem*, « quod pudor consequitur ad « dissensum voluntatis, secundum quod dissentit a peccato, tamquam « a turpi; consequitur etiam gaudium, secundum quod ex illo dissensu « sentit se elongari a peccato; immediatius autem consequitur passio, « quæ est dolor; nam ipse di-sensus vehemens a re quam nolumus « esse, et tamen est, immediate dolorem generat; quia nempe est « dissensus; quia vero est dissensus propter rem turpem, generat pu- « dorem; quia vero per illum dolorem peccator elongatur ab ipsa re « turpi et infesta, ideo de peccato dolet, et de dolore gaudet. »

DICES 2: Dolor est dissensus ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, ait S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 15; sed Contritio est dissensio a peccatis, quæ nobis volentibus accidunt: igitur, etc. — Respondet idem Seraphicus Doctor, quod peccatum est voluntarium quoad delectationem; sed non est voluntarium quoad rationem malitiæ, et deformitatis, et pœnæ. « *Si autem dixeris*, dolorem Contritionis « non tantum esse debere de deformitate, sed etiam de delectatione: « Respondet, quod ut peccator debite doleat, sufficit, quod illud, de quo « dolet, sit nolitum, pro tempore in quo dolet, non autem pro omni « tempore. » Cætera, quæ ad hanc difficultatem spectare possunt, jam soluta manent ex his, quæ diximus de essentia Pœnitentiæ virtutis.

Conclusio secunda. — CONTRITIO MAGIS PROPRIE CONSISTIT IN DETESTATIONE SEU ODIO PECCATI, QUAM IN ALIIS ACTIBUS.

Probatur, quia Contritio est actus virtutis appetitivæ: igitur est actus voluntatis quatenus detestatur peccatum. *Patet antecedens*; siquidem Contritio est actualis nolitio peccati; non absoluta, sed conditionalis, ac si pœnitens diceret: si possibile esset, nollem me peccasse: sed illa nolitio nihil aliud est formaliter, quam ipsa peccati detestatio: igitur, etc. *Nec obstat*, quod Concilium Tridentinum, locis in priori Conclusionem laudatis, ex æquo Contritionem appellet dolorem, ac detestationem peccati; hæc enim debent accipi cum debita portione, et secundum sensum accommodationis; ita quod Contritio essentialiter sit detestatio, dolor autem tantum concomitanter, seu casualiter; quia videlicet cum illa detestatio non sit aliud, quam velle

non peccasse, ex quo sequitur dolor, quia dolor nihil aliud est, quam tristitia et afflictio, seu angustia quædam, ex eo quod homo videt se fecisse quod fecisse nollet, idcirco illa detestatio necessario concomitantem aut subsequentem dolorem habet.

Confirmatur: in eo præcipue constituenda est Contritio, ex quo tamquam rivuli ex fonte emanant alii actus ad perfectam Contritionem desiderandi: sed illi omnes oriuntur ex ipsa peccati detestatione; ab ea namque provenit dolor, ut statim diximus; oritur etiam odium, si revera odium illud sit aliquid distinctum ab ipsa detestatione, quod utique non existimo: in voluntate enim circa bonum et malum sunt tantum illi actus, qui correspondent passionibus appetitus sensitivi: sed odium et detestatio correspondent eidem passioni, quæ appellatur *odium*, nullusque Philosophorum hætenus dixisse videtur, odium et detestationem esse duas virtutes: ab ea pariter detestatione provenit voluntas non peccandi de cætero, et implendi ea, quæ necessaria sunt ad obtinendam peccati remissionem; qui enim revera peccatum detestatur, habet animum illud amplius non admittendi, et applicandi ea omnia media, quæ conducunt ad illius destructionem; ac subinde ea faciendi, quæ necessaria sunt ad Absolutionem sacramentalem, sine qua, in re, vel in voto suscepta, non potest fieri peccati post Baptismum commissi remissio in nova Lege.

DICES 1: Si dolor consisteret essentialiter in detestatione et odio peccati, cum hæc detestatio et illud odium sint perfectissime in Beatis, sequeretur pariter, quod in iis esset perfectissima Contritio: sed hoc dici nequit: igitur nec illud. — **Distingo majorem:** si in Beatis talis esset detestatio, quæ vel concomitantem vel subsequentem haberet dolorem de peccatis, *concedo:* secus, *nego.* Et sic distincta *minore,* *nego consequentiam.* Duplex enim distingui potest peccati detestatio, una quidem generalis, quæ diffunditur per omnes actus cujuscumque virtutis, maxime vero charitatis, quæ quatenus tendit in objectum sibi conveniens, aversatur id omne, quod isti objecto opponitur: alia vero specialis, quæ maxime tendit in ipsius peccati vindictam et destructionem, quæque non est aliud, quam ipsa formalis nolitio positiva voluntatis, qua pœnitens, si fieri posset, nollet peccasse, et dolet se peccasse; prior quidem potest esse in Beatis, non vero posterior.

DICES 2: In eo præcipue consistit Contritio, quod per se primo opponitur peccato, et illud destruit: sed id, quod per se primo opponitur peccato, non est illius detestatio, sed dolor, quo videlicet pœnitens afficitur, cum dolet se Deum offendisse: igitur Contritio magis consistit in dolore de peccato, quam in ipsius odio, sive detestatione. *Major constat:* nam sicut Pœnitentia respicit peccatum sub ratione offensæ vindicandæ et puniendæ, ac compensabilis per actus pœnitentis, ita et ejus actus principalis et primarius, qui est Contritio. *Minor vero probatur:* actus, quo homo vindicat peccatum, debet opponi illi actui, quo illud commisit: igitur sicut homo peccavit per delectationem illicitam, debet peccatum illud vindicare, et Deo satisfacere per actum ipsi delectationi oppositum: hic autem alius non potest esse, quam dolor; nam, inquit S. Augustinus, Sermon. 7. *De Tempore: Quando sic pœnitens, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat, ipsum te cruciat in mente, jam tunc*

bene ingemiscis ad Deum, et dicis: Tibi soli peccavi. Igitur, etc. — **Nego minorem:** nam cum peccatum consistat in voluntaria aversione a Deo, primus Pœnitentiæ môtus consistere debet in voluntaria hominis ad Deum conversione; ac subinde in odio et detestatione illius, quod a Deo avertat: quæ utique detestatio nihil aliud est, quam ipsa nolitio, qua pœnitens nollet se peccasse; quod cum fieri non possit, exinde exurgit dolor propter ejusmodi peccatum admissum. Hinc fateor eundem, quod dolor sit vindicta illicitæ delectationis quatenus ille dolor sensualis est; non autem prout est omnino spiritalis, et quid consequens ex præfata nolitioe.

Ex his itaque sequitur, illam peccati detestationem seu odium esse primarium ac potissimum Contritionis actum, a quo cæteri velut a radice pullulant: ex eo namque, quod homo peccatum exeretur, inde dolet, quod illud admisit, et movetur ad illud destruendum omnibus modis et mediis a Deo præscriptis; ac subinde ad quantocius frequentandam et faciendam sacramentalem Confessionem, quâ possit ejusmodi peccati destructionem et veniam obtinere.

PETES: *Utrum ad perfectam et integram Contritionem omnes isti actus detestationis, odii, doloris, et propositi non peccandi de cætero seorsim debeant elici?* — **Respondeo,** non improbable videri, quod sufficiat eos virtualiter in ipsa formali peccati detestatione contineri. Quod utique probatur; quia si quis ex illis actibus formaliter elicitus requireretur ad perfectam Contritionem, maxime propositum non peccandi de cætero: sed ad id sufficit, quod propositum istud virtualiter includatur in ipsa detestatione efficaci et perfecta; nam, inquit noster Vega lib. 13. *De Justificatione*, cap. 31. Stare non potest, ut alicui displiceant præterita delicta, quia offensæ sunt Dei, si propositum sit offendendi Deum graviter, aut continuandi offensam aliquam ipsius lethalem. Et nullus perfecte respiscit ab erratis præteritis, aut vult mutare vitam priorem; quin habeat aliquam illius displicentiam: ita nemo perfectam habet prioris vitæ displicentiam, quin eam actu vel virtute mutare intendat. Mutuo se actu vel virtute comitantur hi affectus. Et qui sic affectus est, ut vere doleat de patratiss offensis, numquam, eo perseverante dolore, novas admittet; imo eas pro viribus evitabit, et declinare assereret se cupere, si de ea re interrogetur. Quod satis est, ut dicatur habere propositum virtuale emendandi vitam. Et qui vere in futurum eas cavere proponit, numquam, eo stante proposito, in præteritis sibi acquiescet, aut complacebit, sed potius, si quis eum percõntetur, dolere se dicet de illis admissis. Et quoniam vix aliquis communiter a peccatis vere respiscit, nisi et detestetur illa, et ea proponat imposterum vitare, admonendi sunt omnes peccatores, cum excitantur ad pœnitentiam, ut non solum priora peccata detestentur, et ab eorum, et quorumvis aliorum continuatione et repetitione se contineant, sed et omnia proponant deinceps pro sua virili cavere. Hucusque Vega. *Et post pauca addit:* cum his tamen omnibus stat separari posse ab invicem hos effectus, et stare potest detestatio præteritæ vitæ sine proposito novam aliam inchoandi, et propositum novæ vitæ sine detestatione prioris. Unde et Patres tamquam duo distincta posuere: cessationem a peccatis, et eorum detestationem. Et experientia constat,

nos sic aliquando meminisse præteritorum, ut nihil prorsus de futuris cogitemus: et contra, sic futura prospicere, ut præteritorum nulla mentem subeat recordatio. Et hoc ipsum in affectu multo magis potest contingere. Et sive contingat, sive non, de hoc uno modo disputamus, an detestatio admissorum delictorum sufficere possit ad veniam, sine proposito formali numquam amplius peccandi, sicut ex consensu omnium Catholicorum, proximo capitulo ostendimus non sufficere hoc propositum sine detestatione præteritorum. Et quidem (*prosequitur idem Auctor*) quanquam commemoratam viam, ut communem, ita etiam tutissimam, et populis semper inculcandam arbitror, tamen dum latius mecum reputo divitiis diviniæ in nos misericordiæ, dubitare non possum, quin etiam aliquando ad solam peccati admissi compunctionem justificentur peccatores. *Hæc ille.* Probat autem hanc piam opinionem exemplo Davidis, qui mox justificatus est, ut ex corde dixit 2. Rēg. cap. 12. n. 13. *Peccari Domino.* Statim enim audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ubi nulla fit mentio propositi emendationis. Et alia plura exempla similia reperies in Scriptura sacra, quæ ibidem adducit Vega in confirmationem suæ et nostræ opinionis. Quod si numquam, inquit ille, Deus ad quantumcumque compunctionem peccatoris peccata dimitteret, nisi actu adsit propositum imposterum cavendi peccatum, meminisset Scriptura et hujus quoque propositi in illis, quas dicit per suam pœnitentiam justificatos. Cur enim potius detestationis, quam propositi cessandi a peccatis recordata esset, si utrumque ex æquo requiritur, et neutrum sine altero sufficit? Ita Vega.

DICES: Propositum virtuale non peccandi de cætero nihil est aliud, quam odium ipsum et detestatio peccati: sed Concilium Tridentinum præter dolorem, detestationem, et odium peccati, requirit votum ac propositum non peccandi de cætero, et implendi ea, quæ necessaria sunt ad consequendam sacramentalem Absolutionem: igitur ex mente Concilii Tridentini, non sufficit propositum virtuale, sed formale et actuale requiritur. — **Respondeo,** idcirco Concilium Tridentinum detestationi peccati conjungere propositum emendationis, ut significaret non sufficere ad perfectam Contritionem quantumcumque simplicem displicentiam peccatorum, sed necessariam esse detestationem efficacem, ex qua si peccata futura occurrerent, et tempus congruum non deesset, illico voluntas prosiliret in affectum imposterum non peccandi. Quod autem hoc sufficiat, et propositum non peccandi de cætero virtualiter includatur in voluntate detestante ac excludente peccatum, colligitur ex eodem Concilio: tum quia Sess. 14. cap. 4. loquens de Contritione imperfecta, quæ Attritio dicitur, ait: *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat (sancta Synodus) non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Quibus verbis id quod vocaverat propositum non peccandi, cum generatim Contritionem describeret, hic appellat exclusionem voluntatis peccandi, quo significat, eum, qui det statur peccatum sincerè et efficaciter ita esse affectum, ut si interrogaretur, an vellet rursus peccare, testaretur se potius velle millies vitam profundere, quam Deum offendere morta-

liter; qui utique affectus alius non est, quam virtuale propositum non peccandi de cætero: tum quia, ibidem Concilium non solum requirit propositum emendationis, sed etiam Confessionis et Satisfactionis; imo etiam et actum spei: sed ad veram et perfectam Contritionem non requiritur votum explicitum Confessionis, nec formalis actus spei: igitur nec votum explicitum emendationis. — Hæc omnia efficaciter confirmat Vega his verbis: « Potest contingere aliquos peccatores subita morte sic præveniri, ut meminisse quidem possent peccatorum, quæ admiserunt, et de eis dolentes, et clamantes: *Domine miserere*, moriantur antequam quidquam de futuris cogitare vel statuere potuerint. Numquid igitur et hi venia carebunt? quid rigidius? quid durius? quid inclementius dici potest? Equidem Deus omnes confugientes ad se obviis manibus excipit, neminem facientem quod in se est despicit, sub ipso mortis articulo cunctis ad se conversis veniam impertitur. Neque de latrone illo felici, qui apud Christum in cruce pendentem, sub ipsa morte veniam invenit, alia in Evangelistis legimus, quam quæ illum testentur, et priorem suam vitam aversatum, et ad Christum humiliter recurrisset, et ipsius misericordiam orasse. Nonne etiam ad absolutionem sacramentalem satis sunt quandoque signa certa doloris de peccatis? Absolvi profecto possunt et debent peccatores, qui articulo mortis præventi confiteri nequeunt sua peccata, si explicuerint saltem in specie aliquod peccatum, et signis exterioribus dolorem suum interiore indicant, etiamsi nullo signo declarent quid in futurum proponant. Neque differenda est aliquo modo pro hoc Absolutio ». Hucusque Vega.

Conclusio tertia. — UT CONTRITIO SIT PERFECTA, ET VERE PECCATI REMISSIONEM MEREATUR EXTRA SACRAMENTUM, DEBET DETESTARI PECCATUM EX AFFECTU CHARITATIS, ET HABERE CHARITATIS ACTUM FORMALITER, AUT SALTEM VIRTUALITER, VEL AB EA IMPERARI. Hæc Conclusio duabus maxime partibus constat.

Quarum prima, nempe quod ut Contritio sit perfecta et remissiva peccati extra Sacramentum, debeat effici propter Deum offensum, et habere annexum votum suscipiendi Sacramentum, communis est apud Doctores Catholicos: siquidem Contritio perfecta in hoc ab imperfecta discrepat, quod hæc, quæ dicitur Attritio, non tendat in Deum propter se, et quatenus summum in se bonum est, sed quatenus est nobis bonus, seu prout est nostra ultima felicitas, a cujus consecutione removet peccatum, quod detestamur: hæc vero tendat in Deum diligendum propter se, seu quatenus est infinita bonitas, ac summe amabilis, et prout a charitate attingitur. Quod utique docet Concilium Trident., Sess. 14. cap. 1. ubi ait: *Docet præterea* (sancta Synodus) *etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari, prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et poenarum metu communiter concipitur, etc.* Quibus verbis Concilium in hoc distinguit Contritionem perfectam ab imperfecta, quod illa dicatur charitate perfecti: quod utique non fit aliter, nisi quia hujus Contritionis actus vel

est formalis actus charitatis, vel saltem eum habet annexum, aut virtualiter eum continet, ac peccatum detestatur quatenus est offensivum Dei summe diligibilis; sicque saltem mediate tendit in Deum, prout est objectum charitatis: contritio vero imperfecta, seu Attritio, detestatur peccatum, vel propter illius turpitudinem, vel propter malum gehennæ, vel quoniam removet a possessione Dei, quatenus nostrum summum bonum est, nostraque beatitudo: sicque non tendit in Deum ex motivo charitatis, et ex affectu amicitiae, sed dumtaxat concupiscentiae; qui quidem affectus licet in se vitiosus non sit, ut definit Concilium ibidem, tamen extra Sacramentum justificare non potest, quemadmodum Contritio perfecta.

Major est difficultas de secunda parte hujus Conclusionis, nempe quod Contritionis actus debeat elici a virtute charitatis, aut habere formalem charitatis actum sibi annexum, vel saltem eum virtualiter continere. Circa cujus assertionis determinationem triplex apparet Auctorum sententia. Probabilior autem nobis videtur ea, quæ asserit, Contritionem posse simul esse actum detestationis peccati, et amoris Dei super omnia, ita quod simul sit formalis amor Dei, et formale odium peccati. Nec id mirum videri debet, quippe cum ejusdem virtutis sit velle alicui bonum, et nolle ipsi malum, puta velle Petro sanitatem integram, et nolle ei infirmitatem aliquam etiam minimam: at velle bonum aliquod Deo, quatenus ipsi bonum est, puta quod sit infinitus, æternus, etc. quodque ab omnibus creaturis glorificetur et honoretur, est formalis actus virtutis charitatis; igitur similiter nolle Deo malum, qua ipsius offensum est, erit formalis actus virtutis charitatis; ac subinde detestari peccatum, quatenus est malum Dei extrinsecum et ipsius offensivum, poterit esse formalis actus charitatis, et ab ea elicitus. Quod utique confirmatur: nam formaliter amare Deum nihil aliud est, quam optare ipsi bonum aliquod positivum, quatenus ipsius bonum est; ac subinde velle ab eo removeri id omne, quod habet rationem mali in ordine ad ipsum; siquidem frequenter carentia et remotio alicujus mali, longe optabilior est, quam bonum aliquod positivum; et consequenter idem actus amoris Dei poterit simul esse odium peccati, et habere pro objecto formali motivo tum peccati deformitatem et malitiam, tum bonitatem divinam, quæ extrinsece ab ejusmodi malitia velut inficitur.

Confirmari potest hæc veritas illis omnibus Scripturæ sacræ ac SS. Patrum oraculis, quibus peccati remissio maxime charitati tribuitur. Sic Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ubi sermo est de S. Magdalena, quæ stans retro secus pedes Domini lacrymis rigabat pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, testabaturque summum de peccatis admissis animi dolorem et Contritionem; nihilominus ipsius dilectioni et charitati tribuitur peccatorum remissio, ut signum sit ejusmodi peccati detestationem eandem fuisse cum actu charitatis et amoris Dei. Sic pariter Prov. 10. *Universa delicta operit charitas.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et 1. Joann. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres... qui non diligit, manet in morte.* Ubi Scriptura non loquitur de habitu, sed de actu charitatis; siquidem in illis locis hortatur nos ad actum charitatis exer-

endum cum auxiliis actualibus, quatenus scilicet ejus intuitu Deus nobis peccatorum remissionem quæ fit per gratiam seu charitatem habitualemente largiatur. Unde S. Chrysostomus, Hom. 7. in 2. ad Timoth. post medium: *Sicut ignis ubi sylvam occupaverit, omnia purgare conuevit, ita et charitatis fervor quocumque incidit, omnia perimit, atque perripit, quæ divinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis atque fovendis alte seminibus.* Pergit: *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Et infra: *Plenitudo legis est charitas: cuncta nempe scelera, quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.*

Hinc S. Augustinus, Serm. 7. *De tempore*, ait: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei: hoc est odium peccati, quod ex motivo charitatis procedit; nam quod S. Augustinus ibi per amorem Dei non intelligat actum dilectionis ab ipsa Contritione distinctum, apparet ex verbis sequentibus. subjungit enim: Quando sic pœnitens, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiscis ad Deum, et dicis: Tibi soli peccavi.....* *Ista est, filioli, vera Pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur, quando sic pœnitet, ut non repetat.* Constat autem, quod ad efficiendam hujusmodi conversionem. sufficiat vera Contritio ex parte charitatis. absque ulteriori actu distincto dilectionis Dei super omnia. Quam utique S. Doctoris sententiam sic interpretari et confirmare videtur Auctor *De vera et falsa Pœnit.* cap. 17. cum ait: *Quem sero pœnitet, oportet non solum timere Deum judicem, sed et justum diligere; non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria: debet enim dolere de crimine, et de omni ejus prædicta varietate: quod quoniam vix licet, de ejus salute Augustinus potuit dubitare, etc.* Quibus posterioribus verbis significat actum amoris et dilectionis Dei, quem requirit ad veram Pœnitentiam, eundem esse cum dolore seu detestatione peccati; quippe cum dolorem ipsum dicat sufficere ad salutem.

DICES: Idem S. Augustinus, lib. 2. *Contra Cresconium*, cap. 2. ostendit non posse mundari quemquam, quantumvis plures exerceat Contritionis actus, nisi pariter eliciat actum charitatis: *Ideo, inquit Donatistas alloquens, vobis non videntur mundari, cum ad nos a vobis transeunt, quia non denuo baptizantur, quasi solo Baptismo, quem repeti non oportet, cum idem atque unus est, homines ab errore mundantur.* Cujus contrarium ut evincat, statim subdit: *Mundantur et verbo veritatis ab illo, qui ait Joann. 15. Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis: Mundantur, et sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est. Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum, Deus, non spernit. Mundantur, et eleemosynis ab eo, qui ait: Lucæ 11. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Charitas cooperit multitudinem peccatorum; quæ una si adsit, omnia illa recta fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Igitur ex S. Augustino actus charitatis et Contritionis sunt distincti. — **Nego consequentiam**: si quidem non satis constat ex præfatis verbis, de qua charitate locutus fuerit S. Augustinus, utrum de actuali, an vero de habituali; nam continuo subjungit: « Hæc vero (Charitas) unde sit, audi docentem

« Apostolum: *Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, etc.*
 « Unde merito eroduntur. qui extra Ecclesiam Baptismum Ecclesie
 « perceperunt, non habere Spiritum sanctum, nisi cum ipsi Ecclesie
 « in vinculo pacis per connexionem charitatis adhærescunt ». Ubi non
 obscure significat, se sermonem instituere de charitate habituali, et
 gratia sanctificante, quam propter defectionem ab Ecclesia habere non
 possunt adulti, qui Baptismum Ecclesie extra Ecclesiam percipiunt.
Adde quod etiamsi S. Augustinus loquatur de charitate actuali, nihil
 tamen ex eo evincitur contra nostram assertionem; ultro namque fa-
 temur sacrificium contriti cordis, nisi vel sit formalis actus charitatis,
 vel saltem virtualiter eum continens, et in idem objectum charitatis
 tendens, nihil prodesse.

URGEBIS: Si actus Contritionis non sit distinctus ab actu formali
 amoris Dei, consequens est, vel quod sit idem formalis actus amoris,
 vel quod ipsum virtualiter contineat: sed neutrum dici potest; quia
 actus detestationis est recessus a peccato tamquam malorum omnium
 maximo; actus autem amoris est accessus ad Deum tamquam bo-
 norum omnium optimum: at accessus et recessus illi sunt duo actus
 distincti: igitur, etc. Secundum etiam dici non potest; nam actus
 charitatis est omnium perfectissimus: igitur non potest includi vir-
 tualiter in actu Contritionis, qui minorem habet perfectionem, nam
 continens virtualiter nobilius est contento. — **Nego minorem:** et ad
primam ejus probationem dico, eundem actum amoris esse simul
 saltem virtualiter et æquivalenter accessum ad Deum, ut summum
 bonum, ac recessum a peccato, sicut et idem actus Contritionis, qui
 formaliter est recessus a peccato, et detestatio illius, et saltem vir-
 tualiter ac æquivalenter est accessus ad bonitatem divinam; quia
 videlicet ratione ejusdem motivi, unus horum motuum necessario ex
 alio sequitur, si uterque circa idem objectum formale et terminativum
 occupetur: nam eo ipso, quo quis detestatur peccatum propter Deum
 summe diligibilem, etiam Deum diligit, sicut e converso aliquis dete-
 statur peccatum saltem virtualiter, dum in Deum, ut summe dili-
 gibilem propter se, tendit actu et affectu amoris. Unde idem actus est
 simul prosecutio et fuga, accessus et recessus, quia fieri non potest,
 ut quis accedat ad Deum per actum dilectionis et charitatis, quin
 recedat et fugiat a peccato, quod ipsi maxime adversatur. *Ad se-
 cundam probationem* dico, Contritionem non esse actum imperfe-
 ctorem ipso actu charitatis; quippe cum ex dictis, ipse sit actus
 amoris, quamvis non ita explicitus, ac si tenderet in Deum per
 modum prosecutionis. Hinc actus Contritionis et charitatis solum vi-
 dentur differre, quantum ad modum tendendi in Deum; quia actus
 charitatis tendit in Deum per modum prosecutionis, et quatenus obji-
 citur ut summum bonum, et summe diligibile; actus vero Contri-
 tionis tendit in Deum, quatenus propter ipsum fugit ac detestatur
 peccatum, prout ipsi opponitur; sicque actus charitatis immediate
 terminatur ad Deum, ut summum bonum, mediate vero ad peccatum,
 quod detestatur, quatenus ipsi summo bono oppositum: actus vero
 Contritionis immediate terminatur ad peccatum detestandum, et me-
 diate ad summam Dei bonitatem, propter quam peccatum aversatur.
 Unde fit, quod actus Contritionis ab actu charitatis solum discrepet

penes diversam tendentiam in idem objectum, et secundum distinctam ejusdem objecti connotationem mediatam vel immediatam. Cum enim illa duo objecta sint ita connexa, scilicet Deus ut summum bonum et summe amabile, et peccatum ut summe odibile, quod unum sit aliquo modo propter aliud, inde fit, quod uno et simplici actu utrumque objectum possit attingi. Quapropter Contritio dici potest amor Dei per modum fugæ; quia non est sola prosecutio divinæ bonitatis, sed simul fuga peccati, quatenus offensivi Dei. Et consequenter constat *secunda pars* nostræ assertionis, nempe quod Contritio charitate perfecta possit esse actus formalis charitatis.

Apparet etiam *tertia pars*, videlicet quod Contritio necessario debeat esse actus aut elicitus mediante habitu charitatis dum elicitur ab homine justificato; aut saltem a charitate imperatus, quando videlicet illa peccati detestatio habet actum charitatis specialiter sibi adjunctum; ita quod ad ejusmodi detestationem non sufficiat, quod fiat ex motivo obedientiæ, aut Religionis, aut Pœnitentiæ, sed necessario fieri debeat ex motivo charitatis: *tum* quia, ut diximus ex Concilio Tridentino, ut Contritio sit justificativa extra Sacramentum, debet esse charitate perfecta, hoc est, fieri propter motivum charitatis, vel ab ipsa charitate elici: *tum* quia non fit præcise peccati remissio sine dilectione Dei, ut diximus ex Scriptura sacra; ac subinde illa Contritio debet esse elicit a charitate, vel ab ea imperata.

Hæc omnia confirmat Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 6. ubi docet Pœnitentiam ab amore Dei exordium sumere; ait enim de Pœnitentibus: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti... a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, filentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, etc.* Quibus verbis docet Concilium veram Contritionem debere necessario oriri ex amore Dei; nam per eam homo disponitur ultimo ad gratiam sanctificantem, per quam constituitur in civitate Dei: nullus autem pertinet ad civitatem Dei, nisi per amorem Dei usque ad contemptum sui, ut docet S. Augustinus, lib. 14. *De Civitate*, cap. ult. Igitur Contritio necessario debet amorem vel præsupponere, vel habere annexum, si non formaliter, saltem imperative, hoc est, si non præsupponat, vel non habeat annexum formalem actum amoris, saltem a charitate et amore Dei debet imperari. Contritio enim est detestatio peccatorum propter Deum, ac subinde necessario præsupponere debet aliquem actum voluntatis circa Deum: sed non est intelligibilis alius actus præter amorem; ex eo enim quod Deum amamus, detestamur offensam ipsi irrogatam: igitur cum Contritio includat odium peccatorum propter Deum, necessario fieri debet ab amore, et elici ex motivo charitatis.

DICES: Si dilectio Dei necessaria sit ad veram Contritionem, igitur superflua est Contritio ad remissionem peccati. *Consequentia patet*: nam, ut jam pluries diximus, actus charitatis sufficit ad justificationem et peccati remissionem: ergo dum præcedit Contritionem, revera confert ad remissionem peccati, et sic nihil remittendum relinquit

Contritioni. — **Nego consequentiam:** vel enim actus Contritionis est idem cum actu amoris Dei, vel eum habet annexum. Si primum, Contritio non est inutilis ad justificationem; quippe cum ipsa sit ad eam ultima dispositio. Si autem solum actum amoris habeat annexum, ita quod actus detestationis peccatorum præcedat, ac postmodum sequatur actus dilectionis, aut viceversa, non potest fieri plena peccatorum remissio extra Sacramentum, donec uterque actus fuerit elicitus; quando enim quis recordatur peccatorum, non sufficit sola dilectio Dei absque Pœnitentia actuali, neque fieri potest, ut quis Deum diligat, et recordetur se Deum offendisse, quin illico detestetur illam offensam; sicque Deum amando dolet, quod eum offenderit, et dolendô Deum impensius diligit.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALITER ET QUANDO CONTRITIO HABEAT VIM ET EFFICACIAM REMITTENDI PECCATA.

JAM aperte liquet ex dictis, Pœnitentiam et Contritionem habere vim remittendi quæcumque peccata; non quidem formaliter, sed solum dispositive, ut docuimus in octavo volumine, agendo de justificatione, quod etiam significat Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 4. cum ait: *Contritionis motus, in homine post Baptismum lapsso, demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Quibus verbis aperte docet, Contritionem esse quidem dispositionem ad consequendam peccatorum veniam, non vero esse ejusmodi peccati remissionem formalem; forma namque non potest esse dispositio ad seipsam, quippe cum inter dispositionem et formam exerceatur aliqua causalitas, quæ necessario distinctionem supponit. Duo autem hic supersunt determinanda: *primum*, utrum Contritio ante realem Sacramenti susceptionem, et statim ac ipsa formatur, conferat ad peccati remissionem obtinendam: *secundum*, qualis et quam intensa esse debeat ad ejusmodi effectum producendum.

NOTANDUM 1. Omnes Theologos invicem convenire quod Contritio, urgente necessitate et imminente mortis pericula, sufficiat ad obtinendam peccati remissionem citra Sacramentum, cum voto illud suscipiendi, si Sacerdos haberi posset: quemadmodum Epist. 78. de Contritione Cathecumeni docet S. Bernardus, ubi non adest occasio et facilitas suscipiendi Baptismi. Idque aperte tradit Concilium Tridentinum loco supra laudato, ubi ait: *Docet præterea sancta Synodus etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu recipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Verum non desunt qui existiment cum Estio, in 4. dist. 17. § 2. neque ordinarie, neque frequenter, ac multo minus semper, sed raro fieri, ut ante actualem Sacerdotis absolutionem peccator sit absolutus coram Deo; quæ utique sententia utrum vera sit nec ne, determinabitur in prima Conclusionem.

NOTANDUM 2. Objectum aliquod posse tribus modis magis diligere, aut odio haberi, quam aliud. *Primo* quidem objective, quando ei volumus et optamus majora bona, quam velimus alteri: *secundo*, intensive, quod diligitur cum majori conatu et ampliori fervore, quam ullum alterum, ita ut actus amoris erga istud plures habeat gradus intensiois, quam quicumque alius actus amoris erga aliud objectum: *tertio* denique, appetiatiue, quod pluris aestimatur, quam aliud; ita quod propter objectum dilectum consequendum vel conservandum, quodcumque aliud omittatur, sive interim illud objectum dilectum intensius, et majori cum conatu ametur, sive non. Sic Deum dicimur appetiatiue diligere, dum eum quicumque rei diligibili præferimus. Simili modo dicimur aliquid appetiatiue odisse, seu per comparisonem ad aliud, dum optamus potius pati quodlibet aliud malum, quam istud; sic dicitur quis peccatum odisse, dum optaret magis malum quodlibet perpeti, quam peccatum admittere, et Deum lethaliter offendere. Porro amor ille, sicut et dolor, intensivus, et appetiatus in eo differunt maxime, quod ille se teneat ex parte subjecti et facultatis, quæ cum majori vel minori conatu operatur; appetiatus autem ex parte objecti, quod pluris sit in suo genere amabilitatis aut odibilitatis.

NOTANDUM 3. Ex Seraphico Doctor, in 4. dist. 26. p. 1. art. 2. qu. 1. intensionem amoris aliam esse sensitivam, aliam intellectualem. Prior comitatur actum appetitus sensitivi: posterior autem actum voluntatis, quatenus voluntas est: prior assimilatur amori quo mater filium diligit cum cordis teneritudine: posterior vero amori Patris, qui eundem filium diligit cum animi constantia ac firmitate; quippe cum se periculis exponat pro eo vel ditando vel conservando. *Insuper* in voluntate alia est amoris intensio secundum portionem inferiorem, et provenit ab anima, quatenus est conjuncta corpori; alia vero secundum portionem superiorem, quæ regulatur secundum fidei et gratiæ dictamen, quæque consistit in majori aestimatione unius objecti propter se voliti, quam in aestimatione alterius. Certum est autem, quod quilibet teneatur Deum diligere magis, quam patrem aut matrem, amore rationali seu intellectuali, et secundum portionem superiorem, saltem appetiatiue, quam quodlibet aliud objectum creatum. Certum pariter est, quod non teneamur Deum plus diligere, et magis intensive secundum teneritudinem, et juxta portionem inferiorem voluntatis: siquidem sanctissimi etiam quique viri experiuntur, se habere majorem cordis teneritudinem erga filios, quam erga Deum, magisque affici dolore sensitivo de morte filiorum, quam de amissione Dei per peccatum, tametsi mallent omnia alia non esse, et omnes filios amittere, quam Deum offendere mortaliter. Quæritur autem, utrum alia ratione teneamur Deum magis diligere, ac proinde per Contritionem magis pœnitere.

Conclusio prima. — CONTRITIO PERFECTA SUFFICIT AD REMISSIONEM PECCATI CITRA SACRAMENTUM, ETIAM PRÆTER CASUM NECESSITATIS, SINE REALI SUSCEPTIONE SACRAMENTI, DUMMODO ADSIT VOTUM ILLUD SUSCIPENDI. Hæc est communior apud Theologos, et

Probatur primo auctoritate Scripturæ: siquidem non minoris est efficacitatis Contritio in Lege Evangelica, quam in Mosaica: sed in hac

sufficiebat ad obtinendam peccati remissionem, statim ac erat concepta: igitur et nunc ad id sufficiet. *Major constat; siquidem gratia novæ Legis longe abundantior est, quam veteris, et faciliori modo jam obtinemus peccatorum remissionem, quam obtinuerint Synagogæ filii. Minor vero probatur; primo quidem exemplo Davidis, qui 2. Reg. cap. 12. vix per Pœnitentiam ad Deum conversus protulit hæc duæ verba: Peccavi Domino, cum statim audivit a Nathan Propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Ubi signanter dixit: Dominus transtulit, ut significaret, quod statim ac formatus fuit a Davide Contritionis actus, illico Deus ipsi indulgentiam concessit. — Quod ipsemet regius Propheta testatur, cum ait Psal. 31. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Ad quæ verba addit S. Augustinus: Non jam pronuntiat, inquit, sed promittit se pronuntiaturum, et ille jam dimittit. Attendite fratres, magna res, dixi: pronuntiabo, et tu dimisisti; quia eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit, quia nondum pronuntiaverat: hoc ipsum dicere pronuntiabo, pronuntiare est: ideo et tu remisisti impietatem cordis mei: Confessio vero mea ad os nondum venerat, dixeram enim: pronuntiabo adversum me: verumtamen Deus audivit vocem cordis mei: vox mea in aure nondum erat; sed auris Dei jam in corde erat. Addit Propheta: Pro hac, idest propter hoc, orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, ut nimirum etiam statim per Contritionem resurgat, et similiter peccatorum veniam obtineat. Subscribit Cassiodorus ad eadem Psalmi verba, dicens: Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimittitur, rotun enim pro operatione judicatur. — Colligitur eadem veritas ex illis verbis Ezechielis 33. Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit; et impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Ubi dies pro hora vel momento accipitur, juxta phrasim hebraicam: sicut cum Adæ dixit Gen. 2. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Ex quibus sic licet argumentari: eodem modo loquitur Propheta de recuperatione justitiæ per conversionem peccatoris, quomodo de illius amissione et jactura per aversionem justi: sed justus statim adveniente peccato perdit justitiam: igitur peccator ad Deum conversus per veram Contritionem charitate formatam, statim liberatur a peccato; alioquin in die, qua conversus fuerit, nocebit ipsi sua impietas. — Confirmatur ex verbis Isaïæ 30. nam ubi vulgata Editio legit: Ad vocem clamoris tui; statim ut audivit Dominus respondebit tibi, LXX. Interpretes vertunt: Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris: ubi signanter dixit, tunc, ut significaret, nullam interponi moram inter reversionem peccatoris per gemitum Contritionis et salutem ejusdem per justificationis gratiam. Quod utique præclare sic expendit sanctus Leo, Epist. 89. alias 71. ubi loquens de satisfactione, et reconciliatione non deneganda finaliter pœnitentibus, ait: His autem qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium Pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempus definire: apud quem nullas patitur veniæ moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Licet autem ibi dumtaxat loquatur*

de finaliter pœnitentibus, nihilominus cum usurpet verba Prophetæ, significat, quod sive in necessitate, sive extra illam, cum aliquis conversus ingemuerit, *tunc*, idest, hoc ipso instanti et sine aliqua mora salvus erit; ac subinde non esse ullum periculum, quod ipsi in extremis posito concedatur reconciliatio in foro Ecclesiæ, cum jam apud Deum vere fuerit reconciliatus. Eodem modo hæc Prophetæ verba interpretatur Cælestinus Papa, in Epistolam ad Episcopos Galliæ, cap. 2. ubi ait: « Vera conversio mente potius, quam corpore metienda est, « dicente Propheta: si conversus fueris, salvus eris ».

Probatur secundo ex Bullis summorum Pontificum Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII in quibus damnantur hæc Baji propositiones; hæc quidem nu. 31. *Charitas perfecta et sincera, quæ ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Et ista n. 37. *Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramentorum.* Qui enim damnant hanc doctrinam, consequenter asserunt, Contritionem conjunctam cum charitate perfecta, et voto Sacramenti, remittere crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; ac subinde censent, talem Contritionem ejusmodi vim habere, quotiescumque illa præsens aderit. *Confirmatur ex Catechismo Pii V, ubi agens de Contritione num. 39. ait: « Neque hæc « in re desperent fideles de summa Dei bonitate et clementia, is enim « cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam « nobis veniam interponit, sed paterna charitate complectitur simul « atque ille se collegerit ». Et infra num. 42. « Ipsa certe Contritio, inquit « Propheta, cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet. Quin « etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum re- « missionem nobis a Deo tribui, alio loco ejusdem Prophetæ verba « illa declarant: dixi. Confitebor adversum me injustitiam meam Do- « mino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Atque ejus rei figuram « in decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad Sacer- « dotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. « Ex quo licet cognoscere, veræ Contritionis, de qua supra dictum « est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam « statim a Domino impetremus ».

Adstipulatur etiam ratio Theologica, siquidem Contritio est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem; ac subinde ubi semel perfecte posita est, etiam simul præsens adesse debet gratia sanctificans; posita enim ultima dispositione, ponitur forma: sed gratia sanctificans de via ordinaria non stat cum peccato: igitur Contritio necessario et infallibiliter infert remissionem omnium peccatorum. *Dēinde, Contritio vel est formaliter actus charitatis, aut virtualiter, vel saltem charitatis actum annexum habet: sed, ut diximus supra, charitas necessario secum infert peccati remissionem; siquidem amor Dei hominem vere Dei amicum constituit; nam Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Eccli. 34. v. 15. *Oculi Dei in diligentes se.* Joan. 1. c. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et v. 16. *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Joan. 14. v. 21. *Qui au-**

tem diligit me, diligetur a Patre meo. Et v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum serrabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus (per gratiam sanctificantem), *et apud eum mansionem faciemus.* Deus autem mansionem facere non potest in anima peccatrice, nec vicissim anima peccatrix in Deo manere potest; ac subinde cum Deus odio habeat peccatores, et diligit diligentes se, necesse est, quod qui diligit Deum, solvatur a peccato, ut a Deo diligatur.

OBJICIT I. ESTIUS: Non aliter ratiocinandum est de remissione peccati per Contritionem in aliis peccatoribus, quam in Magdalena pœnitente: sed ipsi peccata non fuerunt remissa virtute Contritionis et dilectionis, statim ac illius actum formavit; siquidem Lucae 7. Christus de ea dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, quibus significat se in præsentem ei peccata dimittere, ratione antecedentis actus Contritionis et charitatis. *Id confirmat* Estius exemplo Martyrum Genesii et Emerentianæ, qui baptizati leguntur in sanguine suo, quibus potius tribuendus videretur Baptismus flaminis, quam Baptismus sanguinis, si ille, sicut hic, vim haberet statim justificandi. Sic et S. Paulus licet mirabiliter conversus, ac proinde habens perfectam Contritionem, nihilominus audivit ab Anania Act. 2. Surge et ablue peccata tua: igitur ejus Contritio non habuit vim statim peccata remittendi. — **Nego minorem**; cum enim conversio Magdalænæ extraordinaria fuerit, et præstantissima habuerit veræ ac perfectæ dilectionis signa, non dubito, quin antequam Christus de ea diceret, *Remittuntur ei peccata multa*, etc. revera eam fuisse a peccatis mundatam virtute Contritionis; unde verba illa non significabant remissionem fieri, sed jam esse factam in instanti dilectionis et Contritionis; sicque erant remissionis factæ declarativa, aut saltem illius confirmativa, non secus ac verba Sacramentalis Absolutionis, quando proferuntur super peccatis semel dimissis, quæ simul significant peccatum esse revera dimissum quoad reatum culpæ; et insuper illud solvunt quoad reatum pœnæ et indignitatis. Hinc etiam postea, interjecto aliquo temporis spatio, iterum Christus eidem Magdalænæ dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*: quæ verba non significabant iteratam peccati Absolutionem, sed prioris confirmationem, sicut cum Marci 7. Mulieri jam sanatæ a profluvio sanguinis dicebat: *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace, et esto sana a plaga tua.* Nec obstat, quod S. Augustinus, Homil. 32. inter 50. de ea dixerit: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda, accessit agra, ut rediret sana, accessit confessa, ut rediret professa.* Hoc, inquam, non obstat; loquitur enim de accessu, prout simul complectebatur primam voluntatem accedendi, vel certe de illo tempore, quo forte ad Domini præsentiam accedens, nondum habebat Contritionem charitate perfectam. — **Ad exemplum SS. Martyrum Genesii et Emerentianæ** dico, eorum peccati remissionem potius adscribi Baptismo sanguinis, quam flaminis: tum quia, ut optime inquit Bosco, disp. 6. nu. 829. Baptismus sanguinis certior est, cum sit actus aliquis externus: tum quia efficacior est, utpote delens omnem culpam et omnem pœnam debitam: tum denique, quia ordinarie includit, aut certe supponit Baptismus flaminis, quandoquidem mors propter fidem Christi sit actus excellentissimus charitatis, saltem materialis, juxta illud dictum Christi apud

Joan. cap. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Denique ad exemplum S. Pauli responderi potest Ananiam sic fuisse locutum, vel quod dubius erat, utrum S. Paulus perfectam habuisset Contritionem, quæ sufficeret ad obtinendam veniam peccatorum; vel quod judicabat adhuc superesse eluendas pœnas temporales peccatis remissis debitas, quæ licet non inficiant animam, tamen dicuntur peccata, eo fere sensu quo concupiscentia dicitur peccatum, quia oritur a peccato. Dicuntur autem ejusmodi pœnæ abluï in Baptismate, quoniam per Sacramentum Ablutionis relaxantur et condonantur.*

OBJICIT 2. Non majoris est efficacitatis Contritio in pœnitente cum voto suscipiendi Sacramenti Pœnitentiæ, quam in Catechumeno cum voto suscipiendi Baptismatis: sed in hoc non sufficit ad remissionem peccati, donec baptizetur; nam, inquit S. Augustinus, tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur donec venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic nec pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit. Igitur nec alicui pœnitenti quantumvis contrito dimittitur peccatum, donec Sacramentum Absolutionis receperit.* — **Nego minorem, et ad S. Augustinum dico, vel ipsum loqui de eo quod fit communiter, quia videlicet pauci sunt Catechumeni qui revera perfectam habeant Contritionem ante Baptismum; unde fit, quod ordinarie maneant in peccato, donec baptizentur; vel significare voluit, non posse obtineri peccatorum remissionem quoad pœnam et culpam integram nisi per Baptismum; quamvis enim Catechumenus obtineat remissionem culpæ virtute contritionis, communiter tamen superest reatus pœnæ adhuc eluendus: vel denique dico, S. Augustinum ibi loqui de Catechumenis qui negligunt ad Baptismum accedere, ac subinde non habent efficax desiderium et votum suscipiendi Baptismi, nec consequenter perfectam Contritionem.** Unde præclare S. Bernardus, Epist. 77. ait: *Sicut nulla ei pœnitentia remittitur peccatum, si, cum possit, non restituitur ablatum, sic et huic nulla prodest fides, si, cum possit, non percipit Sacramentum Baptismi, quamquam et fidem convincitur non habere perfectam, si negligit: vera enim et plena fides universa præcepta complectitur: est autem hoc verum, ipsumque præcipuum præceptum: merito ergo non fidelis, sed plane rebellis atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit: quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit Sacramentum? Quod autem ea mens fuerit S. Augustini, apparet ex ipso textu, ait enim: Ne quis arrogans eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari Baptismo Domini.* Postque statim subjicit: *Quantumcumque Catechumenus efficiat, etc.*

OBJICIES 3. Concilium Tridentinum, Sess. 13. cap. 7. loquens de præparatione ad Eucharistiam, ait: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: et Canone 11. Statuit atque declarat sancta ipsa Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos exi-*

stiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem sacramentalem: sed ad debitam dispositionem prærequisitam ad Eucharistiæ sacramentum debite suscipiendum sufficit mundatio a peccatis: igitur cum præter Confessionem Concilium adhuc requirit absolutionem, signum est, quod non censeat Contritionem habere vim remittendi peccata citra casum necessitatis, absque reali susceptione Absolutionis sacramentalis. — **Distinguo minorem**: sufficit mundatio a peccatis vera, *concedo*: existimata tantum, *nego*. Concilium autem non negat sufficere veram et perfectam Contritionem ad debitam receptionem Eucharistiæ, sed dumtaxat, quod non sufficiat existimata ut talis. Unde etiam non dixit: *Quantumvis contritus sit, sed quantumvis contritus sibi videatur: et quantumcumque se contritos existiment*; ut nempe removeat et coerceat quorundam nimis sibi temere confidentium vanitatem et præsumptionem, qui existimantes se habere perfectam Contritionem, quam tamen revera non haberent, negligerent ac spernerent beneficium Absolutionis, quam facili negotio, data opportunitate Confessoriorum, possent obtinere. *Adde quod*, cum vera Contritio debeat esse actus supernaturalis, vix quis cognoscere potest utrum illam habeat, necne: cum enim intellectus noster pro hoc statu pendeat in suis operationibus a phantasmatibus, nec judicare possit quando aliquis actus sit supernaturalis: ideo merito suadet Concilium, ac præcavet, ut ne quis prius accedat ad Eucharistiam, quam adhibuerit media et remedia, quibus certior et securior esse potest, se non esse prorsus indignum participatione tanti sacramenti; « Nam, *inquit* ibidem Concilium, cap. 7. quo magis sanctitas et divinitas cælestis hujus Sacramenti vero Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad percipiendum accedat ».

OBJICES 4. Catechismum Conc. Tridentini dicentem num. 46. *Quoniam pauci admodum ad hunc (Contritionis) gradum perrenirent, fiebat ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset: quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cum clavēs regni cælestis tradidit*. Igitur paucissimi sunt, qui per Contritionem ante Sacramentum veniam consequantur. — **Respondeo**, nihil inde adversus nostram assertionem elici; quippe licet consideremus paucissimos esse, qui perfectam contritionem eliciant, tamen semper foret verissimum, quod qui perfectæ Contritionis haberet actum, sive in necessitate, sive extra necessitatem, revera peccati remissionem obtineret. Ex quibus apparet, quam inanibus et levibus fundamentis nitatur particularis Estii sententia.

Conclusio secunda. — CONTRITIO, UT SIT PERFECTA, DEBET DETESTARI PECCATUM SUPER OMNIA MALA, SI NON INTENSIVE, SALTEM APPRECIATIVE; AC SUBINDE, UT JUSTIFICET EXTRA SACRAMENTUM, NON REQUIRITUR ALIQUA INTENSIO GRADUALIS. Hæc videtur esse sententia Seraphici Doctoris, in 4. dist. 16. par. 1. art. 2. quæst. 1. ubi ait: « Dicendum quod cum quæritur de quantitate doloris, dolor potest dici displicentia rationis, vel passio ex hac resultans in sensualitate. Si hoc secundo modo accipiatur, dico, quod non est ne-

« cesse magis dolere de peccato, quam de re temporali. Nec etiam ne-
 « cesse est dolere, quia non est in potestate cujuslibet; talis enim
 « dolor non consequitur amorem, sed consequitur ipsam affectionem,
 « et affectio experimentalem cognitionem: et quia non omnes habent
 « experientiam divinæ dilectionis. ideo non omnes ita sensibiliter do-
 « lent de peccatis. Tamen quod magis etiam sensibiliter doleat aliquis
 « de peccato, quam de aliquo damno, hoc est perfectionis, et congruum,
 « non necessarium. Sed in quantum dolor dicitur displicentia rationis,
 « sic dico, quod displicentia mensuratur secundum quantitatem cha-
 « ritatis. Quantitas autem charitatis dupliciter potest accipi, vel in
 « se, vel in comparatione ad alios amores. In se, sic dico, quod est
 « parva, et major, et maxima. In comparatione ad alios, sic dico,
 « quod vindicat sibi dominium in corde, quamdiu est, nec unquam
 « ibi est, nisi sit domina. Unde dico, quod ad hoc, quod aliquis ha-
 « beat charitatem, necesse est quod diligat Deum super omnia. Du-
 « bitas, quid sit diligere Deum super omnia? Hoc autem est (*prose-*
 « *quitur S. Bonaventura* diligere Deum super omnia, quod pro nullo
 « damno vel commodo velit offendere Deum. Sic intelligendum de
 « displicentia Contritionis. Unde dico, quod peccatum debet tantum
 « displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo vel incommodo
 « velit in ipsum consentire, vel consensisse. Quorum voluntas, quæ
 « ex aliqua causa consentit in peccatum, justa non est. *Et infra sic*
 « *ait*: si ergo queritur, utrum dolorem Contritionis necesse sit esse
 « maximum? Si dicatur de dolore sensualitatis, manifestum est, quod
 « non. Si de displicentia rationis, aut quantum ad intensionem motus
 « absolute; et sic nec hoc modo oportet esse maximum. Si in com-
 « paratione ad alios dolores, dico sicut de amore, quod oportet quod
 « habeat prædominium. Illud autem prædominium non consistere in
 « gradibus intensionis perspicue manifestum est ex præcedentibus ». Igitur ex mente hujus sancti Viri, eximii Doctoris Ecclesiæ, Contritio justificativa non requirit determinatum gradum intensionis (ut optime colligit noster Bosco, disp. 6. sect. 2. cau. 8.), sed quantumcumque parva, sufficere potest ad peccati remissionem, dummodo eliciatur propter Deum summe offensum, et sit charitate formata.

Quam utique veritatem aperte docet Sanct. Chrysostomus, Epist. 17. ad Theodorum lapsum, et retetur dist. 3. *De Pœnit.*, cap. *Talis*, ubi ait: *Talis, crede mihi, talis est erga homines pietas Dei: numquam spernit penitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur. Etiam si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit et libenter amplectitur: facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum: et quod est adhuc præstantius et eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantumcumque tamen, et quamlibet brevi tempore gestam non respuit penitentiam. suscipit etiam ipsam, nec patitur quævis exiguæ conversionis perdere mercedem.*

Probat autem Conclusionem Seraphicus Doctor, loco supra laudato: primo, quia major ille dolor est, qui nullum habet gaudium annexum: sed dolor Contritionis habet aliquod gaudium annexum; siquidem penitens de peccatis dolere debet, et de dolore gaudere, ut dicit S. Augustinus. Et revera contritus gaudet de sua liberatione a peccato,

et aliis ejusmodi: dolor vero de amissione vel parentem, vel filiorum non habet gaudium annexum: igitur ille non debet esse intensissimus secundum intensionem gradualem. *Secundo*, magis dolendum est de eo, quod deperditum non potest reparari, quam de eo, quod recuperari potest, et revera recuperatum est: sed perditii parentes, aut filii hoc in mortali statu, nisi interveniente miraculo, restitui non possunt: Deus autem per peccatum deperditus a pœnitente potest recuperari, et de facto per Contritionem iterum possidetur: igitur, etc. *Tertio*, quantumcumque parva sit gratia sanctificans, delet omnem culpam: ergo similiter quantumcumque parvus sit dolor Contritionis, si gratiam et charitatem habeat annexam, sufficiens erit ad delendum omnem culpam. Quod utique confirmatur, quia Contritio se habet ut gratia sanctificans, ad quam disponit; ultima quippe dispositio debet æquari formæ, ad cujus receptionem præparat vel disponit subjectum: sed gratia sanctificans remissiva peccatorum, ad quam Contritio disponit, neque necessario est intensissima, neque certum exigit intensionis modum, aut gradum, infra quem non esset sufficiens ad delendum peccatum: igitur etiam quantumvis môdica et parva sit Contritio, sufficiens erit ad efficiendum peccati remissionem. *Denique*, quod dolor Contritionis non debet esse intensissimus, aut intensive maximus, nec habere certum intensionis gradum, apparet et suadetur exemplis; quia Contritio vera fuit in Davide de peccatis adulterii, homicidii, et inanis in enumeratione populi gloriæ: ea Contritio non erat intensive maxima, nam intensiorem in Absalonis filii morte dolorem ostendit. 2. *Reg.* 9. Vera fuit in S. Paula Contritio, erat enim sanctissima mulier et pœnitens: atqui Contritionis in ea dolor non erat intensissimus; experiebatur enim intensiorem in morte filiorum; Hieronymus enim ait in ejus Vita, sic eam affici solitam in obitu filiorum, ut ea semper de vita periclitaretur; at ejusmodi dolorem numquam sensit ob suas in Deum offensas.

Ratio est, quia quod est intensissimum non est in uno intensius, quam in altero: sed in uno pœnitente dolor est intensior, quam in altero, ut in Davide, Magdalena, et Petro. Non certus intensionis gradus aut modus exigitur; quia Deus in Scriptura contritis absolute promittit veniam, nulla facta limitatione gradus intensionis tristitiæ, seu doloris. Zachariæ 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Traditio quoque nusquam assignat certum Contritionis gradum, aut modum intensionis: ergo nullus est omnino determinatus, infra quem non sufficit Contritio, si forte motivum et objectum habeat. Ratio est, quia si certus intensionis gradus, aut modus in Contritione requiratur, pœnitens habebit justam doloris mensuram casu fortuito, non ex electione, quod est absurdum.

Huic autem veritati non refragatur Doctor, ut contendit Hiquæus in Commentario, ad dist. 14. quæst. 2. n. 97. ubi ipse oppositam sententiam tuetur: si enim alicubi Doctor assereret necessario requiri aliquam intensionem in actu Contritionis, maxime dist. 27. n. 19. ubi loquens de habitu infuso et actu supernaturali, videtur eum distinguere ab actu naturali per ulteriorem intensionem: *De tertio dico, inquit, sicut dictum est dist. 17. primi libri, quod ille habitus charitatis, quantum ad substantiam actus, dat aliquam intensionem ulte-*

riorem, quam eadem potentia, et ex æquali conatu dare non potest actui suo. At revera contrarium ex illo non evincitur. Nam Doctor Subtilis, eadem dist. n. 16. sic discurret: « de primo dico, quod
 « illud, *Super omnia*, potest intelligi extensive, puta plus diligit Deum,
 « quam omnia alia, ut citius vellet omnia alia non esse, quam Deum
 « non esse; et intensive, puta ex majori affectu vult Deo bene esse,
 « quam alicui alteri. De primo membro conceditur communiter, quod
 « nihil aliud a Deo, nec omnia simul sunt æque appetianda, sicut
 « Deus. De secundo ponitur una distinctio, quod amor excedit amorem,
 « vel quia est ferventior sive tenerior, vel quia fortior sive firmior;
 « et dicuntur isti amores sese excedere, sicut mater dicitur tenerius
 « et ardentius diligere filium, pater vero fortius et firmius, quia ma-
 « jori periculo se exponeret pro amore filii. Hoc modo dicitur, quod
 « dilectio Dei debet esse super omnia quantum ad firmitatem, ne sci-
 « licet aliquid aliud possit ab hoc evellere; sed non oportet, quod sit
 « super omnia, quantum ad fervorem et teneritudinem et dulcedi-
 « nem, quia aliquando invenit se quis ferventius diligere creaturam,
 « quam alius Deum. *Verum cum hæc distinctio ei non placeat, contra*
 « *eam arguit hoc modo:* quia solum hoc magis diligitur, quod firmius
 « diligitur: hæc enim magis diligo, cui minus volo malum accidere,
 « et pro cuius bono salvando magis me expono ex amore, quia expo-
 « nere sequitur amorem, et hoc loquendo de amore, qui est actus vo-
 « luntatis, non de illo, qui est passio appetitus sensitivi. Etsi igitur
 « aliqui dicantur diligere ferventius vel tenerius, qui tamen firmius
 « non diligunt, hoc non est ex aliquo excessu amoris intellectivi in
 « eis, sed forte alicujus passionis amoris sensitivi, sicuti aliqui, qui
 « dicuntur devoti, sentiunt aliquam majorem dulcedinem, quam alii
 « multo solidiores in amore Dei, qui centuplum promptius sustinerent
 « martyrium. Nec dulcedo est actus voluntatis elicitus, sed passio
 « quædam actui retributa, qua Deus allicit et nutrit parvulos, ne de-
 « ficiant in via ». *Inde concludit Doctor:* dico igitur, quod illud (su-
 « per omnia) debet intelligi utroque modo (scilicet extensive, et inten-
 « sive). Sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia extensive, ita
 « etiam majori affectu, quam aliquod aliud ». Dubitas an majori affectu
 ex parte subjecti, idest, secundum gradus intensivos, an vero majori
 ex parte objecti, idest, secundum essentiam? « Et dico (prosequitur Sco-
 « tus) majori simpliciter, quia scilicet magis repugnat effectui posito,
 « quia facilius posset inclinari ad oppositum dilectionis cujuscumque
 « alterius, quam Dei ». Ille igitur diligit Deum super omnia intensive,
 juxta mentem Doctoris, qui facilius posset inclinari ad appositam dile-
 ctionis cujuscumque alterius, quam Dei: ergo non requiritur major
 affectus ex parte objecti, idest, secundum essentiam.

Confirmatur hæc nostra explicatio ex Scholio præfixo n. 16. jamjam cicato: ait, *inquit*, Scotus, Deum esse diligendum super omnia intensive et extensive, et ideo tribuitur ei, quod velit nos teneri ad amorem Dei intensiorem omni alio. Et Valentia 2. 2. dist. 3. quæst. 4. part. 1. dicit neminem præter Scotum hoc tenere. Sed Scotus hoc non tenet, et alii multi tenent... Scotus vero tantum ait, Deum super omnia amandum esse extensive, et intensive, sicut explicantur hæc ab aliis; idest, tenerius et firmius Deum plus cæteris amandum; quia intensive

illis duobus modis pro uno et eodem reputat; sed non dicit majori amore gradualem esse amandum, sed solum majori affectu, ad quem sufficit majoritas appetitativa, seu affectus magis exclusivus oppositi. Hucusque Scholium. Ex quibus inferre licet, Doctorem præfato n. 19. per intensionem ulteriorem, quam dicit habitum charitatis conferre actui supernaturali, non intelligere intensionem ex parte subjecti sive gradualem, sed intensionem ex parte objecti sive essentialem. *Quantum*, inquit, *ad substantiam actus* (idest rationem ejus genericam, quæ desumitur ex objecto, et modo tendendi naturali lumine noto), dat aliquam intensionem ulteriorem, idest, commensurationem cum objecto. per quam constituitur actus in ratione specifica supernaturali. — Quam utique interpretationem optime confirmat Bosco, n. 246. et sequentibus ubi ait: hujus assertionis ratio alia congruentior subesse non potest. quam quia non videtur hominibus præscribenda obligatio, quin hujusmodi fundamentum appareat et colligi possit, vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex SS. Patribus: sed ex neutro illorum capitum colligitur illa necessitas intensionis in actu Contritionis, ut apparebit ex solutione objectorum et fundamentorum sententiæ adversæ.

OBJICIES ITAQUE 1. Cum Hiquæo n. 97. varios Scripturæ sacræ textus, quibus insinuari videtur, non quemlibet dolorem sufficere ad veram Pœnitentiam, sed summum et maxime intensum esse necessarium; quod apertum fit ex illo Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*, etc. Similiter Deut. 4. *Si quæsieris Dominum Deum tuum, invenies illum; si tamen quæsieris ex toto corde, et ex tota tribulatione animæ tuæ*. Et Deut. 30. *Si ductus pœnitudine cordis.... reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, et tota anima tua.... miserabitur tui*. 3. Reg. 8. *Si peccaverint tibi... et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua.... propitiaberis populo tuo*. 2. Paralip. 30. *Dominus, bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum*. Hieremiæ 29. *Quæretis, et invenietis me, cum quæsieritis me in toto corde vestro*. — **Respondeo**, his et similibus Scripturæ locis colligi quidem, quod ad peccatoris justificationem necessario requiratur aversio a peccato, et conversio ad Deum: ita ut necessum sit, quod revera homo omnem suum affectum peccandi exuat, et ex toto corde avertatur a creaturis, quæ ipsi erant in peccati occasionem, et ad Deum convertatur; non autem necessum est, quod id fiat ex summo affectu et animi Contritione. Unde ex ejusmodi locis colligitur, quod conversio ad Deum ex toto corde includat quidem revocationem cordis ab omni amore opposito dilectioni Dei, et involvat detestationem omnium peccatorum propter Deum cum proposito non peccandi de cætero: et talis conversio fit toto corde, licet per actum remissum id fiat; fit enim integro corde, nulla cordis parte remanente in affectu peccati; adeo quod diligere Deum toto corde, nihil aliud sit, quam diligere eum plus amoribus finitis, tunc enim integrum cor damus, quando nihil præ illo diligimus; pœnitere autem tota animæ tribulatione est displicere de peccatis, et de nullo complacere.

OBJICIES 2. Varias SS. Patrum auctoritates, qui ad veram Contritionem et Pœnitentiam videntur summum animi dolorem exigere, maxime pro gravioribus peccatis. Sic S. Cyprianus, tract. *De lapsis*,

ubi inter cætera, ait: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulnere diligens, et longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit... orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fetibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, et sordibus volutari, etc.* Similiter S. Ambrosius, *Exhortatione ad virginem lapsam*, cap. 8. ubi ait: *Sed quanta putas, et qualis necessaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat? Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterii est, an duplex sit per illam necem, quæ facta sit in occulto, et secundum conscientie molem adhibenda est Pœnitentiae magnitudo.* Et infra: *Cor vero sit liquescens sicut cera, jejuniis inquietans seipsum, etc.* Ac post pauca subiungit: *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Fortius est dolendum, quia peccatum est fortius.* Item S. Augustinus, *Epist. 54. ad Macedonium et refertur*, dist. 3. *De Pœnitentia*, cap. 33. ubi inducit peccatorem sic loquentem: *Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit... Aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænavero, si ad castigandum corpus meum, multa mihi etiam licita et concessa substraxero, si me pœnitendo vehementius quam prius excruciarero, si vehementius ingemuero, si flevero uberius, si rixero melius, si pauperes sustentavero largius, si charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius. Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nil tibi ista proderunt imposterum; cade, saltem hujus vitæ suavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem sacrilegii dementiam.* — **Respondeo**, his et aliis similibus Patrum oraculis suaderi quidem quod in agenda Pœnitentia peccator consulto adhibeat omnem conatum et affectum, non solum, ut pro viribus satisfaciatur tam pro culpa, quam pro pœna temporali, quæ remissa culpa remanet solvenda, vel in hoc sæculo, vel in Purgatorio, sed etiam ut sit securior, ne forte dum minus contendit Deo satisfacere, sufficientem satisfactionem non impendat, maxime cum certissimum sit, quod ad deletionem pœnæ correspondentis majori culpæ, major requiratur satisfactio, tam interna per dolorem, quam externa per opera bona et pœnalia. Cum enim pro peccatis satisfacere possimus, non solum per pœnas arbitrio et judicio Sacerdotis pro mensura debiti impositas, sed etiam per eas, quæ sponte a nobis suscipiuntur. Ideo prudenti consilio movent SS. Patres, ut juxta gravitatem criminum, graviores pœnas pro eis expiandis assumant. — Simili modo fit satis Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 1. ubi ait: *Alius est præterea Baptismi, et alius Pœnitentia fructus: per Baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Pœnitentia sine magnis nostris fetibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit.* Ubi Concilium loquitur non de remissione culpæ, sed totius pœnæ, quæ gratis quidem dimittitur per Baptismum, sed in Pœnitentia tantum relaxatur per ingentes

gemitus et labores. Unde, Sess. 6. cap. 11. discrimen pariter assignans inter Pœnitentiam et Baptismum, dicit, in Pœnitentia non solum requiri cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, *Verum etiam eorumdem sacramentalem Confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et Sacerdotalem Absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis.* Igitur nec SS. Patres, nec Concilium exigunt ad perfectam Contritionem dolorem intensum, et summum pœnitentis conatum pro obtinenda remissione culpæ, sed dumtaxat pro consequenda relaxatione totius pœnæ, quæ, remissa culpa, ordinarie superest luenda.

OBJICIES 3: Deus non confert suam gratiam, nisi facienti quod in se est: sed promittit suam gratiam habendi Contritionem: igitur ut quis sit vere contritus, debet omnem suum conatum et affectum adhibere. — **Respondeo**, majorem non esse sic intelligendam, quod ut quis gratiam consequatur, omnem suum conatum ad id debeat impendere: vix enim est inter mortales aliquis, qui ita perfecte operetur et exequatur quæ sibi præcepta sunt, quin adhuc præstantiori modo posset id exequi, si omnem omnino conatum ad id intenderet; sed dumtaxat hoc sensu est accipienda, quod ut quis gratiam sanctificantem per Pœnitentiam a Deo obtineat, debeat ex parte sua omnia adhibere, quæ ad hujus beneficii præparationem necessaria sunt. *Vel dico*, quod ipse debeat facere totum quod in se est, diligendo Deum magis appetitive, quam creaturas, quamvis non eum intensius diligit.

URGEBIS: Amor ille, aut dolor appetitativus enervat sollicitudinem peccatorum, Contritionem attenuat: igitur est improbandus. — **Nego antecedens**: nam peccatores solliciti esse debent, non solum de remissione peccatorum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam; unde cum dolor appetitativus tantum conferat ad remissionem peccatorum quoad culpam, pœnitens, qui ejusmodi remissionem obtinuit, debet adhuc satagere, ut per dolorem intensum, et opera pœnalia possit pariter consequi relaxationem pœnæ peccatis debitæ.

OBJICIES 4. Ex *Catechismo Romano*, num. 36. *Contritio debet non solum esse maxima, sed vehementissima*: at vehementissima Contritio est intensissima; siquidem vehementia doloris est ejusmodi intensio: igitur, etc. — **Nego minorem**: ibi quippe per *vehementissimam Contritionem*, nil aliud intelligit Catechismus, quam efficacem et actualem, non autem inefficacem et ignavam; unde statim subdit: *Omnemque ignaviam et socordiam excludat*; etenim in Deuteronomio scriptum est: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* Et apud Jeremiam, cap. 29. *Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro: et inveniar a vobis, ait Dominus.* Quamquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen et efficax Contritio esse potest; sæpe enim usu venit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine, doloris sensum capiunt. Idem etiam judicium

faciendum est, si lacrymæ doloris acerbiter non consequantur; quæ tamen in Pœnitentiâ summopere optandæ et commendandæ sunt. Unde etiam ad marginem habet hanc notam: *Contritio etsi non tanta, vera tamen est.*

Ex his sequitur veritas secundæ partis, nempe quod *Contritio debeat esse dolorum maximus appetitiæ, vel æstimiæ;* siquidem ex laudatis Scripturæ oraculis constat, Deum præcipere peccatori, ut convertatur ad se ex toto corde, sicut et jubet ut ea conversio fiat in fletu et planctu: porro jubet eam solum fieri secundum affectum; quia flere, plangere, jejunare, etc. non est unicuique liberum semper, et possibile, vel propter naturalem indolentiam, vel propter aegritudinem. *Iusuper* jubemur eo modo toto corde conteri, sicut et Deum diligere; nam, inquit *Catechismus Trident.*, num. 37. *Ut Deus summum bonum est inter omnia, quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse debent homines; unde sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat necesse est: atqui tenemur tantum habere maximam Dei dilectionem appetitiæ, vel æstimiæ, Deum omnibus in amore præferentes, malentesque quidvis aliud omittere, quam Deum aut amicitiam Dei, licet ejus amorem intensissimum non habeamus: ergo tenemur tantum odisse peccatum super omnia mala, licet odium et dolorem summe intensum non habeamus. Hinc prosequitur Catechismus: Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut nec vite quidem conservandæ causa peccare liceat, aperte nos docent illa Domini verba, Matth. 10. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, et filium, aut filiam super me, non est me dignus... Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Et quemadmodum (Sancto Bernardo teste) nullus charitati finis et modus præscribitur, quia modus diligendi Deum est ipsam diligere sine modo; ita peccati detestationi nullus modus definiatur. Ratio est, quia dolor ille maximus est appetitiæ, quo detestamur aliquid, ut maximum omnium malorum, et super omnia detestandum; et amor ille maximus est appetitiæ, quo diligimus aliquid, ut maximum omnium bonorum, super omnia diligendum: atqui dolor in Contritione de peccato a nobis commisso debet esse ejusmodi; nullum enim malum peccato mortali majus aut deterius, cujus detestationem debemus pluris æstimare, quam assecutionem ejusque boni, vel evitacionem omnis alterius mali; quia malum est, quod nos avertit ab ultimo fine.*

DICES 1: Omnis dolor appetitiæ maximus est etiam maximus intensive; quia quo pluris æstimamus rem amissam, eo majori conatu de illius amissione dolemus; dolor enim de re amissa oritur ex æstimatione et amore bonitatis ejus: atqui Contritio non est dolor intensive maximus: ergo nec appetitiæ. — **Nego majorem:** etsi enim ut plurimum intensiva magnitudo doloris oritur ex ejus appetitiæ magnitudine, tamen id absolute necessarium non est; quia magnitudo intensiva doloris oritur ex parte subjecti, et ex conatu, quo dolor intenditur ad alicujus mali detestationem: appetitiæ oritur ex parte objecti, quod super omnia doloris objecta odio habetur: sæpius autem accidit, ut de re aliqua magis intensive doleamus, de qua minus appetitiæ

dolemus, et e contra; nam et ipsi sæpe Sancti magis intra se dolent de amissione liberorum, quam de reatu peccatorum, ut Jacob, qui nolebat admittere consolationem super amissionem Josephi; sed illi non habent majorem appetiatiue dolorem de liberorum amissione, quam de suis peccatis; mallent enim amisisse liberos, quam Deum offendisse mortaliter. Et in ipsis rebus corporeis magis sæpe dolemus de eo, quod minus æstimamus: acrior enim est dentium dolor, aut ustio digiti, et intensior, quam lenta febris, aut pestifera: sed ex ea febris dolor est appetiatiue major. Patet etiam in amore; quia pater senex sæpe filium natu minorem intensius et tenerius amat, quam primogenitum; at hunc magis appetiatiue, quia majora primogenito vult, facitque bona.

DICES 2: Causa innotescit per effectum: sed in Contritione non est tantus doloris effectus, ac aliorum dolorum; nam lacrymæ sunt doloris effectus et testes: at per Contritionem non effunduntur tot lacrymæ, ac in aliis plerisque doloribus, puta ex amissione filiorum, aut opum, ex dedecore, vulnere, et similibus: ergo dolor Contritionis non est appetiatiue maximus. — Distinguo majorem: per effectum proximum et immediatum, *concedo*: remotum et mediatum, quales sunt lacrymæ respectu doloris animæ, *nego*: corporales enim mutationes immediate sequuntur ex passionibus sensitivæ partis, et ejus affectionibus. Hinc ex dolore sensibili, seu sensibili objecto nocivo, citius effluunt lacrymæ, quam ex dolore spiritali Contritionis. Optandæ sunt equidem in Contritis lacrymæ; nam ex S. Augustino, *Non sunt in te christianæ charitatis viscera, si luges corpus, a quo recessit anima, nec luges animam, a qua recessit Deus*. Et sancti pœnitentes lacrymis veniam impetrarunt a Deo. Sine lacrymis tamen potest esse vera Contritio: quia lacrymæ non sunt in nostra potestate. Quare debet esse perfecta; quia perfectio doloris animi sumitur ex electione: sed electionis in dolore perfectio sumitur ex eo, quod doleamus de re maxime dolenda, detestemurque malum super omnia detestabile, puta peccatum.

QUÆSTIO TERTIA.

QUOMODO CONTRITIO DETESTARI DEBEAT PECCATA.

NOTANDUM 1. Theologos invicem convenire, quod Contritio detestari debeat omnia prorsus peccata, ita quod si pœnitens haberet complacentiam in aliquo peccato, ejus dolor et contritio omnino foret inutilis; quoniam, ut ait S. Jacobus, *Qui peccat in uno, factus est omnium reus*; cum enim Contritio sit ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ obtineri non potest sine conversione perfecta hominis ad Deum, et aversione ab omnibus quæ a Deo removent; idcirco necessum est, quod, quemadmodum per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo, ita per Contritionem ab omnibus peccatis revocet animum, ac subinde quod illa detestetur. Idipsum aperte docet Scriptura sacra variis locis, maxime apud Ezechielem, cap. 18. v. 21. *Si impius, inquit, egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea.... vita vivet, et non morietur*. Et v. 28. *Considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas ope-*

ratus est. *vita vivet, et non morietur.* Item v. 30. *Convertimini, et agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Hinc Innocentius II in Concilio Romano, cap. 22. et refertur *De Pœnit.*, dist. 5. cap. 8. *Fratres, inquit, nostros Episcopos, et Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentis Laicorum animas decipi, et ad infernum pertrahi patiantur, Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.* Item S. Augustinus (vel quicumque est Auctor lib. *De Vera et Falsa Pœnit.*), cap. 9. et habetur *De Pœnit.*, dist. 3. cap. 42. *Sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed non omnino. reservantes sibi quædam, in quibus delectantur; non animadvertentes Dominum simul surdum et mutum a dæmonio liberasse, per hoc docens nos numquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet ex parte peccata reservari. habens septem dæmonia, manente uno proficere potuerat sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem autem ab alio ejiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum possideret, ostendens, quod etsi peccata sint mille, oporteret de omnibus pœnitere.* Suadet etiam ratio: tum quia quando quis detestatur unum peccatum ex amore Dei super omnia, idest, quatenus est offensa bonitatis divinæ a se super omnia amatæ, fieri non potest, ut similis offensa propter eandem rationem ipsi non displiceat, in quocumque objecto ipsa reperiat, sive formaliter et expresse, si offensa explicite proponatur, sive implicite et virtualiter, si specialiter non occurrat: tum quia eo modo Contritio tendit in peccata detestanda, quomodo fides in objecta credenda: sed hæc non potest tendere in unum objectum negando aliud: igitur neque illa peccatum aliquod detestari, si pœnitens in aliis complaceat; quia est idem omnino motivum in omnibus: et sicut non potes servare fidem si neges unum articulum, ita nec habere perfectam Contritionem, si in aliquo peccato complaceas. Verum difficultas est, qualiter hæc detestatio fieri debeat, utrum videlicet necessum sit ad perfectam Contritionem quod quis in speciali doleat de singulis peccatis sigillatim: an vero sufficiat ea generatim detestari.

NOTANDUM 2. Doctores pariter invicem consentire, quod si occasio urgeat, et desit tempus aut opportunitas recogitandi singula peccata mortalia, ac immineat evidens mortis periculum, sufficit ad perfectam Contritionem, quod detestetur peccata omnia universim et confuse cogitata; dolor autem de peccatis in confuso, nihil aliud est, quam dolor ille, quo peccator afficitur, propterea quod noverit Deum offendisse, sine ullo prævio ac præmisso conscientiæ examine, huncque aut similem efformat actum: *Pœnitet me Deum offendisse, propter summam illius bonitatem et gloriam, quomodocumque istud fecerim, et habeo firmum propositum non peccandi de cætero, ac ejusmodi peccata confitendi, si opportunitas adsit.* Quod vero iste dolor sufficiat in ea angustia, apparet; alias homo ille non haberet medium sufficiens ad salutem, nec verum esset, quod Deus toties in divinis Scripturis inculcat, scilicet quod in quacumque hora ingemuerit peccator, vita vivet. Difficultas autem est utrum, cum tempus et opportunitas adsunt, adestque Sacerdotis præsentia, cui confiteri possit, teneatur homo singula peccata tam quoad species, quam quoad numerum distincte in memoriam

revocare, atque ita de eis dolere. Circa quod duplex est capitalis Auctorum sententia: *prima* quidem Alensis, part. 4. qu. 17. memb. 3. art. 2. quem plurimi Recentiores sequuntur, affirmantes ad perfectam Contritionem necessarium esse, quod pœnitens de singulis peccatis doleat sigillatim. *Secunda* vero sententia est Doctoris Subtilis, dist. 15. qu. 1. num. 9. contententis, ad veram Pœnitentiam non esse necesse, quod de singulis peccatis sigillatim fiat Contritio et Satisfactio, sed ad id sufficere, quod ea fiant generatim et confuse de omnibus omnino peccatis.

NOTANDUM 3. Quod habere dolorẽ seu detestationem de singulis peccatis, contingere possit ac fieri duobus modis: *primo* quidem, ita quod cuilibet peccato secundum numerum vel speciem correspondeat singularis dolor ac detestatio, sicque tot sint detestationis actus, quot occurrunt memoriæ peccata commissa: *secundo* modo potest intelligi, nempe quod præmisso conscientiæ examine, et peccatis, quantum pœnitenti libuit, omnibus in memoriam revocatis, unico actu de eis doleat, eaque detestetur generatim. Quæritur autem, utrum pœnitens, sive extra Sacramentum Pœnitentiæ, sive in illius susceptione, debeat sigillatim, et per distinctos actus singula peccata in memoriam revocata detestari, et utrum magis dolere debeat de gravioribus, et minus de levioribus peccatis.

Conclusio prima. — AD CONTRITIONEM PERFECTAM NON EST NECESSE, QUOD PECCATOR DE SINGULIS PECCATIS SIGILLATIM DOLEAT, AC EA DETESTETUR. Hæc est Doctoris, loco supra laudato, ubi cum dixisset, non necessario desiderari ad perfectam satisfactionem quod singularis fiat, tam secundum speciem, quam secundum numerum, *subdit*: « Quod secundum *speciem*, patet, quia Contritio potest correspondere « huic, et illi: et illa est eadem secundum speciem, maxime si objecta « sunt eadem secundum speciem. Quod secundum *numerum*, patet, « quia Contritio de pluribus simul in generali, potest una correspon- « dere pluribus illis: sed tunc oportet ad hoc, quod Satisfactio sit to- « talis, non diminuta, quod aliquid ejus sufficiat pro uno peccato, et « aliquid pro alio; aliquid, inquam, et aliquid, non de partibus inte- « gralibus in actu; sed de gradibus intensionis, ita scilicet quod sit « in tanto gradu intensionis, quod in longe minori sufficeret pro uno, « et in gradu quem superaddit ultra, sufficeret pro alio. Possunt etiam « plures satisfactiones, totales vel partiales, correspondere uni peccato. « Totales quidem, quia non est peccatum, quod non possit remitti per so- « lam Contritionem, et tunc illa sola est totalis satisfactio: Potest etiam « idem remitti per Contritionem remissam, et alias pœnas supplentes « imperfectionem Contritionis. Contritio autem intensa ex una parte, « et ipsamet remissa cum aliis pœnis ex alia parte, differunt etiam « specie, licet sint æquivalentes in acceptatione divina. Breviter ergo, « non correspondet cuicumque peccato propria Satisfactio, quæ scilicet « nulli alii respondeat; nec aliqua alia isti correspondet, sed cui- « libet correspondet satisfactio pro tunc propria, licet alia posset esse « propria. Intelligo pro tunc propria, vel ut in se distincta, vel ut ali- « quid virtualiter inclusum in Satisfactione ». Hæc Doctor, quibus verbis aperte nostram assertionem explicat.

Probatur autem: *Primo quidem ex Catechismo Tridentino, De Pœnitentia, n. 29. ubi ait: Maxime hortandi et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere studeant: ita enim Ezechias Contritionem describit, cum ait: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Etenim recogitare omnes annos, est sigillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus: Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet. Atque in hanc sententiam Augustinus inquit: consideret peccator qualitatatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona. Ne tamen aliquis crederet, hæc sic dicta esse, quasi forent necessaria ad remissionem peccatorum, extemplo subjungitur: Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate, et clementia: is enim, cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam veniam interponit, sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, et universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore si facultas erit, singula in memoriâ reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit: ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum inquit: Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Hactenus Catechismus.*

Probatur etiam ratione: *tum quia nihil est asserendum in re maximi momenti spectantis ad hominum salutem, quin fundamentum aliquod habeat aut in Scriptura sacra, aut in Conciliis, aut in SS. Patribus: at nihil eorum suadet necessarium esse ad perfectam Contritionem, quod quis singula peccata per se, et regulariter in memoriâ revocet, ac de ipsis doleat: igitur, etc.*

Deinde, perfecta Contritio et sufficiens ad remissionem peccatorum fieri potest in instanti: sed in instanti non potest aliquis recogitare singula peccata, ac de eis dolere: igitur non est necessaria ejusmodi Contritio singularis de singulis peccatis. Minor constat. Major probatur: tum quia ad veram et perfectam Contritionem non requiritur temporis diuturnitas, ut diximus in priori Quæstione: tum quia pessimi peccatores brevi temporis compendio possunt de peccatis suis dolere, et eorum veniam ac indulgentiam assequi, ut constat exemplo latronis cum Christo Domino crucifixi; unde præclare Cœlestinus summus Pontifex, Epist. 2. Ad Episcopos Galliæ, cap. 2. scribit: Desperet de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit: perdidisset latro præmium in cruce ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ Pœnitentiæ non jurisset, cum esset in pœna pœnituit, et per unius professionis sermonem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit: vera ergo ad Deum conversio in ultimis positurum, mente potius est æstimanda, quam tempore. Propheta hoc taliter asserente: cum ingrueris, tunc salvus eris. Nec obstat quod loquatur dumtaxat de homine in extremis constituto; nam si Contritio eo in casu sufficiens sit ad salutem, licet instantanea, nec supponens omnium peccatorum recordationem et detestationem singularem, quidni pari ratione sufficiens erit quoties peccator propter Deum offensum peccata sua generatim detestabitur?

Denique, pœnitens, dum recogitat aliquod peccatum sigillatim, et de eo perfectam Contritionem efformat, vel reconciliatur Deo antequam

alia peccata sigillatim in memoriam revocet, et de eis doleat, vel non. Si reconcilietur: igitur cætera peccata ei dimittuntur: fieri enim non potest, saltem de via ordinaria, ut homo simul sit Dei amicus, et inimicus. Si non reconcilietur, igitur inutilis est præcedens Contritio, utpote quæ suo frustretur effectu: quod utique dici non potest, maxime cum Contritio ex se sit ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, per quam efficiamur Dei amici, et constituimur divinæ consortes naturæ: igitur ad veram et perfectam Contritionem non est necesse, quod fiat de singulis peccatis sigillatim.

Neque huic assertioni repugnat Angelicus Doctor; quamquam enim 2. p. quæst. 114. art. 5. et 3. part. quæst. 87. art. 1. videatur exigere ad perfectam Contritionem, quod pœnitens revocet in memoriam singula peccata, saltem subsequenter propter obligationem ea confitendi, quantumvis per Contritionem prius fuerint remissa; attamen non negat, Contritionem generatim formatam de peccatis sufficere ad veram peccati remissionem; nam q. 28. De Veritate, art. 5. ad 4. ait: Omnia peccata conveniunt in aversione a Deo ratione cujus gratiam impediunt: unde ad justificationem non requiritur, quod in ipso justificationis momento peccata singula cogitentur: sufficit, quod peccator cogitet, se per culpam suam esse aversum a Deo: recogitatio autem singularis debet præcedere, aut saltem subsequi justificationem.

Non etiam huic assertioni contradicit Seraphicus Doctor; nam dist. 16. p. 2. art. 2. q. 1. hanc eandem agitans quæstionem, ait: « Dicendum, quod pœnitere de aliquo est dupliciter: scilicet in generali, et speciali. In generali, quando homo dolet in generali de omni « offensa Dei, quam fecit. In speciali, quando dolet de hac, vel illa. « Dicō ergo, quod de peccatis commissis per ignorantiam debet pœ- « nitere in generali, et dicere cum Propheta: *Delicta juventutis meæ,* « *et ignorantias meas,* etc. In speciali vero non tenetur pœnitere, sed « tenetur facere, quod in se est, ut sciat, et peccata recognoscat. Com- « mittuntur enim peccata per ignorantiam juris, et tunc cognito jure « cognoscit se peccasse, ut puta qui fornicatus est, ignorans illud esse « peccatum. Committuntur etiam per ignorantiam facti, diligentia de- « bita non adhibita; et tunc cognoscuntur Domino revelante, unde « tenetur orare, ut Dominus parcatur ei, vel revelet ». *Hec Seraphicus Doctor,* ubi licet loquatur tantum de peccatis non cognitis, tamen sufficienter significat se nostræ assertioni non refragari.

OBJICIES 1. Varios Scripturæ textus, quibus suadetur recogitatio de singulis peccatis tamquam necessaria ad veniam obtinendam. Sic Psal. 76. *Meditatus sum nocte cū corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Isaïæ 38. Ezechias Rex de Contritione sermonem faciens ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezechielis 8. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, ipse animam suam vivificabit; considerans enim, et advertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vivet.* Sed hæc consideratio nihil aliud est, quam revocatio singulorum peccatorum in memoriam: igitur, etc. — **Respondeo** cum Catechismo Tridentino supra, his et similibus Scripturæ oraculis significari utile quidem ac saluberrimum esse singula peccata in memoriam revocare, quantum ad remissionem totius pœnæ peccatis debitæ; quo enim magis peccator dolet de peccatis propter

læsam summam Dei bonitatem, eo etiam dignior fit, cui ejusmodi peccata dimittantur, non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.

OBJICIENS 2. Contritio est motus conversionis hominis ad Deum oppositus ipsius aversioni, quæ facta fuit per peccatum: sed per quodlibet mortale peccatum homo fuit aversus a Deo: igitur etiam per singularem Contritionem, etc. — **Respondeo**, quod si argumentum hoc valerèt, consequens esset, fieri non posse peccati remissionem absque eo quod tot fierent actus Contritionis, quot admissa fuerunt peccata, sicque peccator plurium criminum reus, instante et urgente mortis periculo, non posset de suis peccatis conteri: quod utique negant omnes: igitur ex ejusmodi argumento solum deducitur, quod Contritio, ut perfecta sit, debeat fieri ex motivo charitatis, quæ est perfecta hominis ad Deum convèrsio; ac subinde pœnitens per Contritionem sufficienter avertitur ab omnibus peccatis, et ad Deum convertitur.

OBJICIENS 3. Pœnitens per Contritionem exercet actum justitiæ, per quem satisfacit Deo pro peccatis: igitur tot debent esse actus Contritionis, quot sunt peccata. *Deinde*, Contritio est animæ medicina, qua sanari debet a peccatorum vulnere: ergo totuplex debet adhiberi, quot sunt peccati vulnera. — **Nego utramque consequentiam**; primam quidem, quia per unicam satisfactionem potest peccator in se punire et vindicare peccata omnia a se commissa, quemadmodum reus plurium homicidiorum dicitur sufficientem pœnam luere, cum pro eis expiandis damnatur ad mortem. *Ad secundam consequentiam dico*, non opus esse ad curationem morbi medicina multiplici, dum una per se sufficientissima est: unicus autem Contritionis actus sufficit ad restituendam animæ sanitatem, et ad diluenda omnia peccata: igitur non opus est varios Contritionis actus adhibere.

Conclusio secunda. — CONTRITIO PERFECTA DETESTARI DEBET PECCATA INÆQUALIA INÆQUALITER, ET MAGIS PROPRIA QUAM ALIENA. Hæc est communis, maxime.

Prima pars, cujus utique ratio est aperta; omnis enim actus conformari debet ac proportionari objecto per se motivo: sed peccata inæqualia inæqualiter participant objectum motivum detestationis, quod aliud non est, quam offensa Dei: igitur major debet esse Contritio de peccatis gravioribus, quam de levioribus.

Patet etiam secunda pars, nempe quod magis etiam detestari debeat propria peccata, quam aliena, ita ut majori dolore debeat homo affici de peccato mortali, et etiam veniali a se commisso, quam de peccato mortali commisso ab altero; patet, inquam, quia peccatum illud est magis detestandum quod magis est cavendum: at magis est cavendum peccatum proprium, etiam tantum veniale, quam mortale alienum. Sicut aperte docet S. August., lib. *De Mendacio*, c. 9. ubi ait: *Si quæritur, quid horum potius debuit evitare, qui utrumque non potuit? Respondebo, suum peccatum potius, quam alienum, et levius potius quod suum, quam gravius quod alienum.* Ex quibus concludere licet, quod peccatum veniale etiam minimum, ut est mendacium officiosum, magis sit detestandum, quam maximum peccatum mortale alienum.

REPONES: Caritas magis stimulat ad id faciendum, quod magis

cedit in gloriam Dei: sed magis cedit in gloriam Dei, quod caveatur peccatum mortale, quam veniale, a quocumque fiat: igitur charitas magis inclinatur, ut fiat peccatum veniale, quam quod permittatur proximus peccare mortaliter. — **Distinguo majorem:** Charitas ad id magis stimulat, quando utrumque a Deo directe ordinatur. et ipse conducit ad ejus gloriam, *concedo:* quod tantum ad eam conducit directe, et per accideus, *nego.* Evitatio autem peccati mortalis a proximo committendi per peccatum veniale a me faciendum, non intenditur a Deo: *tum* quia peccatum veniale non est medium ordinatum per se ad impediendum peccatum gravius alienum; ac subinde inordinate ad ejusmodi finem assumeretur; *tum* quia Deus vult me magis diligere propriam sanctitatem, tametsi parvam et modicam, quam alienam, quantacumque illa sit: unde major Deo ex me accedit gloria, cum quodlibet peccatum caveo quam si peccarem leviter, ne proximus gravius Deum offendat; *tum* quia licet peccatum alienum apprehendatur ut majus malum Dei, attamen cum Deus apprehendatur hic et nunc nolle quod ego peccem venialiter ad vitandum grave peccatum proximi, cumque lex vere amicitiae inclinet omnino ad non displicendum amico in his, quæ ipse rationabiliter et prudenter vult, inde fit, quod mihi non liceat levius peccatum admittere, ne proximus gravius committat. *Tum* denique, quia ut S. August. *ibidem* luculenter explicat, *Si hanc peccatis aperimus viam, ut permittamus minora, ne alii majora committant, lato limite, imò nullo limite, sed convulsis et remotis omnibus terminis infinito spatio cuncta intrabunt, atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum, peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius, profecto et furtis nostris stupra cavebuntur aliena: et si qua impietas visa fuerit, etiam pejor incestis, incesta quoque facienda dicentur a nobis, si eo modo agi potuerint, ut illa impietas non committatur ab aliis... Hoc sapere quid est aliud, nisi desipere, vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, sive in me, sive in aliis perpetrata, mihi est cavenda damnatio.*

URGEBIS: Licet Sanctorum exempla sectari: sed aliquando leviora peccata voluerunt admittere, ut graviora vitarent in proximo, ut constat exemplo Loth, qui Gen. 19. dicebat Sodomitis: *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, et abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciat: igitur, etc.* — **Respondet** *ibidem* S. Augustinus: *Aliena ille vir justus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. An vero quia juravit David se occisurum esse Naban, et clementi consideratione non fecit, propterea illum imitandum esse dicemus, ut temere juremus non esse facturos, quod non esse faciendum postea videamus? Sed sicut illum (Loth) timor impulit, ut prostituere filias vellet, sic justum (Davidem) ut temere juraret, ira turbavit. Cæterum, non adeo difficile erit Loth virum justum excusare ab omni peccato, teste S. Augustino supra, ubi ait: *Nisi forte pro defensione hujus viri in eas se quispiam coarctet angustias, ut dicat, quoniam accipere, quam facere præstat injuriam pati: hospites autem**

*illi non erant utique facturi injuriam, sed passuri; maluit vir justus filias suas injuriam pati, quam hospites suos eo jure, quo filiarum dominus erat, et noverat non eas peccare si id fieret, quia peccantes potius, quibus non consentirent, sine peccato proprio sustinerent. Denique, non seipsæ stuprandas, quamvis pro masculis feminas pro illis hospitibus obtulerunt, ne reas eas faceret non perpessio libidinis alienæ, sed suæ consensio voluntatis. Nec pater earum hoc in se fieri permittebat, cum hoc facere conarentur, quibus hospites non prodebat. quamvis minus mali esset, quod in uno, quam si fieret in duobus. Sed quantum poterat resistebat, ne ipsum quoque illius proprius macularet assensus, quem libidinosus furor etiamsi prævaluisset viribus corporis, tamen non consentientem non maculasset alienus. In filiabus autem non peccantibus, nec ipse peccabat, quia non eas peccare si opprimerentur incitæ, sed peccantes ferre faciebat, tamquam si ab improbis, ut sui serci cæderentur offerret, ne hospites ejus paterentur cædis injuriam. Hucusque S. Augustinus, excusans factum Loth a peccato, quia solum fuerit permissio minoris peccati ad impediendum majus peccatum. Hinc, ut bene notandum est, non suasit simpliciter et absolute Sodomitis stuprum suarum filiarum, sed comparative dicens: *Abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis mali nihil faciatis.* Quasi diceret, si alterutrum velitis facere, potius facite quod minus est, quam quod majus est.*

QUÆSTIO QUARTA.

QUID SIT CONTRITIO IMPERFECTA. SEU ATTRITIO, ET QUOMODO CONFERAT AD REMISSIONEM PECCATI.

NOTANDUM 1. Attritionis nomine Theologos vulgo significare eam peccati detestationem et dolorem, qui fiat et concipiatur ex aliquo motivo, quod non sit ipse Deus, quatenus est propter se diligendus, et ut summe sibi bonus, a quo mortale peccatum avertit. Porro motivum illius doloris duplex assignatur a Concilio Tridentino, Sess. 14. c. 4. ubi cum Contritionem in genere distinxisset in *perfectam* et *imperfectam*, quorum priorem simpliciter *Contritionem* appellat; posteriorem vero nominat *Attritionem*: statim subjicit: *Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur*, etc. Ubi duplex assignatur hujus Attritionis generale motivum, nimirum *turpitudinis peccati, et gehennæ ac pœnarum metus*, ad quæ cætera quæcumque motiva facile revocantur; nam desiderium beatitudinis ac metus illius amittendæ comprehenditur sub timore gehennæ et pœnarum: siquidem nomine *gehennæ* Concilium non tantum intelligit pœnam sensus, sed etiam pœnam damni, seu carentiam fruitionis et possessionis Dei, quam peccator æternæ incurreret, nisi pœniteret, et admissi peccati veniam obtineret; idem enim est timere carentiam alicujus boni, et illud desiderare, et vice versa optare alicujus boni possessionem, idem est ac illius jacturam et perditionem timere. Unde timor ille de objecto perdendo illius objecti dilectionem importat, et vicissim dilectio timorem. Hinc vulgare illud: *Tantus est dolor in amittendo, quantus fuit amor in possidendo*. Similiter quæcumque alia malitia, propter quam detestamur peccatum, comprehenditur sub turpitudine peccati, qualis est

infamiae nota incurrenda, non solum apud homines mortales, sed etiam coram Deo, et beatissimis mentibus; necnon et animae per peccatum vitiatiae horrenda difformitas, foetor, horror, etc.

NOTANDUM 2. Attritionem et Contritionem in hoc invicem convenire, quod utraque sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; sic enim Contritionem in genere definit Concilium Trident., Sess. 11. cap. 4. cum ait: *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, est enim dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Conveniunt *insuper*, quod utraque sit dolor de peccato propter Deum offensum; nam Attritio, quatenus est medium ad obtinendam veniam in Sacramento Pœnitentiæ, debet esse dolor de peccato, cum aliquo respectu ad Deum. Unde infamia mere humana, quæ per peccatum incurreretur, sicut et quæcumque pœna quatenus dumtaxat ab homine infligenda, non posset esse motivum veræ ac proprie dictæ Attritionis, ut observat Lugo, disp. 5. n. 14. siquidem per Attritionem homo debet converti ad Deum, ut ab eo peccati veniam obtineat, virtute Sacramenti Pœnitentiæ; si vero solus sit dolor de peccato propter infamiam tantum humanam, vel propter pœnam ab humano iudice infligendam, ille actus nullo modo erit conversio ad Deum, quippe non procederet ullo modo ex amore vel timore Dei, sed ex timore humani iudicii: qui autem non movetur ex timore, vel amore Dei, sed ex timore hominis, ille nullo modo satisfacit Deo, nec honorat Deum, nec præfert Deum creaturæ: non enim relinquit peccatum propter aliquam perfectionem, quam recognoscit in Deo, sed propter potentiam Judicis creati, vel aliud simile. Requiritur autem in omni vera conversione, quod detur aversio a peccato, et conversio ad Deum; sicut in peccato fuit aversio a Deo, et conversio ad creaturam; quare sicuti conversio ad creaturam fuit propter aliquam perfectionem cognitam in creatura, ita conversio ad Deum debet esse propter aliquam perfectionem ipsius Dei, ut propter potentiam puniendi, quam timemus, vel propter bonitatem, quam amamus, vel propter superioritatem, cui obedimus, etc. Ubi ergo non movet aliqua Dei perfectio, non datur pœnitentia, quam Deus exigit, illa scilicet, qua homo cognoscat aliquid in Deo, ratione cuius non debeat postponi, sed potius præferri creaturæ. Unde non quæcumque turpitude peccati, et timor pœnæ est sufficiens motivum Attritionis, sed quatenus utrumque habet respectum ad Deum, quatenus videlicet peccatum est vel inobedientia, vel irreverentia, vel ingratitude in Deum, aut quid simile; nam hæc omnia fundant turpitudinem peccati, ut peccatum est formaliter, et quatenus dicit oppositionem cum Deo; quare qui sub hac ratione detestatur peccatum, movetur ab aliqua excellentia Dei, cuius intuitu ad ipsum convertitur, et ipsum præfert creaturæ, quam prius dilexerat plusquam Deum. *Conveniunt tertio*, quod utraque annexam habeat dilectionem Dei, tanquam summi boni, saltem virtualiter, qui enim revera dolet se peccasse propter Deum offensum, necessum est, quod habeat amorem Dei, saltem virtualementem, in quantum diligit. *Conveniunt tandem*, quod uterque ille dolor, tam Attritionis quam Contritionis, ordinetur ad remissionem peccati consequendam per Sacramentum Pœnitentiæ, in re vel in voto susceptum.

NOTANDUM 3. Attritionem et Contritionem invicem discrepare: *primo*, quantum ad virtutem et effectum, nam, inquit Concilium Tridentinum supra laudatum. Contritio aliquando charitate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum penitentiae actu suscipiatur, cum voto illud suscipiendi. Attritio vero extra Sacramentum Penitentiae etiam cum voto illud suscipiendi non sufficit ad peccati veniam impetrandam, ut ibidem docet Concilium: dicens, quamvis sine Sacramento Penitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponit. *Secundo*, differunt *ratione principii*, quia Contritio elicitur a virtute Penitentiae, quatenus habet charitatem annexam, vel ab ea imperatur: Attritio vero provenit a virtute Penitentiae, prout habet annexam virtutem spei, quippe dolet de peccato ex metu gehennae incurrendae, et timore amittendae beatitudinis, quod utique spectat ad virtutem spei, quae cum habeat pro objecto Deum, ut nobis bonum et a nobis possidendum, etiam tendit in id, quod huic possessioni aversatur, et ab ea removet, qualis est peccati turpitudinis, et periculum gehennae incurrendae. *Tertio*, differunt *ratione motivi*; quia Contritio perfecta elici debet ex amore Dei, ut summi boni super omnia dilecti, et ex affectu charitatis: imperfecta vero debet quidem elici ex dilectione Dei ut summi boni super omnia amandi, non quidem propter se, sed propter nos, seu non quatenus est sibi ipsi bonus, sed quatenus est bonum nostrum, in cuius possessione stat nostra aeterna felicitas, et in cuius amissione summa nostra miseria et infelicitas consistit. Unde Contritio provenit ex amore amicitiae, qua Deus diligitur propter se. Attritio vero provenit ex amore concupiscentiae, qua Deus diligitur propter nos, et ut bonum nostrum. Unde amor spei comparate ad amorem charitatis dici potest *imperfectus, et initialis*; imperfectus quidem non absolute, sed respective et comparative, quia motivum minus habet perfectum, quam charitas, quae Deum diligit tantum propter se, et nullo habito respectu ad bonum diligentis: initialis vero, quia, ut apparet infra ex S. Augustino, ab ipso amore spei, et timore gehennae promovemur et provocamur ad amorem charitatis: unde iste timor et amor ex affectu spei est veluti semen ac primordium et initium salutis, quando videlicet concipitur ex impulsu Spiritus sancti, nam, inquit Concilium Tridentinum supra laudatum, timor et amor ille *domum Dei est, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum morientis, quo penitens adjutus viam ad justitiam parat*.

Ex quibus apparet perfectam Contritionem ab imperfecta non distinguere *ratione durationis*, quia diuturnus dolor ad Contritionem perfectam non requiritur, ut jam diximus. Et insuper longe diuturnior potest esse dolor Attritionis, quam Contritionis, cum illius objectum sit quasi sensibile, et efficacius afficiat mentem, quam objectum Contritionis: siquidem efficacius homines moventur ad aliquid fugiendum timore poenae, quam amore justitiae. — Neque etiam Contritio et Attritio distinguuntur *ratione intensiois*: quippe cum intensus dolor ad Contritionem perfectam non requiratur, cum quilibet dolor etiam in gradu remisso elicitur ex supernaturali motivo charitatis revera sit actus Contritionis: magis autem et minus speciem rei non mutant. —

Non denique Contritio ab Attritione distinguitur, ex eo quod perfecta Contritio informetur gratia et charitate habituali; Attritio vero minime, quia interdum accidit, ut Attritio eliciatur ab homine justo, et existente in gratia; Contritio vero ab homine existente in peccato producat. Nec obstat Concilium Tridentinum dicens, Sess. 14. cap. 4. *Et si Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur*, etc. His enim verbis non significat Concilium, Contritionem semper elici debere ab homine, qui charitatis habitum obtineat, alioquin frustra dixisset ibidem, initio capitis, Contritionis motum fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium, et in homine post Baptismum lapsa demum præparare ad remissionem peccatorum; etenim qui charitatem habitualem possidet, jam peccatorum veniam obtinuit, ac proinde frustra ad eam assequendam præpararetur. Solum itaque vult, Contritionem eam perfectam censerì, quæ elicitur ex motivo charitatis, in quo a Contritione imperfecta discrepat, quæ ex ejusmodi motivo non elicitur, sed dumtaxat ex motivo spei.

His ita præmissis, duo supersunt hac in Quæstione præcipue determinanda: *primum* quidem, utrum dolor de peccatis ex timore gehennæ conceptus sit bonus et utilis ad salutem: *secundum*, utrum Attritio, seu dolor ex metu gehennæ, et ex affectu spei elicitus cum Sacramento Pœnitentiæ sufficiat ad remissionem peccatorum.

Conclusio prima. — ATTRITIO SEU DOLOR DE PECCATIS EX METU GEHENNÆ AUT TURPITUDE PECCATI ELICITUS EST BONUS ET UTILIS AD SALUTEM.

Hæc Conclusio est de fide, determinata in Concilio Tridentino, Sess. 6. Can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et Sess. 14. c. 1. definit, dolore ex gehennæ et pœnarum metu conceptum, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.

Probatur primo hæc veritas ex Scriptura sacra, quæ pluribi timorem servilem commendat. Sic Prov. 1. *Timor Domini principium Sapientiæ, quod utique oraculum SS. Patres explicant de timore servili: is enim est, qui sapientiam inchoat; nam filialis illam perficit et consummat.* Sic pariter Eccles. 2. *Timor Domini expellit peccatum.* Quia videlicet disponit ad justificationem, et expulsionem peccati, ut explicat S. Augustinus infra laudatus. Similiter Isaïæ 26. *Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus Spiritum: sa'u'es non fecimus in terra.* Ubi LXX. Interpretes legunt: *A timore tuo, Domine, concepimus, et peperimus Spiritum salutis, et Pœnitentiæ salutaris.*

Hoc ipsum unanimi calculo docent SS. Patres, qui timorem illum commendat et extollunt. Sic S. Clemens Alexandrinus illum appellat *fidei coadjutorem*; S. Ambrosius *clavum animæ fluctuantis*. Tertullianus, *De cultu feminarum*, cap. 2. *Timor, inquit, fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris.* Idem docet S. Augustinus

pluribus in locis, maxime in Psalm. 127. ubi distinguit triplicem timorem, quorum primus est timor malorum temporalium, secundus est timor gehennæ seu pœnarum æternarum, tertius denique est castus. De primo quidem timore, ait: *Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illos ægritudo occidat, ne damnatum det orbitas, ne alicujus amissio chari. ne auxilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio, propterea timent, et tremunt. Adhuc timor iste non est castus.* De secundo autem sic prosequitur: *Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet, unde terruit et Dominus, Audistis, cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. Audiunt hæc homines, et quia verè futura sunt impiis, timent, et continent se a peccato, habent timorem, et per timorem continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam.* De tertio vero timore subjungit: *Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus, et jam incipit homo juste vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor a charitate, sed successit timor castus. Quis est iste timor castus? Secundum quem debemus, fratres mei, intelligere quod dictum est. Psalm. 18. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Quem utique timorem castum explicat ibidem similitudine et comparatione castæ fœminæ cum adultera: *Casta, inquit, timet ne discedat vir: adultera ne veniat: quid si ambo absentes sunt? illa ne veniat, ista ne tardet.* Unde postmodum concludit: « Castus ergo timor, « fratres mei, hoc habet, quia venit de amore. Ille autem timor nondum « castus præsentiam Domini, et pœnas timet, timoré facit quidquid « boni facit, non timoré amittendi bonum illud, sed timoré patiendi « illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, « sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis « est, non quidem permanebit in sæculum sæculi, sed nondum est « iste castus permanens in sæculum sæculi. In quo est castus? jam « iterum aliquid interrogo, quod vosmetipsos interrogetis. Si Deus « veniens voce propria loqueretur nobis, quamquam non taceat loqui « per litteras suas, et diceret homini, peccare vis? pecca: fac quidquid « delectat; quidquid amaveris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus « intreat: quem rapere volueris, rapiatur, quem cedere, cædatur, « quem damnare, damnetur. quem possidere, possideas. Nemo tibi « resistat, nemo tibi dicat: quid facis? nemo: noli facere quod velis; « nemo: quare fecisti? abundant tibi omnia ista terrena quæ concu- « pisti, et vive in illis non usque ad tempus, sed semper, faciem « tantum meam numquam videbis. Fratres mei, unde ingemuistis, nisi « quia jam natus est timor castus permanens in sæculum sæculi? « Quare percussum est cor vestrum, si diceret Deus, faciem meam « numquam videbis? Ecce omni ista terrena felicitate, omnibus rebus « abundabis, circumfluent in te bona temporalia, non illa amittes, non « illa deseres, quid vis amplius? Fleret quidem, gemeret timor castus, « et diceret: imo tollantur omnia, et videam faciem tuam. Timor castus « exclamaret de Psalmo, et diceret: Deus virtutum converte nos, et « ostende faciem tuam, et salvi erimus, Timor castus exclamaret de « Psalmo, et diceret: Unam petii a Domino. Vide quomodo audeat*

« timor iste castus, timor verus, timor sincerus: Unam petii a Domino.
 « hanc requiram. Quid? Ut inhabitum in domo Domini per omnes
 « dies vitæ meæ ». Similia habet Serm. 18. *De verbis Apostoli*, ubi
 cum cap. 4. et 5. distinxisset hunc triplicem timorem, tandem, et c. 7.
 loquens de timore mundano, eum reprobatur, postmodum cap. 8. ser-
 monem faciens de timore gehennæ scribit: « Quid enim magnum est.
 « timere pœnam? Magnum est, sed amare justitiam. Interrogo te, et
 « invenio te. Tu inspice interrogationem meam sonantem, et fac de
 « teipso interrogationem silentem. Dico ergo tibi: libidine victus habes
 « consentientem, quare non committis adulterium? Et respondebis:
 « quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judi-
 « cium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, et cum
 « illo ardeam. Quid dicturus sum, male times, quomodo tibi dicebam
 « de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi enim recte
 « dicebam, male times, securum te facit Dominus tuus, dicens: nolite
 « timere eos, qui corpus occidunt. Modo cum dicis mihi, gehennam
 « timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum?
 « Male times? vane times? Non audeo: quando quidem ipse Dominus
 « ablato timore subiecit timorem; et ait, ubi dixit: nolite timere eos
 « qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant, sed eum
 « timeo, qui habet potestatem, et corpus et animam occidere in ge-
 « hennam ignis, ita dico vobis, hunc timeo. Cum ergo Dominus
 « timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum,
 « comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? Ista
 « non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis
 « timere debeat: sed interrogo te: si non te videret Deus, quando
 « facis, nec quisquam te convinceret in iudicio illius, faceres? Tu te
 « vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice tei-
 « psum. Faceres? Si faceres: ergo pœnam times, castitatem nondum
 « amas, charitatem nondum habes, serviliter times, formido est mali,
 « nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te,
 « ut perducatur dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, et
 « ideo mala non facis, continet te, et sic volentem peccare animum
 « non sinit, est enim quidam castus timor, quasi pædagogus legis
 « littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor
 « iste, dum non facis timendo, et veniat charitas: intret in cor tuum,
 « et quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat ne
 « faceres, charitas id agit ne velis facere, etiamsi impune possis admit-
 « tere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis ». — Ex his sic argumen-
 tari licet: timor ille bonus est, qui distinguitur a mercenario respiciente
 mala temporalia: timor ille bonus, quem non audet S. Augustinus di-
 cere malum, quo non vane quis timet, quo quis non peccat, qui utilis
 est, et bonus, qui continet hominem extrinsecus a peccato, quamvis
 scilicet animum interiorem peccare volentem non sinat, qui peccandi
 consuetudinem sistit, qui est initium sapientiæ, qui locum præparat
 charitati: ex quo fit justitiæ consuetudo, et incipit quod durum erat
 amari, et dulcescit Deus: atqui hæc omnia tribuit Augustinus timori
 servili: ergo timor servilis bonus est.

Confirmatur ex his, quæ habet, Serm. 24. De Tempore, ubi ait:
 « cum timetur pœna, quam minatur, discitur amari præmium, quod

« pollicetur: ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam
 « vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla
 « pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere; di-
 « scat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus, ut
 « enim dicit Joannes: timor non est in charitate, sed perfecta chari-
 « tas foras mittit timorem. Dixit sane, et veraciter dixit. Si ergo ha-
 « bere non vis timorem, prius vide, utrum jam perfectam habeas cha-
 « ritatem, quæ foras mittit timorem. Si vero ante istam perfectionem
 « timor excluditur, superbia inflat, non charitas ædificat. Nam sicut
 « in bona valetudine iames non fastidio, sed cibo pellitur, ita in bona
 « mente timor non vanitate, sed charitate pellendus est ». Quibus
 verbis S. Augustinus aperte significat, timorem non consequendæ
 beatitudinis, aut incurrendæ gehennæ posse interdum sufficere ad
 excludendum omnem peccati affectum; qua ratione timor ille castus
 censi potest, saltem initialis, quippe cum ex eo non solum caveatur
 peccatum, sed etiam oriatur timor filialis, qui non procedit ex spe
 rétributionis, sed ex affectu benevolentiae hominis erga Deum. Hac
 enim ratione affectus ille dicitur timor filialis; ideo enim filius obedit
 patri, non quia sperat ab illo rétributionem aliquam, aut timet pœ-
 nam infligendam, sed præcise quia novit inobedientiam displicere Patri,
 quem diligit, sicque ex amore patris illam refugit, absque ullo prorsus
 respectu ad suum proprium commodum.

DICES 1: Ille timor non est dicendus bonus, qui non excludit vo-
 luntatem peccandi: sed timor, seu dolor conceptus ex metu gehennæ,
 non excludit voluntatem peccandi. *Probatur*: ille dolor et timor non
 excludit voluntatem peccandi, qui virtualiter et implicite eam retinet:
 sed dolor de peccatis ex metu gehennæ virtualiter retinet affectum
 et voluntatem peccandi, ut optime docet S. August., Serm. 15. in
 Psal. num 118. ubi ait: *Timor, quo non amatur justitia, sed timeatur*
pœna, servilis est. quia carnalis est. « Vivit enim peccandi voluntas;
 « quæ tunc apparet opere, quando speratur impunitas. Cum vero pœna
 « creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, et dolet
 « non licere quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono,
 « sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem casto ipsa,
 « quæ hunc timorem foras mittit. peccare timet charitas, etiamsi sequatur
 « impunitas. quia nec impunitatem indicat sæcuram, quando amore
 « justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam ». — **Nego minorem**: licet
 enim dolor non includat in se aliud motivum odii peccatorum, *atta-*
men positive omne aliud motivum ad detestandum peccata non exclu-
dit: etsi enim hominis attriti voluntas proxime stimuletur ad vitandum
 peccatum ratione metus gehennæ, tamen in eo non quiescit, sed vir-
 tualiter et mediate tendit in Deum, ut in finem ultimum, quemad-
 modum actus spei proxime quidem et immediate tendit in beatitudi-
 nem æternam, seu in Deum, quatenus bonum ipsi speranti, virtute
 autem et implicite fertur in Deum secundum se tamquam in finem
 ultimum.

INSTABIS: Illud est per se malum, quod cum charitate et gratia
 sanctificante subsistere non potest: at timor servilis seu gehennæ non
 subsistit cum charitate; nam, inquit S. Joannes, Epist. 1. c. 4. *Ti-*
mor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem:

igitur, etc. — **Distinguo majorem:** quod non potest subsistere cum charitate, ratione suæ malitiæ, et deformitatis oppositæ charitati, *nego*: ratione suæ imperfectionis, *concedo*. Nam, ut optime notat S. Augustinus supra laudatus, in Psal. 127. duplex est timor, qui foras a charitate mittitur: unus quidem est timor temporalium, quoniam nimirum aliqui propterea timent, ne quidpiam mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, et alicujus chari amissio, aut aliqua tribulatio adveniat. Alius est timor gehennæ, quo Dominus in Evangelio terret, ratione ejus terreni homines continent se a peccato, et sic incipiunt juste vivere, et Deum diligere. Prior timor semper foras per charitatem mittitur; posterior vero simul cum ea aliquamdiu permanet, et maxime quando nondum est perfecta, ut etiam optime docet Tract. 9. Epist. Joannis. « Timor non est in charitate, scilicet
 « perfecta, sed est in charitate inchoata; quia initium sapientiæ timor
 « Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cum cœperit charitas
 « habitare, pellitur timor, quia ei præparavit locum. Quantum enim
 « illa crescit, tantum ille decrescit: quantum illa fit interior, timor
 « pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major
 « timor. Si nullus timor, non est qua intret charitas. *Ibidem infra*:
 « est timor, quem charitas foras mittit, et est timor castus permanens
 « in sæculum sæculi. Sicut sunt homines, qui timent Deum, ne mit-
 « tantur in gehennam, iste timor introducit charitatem: sed ille venit
 « ut exeat: si enim propter pœnas times Deum, non amas, non bona
 « desideras, sed mala caves, corrigis te, incipis bona desiderare, cum
 « cupis bona desiderare, est in te timor castus, ne amittas ipsa bona;
 « sicut si ponas duas mulieres maritatas. quarum una velit adulterium
 « facere, sed timet maritum ne veniat: hæc diligit nequitiam, et one-
 « rosa est ei mariti præsentia. Altera amat virum, et nulla se adul-
 « terii immunditia vult maculare, optat præsentiam viri. Timet illa.
 « timet ista. Illa timet virum ne veniat: ista timet virum, ne disce-
 « dat. Illa dicit: timeo ne damnet; ista dicit: timeo ne deserat. Pone
 « hoc in animo Christianorum, et videas timorem, quem charitas fo-
 « ras mittit, et alium timorem castum permanentem in sæculum
 « sæculi ».

OBJICIES 2. Peccatum est, ordinare majus bonum ad minus: sed ille qui dolet de peccatis ex solo metu damnationis, ordinat majus bonum ad minus, culpæ vitiationem ad pœnæ fugam: igitur peccat. — **Distinguo majorem:** ordinare majus ad minus, ut ad finem ultimum, *concedo*: ut ad finem proximum, *nego*. Deus enim ipse excellentius bonum ordinat ad inferius, ut incarnationem Christi ad hominum salutem et gloriam. Qui dolet de peccatis solo metu gehennæ, majus bonum ordinat ad minus, ut ad finem proximum, non ut ad ultimum: ut sancti viri sacrificium et orationes ordinant ad obtinendam a Deo sanitatem, aut aliud temporale bonum; unde si foret aliquis ita virtualiter, aut actualiter affectus, ut si non esset pœna, nullo modo de culpa doleret, hæc Attritio non esset bona, quia non tenderet in Deum ulla tenus, ut in finem ultimum.

OBJICIES 3. Quod tendit in creaturam, non tendit in Deum ut ultimum finem; quia nemo potest habere duos fines ultimos; sed Attritio tendit in creaturam, ut in ultimum finem; omnis enim attritus, non

contritus, in peccato manet; tota siquidem Attritio per se non justificat. — **Distinguo majorem**: non tendit in Deum efficaciter, *concedo*: nullus enim efficaciter appetere potest plures ultimos fines: ineffaciter, *nego*: nam alioquin opera moraliter bona in peccato mortali, veluti jejunium, orationes, elemosynæ, forent peccata mortalia, quia non tendunt in Deum, ut ultimum finem efficaciter, cujus contrarium docuimus in Tractatu *De gratia*.

OBJICIES 4. Si timor servilis est bonus, etiam timor mundanus erit bonus: at hic bonus non est, quia facit homines malos: ergo, etc.— **Nego majorem**: quia timor mundanus est timor creaturæ, cujus affectu non veretur homo Deum offendere: timor servilis est vere timor Dei, distrahens et custodiens a peccato: per eum enim homo timet offendere Deum metu pœnæ, quam ipse peccatis infligit.

OBJICIES 5. Actus, quo quis magis dolet de pœna, quam de culpa, malus est: quia magis dolendum est de majori malo, quam de minori: culpa majus est malum, quam pœna: sed Attritio de peccatis ex solo metu damnationis est actus, quo quis magis dolet de pœna, quam de culpa; dolet enim de culpa propter pœnam: at id *propter quod unumquodque tale est, et illud est magis tale*: ergo, etc.— **Nego minorem**: etsi enim servus amet dominum ob mercedem, et fidelis Deum per spem ob gloriæ restitutionem; non ideo servus magis amat mercedem, quam dominum, aut fidelis gloriæ retributionem, quam Deum, quem semper agnoscit ut finem ultimum: ergo licet attritus oderit culpam ob pœnam, non ideo magis odit pœnam, quam culpam; Aristotelicum enim axioma debet intelligi de eo, propter quod aliud est tale, tanquam præcipuam causam, non tanquam propter minus præcipuam causam: nam etsi servus amet dominum ob alimentum, quod expectat ab eo, tanquam ob minus præcipuam causam, et fidelis Deum ob gloriam, non ideo magis amat servus alimentum, quam dominum, aut fidelis gloriam, quam Deum.

Conclusio tertia. — ATTRITIO EX METU GEHENNÆ, ET EX AMORE CONUPISCENTIÆ, SEU AFFECTU SPEI CONCEPTA, EST DISPOSITIO SUFFICIENS AD GRATIAM IN SACRAMENTO PœNITENTIÆ CONSEQUENDAM.

Probatum primo ex Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 4. ubi postquam distinxit Contritionem in perfectam, quæ ex charitate procedit, et in imperfectam, quæ dicitur Attritio, *Quoniam, inquit, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*: statim subjicit: *Illam non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Idem habet Can. 5. Quibus verbis Concilium duplex assignat discrimen inter Contritionem et Attritionem: unum quidem, quod Attritio tendat in peccatum ex motivo minus nobili, quam Contritio, nimirum ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ; non autem ex consideratione Dei summe dilecti; alterum vero quod Contritio perfecta

extra Sacramentum per se sufficiat ad obtinendam peccati remissionem, dummodo habeat annexum votum illud suscipiendi; Attritio vero disponit quidem ad illam remissionem per Sacramentum impetrandam, verum sine Sacramento reipsa suscepto non sufficit ad peccati remissionem.

REPONES 1: Concilium ibi duntaxat loqui de dispositione remota, et omnino insufficiente, non vero de proxima; et quæ hominem proxime præparat ad gratiam justificantem consequendam. — Verum contra, Concilium ibi aperte docet Attritionem conceptam ex metu gehennæ, si voluntatem peccandi excludat, revera ad justificationis gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponere, eo modo quo Contritio ante susceptionem Sacramenti ad eam disponit: atqui Contritio proxime sufficienter ad gratiam sanctificantem disponit, ac Deo reconciliat, priusquam Absolutio Sacerdotalis suscipiatur: igitur etiam mens Concilii est, quod Attritio juncta Sacramento proxime et sufficienter pœnitentem disponat, ac Deo reconciliet in Sacramento Pœnitentiæ. Deinde, Attritio aliter hominem disponit ad gratiam cum Sacramento, quam extra Sacramentum, ut docet Concilium Tridentinum: sed extra Sacramentum remote et insufficienter ad justificationem disponit; quia, ut supra docebat S. Augustinus, timor viam præparat charitati: igitur ex mente Concilii Attritio juncta Sacramento proxime disponit ad justificationem. Denique, Concilium ibi damnat maxime errorem Lutheri, sicut et Sess. 6. Can. 8. ubi ait: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: sed Lutherus non solum docebat, dolorem ex metu gehennæ esse malum, et facere hominem pejorem ac hypocritam, sed etiam eum omnino esse insufficientem præparationem ad percipiendam Absolutionem, et communionem faciendam; scribit enim Serm. 2. *De Pœnitent.* « Contritio (sic enim cœpit « vocari vera Pœnitentia interior) duplici via paratur: primo, per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut « dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando « peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde, « amissione æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, et alia quæ possunt dolorem et tristitiam excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem tristitia facit hypocritam, imo « magis peccatorem, quia solum timore præcepti, et dolore damni id « facit; et tales omnes indigne absolvuntur, et communicantur. Et « si libere deberent (remoto præcepto, et minis pœnarum) confiteri, « certe dicerent sibi non displicere vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: imo quo magis timore pœnæ et dolore « damni sic conteruntur, eo magis peccant, et afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse, et hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proxime disponentem ad Contritionem: sic enim « ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego dico ». Hæc Lutherus de primo Contritionis modo. Alium vero Contritionis modum ita describit: « secundo paratur (Contritio) per intuitum et contemplationem « speciosissimæ justitiæ, qua quis in pulchritudine et specie justitiæ

« meditatus, in eam ardescit, et rapitur, incipitque cum Salomone
 « fieri amator sapientiæ, cujus pulchritudinem viderat; hæc facit vere
 « pœnitentem, quia amore justitiæ id facit, et hi sunt digni Absolu-
 « tione ».

REPONES 2: Concilium scribens, Attritionem ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento disponere, solum damnare hæreticos, qui dolorem Attritionis utilem negantes, aiebant illum facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; non autem velle dirimere controversiam Theologorum Scholasticorum circa sufficientiam Attritionis cum Pœnitentiæ Sacramento. — **Contra**, Concilium non solum ostendit, dolorem Attritionis esse bonum et utilem, nec hominem facere magis peccatorem, sed insuper distincte ac diserte significat, quod quamvis peccatorem absque Sacramento per se perducere nequeat ad justificationem, tamen in Sacramento eum disponat ad impetrandam Dei gratiam: ac subinde declarat, Attritionem in Sacramento vim illam habere, quam absque Sacramento non haberet. Ubi aperte satis nostram tuetur sententiam, et illam ab hæreticorum calumniis vindicat: postquam enim dixit, Attritionem esse actum bonum, et ex impulsu Spiritus sancti conceptum, atque ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, in fine ejusdem capitis sic concludit: *Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque motu suscipientium, gratiam conferre; quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Atqui hæretici ex eo solum occasionem captarunt calumniandi Catholicos Scriptores, quod existimarunt Attritionem, quæ est ex metu pœnarum, non esse actum bonum, sed malum, atque reddere hominem hypocritam: ergo Attritionem conceptam ex metu gehennæ et pœnarum, docet Concilium disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

URGEBIS: Si Concilium existimasset Attritionem sufficienter ad Dei gratiam disponere, quando jungitur Sacramento, distincte dixisset, eam disponere *cum Sacramento*: at ita non dixit, sed tantum, quod disponat *in Sacramento*, ut nempe significaret eam disponere remote et mediate ad gratiam, quatenus videlicet disponit pœnitentem ad recipiendam Absolutionem sacramentalem, et excitandam ex gratia Dei Contritionem, ex quibus immediate sequatur justificatio: igitur Concilium nulla ratione nostræ sententiæ patrocinator. — **Nego consequentiam**, et ad *anteceðens* dico, quod quando Concilium ait, Attritionem disponere ad Dei gratiam in Sacramento, idem significat, ac si diceret cum Sacramento: cum enim hanc particulam, *in Sacramento*, opponat huic, *sine Sacramento*, quæ significat idem, ac *seorsim*, et separatim a Sacramento, dum ait, Attritionem sine Sacramento non perducere ad justificationem, consequens est, quod dum etiam ait, eam *in Sacramento* disponere ad Dei gratiam, idem significat, ac si diceret *cum Sacramento*.

REPONES 3: Concilium, dum ait, Attritionem in Sacramento ad justificationem disponere, non loqui de illa Attritione, quæ concipitur ex metu pœnarum, sed tantum de illa, quæ fit ex amore Dei super omnia, sed imperfecto, quæque est equidem essentialiter Contritio, sed imperfecta: ut eam ibidem appellat Concilium, quippe Contritionem dividit in perfectam, et imperfectam. — **Verum** nondum quærit in scirpo,

et tenebras in Sole, qui hæc somniat: *tum* quia Concilium illam Attritionem asserit sufficere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento, quam dicit concipi ex consideratione gehennæ et pœnarum metu: igitur non loquitur de Attritione, quæ sit amor Dei initialis et imperfectus: *tum* quia Concilium de ea Attritione loquitur, quam Lutherus docuerat facere hominem hypocritam et peiorem: sed illa Attritio, de qua loquitur Lutherus, non procedit ex charitate imperfecta et inchoata, sed ex solo pœnarum metu, ut constat ex dictis supra: igitur, etc. *Tum* denique quia Concilium ait, illam Attritionem, quæ in Sacramento Pœnitentiæ disponit ad gratiam, esse *donum Dei, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed animam moventis*: at Attritio ex amore Dei super omnia, quantumvis imperfecta, est motus Spiritus sancti inhabitantis animam; etenim *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*: igitur, etc.

Porro Concilium vocat Attritionem *Contritionem imperfectam*, non defectu gradus tantum, sicut puer dicitur vir imperfectus, quia omnino viri perfectionem nondum est adeptus; sed dicit imperfectam propter defectum essentiæ Contritionis, quia non est dolor de peccatis ex amore amicitiae Dei: sicut embrio est vir imperfectus, quia non habet hominis naturam, sed ad eam disponit, ut diximus in 3. Notabili. *Confirmatur*: non major requiritur dispositio ad gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendam, quam ad illam recipiendam per Baptismum: sed Attritio est sufficiens dispositio in adulto baptizando ad gratiam justificantem recipiendam: igitur et in pœnitente sufficiens erit. *Major constat*; siquidem eadem est ratio Sacramenti Pœnitentiæ, ac Baptismi, quippe cum utrumque sit Sacramentum mortuorum. *Minor vero probatur* auctoritate S. Augustini, qui lib. *De Catechizandis rudibus*, cap. 17. tria refert genera hominum, qui volunt esse Christiani, qui veniunt ad Baptismum, quorum tertium genus est eorum, qui propter beatitudinem sempiternam, et perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur volunt fieri Christiani, ut non eant in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intrent cum Christo: *Qui ejusmodi est, inquit, vere Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum terrenorum, modestus, temperans, et in tribulationibus fortis et patiens, qui etiam proficiendo pervenit ad talem animam, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam, ut etiam si dicat illi Deus: Utere deliciis carnalibus sempiternis, et quantum vuleris pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, et omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendant, in quo una est requies*. In istis hominibus est tantum Attritio circa prioris vitæ peccata; nam si solum habent Attritionis motivum gehennæ metum, servilis est in iis dumtaxat erga Deum timor, nondum est in iis timor filialis, aut Contritio charitate perfecta, quia recenset eos S. Augustinus inter venientes ad fidem, et ait illos eo postea perventuros, ut plus ament Deum, quam timeant gehennam. Porro si isti forent perfecta charitate flagrantes, non essent in via ad ejusmodi statum, nec ad eum tenderent proficiendo, jam enim eum essent assecuti; sed ea qualiscumque dispositio detur ad Baptismum actu fru-

ctuose suscipiendum, suscipietur; nam homo sic dispositus dicetur vere Christianus. idest, idoneus ut recipiat Baptismi Sacramentum, in quo fit Christianæ fidei professio. Quare cap. 16. præcedenti, quo traditur formula ejusdam orationis, aut alloqui Catechistæ ita congratulantis eum, qui venit ad Baptismum propter requiem, quæ speratur post hanc vitam, ait: Deo gratias, frater, valde tibi gratulor, et gaudeo de te, quod in tantis, tamque periculosis seculi tempestatibus de vera et certa securitate cogitasti. Porro nisi dispositio prædicta sufficiens esset ad Baptismum, quæ dispositio Attritionis est, qui cum ea veniret ad Baptisma, non cogitaret de certa securitate; ergo cum eadem sit ratio Sacramenti Pœnitentiæ, ac Baptismi, quia ambo sunt Sacramenta mortuorum; Baptismus enim est Sacramentum regenerativum; Pœnitentia Sacramentum resuscitativum et reparativum; ac subinde Attritio, quæ est sufficiens dispositio ad Baptismum debite suscipiendum, sufficiens pariter erit ad Pœnitentiæ Sacramentum vere et fructuose recipiendum.

Probatur denique ratione: primo, quia omne Sacramentum novæ Legis id efficere potest seipso immediate, ad quod primo et per se est institutum: agit enim ex opere operato: sed Pœnitentiæ Sacramentum per se institutum est ad causandam primam gratiam sanctificantem in homine per peccatum lapsu: igitur potest primam gratiam sanctificantem in eo producere: sed nisi ad illud sufficeret Attritio, nusquam primam gratiam produceret; cum enim Contritio per se sufficiens sit ad producendam primam gratiam extra Sacramentum, si illa esset necessaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, revera ante susceptionem illius Sacramenti, necessario præsupponi deberet gratia producta: igitur, etc. *Deinde*, Sacramentum mortuorum, quale est Pœnitentia, non prærequirit in suscipiente formale principium vitæ spiritualis: illud enim immediate efficit: sed Contritio charitate perfecta est principium vitæ spiritualis in homine: ergo illam Pœnitentiæ Sacramentum tanquam dispositionem necessariam non præsupponit. *Denique*, Sacramenta novæ Legis sunt efficaciora quam Legis veteris, ac subinde minorem postulant in suscipiente dispositionem: sed Sacramenta Legis veteris, ut homini post circumcisionem lapsu conferrent primam gratiam, necessario requirebant Contritionem: igitur Pœnitentia, quæ est Sacramentum novæ Legis, illam non prærequirit. *Adde quod*, si Contritio perfecta æque esset necessaria in nova, ac in veteri Lege, sequeretur, longe difficiliorem esse peccati remissionem in nova Lege, quam in veteri; nam in Lege Mosaica ad eam obtinendam solus actus Contritionis sufficiebat; in Lege autem Evangelica præter illam ulterius requiretur Confessio omnium peccatorum mortalium secundum numerum et speciem, quod certe videtur onus gravissimum: igitur ut facilior appareat venia consequenda per Sacramenta novæ Legis, non necesse ad Sacramenta mortuorum prærequiritur Contritio.

Confirmantur hæc omnes rationes ex censura sacræ Facultatis Parisiensis, quam edidit anno 1638. die prima Junii, et 1. Julii adversus nonnullas Claudii Seguenoti Presbyteri ex congregatione Oratorii assertiones, quas scripserat in suis ad S. Augustini librum *De Virginitate* notis: maxime vero quod pro consequenda remissione peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ non sufficeret Attritio, sed desideraretur

Contritio charitate perfecta, et consequenter addidisset Absolutionem sacramentalem nihil aliud esse, quam juridicam peccati jam remissi declarationem. Ejusmodi propositiones hac censura notavit sacra Facultas: *Quæ tradidit de Attritionis insufficientia, et Contractionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: et quæ addit et approbat de Absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit Facultas, et censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi et omnino tulæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti communitivas, et insuper temerarias ac erroneas.*

OBJICIES 1. Ad veram Pœnitentiam requiritur, quod Pœnitens, ut veniam obtineat, ad Deum convertatur ex toto corde, et habeat cor novum: sed hæc non præstat sola Attritio: igitur, etc. *Major constat, tum ex illo Deuteronomii 4. Cum quæsieris Dominum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Et Ezechielis 18. Facite vobis cor novum, et spiritum novum. Minor etiam patet:* qui enim tantum est attritus, toto corde, totaque animi tribulatione Deum non quærit; neque Attritio facit cor novum, et spiritum novum; quia non removet spiritum veteris Adam, scilicet affectum peccandi; nec inducit spiritum novi Adam, nempe charitatem: igitur, etc.—**Distinguo minorem:** si Attritio sit sine Sacramento, *concedo:* si juncta sit Sacramento, *nego:* erit enim cor novum, et Deus utiliter, ac sufficienter quæritur, quando gratia sanctificans confertur homini, per quam innovatur, et ad Dei consortium ac unionem et amicitiam revocatur. *Ad auctoritates autem Scripturæ respondeo, eas esse intelligendas de Pœnitentia veteris Legis, necnon et novæ Legis, quæ extra Sacramentum sit sufficiens ad obtinendam peccati remissionem; nam in Lege nova sufficiens homo Deo reconciliatur virtute Sacramenti Pœnitentiæ, quando dolet de peccatis, et deponit peccandi voluntatem; quod utique fit per Attritionem, ut dictum est supra.*

URGEBIS: Concilium Trident., Sess. 14. cap. 3. docet, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse Contractionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et cap. 4. ait: *Fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic Contractionis motus necessarius.* Et cap. 6. dicit, *Eum cui nulla est Conditio, non vere absolvi Sacramento Pœnitentiæ: igitur ex mente Concilii ad obtinendam peccatorum veniam, etiam cum Sacramento, non sufficit Attritio.* — **Distinguo antecedens:** requiritur Conditio generatim sumpta, quatenus abstrahit a perfecta et imperfecta, *concedo:* requiritur perfecta Conditio, *nego.* Concilium enim ibi docet Contractionem perfectam charitate hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; imperfectam autem per se non perducere peccatorem ad justificationem, sed eum tantum disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam; nam illam Contractionem Concilium dicit esse necessariam, quam initio capituli 4. definit, cum ait, eam esse *animi dolorem ac detestationem peccati, cum proposito non peccandi de cætero:* ibi autem definitur Conditio generice sumpta, prout abstrahit a perfecta et imperfecta; siquidem illa definitio etiam convenit Attritioni, quippe cum sit animi dolor, ac detestatio peccati, cum proposito non peccandi de cætero.

URGEBIS: Idem Concilium, Sess. 6. cap. 6. referens varias dispositiones prerequisites ad justificationem, asserit hominem disponi ad justitiam non tantum per actus fidei, timoris, et spei, sed etiam dilectionis, ex qua nascitur odium peccati, per propositum novæ vitæ, ac denique observationis mandatorum divinatorum: *In spem eriguntur* (inquit Concilium) *fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata.* Ubi Concilium ad justificationem, quæ fit per Baptismum, dilectionem inchoatam inquirat, ut constat ex illis verbis, *illumque tamquam justitiæ fontem diligere incipiunt.* Unde cum non minor requiratur dispositio ad justificationem, quæ fit per Pœnitentiam, quam ad illam, quæ fit per Baptismum, ex illo Tridentini testimonio manifeste constare putant adversarii, ad justificationem, quæ fit per Pœnitentiam, charitatem inchoatam et imperfectam necessario requiri. — **Respondeo**, Concilium eo loco sermonem facere de justificatione, quæ fit extra Sacramentum, et per solum Baptismi votum ac desiderium; unde signanter ait: *Dum proponunt suscipere Baptismum, etc.* Quo certe in casu non negamus, dilectionem Dei esse necessariam, necnon et Contritionem charitate formatam. Secus est autem de justificatione, quæ fit in Sacramento: nam idem Concilium, Sess. 6. cap. 6. loquens de Pœnitentia in adultis peccatoribus prævia ad Baptismum, ait: *Moventur homines adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Porro ad hanc Pœnitentiam ante Baptismum agendam, non est absolute necessaria Contritio, ut diximus supra ex S. Augustino. Vel dico Concilium intelligendum esse de amore illo initiali, quem supra diximus ad virtutem spei pertinere. Hic autem amor ideo *initialis* appellatur, quia ut plurimum ab isto amore nostra justificatio initium sumit, et ut a me supra dictum est, sæpe ducimur ab amore isto ad perfectum illum amorem, qui ad virtutem charitatis pertinet.

URGEBIS: Ea dilectio initialis, quam ibi Concilium Tridentinum pro dispositione ad justificationem requirit, est ea dilectio, qua peccator incipit Deum diligere *tamquam fontem omnis justitiæ*: at ista dilectio ad charitatis, non ad spei virtutem pertinet: ergo, etc. — **Nego minorem**: quia dilectio illa, de qua ibi Concilium loquitur, est qua Deus diligitur, ut ipse est fons nostræ justitiæ, seu justificationis, quam ab ipso promissam per Christum expectamus; ideo dicit Deum proponi diligendum, non quidem ut justitiam in se, sed *ut fontem justitiæ*, quam videlicet in nos derivat: adeoque significat eum esse diligendum, ut nobis bonus est, et ut bona nobis largitur. Nec movere debet particula *omnis*: hoc enim solum ibi vult per illam particulam Concilium Tridentinum, quod peccatores incipiunt Deum diligere tamquam fontem justificationis cujuscumque, et dispositionum omnium supernaturalium ad justificationem, cum nullus sit, qui aliter, quam per Dei gratiam, justificari valeat, ut ex præcedenti capite Concilii Tridentini aperte constat, et ex nostro Tractatu *De Gratia*.

INSTABIS: Ea dilectio, quam requirit Concilium loco mox citato, est ea, quæ Sacramento Pœnitentiæ juncta, peccatoris conversionem operari potest: at nulla dilectio Dei conversionem istam potest operari, nisi ea quæ pertinet ad virtutem charitatis: ergo illa dilectio, de qua Concilium ibi loquitur, est dilectio ad virtutem charitatis pertinens. — **Respondeo negando minorem;** nam ad hoc sufficit dilectio, quæ pertinet ad virtutem spei, et quam suppono conjunctam cum Attritione prædicta, quam sic volumus posse conversionem istam operari, non quidem per se solam, sed quando juncta est Sacramento Baptismi, vel Sacramento Pœnitentiæ, ut satis aperte docet Concilium Tridentinum cit., Sess. 14. cap. 4. ubi expresse docet, *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, et quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non modo non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, sed et donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, et quamvis absque Pœnitentiæ Sacramento peccatorem per se, nequeat perducere ad justificationem, eum tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Nota dictum in Sacramento ipsum disponere, et quidem ad gratiam impetrandam: his enim verbis facile constat, quod per istam Attritionem, prout a Contritione per charitatem perfecta distinguitur, gratia conferri valeat, si juncta sit Pœnitentiæ Sacramento.

INSTABIS ITERUM: Idem Concilium, Sess. 14. cap. 6. agens de pœnitente, ait: *Non debet adeo sibi de sua fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit Contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum:* ergo perfecta Contritio requiritur ad peccati remissionem absolute, nec Attritio sufficit etiam in Sacramento. — **Nego consequentiam;** ibi quippe Concilium vult tantum arguere Novatores ultimi sæculi, qui docebant hominem nullo suæ voluntatis motu, seu Pœnitentiæ dolore vel sensu præparari debere ad obtinendam peccatorum remissionem; sed ei solam sufficere fidem, seu potius fiduciam et confidentiam certam de comparata remissione peccatorum. Hinc addit Concilium post verba citata: *Nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret.* Porro Attritio Pœnitentia quædam est. Ideo Contritionem intelligit ibi genericè sumptam, esse prorsus necessariam; quod alterutra species ejus absolute requiratur, aut imperfecta, quæ dicitur Attritio, aut perfecta, quæ dicitur Contritio simpliciter, et stricte sumpta; nam extra Sacramentum perfecta requiritur; in Sacramento autem sufficit imperfecta, quæ dicitur Attritio.

OBJICIES 2. S. Augustinus, qui pluribi docet eum inaniter pœnitere, qui dumtaxat a peccatis abstinet ex metu pœnæ et supplicii, sicut Epist. 144. quæ est ad Anastasium, *Inaniter, inquit, putat victorem se esse peccati; qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis, et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahatur quod timetur: at per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri; nam quantum in ipso est, mallet non*

esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod si posset auferret? At per hoc quomodo justus est justitia talis inimicus. ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pænæ timore non peccat. Similiter, lib. De Natura et Gratia, cap. 57., ait: *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati: nondum enim liber est, nec alienus a voluntate peccandi est; in ipsa enim voluntate reus est.* Insuper, lib. 1. Contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 9. In ipsa, inquit, *intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Et lib. 1. cap. 4. *Qui timore pænæ præcepta facit, proculdubio invitatus facit, ac per hoc in animo non facit, ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse, qui recipit, inspicit.* Denique, S. Augustinus, tract. 9. in Epistolam Joann. ut supra memoravimus, necnon in Psalm. 127. dicit, quod qui cessant a peccatis ex metu pænæ, seu gehennæ, sunt similes mulieri adulteræ, quæ tantum ab adulterio cessans metu sui mariti, ne videlicet deprehendatur ab eo, et severe puniatur, semper animum adulterandi retinet: igitur ex mente S. Augustini, Attritio, quatenus est timor ex metu gehennæ, non removet voluntatem peccandi, nec consequenter sufficiens est cum Sacramento ad obtinendam peccatorum remissionem. — **Distinguo consequens:** Attritio ex metu gehennæ, quæ movet dumtaxat ad cavenda peccata propter solum timorem malorum temporalium, et amorem honorum terrenorum, non removet peccandi voluntatem, *concedo:* quæ concipitur propter metum gehennæ, quo quis timet Deo privari, et ratione hujus timoris a peccato abstinere, *nego:* nam timor iste gehennæ ordinatur ad Deum, tamquam ad finem ultimum, et ut sic removet peccandi voluntatem, quia ordinatur ad finem culpæ contrarium; non enim qui sic timet, suum finem ultimum reponit in ipsa evitacione supplicii, sed in privacione et carentia Dei, qui cum non possit possideri a peccatore, ideoque qui hoc metu abstinere a peccato, sibi proponit finem ultimum culpæ contrarium; quando autem peccator sic respicit evitacionem supplicii, non retinet voluntatem peccandi. — Unde timor servilis in eo, qui cessat a peccato timore supplicii, duplex esse potest: *unus* quidem quando tota ratio, tam finalis quam impulsiva seu motiva, continendi se a peccatis, est fuga pænæ, dum videlicet homo sic affectus est, ut malum fugiat solum ob pœnam illi malo peccatorum intentatam, et in evitacione supplicii, vel in bono, quod ei supplicio contrarium est, reponit suum finem ultimum. Et iste timor a plerisque dicitur *serviliter serviens:* quia competit servis, et mancipiis, qui nullo Domini sui amore abstinere a prohibitis, sed solum pænæ metu, ita quod semper affectum habeant faciendi vetita, nisi esset pœna subeunda. Porro ille timor semper aliquem effectum peccandi formalem aut virtuales in voluntate relinquit. *Alter* vero servilis est quando qui timet, non constituit suum finem ultimum in evitacione ejusmodi pænæ; sed ultro tendit in bonum honestum, qualis utique est timor Attritionis, qui licet terminetur immediate ad evitacionem pænæ, quam timet, tamen mediate tendit in finem ulteriorem, nempe in beatitudinem æternam, et ad Deum, ut summum bonum, quo qui sic timet, non vult privari, sed

eo frui, ac subinde, qui hoc timore afficitur, non retinet peccandi voluntatem. *Ex quibus colligere licet, quod quoties S. Augustinus ait, illos, qui timore cessant a peccato, adhuc reos esse secundum affectum et voluntatem, loquitur de illo timore, quo terrentur ii, qui conquiescent in evitacione supplicii, ac serviliter serviunt et divinis mandatis parent: qui utique timor malus est, quia per eum homines in amore sui, tamquam in ultimo fine quiescunt; non vero loquitur de timore, qui ultra evitacionem pœnæ tendit in possessionem Dei tamquam summi boni, cujus privationem timet, qualis est timor Attritionis.*

URGEBIS: Idem S. Augustinus pluribi docet, neminem sine Dei amore posse justificari; sic Serm. 7. *De Tempore: Penitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei;* et lib. 21. *De Civit., cap. 27. Si non desistant a peccato, habendo charitatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodest.* Unde Auctor *De Vera et Falsa Penitentia*, sine amore, *inquit, nemo unquam gratiam invenit, nec veniam assecutus est. Quod utique confirmatur ex Scriptura; nam S. Paulus 1. ad Cor. 13. diserte ait: Sine charitate nihil sum; si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Et 1. Joann. 3. *Qui non diligit manet in morte:* igitur ad justificationem, etiam cum Sacramento, non sufficit Attritio concepta ex metu gehennæ, sed requiritur affectus et motus charitatis. — **Distinguo antecedens:** requiritur Dei dilectio, actualis aut habitualis, concomitans aut subsequens, *concedo:* sola actualis et prævia, *nego.* Verum quidem est, quod non possit fieri peccatoris justificatio sine Dei amore et charitate habituali, quæ a gratia sanctificante non distinguitur; sed non absolute requiritur, quod actualis et formalis Dei amor ipsam justificationem præcedat, dum peccator eam obtinet per Sacramentum; verum ad id sufficit amor Dei habitualis, seu charitas, quæ est forma hujusmodi justificationis, per quam videlicet peccator fit Dei amicus et ipsi gratus. Ita Doctor ejusmodi auctoritates solvit, dist. 14. q. 2. n. 20., ubi ait: *Quod sine amore Dei nullus consequitur veniam, potest ibi accipi venia, non tantum pro penitentia, sed pro fine Penitentiae: et ita cum intelligimus, quod per penitentiam acquiritur venia, et illa venia est, quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam divinam.* Vel dico, S. Augustinum loqui de Dei dilectione, quæ proveniat non ex affectu charitatis, sed ex affectu spei; ad quam utique Dei dilectionem conducit ille gehennæ metus; nullus enim vere attritus gehennam timet, nisi quatenus est privativa æternæ Dei possessionis, ac subinde quando dolet de peccatis propter metum gehennæ, dolor iste terminatur ad Dei dilectionem; non enim timeret gehennam, nisi quatenus est privativa possessionis Dei, neque doleret de hujusmodi privatione, nisi Deum diligeret; nam tantus est dolor in amittendo, quantus est amor in possidendo: igitur vera Attritio semper habet adjunctam Dei dilectionem ex affectu spei, si non explicite et formaliter, saltem virtualiter et implicite.

DICES 3: Cum Lex Evangelica longe sit præstantior Lege veteri, etiam præstantius requirit remedium ad obtinendam peccati remissionem: ubi enim lex est perfectior, ibi gratiæ consequendæ media debent esse præstantiora: sed Contritio stricte sumpta, quæ fuit medium necessarium ad consequendam gratiam in veteri Lege, est medium præstantius

Attritione, seu Contritione imperfecta: igitur hæc etiam necessaria est in nova Lege. — **Distinguo minorem:** Contritio perfecta est præstantior Attritione, si consideretur secundum entitatem, *concedo*: si spectetur per ordinem et habitudinem ad finem et effectum, ac modum procurandi finis et effectus in Sacramento Pœnitentiæ, *nego*. Licet enim Contritionis natura et virtus sit præstantior et perfectior Attritione, si secundum se spectetur, unde potest extra Sacramentum ad justificationem perducere, quod Attritio non potest; Attritio tamen juncta Sacramento, tam potest ad justitiam et gratiam ultimate disponere seu perducere, quam ipsa Contritio; nimirum ad ipsam gratiam, quam Pœnitentiæ Sacramentum ex opere operato producit in pœnitentibus: ad hanc enim requiritur solum, ut tollatur obex malæ voluntatis ad creaturam conversæ; Attritio autem juncta Sacramento potest id efficere; quare dicitur æquivalenter ultima dispositio, quamquam ad gratiam ex opere operantis producendam in Sacramento Contritio strictè sumpta perfectius disponat, quia majus est hominis meritum, quam Attritio.

DICES 4: Plurimi e gravioribus Theologis, maxime vero Doctores Seraphicus et Subtilis, aperte docent, Attritionem non sufficere cum Sacramento ad remissionem peccati, quia non excludit voluntatem peccandi. *Primo* namque Seraphicus in 3. dist. 34. p. 2. art. 1., ait: *Dicendum, quod absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti: et ratio hujus est, quoniam sicut donum Dei est nosse, sive credere penas futuras, pro eo quod ibi est quedam cordis illuminatio et directio: sic donum Dei est illas penas æternas refugere et timere, pro eo quod ex tali dono est quedam cordis emollitio, et fluxus concupiscentialis restrictio, et in hoc quedam rectificatio. Et propter illum timorem cessat homo a peccatorum perpetracione, licet non omnino cesset a voluntate.* Nam subdit: *Voluntas peccandi manet in habitu et radice, quia deformitas est circa timentem.* Similiter Doctor Subtilis, in 4. dist. 20. quæst. unica, ubi agens de Pœnitentiâ, quæ tantum fit in extremis vite, ostendensque eam esse dubiam, hoc probat variis rationibus, maxime vero auctoritate S. August. dicentis: *Oportet non solum timere judicem, sed diligere, arbitrii enim libertatem quærit, ut dolere possit commissa, non necessitatem: charitatem, non timorem.* Igitur ex eorum sententiâ dolor conceptus ex metu gehennæ non sufficit ad remissionem peccati. — **Nego antecedens,** et ad Seraph. Doctorem dico, illum per voluntatem peccandi, quam dicit manere in habitu et radice, nihil aliud intelligere, quam peccatum habituale, sive maculam quæ remanet post præteritum actuale peccatum, quæ non expellitur per timorem servilem, nisi accedente Sacramento; ac subinde potius per Sacramentum, quam per timorem illum pellitur, ait enim q. 2. « Cum dico timorem servilem, duo dico: videlicet ipsum « habitum, quo anima disponitur ad timendum Deum, ut punientem « eos, qui prævaricantur; et ulterius nomine servitutis importatur de- « formitas peccati, quæ annexa est illi habitui in eodem homine, ra- « tione cujus ille homo dicitur esse servus peccati, et timor in eo exi- « stens dicitur esse timor servilis. Per hunc etiam modum, cum dico « aliquem timerè serviliter, duo dico: videlicet actum ab illo habitu « egredientem, et voluntatis servitutem, sive deformitatem comitantem.

« Sed attendendum, quod hoc potest esse dupliciter: aut ita quod de-
 « formitas illa voluntatis concomitetur quantum ad habitum; sic po-
 « test esse, quod aliquis serviliter timeat, et tamen motu illo non pec-
 « cabit; quia si ex cogitatione pœnarum aliquis abhorret offendere
 « Deum, hoc potest esse præter peccatum *actuale*. Si autem concomi-
 « tatur in actu, quamvis ipsum timere de se non sit malum, tamen
 « ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur; sicut aliquis qui
 « timet pœnas, et timendo dolet, quod tales pœnæ infiguntur pro
 « culpa, et actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa pœna; et
 « hoc modo serviliter est peccatum et malum. Hoc autem non est
 « semper, cum quis movetur timore servili: alioquin per usum illius
 « doni magis se homo a gratia elongaret, quam præpararet, quod plane
 « falsum est». Ita Seraph. Doctor, unde concludit: « et ideo concedendum
 « est, quod usus timoris servilis potest esse bonus, licet non sit bonus
 « bonitate meriti, sed magis bonitate præparante vel ordinante ad
 « meritum, quæ simul stat cum peccato. Unde et rationes, quæ hæc
 « ostendunt, concedendæ sunt». Quapropter respondens ad primum, ait:
 « illud vero, quod primo objicitur in contrarium, quod in timore ser-
 « vili vivit voluntas peccandi, et quod dolet de eo, quod lex vetat,
 « dicendum quod illud verbum Augustini non intelligitur, quod semper,
 « quando timet, doleat actu, et similiter quod voluntas peccandi semper
 « sit in actu; sed hoc dicit, quia manet in habitu et radice. Licet
 « autem voluntas sit per peccatum deformata, et regnet in ea malus
 « amor, potest tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in ge-
 « nere, vel ex circumstantia, per aliquam gratiam gratis datam, non
 « committendo culpam, etc. » Igitur censet Seraph. Doctor, dolorem
 peccati propter gehennæ metum, seu Attritionem, posse excludere
 omnem actualem affectum et voluntatem peccandi, quamvis per se
 non sit sufficiens ad removendum peccatum habituale, seu deformi-
 tatem illam et maculam, quæ remanet in peccatore, transacto actu
 peccaminoso, nisi illa Atritio jungatur Sacramento Pœnitentiæ. —
Ad Doctorem Subtilem respondeo, dici posse *primo*, eum ibi agere ma-
 xime de Pœnitentiâ quæ extra Sacramentum sufficiat ad salutem, ad
 quam proculdubio requiritur amor Dei, sive Contritio charitate per-
 fecta. *Secundo*, dici potest quod, si sermo sit de Pœnitentiâ, seu de
 dolore Pœnitentiæ juncto Sacramento Pœnitentiæ, illa verba *oportet*
non solum timere judicem, sed diligere, non tam significant affectum
 charitatis, quam spei, ut colligitur ex sequentibus: *non igitur timeat*
pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro gloria: anxari autem pro gloria,
 nihil est aliud quam timere privationem beatitudinis et æternæ hæ-
 reditatis, quæ per peccatum deperditur, et per pœnitentiâ restauratur.
 Porro hæc animi anxietas ab alia virtute oriri non potest, quam a vir-
 tute spei; ac subinde neque S. August. neque Subtilis Doctor, per
dilectionem aliud intelligunt, quam affectum spei. Porro Atritio habet
 hunc affectum, siquidem nemo potest per eam timere gehennam, quin
 pariter habeat displicentiam voluntariam, quod peccaverit, quia pec-
 cando amisit jus ad hæreditatem sibi repromissam: quæ utique displic-
 entia tendit in Deum, saltem mediate; quippe cum Deus sit objectiva
 beatitudo, quam recuperare sperat pœnitens. Quod autem Doctor non
 de alio dolore, quam Attritionis loquatur, quando videlicet pœnitens

in extremis suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, apparet ex his quæ subjicit, n. 7. ubi ex dictis colligit: *Quod infirmo jam ad articulum istum deducto suadendum est, ut secundum suam possibilitatem laboret ad Pœnitentiam ordinatam, ut scilicet non obstante dolore vel timore, utatur ratione quantum potest, et nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum, et renitatur malæ inclinatione habitus et delectationum præsentium: et laboret ad displicentiam quantum poterit habere, licet brevem; et ne in desperationem mittatur, extollenda est sibi misericordia, proponendo sibi exemplum de latrone illo, cujus fuit Pœnitentia sera, sed non sera indulgentia.* Quibus verbis Doctor veram, diminutam, ac imperfectam rationem, et doctrinam haud dubie traderet, nisi sic intelligendus esset, quod velit ad justificationem extra Sacramentum requiri amorem amicitiae, seu charitatis perfectæ, cum Sacramento vero sufficere amorem concupiscentiæ sive dilectionem minus perfectam; quam utique charitatem, sive potius spem, difficile esse peccatorem habere in extremis, probat, quia, ut mox dicebat, *Qui usque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere a seipso displicentiam novam, nisi timore pœnæ imminenti, præsumitur enim, etc.* Et recte quidem dixit, *præsumitur*, quia accidere potest contrarium; licet valde sit timendum hujusmodi peccatorem retinere adhuc internam complacentiam peccatorum præteritorum, necnon et conditionalem affectum peccandi, si periculum mortis non immineret, etc.

URGEBIS: Ut Pœnitentia sit salutaris, debet esse simpliciter voluntaria: sed ex Doctore ibidem, Pœnitentia, quæ fit in extremis solo metu gehennæ non est simpliciter voluntaria: igitur, etc. *Major constat. Minorem vero sic declarat Doctor, n. 5. Ad hoc, inquit, quod displicentia valeat, et sit ordinata, oportet quod sit debite circumstantionata, et maxime circumstantia finis, et principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum: sed difficile est tunc habere actum sic circumstantionatum; quia qui usque tunc fuit impœnitens non videtur tunc extorquere a seipso displicentiam novam, nisi timore pœnæ imminenti: præsumitur enim, quod si remotus esset a pœna, sicut prius, non extorqueret a seipso illam displicentiam, sicut nec prius: tum quia aliquid simpliciter involuntarium videtur causa istius displicentiæ; nam expectatio mortis videtur causa istius displicentiæ; illa autem est involuntaria; et quod non fit, nisi ex suppositione cujusdam involuntarii, non est simpliciter voluntarium, sicut non omnino voluntarie projicit quis merces in mare, si non projicit, nisi ex suppositione cujusdam periclitationis, quam nollet: saltem quod non est, nisi sic involuntarium, non est multum acceptum alii, nec multum videtur propter amorem ejus factum.* Ita Doctor, quibus significat Pœnitentiam ex metu mortis conceptam, non esse voluntariam, nec Deo gratam: ergo multo minus voluntaria erit Pœnitentia concepta propter metum gehennæ, qui longe major est quam metus mortis; quia gehenna majus infert damnum, quam mors naturalis; ac subinde majorem metum incutit; et consequenter magis minuit rationem voluntarii in eo, quem ob ejusmodi metum peccasse pœnitet. — **Respondeo**, involuntariam dici tripliciter: *primo modo* pro eo, quod nihil omnino habet de voluntario: *secundo modo*, pro eo quod plus habet de volun-

tario, quam de involuntario: *tertio modo*, pro eo quod fit independenter ab omni circumstantia, quæ actum impediret. Quod autem fit ex metu, esto non sit simpliciter voluntarium primo modo, est tamen voluntarium simpliciter secundo modo. Porro Doctor intelligendus est de voluntario primo modo, ut colligitur ab exemplo, quod ipse proponit, et repetit ex projiciente merces in mare: illa namque projectio est simpliciter voluntaria, quia procedit a voluntate efficaci projiciendi ejusmodi merces cum sufficienti cognitione circumstantiarum; tametsi habeat aliquam rationem admixtam involuntarii, et fiat contra inefficacem inclinationem istius voluntatis, quæ nollet ejusmodi periculum adesse, ut salvas et integras merces haberet. Unde illa projectio est simpliciter voluntaria ex parte operantis, licet non sit simpliciter voluntaria ex parte objecti, sed tantum propter circumstantiam imminentis periculi. Igitur displicentia peccati metu gehennæ etiam dicenda est voluntaria *simpliciter* hoc secundo modo; tamen dicitur involuntaria secundum quid, non quidem propter simplicem complacentiam peccatorum, seu affectum peccandi, si periculum gehennæ abesset; hæc enim conditionalis voluntas esset peccaminosa, quia ex objecto suo est mala. Sed dicitur involuntaria *secundum quid*, a nolitione illius periculi, quod utique pœnitens nollet adesse: simpliciter autem, et absolute displicent peccata, non tantum externa, sed etiam interna; alioqui non posset peccator imminens gehennæ periculum evadere. Hinc magna est diversitas inter projectionem mercium in mare, et Attritionem; nam ut quis evadat imminens naufragii periculum, sufficit illa externa mercium projectio; ad evadendam autem gehennam, necessario requiritur detestatio omnium peccatorum, non solum exteriorum, sed etiam interiorum; unde potest aliquis periculum naufragii evadere, tametsi habeat hanc conditionalem voluntatem non projiciendi merces, nisi periculum urgeret. Attritus autem non potest habere hunc conditionalem affectum non detestandi peccata, nisi gehenna immineret, quia non potest gehennæ periculum evadere, nisi omnem omnino affectum peccandi excludat. *Nec obstat*, quod ibidem subjiciat Doctor, illam detestationem, quæ habet admixtum aliquid involuntarii, non esse multum acceptam et gratam Deo; fateor enim, quod Attritio ex se, et seorsim a Sacramento, non sit multum Deo accepta, nec possit peccatorem in Dei gratiam restituere. Quod autem sit ea Doctoris sententia, apparet ex his, quæ docet dist. 14. quæst. 4. n. 7. ubi loquens de remissione peccati post Baptismum commissi per Sacramentum, et sine Sacramento, dicit, quod dum quis justificatur per Sacramentum, recipit illius effectum, scilicet gratiam pœnitentialem: *Non quidem ex merito*, inquit, *quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis Sacramento suo ad effectum illius, ad quem instituit Sacramentum; alioquin non appareret, quomodo Sacramentum Pœnitentiæ esset secunda tabula, si numquam per ipsum, ut Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per Attritionem, tamquam per præviã dispositionem, et per Contritionem tamquam per dispositionem completivã.* Igitur ex mente Doctoris Attritio sufficere potest cum Sacramento ad justificationem, etiamsi parum secundum se sit Deo accepta et gratã.

Corollaria. — Ex his sequitur *primo*, quod ut Attritio sufficiat cum Sacramento ad justificationem, debeat esse supernaturalis; ita namque definit Concilium Trid., Sess. 14. c. 4. ubi ait. *Attritionem non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem. veram etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsam.* Unde Sess. 6. Can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quod etiam testantur Scripturæ sacræ oracula, quibus Deus sibi tribuit hominis poenitentiam. Sic Ezechiel 36. *Auferam a vobis cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Et Threnorum 5. *Convertite nos, Domine, ad te, et convertemur.* Hinc Lucæ 22. *Conversus Dominus respexit Petrum.... et egressus foras Petrus flevit amare.* Quæ verba sic expendit S. Ambr. « Quos Jesus respicit, plorant delictum: negavit Petrus Christum, et non flevit, quia non respexerat Dominus: negavit secundo, et non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit tertio, respexit Jesus, et ille flevit amarissime ». Quapropter Concilium Arausic. secundum, Can. 4. decernit, per S. Spiritus infusionem et operationem, in nobis fieri non tantum, ut a peccato purgemur, sed etiam ut purgari velimus: purgationis autem a peccato voluntas est Attritio, vel Contritio: igitur censet Attritionem non posse esse salutarem, nisi sit supernaturali auxilio Dei concepta.

DICES 1: Attritio concepta naturæ viribus ex metu poenarum Inferni, quas divina fide credimus, est supernaturalis, utpote quæ motivo supernaturali concipitur: sed Attritio supernaturalis ad peccati remissionem sufficit: ergo, etc. — **Distinguo majorem:** supernaturalis objective tantum, et materialiter, ut ea fides, qua credunt hæretici Trinitatem divinam, et Incarnationem Verbi, *concedo*: formaliter ex objecto formali, et efficienter ex influxu causæ producentis Attritionem, cujusmodi requiritur ad gratiam peccati remissivam, *nego*.

DICES 2: Detestatio peccatorum absoluta, non hypothetica tantum et inefficax, ad peccati remissionem sufficit: sed Attritio concepta naturæ viribus potest esse detestatio peccatorum efficax et absoluta: ergo, etc. — **Distinguo majorem:** si fiat ex gratia Dei, *concedo*: ex natura, *nego*. Nam ex Arausicano secundo, Can. 7. *Qui per naturæ rigorem, aliquid eligere posse confirmat, ad salutem pertinens, absque illuminatione, et inspiratione S. Spiritus, hæretico fallitur spiritu, non intelligens Dei vocem in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere.*

DICES 3: Doctor Subtilis, in 4. dist. 14. q. 2. n. 14. aperte docet dolorem de peccatis naturæ viribus conceptum, sufficere ad obtinendam remissionem peccati: igitur non censet Attritionem necessario debere esse supernaturalem. *Patet antecedens:* agens enim de dolore prævio ad remissionem peccati tamquam dispositione necessaria, ait: « Ad hujus intellectum, sciendum, quod peccator in peccatis existens eo modo, quo dictum est in præcedenti q. art. 1. peccatum manere post actum, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei, et ut contra legem divinam, et ut aversivum a Deo, et ut impeditivum præmii, et ut indu-

« ctivum supplicii, et sub multis talibus rationibus: et potest voluntas
 « ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum
 « sic consideratum detestari, et ille motus potest continuari, et intendi
 « ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter cir-
 « cumstantionata circumstantiis moralibus debitis: non est enim veri-
 « simile, quod necesse sit propter peccatum istud remanens, actum
 « quemcumque circa peccatum commissum esse defectivum in aliqua
 « circumstantia morali. Iste autem motus dicitur Attritio, et est dispo-
 « sitio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ
 « sequitur in ultimo instanti alicujus temporis, in quo tempore ista
 « Attritio duravit». Ita Doctor, ex quibus liquet, eum velle, quod volun-
 « tas propriis viribus sine speciali auxilio Dei possit elicere actum
 Pœnitentiæ ultimo dispositivum ad gratiam. — **Nego antecedens,**
 necnon et duas consequentias, et ad Doctoris auctoritatem dico, eum
 per *ly ex naturalibus cum communi influenza* non significare actum
 elicitem ex propriis viribus naturæ, et sine omni auxilio supernatu-
 rali, sed actum informem; hoc est, qui non informatur charitate et
 gratia habituali: ibi namque Doctor inquit, an dispositio prævia
 informis sufficiat ad remissionem peccatorum. Sic namque ait n. 13.:
 « De secundo principali, scilicet an pœnitere, ut actus virtutis, requi-
 « ratur ad deletionem peccati; dico, quod non ut actus unius deter-
 « minatæ virtutis: secundo, quod non ut actus cujuscumque virtutis
 « genitæ talis, vel talis indifferenter; et tertio, si ut actus simpliciter
 « perfecte circumstantionatus, numquid ut formatus, vel sufficit ut
 « informis »? Cui postremæ quæstioni sic respondit: « De tertio dico,
 « quod, actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati, potest
 « intelligi dupliciter: vel ut dispositionem præviam, vel ut concomi-
 « tantem. *Primo modo*, sufficit actus informis, imo semper est infor-
 « mis, quia dispositio prævia ad peccati deletionem est semper sine
 « gratia et charitate, a cujus solius inhærentia et inclinatione ad
 « actum, dicitur actus formatus: *secundo modo*, dico, quod requiritur
 « actus formatus; nam in illo instanti, in quo deletur peccatum, cha-
 « ritas inest, et per consequens, si actus requiritur ut concomitans,
 « requiritur ut formatus ». *Hæc Doctor*. Ex quibus apparet, quod dum
 n. 14. sequenti ait, intellectum ex naturalibus cum communi influenza
 posse considerare peccatum ut offensivum Dei, et voluntatem peccatum
 sic consideratum posse detestari; per *ly ex naturalibus*, tantum excludit
 gratiam habituales, non vero actuales prævenientem ac concomi-
 tantem, quam alibi ad veram Pœnitentiam et justificationem neces-
 sariam esse asserit; maxime vero in 1. dist. 44. n. 4. ubi ait, quemlibet
 peccatorem salvari posse; *Quia*, inquit, *potest Deus eum sua gratia*
prævenire, etc. Et dist. 20. q. un., ait, *esse opus Dei, homini Pœniten-*
tiam fructuosam inspirare. Et dist. 22. art. 2., ait, *Deum propter me-*
rita mortificata citius dare gratiam ad resurgendum, etc. Quinimo in
 hac ipsa dist. 14. eadem q. 2. n. 20. hoc ipsum aperte satis significat
 Doctor: respondens enim ad auctoritates, quas sibi ipsi objecerat, nempe
 quod charitas necessaria sit ad remissionem peccati, ait: *Istæ auctori-*
tates omnes unam habent responsionem, quia Pœnitentia, sive actus,
sive virtus, (idest habitus) non est vera quantum ad finem (extrin-
secum) Pœnitentiæ attingendum sine charitate: et hoc est, quod dicit

*secunda auctoritas de Pœnitentia fructuosa. Pœnitentia enim (attende) absolute potest innasci ex naturalibus hominis, sed non fructifera, hoc est, ferens fructum, imo ut fructuosa, est in ultimo instanti. Doctor autem sibi contradiceret, si n. 14. assereret Pœnitentiam fructuosam posse innasci ex naturalibus: igitur non est verisimile, quod per *ly* ex naturalibus excludat auxilium gratiæ actualis, aut concomitantis: sed tantum significare vult, ad veram Attritionem, quatenus est dispositio necessaria cum Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem percipiendam, non requiri, quod illius actus procedat ex gratia habituali sanctificante.*

COLLIGE SECUNDO, Attritionem, accedente virtute Sacramenti, posse fieri Contritionem æquivalenter: quippe cum eundem obtineat effectum, quem haberet Contritio extra Sacramentum; quo sensu Doctor, dist. 4. q. 2. n. 15. docet, Attritionem sine mutatione fieri posse Contritionem, adveniente gratia, ait enim: « Etsi manet idem motus contra
« peccatum in *esse* naturæ, et moris, qui prius fuit Attritio, in illo
« instanti fit Contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, et
« ita actus formatus, quia habens secum charitatem, quæ est forma
« actus, ut hic loquimur. Ibi tamen oportet distinguere signa naturæ,
« inter actum, ut est talis in *esse* naturæ et moris, et inter charitatem, et
« inter actum, ut est formalis: quia in primo signo naturæ est ibi actus
« talis, in secundo charitatis, in tertio actus formatus a charitate jam in-
« clinante et inherente: et sic Attritio fit Contritio sine omni mutatione
« reali ipsius actus ». Hoc est ex actu informi fit actus formatus: non enim vult Doctor, quod Attritio, quæ est detestatio peccati ex motivo spei, possit fieri Contritio, seu peccati detestatio ex motivo charitatis. Hinc facile intelligitur, quid intendat idem Doctor, in 4. dist. 14. q. 4. n. 9. dum ait: « Concedo, quod ante perceptionem dignam Pœnitentiæ,
« oportet suscitari vel simpliciter, et tunc per Pœnitentiæ Sacramen-
« tum non deletur peccatum, sed gratia, quæ inluit, augetur; vel
« suscitari secundum quid, scilicet ut habeat aliqualem displicentiam
« de peccatis, et propositum cavendi de cætero, et velit suscipere Sa-
« cramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio, idest, in quo,
« sive per quod, imperfecta illa, sive aliqualis displicentia, confert
« gratiam sanctificantem, quam sine Sacramento contulisset Contritio
« charitate perfecta. Attritio ergo in Sacramento fit Contritio, quoad
« æquivalentiam, sive quoad effectum, non quoad entitatem ».

COLLIGE TERTIO, Attritionem extendi debere ad omnia prorsus peccata mortalia, quia unum mortale non potest remitti sine alio; ac proinde cum Attritio sit necessaria ad remissionem peccati mortalis, etiam necessum est, quod Attritio ad hoc Sacramentum requisita tendat in omnia mortalia; quodque pœnitens qui se disponit ad impetrandam veniam in hoc Sacramento, omnia mortalia saltem generatim et virtualiter detestetur, eorumque omnem affectum abjiciat.

Utrum autem Attritio etiam tendere debeat in omnia venialia, non ita convenit inter Theologos; plures namque id affirmant, negant vero cæteri. Sententia tamen negativa mihi probabilior apparet: tum quia non est necesse de eis peccatis pœnitentem dolere, de quibus necessarium non est confiteri: sed ad obtinendam veniam in Sacramento Pœnitentiæ non est necesse confiteri peccata venialia, ut docet Con-

cilium Trid., Sess. 14. c. 5. ubi cum dixisset: omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt, necessario esse confitenda, subjicit: *Non venialia, quibus a gratia Dei non excludimur: et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citra omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis, expiari possunt. Tum, quia unum veniale remitti potest sine alio: ac subinde non est necesse quod quis de singulis Attritionem formet, sed sufficit quod de aliquibus doleat, ut videlicet dolor ille sit materia necessaria ad confectionem hujus Sacramenti.*

DICES 1: Qui non dolet de omnibus venialibus a se confessis, proponit aliquid pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod revera non potest illius esse materia: igitur tantum abest, ut possit veniam obtinere, quin imo novum peccatum committit. *Antecedens patet*; siquidem illud est materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod per Sacerdotalem absolutionem solvi debet; quemadmodum illud est materia Sacramenti Eucharistiæ, quod per verba consecrationis debet consecrari: igitur quemadmodum peccaret graviter, qui hostiam papiraceam cum triticeis apponeret consecrandam, sic etiam graviter peccaret, qui confitendo peccata venialia proponeret aliqua, de quibus non dolet; quia proponeret pro materia, quod revera illius materia esse non potest, defectu doloris. — **Nego antecedens**: ille enim qui manifestat aliqua venialia in Confessione, de quibus non dolet, non proponit illa pro materia Sacramenti Pœnitentiæ; sed dumtaxat ejusmodi venialia peccata exponit cum illis, de quibus dolet, vel ut inde majorem humiliationem et confusionem habeat, vel ut evidentiorum suæ conscientiæ notitiam suo Confessori exhibeat; non secus ac habitus vitiosos, et peccandi occasiones ac tentationes occurrentes solet proponere. Unde *ad antecedentis probationem* nego paritatem, et ratio disparitatis est, quod hostia papiracea cum triticeis exhiberi non possit in Missa, nisi solum ut consecratur, et ut materia transubstantiationis capax, qualis tamen capax non est; necessarium vero non est, ut omnia venialia, quæ manifestamus in Confessione, proponamus ut Sacramenti materiam: ea quippe non confitemur necessario, sed ea proponimus ad humiliationem confusionemque nostram, et majorem nostri status notitiam aperiendam Sacerdoti, ad consilium habendum, sicuti propensiones naturales, occasiones, tentationes, et similia, quæ non sunt peccata, laudabiliter in Confessione Sacerdoti detegimus.

DICES 2: Qui non atteritur de venialibus omnibus, quæ confitendo manifestat, facit formam Absolutionis falsam, et Sacramentum irritum, et falsum ex parte, prout ei detrahit idoneam Absolutionis materiam, et legitimum effectum: gravissime igitur peccat. — **Nego antecedens**: quia formæ hujus, *Absolve te a peccatis tuis*, sensus est, ab iis quæ cum dolore, debitoque proposito confessus es: ergo non est irritum ex parte Sacramenti, quia nihil deest ei necessarium ad valorem et fructum, si confessus sit pœnitens unum veniale, licet non habeat tantum effectum, quantum habere posset, si dolorem de singulis haberet. Unde consultum esse debet pœnitenti, ut dum Confessioni faciendæ præmittit examen suæ conscientiæ, dumque singula a se commissa peccata recogitat, etiam ad singulorum recordationem, et me-

moriam eliciat dolorem ac detestationem, quo nempe efficacius ac melius disponatur ad percipiendum Sacramenti effectum.

COLLIGE QUARTO, Saluberrimum esse, ut ille, qui fieri solet per Attritionem, dolor confessionem antecedit; qui enim de suis peccatis atteritur, longe distinctius et accuratius, ac etiam majori cum animi devotione ac præparatione ad gratiam et Absolutionem Sacramentalem peccata declarat. Non est tamen absolute necessarium, ut ille doloris motus et affectus Confessionem præcedat, sicut constat ex communi praxi fidelium, qui existimant se debite recepisse Absolutionem Sacramentalem, dummodo ante illius susceptionem atterantur. Hinc Confessarii, ubi exceperunt pœnitentium peccata, eos adhortantur, ut de ipsis doleant, cum proposito imposterum non peccandi: hoc autem foret inutile, istaque praxis vergeret in ipsius pœnitentis damnum, et in Sacramenti irreverentiam, si dolor iste necessario præmitti debuisset Confessioni faciendæ: igitur, etc.

Necessarium tamen est, quod ipse Attritionis dolor Sacramentalem Absolutionem præcedat; cum enim illa Sacramentalis Absolutio feratur per modum sententiæ judicialis, quæ necessario supponit accusationem rei: accusatio autem cum sit voluntaria, debet habere concomitantem, aut saltem subsequentem dolorem pœnitentis, tanquam dispositionem præviam; idcirco Sacerdos non potest penitentem absolvere, quin prius peccata per Confessionem declaraverit, et de iis doluerit; maxime cum hæc sententia sit reconciliativa peccatoris cum Deo, ac subinde pœnitens debet esse paratus ac dispositus, ut in Dei gratiam redeat: hoc autem fieri non potest, quin peccator ea excreetur ac detestetur, quæ ei fuerant in causa, cur averteretur a Deo. Hæc autem detestatio fit per modum Contritionis, vel Attritionis: igitur motus ille, et affectus doloris necessario debet antecedere Sacramentalem Absolutionem. Ex quibus colligitur, quod quoties absque ejusmodi dolore quis confitetur peccata, invalide absolvitur, et debet iterum de illis peccatis confiteri.

COLLIGE DENIQUE, Attritionem posse defini: *Attritio est animi dolor et detestatio de commissis peccatis, cum proposito non peccandi de cætero: et spe ac petitione veniæ ex motivo supernaturali conceptus, vel ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati, cum aliqua Dei dilectione, ad virtutem spei spectante.* Cujus utique definitionis, seu descriptionis particulæ omnes constant ex dictis: primo namque dicitur *animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero*, in quibus convenit cum Contritione perfecta, quæ eosdem pariter characteres habet. Additur *cum spe ac petitione veniæ*: qui enim debite atteritur, sperat veniam a Deo obtinendam, et illam exorat. Sequitur *ex motivo supernaturali*: qui enim doleret de peccatis ob motivum pure naturale non haberet sufficientem dispositionem ad veniam et gratiam sanctificantem obtinendam. Cætera adduntur, ut distinguatur ipsa Attritio a Contritione perfecta, quæ habet pariter spem veniæ consequendæ, et concipitur ex motivo supernaturali; sed dumtaxat ex affectu charitatis, et dilectionis Dei propter se.

SECTIO SECUNDA.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

CONFESSIONIS nomen idem proprie significat, ac alicujus rei vel secretæ vel incognitæ privatam aut publicam, spontaneam aut coactam declarationem ac manifestationem. Unde triplex in Scriptura sacra distinguitur Confessionis genus; alia enim est confessio *professionis*, alia *laudis*, alia denique *accusationis*. Prima est, qua quis publice ac constanter profitetur aliquam veritatem, maxime quæ spectet ad Dei gloriam; sic Christus Dominus ait Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*. Hinc Apostolus ad Rom. 10. Fidei professionem, confessionem appellat, cum ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem*. Unde qui Christi Domini fidem libere profitentur, Confessores solent appellari. Secundo, accipitur pro laude, seu gratiarum actione; sicque confiteri Deum, est ipsum laudare; ita Ps. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. S. Matth. 11. et Lucae 10. Christus Dominus Patrem divinum alloquens, ait: *Confiteor tibi, Pater Domine cæli, et terræ*. Tertio, significat peccatorum manifestationem et declarationem; sic Psal. 31. *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Matth. 30. *Omnis regio circa Jordanem exibat, et baptizabatur ab eo in Jordane, confitentibus peccata sua*. Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Hæc præclare observat S. August. in Ps. 29. *Confessio, inquit, gemina est: aut peccati, aut laudis*. Quando nobis male est, in tribulationibus confitemur peccata nostra. Quando bene, in exaltatione justitiæ confiteamur laudem Deo. *Sine Confessione non simus*. Et in Ps. 94. *Confessio quidem duobus modis accipitur in Scripturis: est Confessio laudis, quæ pertinet ad hominem: est Confessio gementis, quæ ad Penitentiam pertinet ejus qui confitentur*. Confitentur enim homines, qui laudant Deum; confitentur cum accusant se, et nihil dignius facit lingua. Vere puto, quod ipsa sint vota, de quibus dicitur in Ps. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Hinc Ser. 8. *De verbis Domini*, expendens hæc Christi Domini verba, *Confiteor tibi Pater*, etc. ait: *Si confiteor, Christus dixit, a quo longe est omne peccatum, non solius est confiteri peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris*. *Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nosmetipsos*. *Pia est utraque confessio, sive cum te reprehendis, qui non es sine peccato; sive cum illum laudas, qui non potest habere peccatum*. — Confessio peccatorum rursus duplex est: alia quæ fit Deo, alia quæ fit homini. Prima est, qua peccata nostra agnoscentes cor nostrum coram Deo effundimus confitentes ac detestantes; ad hanc sufficit locutio cordis; quia Deus scrutatur corda; pertinet autem potius ad Contritionem, quam ad confessionem. De hac Regius Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci: Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Confessio quæ fit homini est ea, qua homini labiis, vel alio signo externo manifestamus peccata nostra. — Hæc rursus duplex: Sacramentalis, et non Sacramentalis. Hæc postrema multiplex: alia civilis, qua homo coram Judicibus sua confitetur peccata; sic Josue Acham alloquebatur: *Da gloriam Deo, et confitere, atque*

indica mihi, quid feceris. Josue 7. Alia satisfactoria, quæ fit ad placandum proximum, eumque nobis reconciliandum, si vitio nostro læsus fuerit. Alia consolatoria, qua peccata nostra in sinum hominis effundimus, consolationem ab eo percepturi. Alia denique consiliaria, qua peccata nostra erudito ac sapienti viro confitemur, ut ejus ore erudiamur ad ea subigenda et corrigenda. — Has omnes confessionum species admittunt hæretici. Confessio Sacramentalis est accusatio peccatorum suorum apud Sacerdotem, qui auctoritatem habet, ut per eum virtute clavium remittantur. Apud Græcos hæc dicitur Exomologesis, quod etiam nomen apud Latinos translatum est, quamquam hæc vox usurpata sit pro universa Pœnitentiæ actione, non autem pro sôla delicti sui accusatione.

Apud sacros autem et ecclesiasticos Auctores, Confessio interdum usurpatur, non tantum ad significandam delicti proprii manifestationem, verum etiam totam Pœnitentiæ, seu Satisfactionis actionem, ut optime declarat Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, cap. 9. ubi cum dixisset: *Tantum relevat Confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggetat: Confessio enim Satisfactionis consilium, dissimulatio contumaciæ*; paulo post subdit: « Is actus (*Confessio*) qui magis Græco « vocabulo exprimitur, et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humiliandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordie illicite. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco, et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractione mutare: cæterum, pastum, et potum pura nosse, non ventris, scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mandatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, pareet ».

Porro quanta sit Confessionis dignitas et virtus, quam desiderandus et admirandus ejus fructus, aperit imprimis Tertullianus, cap. 8. *De Pœnit.*, *Tantum relevat Confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggetat.* Et paulo post, initio cap. 9. *Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur.* Deinde multis exagitat pudorem crimina sua publice confitendi; præcipuum autem argumentum ab utilitate petit Confessionis, et reticentiæ damnis: *Ubi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate cruciari. Tamen quæ per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsen-*

tem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant. Postea aliam eorum objectionem diluit: Quid si præter pudorem, quem potionem putant, etiam in comodo corporis reformident? etc. Origenes, Homil. 3. in Levit. Confessionis virtutem demonstrat duobus his Scripturæ testimoniis: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. Psal. 31. Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam, et tu remisisti impietatem cordis mei. Ex quibus statim colligit: Vide ergo, quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. Præventus enim diabolus in accusatione, ultra nos accusare non poterit. Et si ipsi nostri simul accusatores proficiat nobis ad salutem. Homilia autem 17. eundem Psalmi locum interpretans, subdit: Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possint mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra, etc. Similiter Chrysostomus, Homil. 20. in Genesim: Qui hæc facit, si voluerit ad Confessionem facinorum festinare, et Medico ostendere ut ulcus, et omnia dicere cum diligentia, facile sua peccata emendabit. Confessio enim præteritorum est absolutio delictorum.

S. Pacianus, *Parænesi ad Pœnitentiam*, multis agit adversus eos, qui pudore, ne peccata sua enuntiantur cohibebantur: *Peccator timebit, peccator erubescet, perpetuam vitam præsentis pudore mercari; et offerenti manus Domino, vulnera male tecta subducet? Et habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit, etc. Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur.* S. Ambrosius, *Epist. 3.* sæpius pudorem crimina confitendi a peccatoribus avertere tentat, veluti magnum salutis acquirendæ impedimentum, tandemque concludit: *Illos itaque sanavit, in quibus simplicem et puram reperit Confessionem, nihil malignum, nihil fraudulentum.* Et initio enarrationis in *Psal. 37.* *Plurimum suffragatur reo verecunda Confessio, et pœnam, quam defensione non possumus, pudore sublevamus.* Capite vero 10. lib. *De Pœnitentia*, adversus eundem Confessionis pudorem urgens: *Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sancte plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simul peccatores, ubi ille laudabilior, qui humilior, ille justior, qui abjectior. Istius virtutis fundamentum explicat lib. 2. De Cain et Abel, cap. 9. Confessio pœnarum compendium est. Inde in judiciis secularibus impositi equuleo, torquentur negantes, et quod quædam tangit Judicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, et Pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam, sed recognoscere mitigat Judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.* Et *Serm. 10. in Psal. 118. Didicisti cor esse mundandum, discite quemadmodum munda. Mundat hunc fontem justificatio legitima, hoc est, Confessio peccatorum. Denique publicanus ille, qui peccata propria fatebatur, justificatus magis de templo, quam Phariseus exivit.* S. Aug., *Hom. 12. lib. 50. Homiliarum: Deus noster, quia pius est et misericors, vult ut eâ confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcat, si nos agnoscimus, ille ignoret.* Et enarratione in *Psal. 66. Ad hoc exigit Confessionem, ut liberet humilem. Ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, jam sanaberis. Nam*

confitentis conscientia saniem collegerat, et apostema intumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationi. Tu agnosce Medici manum, confitere, exeat in Confessione, et defluat omnis sanies. Jam exulta, jam lætare, quod reliquum est facile sanabitur.

Similia habent cæteri SS. Patres, ut constabit ex hujus Sectionis decursu, quibus aperte constat, quanti facienda sit Sacramentalis hæc peccatorum accusatio, quamque ab omnibus Christianis sit æstimanda. Nihilominus, ut boni et æqui sunt osores et impugnatores hæretici, mirum esse non debet, quod modis omnibus hanc salutarem Confessionem exagitent. *Primo* namque in Concilio Constantiensi, Sess. 8. extat damnatus Wicleffi hic Articulus septimus: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua.* Sess. 15. damnatur liber ejusdem Wicleffi, et Joannis Hus, ubi legitur: *Grave est, et formidabile, Presbyterum audire Confessionem populi modo quo Latini utuntur.* *Secundo*, Lutherus in dissert. de Confessione et Sacramento Eucharistiæ, triplicem distinguit Confessionem: *prima* est Confessio fidei, quam Deo facimus: *secunda* est charitatis, quæ fit ad proximum: *tertia*, inquit, *auricularis, quam Papa mandavit, eaque fit coram Sacerdote: eam Deus non præcepit, verum Papa ad eam coegit homines.* Hanc tamen eandem auricularem Confessionem bonam esse docet ibidem duabus de causis: *primo*, quia in confessione pœnitens audit verba absolutionis sibi soli dicta ex ore Ministri Ecclesiæ, quibus verbis videtur docere Absolutionem Ministri esse declarativam, non vero practicam: *secundo*, quia pœnitens consilium et consolationem percipit ex tali confessione. Idem Lutherus, lib. *De Captiv. Babyl.*, hæc habet: *Confessio, et Satisfactio egregia facta sunt officina lucræ.* Et infra: *Occulta confessio, quæ modo celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, miro tamen modo placet, et utilis, imo necessaria est, nec vellem eam non esse; imo gaudeo eam esse in Ecclesia Christi, cum sit ipsa afflictis conscientiis unicum remedium. Hoc solum detestor, eam confessionem esse in tyrannidem, et expositionem Pontificum redactam.* In assertione octava Propositionis: *Dic, inquit, mihi, ubi præceptum est de venialibus confitendis Sacerdoti, quo jure, qua Scripturæ auctoritate Papa præcipere potest venialia ad confessionem pertinere?* Et infra: *Impossibile esse, ut omnia mortalia peccatâ cognoscas, evidentissimum est.* In assertione nona Propositionis: *Ita est cruentissima, qua hactenus, tot miseræ conscientias torserunt omnium et singulorum peccatorum discussionibus, cum pro se non habeant, nec tota quidem illius Scripturæ tyrannide propria, hæc onera importabilia hominibus imponentes.*

Confessio Augustana docet, Absolutionem privatam in Ecclesiis retinendam esse, quamquam in confessione non sit necessario delictorum facienda enumeratio, est enim (ut illi placet) impossibilis enumeratio omnium delictorum, juxta illud: *Delicta quis intelligit?*

Calvinus, lib. 3. *Institut.*, cap. 3. § 4. *De confessione*, inquit, *fuit semper ingens pugna inter Canonistas et Theologos scholasticos, his contententibus mandari divino præcepto confessionem, illis reclamantibus, Ecclesiasticis tantum constitutionibus præcipi; in eo vero certa-*

mine insignis Theologorum impudentia apparuit, qui et locos Scripturæ depravarunt, et vi extorserunt, quod id rem suam citabant. Addit § 7. Miror autem, qua fronte ausi sunt contendere, Confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini; cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quam facile evincere possimus olim fuisse liberam, certe nullam de ea statutam fuisse legem, aut Constitutionem ante Innocentii tertii tempora, eorum quoque Annales narrant. Et § 17. Hac carnificina plusquam crudeliter divexatæ sunt eorum animæ, qui aliquo Dei sensu afficiebantur.

Confessio fidei Calvinistarum, art. 24. habet Confessionem auricularem esse inventum humanum, quo jugum imponitur conscientiis. Consentiant cæteri Calvini sectatores. Petrus Martyr, in locis communibus, paragraphis 25. 27. et 28. Wolphangus autem in locis communibus, Papisticam, *inquit* Confessionem, quam auricularem vocat, asserimus nec esse juris divini, nec fuisse in usu Ecclesiastico, tum temporibus Apostolorum, et sequentium Patrum, nec facere ad remissionem peccatorum. Antonius de Dominis, lib. 5. *Reipub. Ecclesiasticæ*, cap. 7. n. 43. multas Confessionis species distinguit, docetque aliquam esse, per quam peccata subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, hanc esse homini liberam, nec ulla lege divina aut humana justos ad ipsam adstringi, cum remedium peccatum habeat in Pœnitentia interna, quæ sola potest sufficere ad remissionem a Deo obtinendam.

Adversus quos omnes errores nobis pugnandum est in sequentibus Quæstionibus quarum *prima* aperiet, utrum Confessio sit necessaria jure naturali, et divino: *secunda*, utrum, et quando facienda jure Ecclesiastico: *tertia*, qualiter fieri debeat: *quarta*, quis minister.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM ET QUOMODO CONFESSIO PECCATORUM SIT NECESSARIA.

NOTANDUM 1. Ut jam alibi diximus, quantum ad Sacramentorum administrationem et perceptionem, duplicem distingui posse necessitatem, aliam quidem medii, aliam vero præcepti. Sacramenta illa dicuntur necessaria necessitate *medii*, sine quibus salus obtineri non potest: quoniam illa positive conducunt ad ipsam salutem consequendam: sic Baptismus est omnibus et singulis hominibus omnino necessarius in re vel in voto ad salutem, sicut et Sacramentum Pœnitentiæ homini adulto lapsa in peccatum mortale post Baptismum, quia Sacramentum istud in re vel in voto receptum conducit positive ad primam gratiam, sine qua salus omnino non potest obtineri. Necessaria autem dicuntur *ex præcepto*, quæ videlicet ex peculiari Dei ordinatione præscribuntur. Hæc autem necessitas iterum duplex est: alia quidem orta ex institutione et præcepto Christi Domini; altera vero ex ordinatione et præcepto Ecclesiæ. De utraque autem sermo est in præsentibus: quæritur enim, utrum Confessio sit necessaria necessitate medii, et præcepti: idque de jure naturali, vel positivo.

NOTANDUM 2. Ex Subtili Doctore, in 4. dist. 17. n. 3. et 4. quod quemadmodum in speculabilibus sunt quædam principia, quorum veritas ex terminis nota est cuilibet intellectui terminos apprehendenti,

ac subinde nota est etiam veritas, quæ ex ejusmodi principiis notis evidenter elicitur, ita in practicis seu operabilibus sunt prima principia practica nota ex terminis, necnon et Conclusiones ex eis illatæ, puta Deum esse amandum et colendum, nullamque ipsi irrogandam ac faciendam esse injuriam. « Unde, *inquit Doctor*, stricte loquendo « nihil est aliud *de Lege naturæ*, nisi principium, vel Conclusio de-
« monstrata. Sic tamen extendendo quandoque dicitur illud esse de
« Lege naturæ, quod est verum practicum consonum principiis et
« conclusionibus Legis naturæ, in tantum quod statim notum est
« omnibus, illud convenire tali legi. Et ex hoc patet, quod non recte
« loquitur Gratianus de jure Legis naturæ, volens illa quæ sunt in
« Scriptura veteris vel novi Testamenti de Lege naturæ esse; quia
« nec illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, nec conclu-
« siones practicæ demonstratæ, nec vera evidenter consona talibus
« principiis et conclusionibus. Exponendus ergo est, quod extendit
« jus naturale ad jus positum ab Auctore naturæ, ut distinguitur contra
« jus positivum ab aliquo, qui non est auctor naturæ ». Hinc tres di-
« stinguui possunt gradus juris naturæ: in *primo* sunt principia practica
« nota ex terminis: in *secundo* sunt conclusiones, quæ ex ejusmodi prin-
« cipiis eliciuntur evidenter: in *tertio* denique sunt illæ propositiones,
« quæ sunt equidem conformes principiis practicis, ex eis tamen evi-
« denter non inferuntur. Quæritur autem, utrum Confessio et accusatio
« peccatorum sit de jure naturæ alterutro ex his tribus modis.

NOTANDUM 3. Jus *divinum* positivum maxime fundari in divinis præceptis, quæ in Scriptura sacra tam veteris quam novi Testamenti exarantur. Tales erant cæremoniæ legales servandæ in veteri Lege ex Dei præcepto, talia sunt etiam a Christianis frequentanda divina Sacramenta novi Testamenti, et a Christo Domino instituta, et per Apostolos ad nos usque propagata sunt. « Quæcumque enim (*inquit Doctor* n. 4.) « continentur in Scriptura, pro tempore pro quo sunt observanda, et « tamen non sunt nota ex terminis, nec demonstrabilia ex talibus
« notis, nec tamen consona talibus veris evidenter, sunt mere de jure
« positivo divino: cujusmodi sunt omnes Cæremoniæ Judæorum pro
« tempore illius legis, et Christianorum pro tempore legis nostræ: nec
« enim est notum ex terminis, nec demonstratum, nec evidenter con-
« sonum talibus, quod Deus sit colendus in immolationibus bestiarum
« veteris Legis, et hoc pro quocumque tempore; nec quod sit colendus
« in Cæremoniis nostris, puta in oblatione Eucharistiæ, vel cantu Psal-
« morum, licet ista sic sint consona Legi naturæ, quod non repugnet.
« Hoc etiam patet, quia illa, quæ sunt de Lege naturæ, sive proprie
« sive extensive, semper sunt uniformia; non sic hujusmodi Cære-
« moniæ, quæ erant aliæ pro tempore alterius legis ». *Ita Doctor*. Jus autem *Ecclesiasticum* illud est, quod fundatur maxime in Conciliorum oraculis. et summorum Pontificum decretis, ea probante et recipiente universa Ecclesia. Hæc enim, *inquit Doctor*, multa instituit propter observantiam honestiorem in moribus, et propter reverentiam majorem in suscipiendis Sacramentis et dispensandis, quæ omnia sunt juris positivi Ecclesiastici.

Hinc triplex exurgit obligatio ad aliquid faciendum, nimirum *vel* ex jure naturæ, *vel* ex jure et præcepto divino, *vel* ex præcepto et jure

Ecclesiastico. Porro de jure naturali et divino sermo erit in presenti Quæstione, de Ecclesiastico autem in sequenti.

Conclusio prima. — CONFESSIO SACRAMENTALIS PECCATORUM NON EST FACIENDA JURE NATURÆ. Ita Doctor, dist. 17. n. 5. *Dico, inquit, quod non tenetur quis præcepto Legis naturæ ad Confessionem peccati, de qua quæritur; quia tunc hæc obligatio fuisset pro statu vel tempore cujuscumque legis, quod falsum est, quia nec erat in statu innocentia, nec in statu Legis Mosaica.* Quasi diceret: si homines tenerentur ad faciendam Confessionem de jure naturæ, eam deberent facere pro tempore cujuscumque legis: sed hoc falsum est, siquidem obligatio ad talem Confessionem non fuit in statu innocentia, nec in statu Legis Mosaica; multo minus in statu, qui præcesserit eam legem, post primi hominis lapsum; igitur, etc.

Deinde, ex S. Isidoro, lib. 5. *Originum*, cap. 4. *Jus naturale est idem apud omnes, et est commune nationum omnium, eo quod non aliqua constitutione, sed instinctu naturæ ubique habetur.* Similiter Cicero, lib. 2. *De Inventione: naturale jus*, inquit, *est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit.* Sed Confessio non est ejusmodi, nec enim communis est apud omnes nationes, nec inseritur ab aliqua naturæ vi; Sacramenta enim sunt supra naturale rationis dictamen, sunt namque fidei protestationes, ac subinde debent ei esse proportionata; fides autem est supra naturalis rationis cognitionem, et consequenter Confessio non est facienda de jure naturæ.

Denique, inquit Doctor, n. 8. non est notum de Lege naturæ, quod unus homo sit judex alterius, maxime super peccato occulto, siquidem homo non debet judicare, nisi ea, quæ patent, homo enim judicat secundum faciem, Deus autem intuetur cor; ac subinde non est pariter notum, quod unus homo alteri debeat suum revelare peccatum occultum. *Adde quod,* talis debeat esse Confessio facienda, qualis est potestas absolvendi peccatum confessum: sed illa potestas non emanat ex jure naturæ, nec singulis hominibus est communis, sed provenit ex jure divino positivo, spectatque ad Sacramenti necessitatem et administrationem; unde concessa est Apostolis a Christo, Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata: igitur, etc.*

OBJICES 1. Adamus, Cain, et Job nulli alteri juri ac legi subiciebantur, quam juri Legi naturæ: sed illi tenebantur ad Confessionem faciendam; nam arguuntur Adam et Cain, quod peccatum suum non fuerint confessi. Adamus quidem; glossa enim expendens illud Genesis 1. *Adam ubi es?* ait: vox est increpantis, et Confessionem inquirentis. Cain similiter damnatur, quod interroganti Deo, Genes. 4. *Ubi est Abel frater tuus?* impudenter respondit: *Nescio, num custos fratris mei sum ego?* Denique Job, cap. 13. ait: *Si abscondi ut homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam: igitur, etc.* — **Distinguo minorem:** illi tenebantur ad Confessionem faciendam sacramentalem homini *nego:* ad profitendum peccata sua coram Deo cum animi demissione et Contritione, *concedo.* Hinc damnatus fuit Adam, « quod Adam, inquit Doctor, n. 6. non debuit peccatum suum occultasse Deo; quia ipse est Judex, cui manifestum est omne peccatum, « et coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum; et

« hanc Confessionem Dominus requisivit ab eo, quam non solum non fecit, sed peccatum suum excusavit, retorquendo in mulierem, cum dixit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, etc.* Unde illud non concludit, quod in illa lege esset Confessio faciēda homini, licet esset « faciēda Deo increpanti ». *Hæc Doctor.* Idēd dicendum de Cain, necnon ad textum Jobi; loquitur enim sanctissimus hic Vir, non de manifestatione peccatorum, quæ fieret coram hominibus, sed de illorum declaratione, quæ fieret coram Deo, qua quis se coram Deo peccatorem profitetur, et ab eo veniam exorat. Unde S. Gregorius, lib. 22. *Moral.*, cap. 9. *Hæc, inquit, veræ humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce Confessionis aperire, at contra usitatum generis humani vitium est, et latendo peccatum committere, et commissum abscondere, et convictum defendendo multiplicare: ex illo quippe lapsu primi hominis hæc argumenta nequitie ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ.*

OBJICIES 2. Præcepta, quæ communia sunt veteri et novæ Legi, sunt de Lege naturæ: sed præceptum Confessionis est commune utrique legi: Legi quidem Mosaycæ: etenim Levitici 16. Aaron, et filii ejus, Deo jubente, tenentur confiteri peccata filiorum Israël: nam de Sacerdote offerente hircum dicitur: *Posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, et universa delicta, atque peccata eorum.* Similiter Josue 7. sic Josue Achan alloquitur: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Unde Proverb. 18. *Justus prior est accusator sui:* igitur, etc. — **Distinguo majorem:** quæ sunt communia utrique legi eodem modo, *concedo:* diverso modo, *nego.* Licet autem peccati Confessio aliqua ratione esset præcepta in Lege Moysis; non tamen eodem modo præcipiebatur, ac in Lege Evangelica: « Quia, inquit *Doctor,* n. 6. in tota Lege Mosayca non fiebat ista Confessio, « de qua loquimur, sed de peccatis occultis tantum Deo fiebat Confessio, de quibusdam tamen defectibus publicis, et observantia legalium fiebat Confessio, et uniuscujusque, quando scilicet offerebat « pro tali delicto sacrificium, et generalis Confessio Sacerdotis pro populo erat ista: *Injuste egimus, peccavimus,* et hujusmodi. Et isto « modo publica Confessio Sacerdotis erat quædam dispositio ad peccandam misericordiam Dei populo; sicut et modo in Ecclesia, nos « Confessione ista, de qua loquimur, confitemur nos peccasse, et peccatum misericordiam, et nobis, et toti populo ». *Ita Doctor.* Unde omnes Confessiones, quæ fiebant in veteri Lege, non erant Sacramentales, sed erant dumtaxat peccati declarationes privatæ vel publicæ, quæ fiebant, aut coram Deo ad impetrandam veniam, vel coram legitimo Judice ad judicium formandum de aliquo admissio crimine; quemadmodum Achan interpellatus est a Josue, ut admissum a se crimen fateretur, quatenus de eo juridica ferri posset sententia.

OBJICIES 3. Omnis Conclusio, quæ sequitur ex principiis naturalibus, est de Lege naturali: sed ista Conclusio, *homo tenetur confiteri sua peccata alteri homini,* colligitur ex principiis naturalibus: igitur est de Lege naturali. *Major patet* ex dictis in primo Notabili. *Minor vero probatur:* principia hæc sunt naturaliter nota: omnis reus est judicandus per alium, et non per seipsum; quia nullus debet esse

judex in causa propria: sed non potest judicari per alium, nisi apud illum accusetur; nec potest apud eum accusari, maxime de peccato occulto, nisi reus ipse delictum illud confiteatur: igitur ex illis principiis notis per rationem naturalem, et conformibus Legi naturæ, sequitur evidenter hominem debere confiteri suum peccatum alteri, a quo judicetur. — Respondet Doctor, n. 7. concedendo quidem ista principia esse nota lumine naturali, aut saltem valde conformia propositioni notæ per lumen naturale, nempe quod reus est judicandus; quia nullum delictum relinquendum est impunitum in universo, si est unus Rector Universi justus, quod est notum naturaliter. Similiter notum est, quod judicandus sit ab alio; sed non est notum naturaliter quis sit ille alius, nisi Deus. Unde pro omni statu post lapsum omnes justi, qui habuerunt fidem de Deo, quod erat Rector Universi justus, postquam peccaverunt contra Dei legem, confitentur Deo peccata sua, petentes ab eo remissionem, scientes eum sine tali remissione, tamquam justum judicem vindicaturum de illo peccato; non est autem naturaliter notum, quod unus homo debeat se accusare alteri homini, maxime de peccatis occultis; « Quia, inquit Doctor, n. 8. nullus homo « potest esse judex peccati hominis, nisi ut minister summi Judicis: « hoc autem modo, scilicet esse Ministrum Judicis in vindicando, vel « puniendo peccatum commissum, magis concessum est unicuique « respectu sui, quam uni respectu alterius. Unicuique enim commisit « Deus, ut sit minister Dei in vindicando peccatum proprium, in in- « fligendo sibi disciplinam, et tristitiam pro illo peccato; non sic « autem notum est, quod concesserit alicui respectu alterius. Et si « arguas, quod in Republica humana unus est judex alterius; re- « spondeo, verum est de illis, quæ possunt sibi innotescere in illo ju- « dicio, cujusmodi sunt peccata publica ».

Conclusio secunda. — CONFESSIO OMNIUM PECCATORUM MORTALIUM EST JURE DIVINO PRÆCEPTA. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 14. Can. 7., his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Penitentiae ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta... anathema sit.*

* “ **Probatum Conclusio** ex institutione Sacramenti Penitentiae. Confessionis omnium peccatorum necessitatem colligit Tridentinum Concilium, Sess. 14. cap. 5. ” * *Ex institutione Sacramenti Penitentiae jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, etiam institutam esse a Deo integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam Præsides et Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, una cum potestate clavium, remissionis atque retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in penis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent, etc. Et postea in fine illius*

Capitis damnat eos, qui dicunt, institutionem Confessionis esse ortam a Concilio Lateranensi: *Neque enim, inquit, per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat: sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenitur, impleretur, etc.* — Plura etiam loca sacræ Scripturæ affert, sed potissimum est illud Joann. 70. ex quo Sacramenti institutionem et Confessionis necessitatem colligit. Vis autem illationis, omissis aliis explicandi modis, consistit in eo, inquit Lugo, quod Christus constituerit Sacerdotes non solum judices arbitrarios, seu quos pro suo arbitrio possent pœnitentes adire pro venia peccatorum; sed judices necessarios, sine quibus venia obtineri non possit. Quod quidem potissime colligitur ex illo verbo, *retinueritis*, seu ex potestate retinendi, quam simul cum potestate remittendi eis dedit; quam alibi Matth. 10. significavit per verbum *alligandi*; qui enim potestatem habet ligandi peccatorem, seu excludendi eum a Regno cœlorum, non est judex arbitrarius, sed necessarius; quippe qui per negationem veniæ relinquit peccatorem exclusum a Regno cœlesti; et ideo dicitur retinere peccata per negationem remissionis, et in eodem sensu dicitur accepisse claves cœli, quia quando alicui claves dantur domus clausæ, eo ipso fit medium necessarium recurrere ad illum, ut aliquis ingrediatur domum illam. Oportet ergo ut pœnitens pareat coram Sacerdote, tamquam coram Judice ad obtinendam veniam peccati. — * “ Ex S. Athanasio, tomo 2. tractatu in hæc verba Evangelii: *Profecti in pagum qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum, etc.* pag. 990. *Quod si nondum soluta sunt vincula, inquit, tradas te ipsum discipulis Jesu: adsunt enim qui te solvant pro potestate ea quam a Christo acceperunt. Quæcumque ligaveritis, inquit, in terra, etc.* Quid est tradere se Christi discipulis solvendum a peccatis, nisi eis vincula detegere conscientiæ suæ, et beneficium absolutionis petere.

RÉPONUNT Calviniani, hæc verba ad catechumenos pro Baptismo a peccatis solvandos, vel ad peccatores his reos sceleribus quæ juxta canones pœnitentia publica erant expianda pertinere. — **Contra**, hæc verba ad baptizatos dirigi constat ex his verbis: *Unusquisque nostrum obligatus est vinculis peccatorum; optamus igitur, ut et ad nos mittat discipulos suos Jesus, quo resolvant vincula, quibus unusquisque nostrum innodatur.* S. Athanasius catechumenis ita loqui non poterat, nisi tunc catechumenus fuisset, quod repugnat. — Altera solutio felicitis hæreticis non cedit, peccata enim pœnitentiæ publicæ subjecta erant idololatria, mæchia, et homicidium. De aliis autem peccatis plane diversis loquitur S. Athanasius. *Hic enim, inquit continuo Sermone, pag. 985., obvincitur avaritia, ille implicatur fornicationibus, alius ebrietate alligatur, alius rursus detinetur inani ambitione: est qui injurias faciat, et qui rapiat quæ sunt sui proximi et pauperis; alius usuram usuram accumulatur; et in summa omnes laboramus nostris vitiis, et indigemus Salvatoris nostri curatione, eoque opus habemus ut ad nos amandetur discipulos suos, et liberent nos a diaboli compedibus.*

Ex S. Ephrem, diacono Ecclesiæ Edessenæ, lib. 1. *admonitionum de compunctione cordis, ubi post multorum scelerum enumerationem, ait: Si te devictum in hoc senseris, festina sanitatem recipere et per*

*confessionem a spiritali patre, et a medico quære medelam, ne rursum eadem patiaris. — Idem colligitur ex S. Hilario, * qui Can. 18. in Matth., ita scribit: Ad terrorem metus maximi, quo in præsens omnes continentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverit, idest, peccatorum nodis innexos reliquerit, et quos solverit, et Confessione veniæ receperit in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ, in cælis quoque absoluti sunt, aut ligati. Ubi Hilarius explicans modum, quo peccatorum nodi solvuntur ab Apostolis, utitur nomine Confessionis; et peccatorum alligationem exponit per relictionem nodorum peccati, seu veniæ carentiam, aut negationem, scilicet ex remissione Confessionis. — Ex Hieronymo, Matth. 16. Legimus in Levit. de Leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a Sacerdotibus mundi fiant: non quod Sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi, et possint discernere qui mundus, aut immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit, sic et hic alligat, vel solvit Episcopus, et Presbyter, non eos, qui sunt insontes, aut innocii: sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. Non ait Hieronymus, scit qui ligatus sit, quive solutus; sed qui ligandus, quive solvendus sit. Nam impœnitentes ligat Sacerdos, pœnitentes solvit; non solutos, aut ligatos ostendit: non potest autem peccatorum varietates audire, nisi per Confessionem.*

Idem docet S. Augustinus, lib. 50. *Homiliarum*, Homil. 49. cap. 3., ubi ait: *Si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago: ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, erunt soluta in cælo; ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei. frustramur Evangelium; frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ipse negat, nonne vos decipimus, etc. Et Tract. 49. in Joann. expendens resurrectionem Lazari, ait: Quomodo processit ligatis pedibus miraris, et non miraris quia surrexit quatruiduanus: in utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit et adhuc ligatus est, adhuc involutus; tamen jam foras processit; quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces: quando confiteris, procedis. Quid enim est procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, idest, magna gratia vocando: ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, et adhuc reus: ut absolventur peccata ejus, Ministris hoc dixit Dominus: solvite illum, et sinite abire: quid est, solvite, et sinite eum abire? Quæ solveritis in terra, erunt soluta et in cælo. Quibus verbis S. Augustinus significat, quod Sacerdotes novæ Legis non possint ex mandato Domini solvere pœnitentes ejus gratia suscitatos, nisi procedant e tumulto peccati per veram Confessionem: quemadmodum non potuerunt Discipuli solvere Lazarum, nisi foras e tumulto vocatus Christi Domini voce processisset.*

Similia loquitur S. Leo, Epistola 49. alias 91. *Multiplex*, inquit, *miseriçordia Dæi ita lapsibus subvenit humanis, ut non modo per lapsissimi gratiam, sed etiam per Penitentię medicinam spes reparetur æternæ, ut qui regenerationis dotem violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic diviçe cha-*

ritatis præsidis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus Ecclesie prepositus tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, et eosdem salubri Satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Porro quod per Confessionem Sacerdotibus ex jure divino faciendam, S. Leo illam intelligat, quæ secreto fieri solet, colligitur ex Epist. 80. ad Episcopum Campaniæ, ubi inter varia scribit: *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta.* Et infra: *Sufficit illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti.*

Ratio hujus veritatis petitur ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ; qui enim finem aliquem aut officium aliquod instituit, etiam censetur ea media instituisse, quæ necessaria sunt ad ejusmodi officium exequendum, et finem obtinendum: sed Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ instituendo, Sacerdotes ordinavit ac constituit Judices peccatorum hominis baptizati, ut illa pro libito retinerent, solverent: non possunt autem judicare peccata esse remittenda vel retinenda absque Sacramentali Confessione; nam, ut Judex legitime et juridice reum absolvat, aut puniat, opus est, ut ipsius rei status, crimen, et delicti gravitatem cognoscat: non potest autem hæc omnia nosse, maxime si illa crimina occulta sint et latentia, nisi ipse pœnitens ea per Pœnitentiam manifestet: igitur, etc. *Deinde:* illud est jure divino necessarium ad salutem consequendam, quo prætermissa peccata mortalia post Baptismum commissa non possunt remitti, et quo posito ex Christi institutione illa remittuntur: sed omissa Sacramentali Confessione peccata carent venia: quamdiu enim retinentur ab eo, qui solus habet juridicam ea remittendi potestatem, tamdiu non remittuntur; tamdiu autem retinentur a Sacerdotibus, donec manifestata eis fuerint per Confessionem, et per absolutionem remissa: igitur ex Sacramenti Pœnitentiæ institutione recte colligitur Confessionis necessitas ex jure divino. *Denique:* Sacramenti Pœnitentiæ Minister debet servare quamdam æquitatem in injungendis pœnis et satisfactionibus, juxta delictorum gravitatem: sed absque prævia Confessione non potest ejusmodi æquitatem servare: quippe cum sine ea non possit cognoscere peccatorum numerum, species, et circumstantias: ac subinde illa est de jure divino, sicut et ipsum Pœnitentiæ Sacramentum.

Has omnes rationes subtiliter et egregie expendit Doctor, dist. 16. ubi improbat sententiam Glossatoris in dist. 5. *De Pœnit.*, proponentis varias opiniones de institutione Confessionis, ac dicentis eam institutam fuisse a quadam universalis Ecclesie traditione potius, quam ex novi vel veteris Testamenti auctoritate: « Sed, *inquit* Doctor, salva gratia « sua, irrationabiliter loquitur Glossator, turpe enim esset Theologo « dicere aliquid esse in Biblia, et nescire ubi illud inveniretur: et ita « inconveniens debet esse Canonistæ dicenti, aliquid esse ex univer- « sali Traditione Ecclesie, et non inventi in Canone, si Canon « sufficienter continet universales Traditiones Ecclesie; non allegat « autem aliquid capitulum Canonis istam Traditionem continens. Item « si hæc opinio vera esset, videretur quod Papa non teneretur confi- « teri, quia par in parem non habet potestatem, etc. » Improbata autem

hac Glossatoris sententia, declarat Doctor num. 11. Confessionem esse faciendam ex præcepto divino positivo; quod utique colligit ex Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata.* « Hic, *inquit*, data est potestas Apostolis, et in eis omnibus Sacerdotibus remittendi peccata; non principaliter; quia hoc est proprium « Dei: ergo ministerialiter et arbitrate: sed non possunt arbitrari « in causa ignota: ergo est eis manifestanda causa, in qua debent « arbitrari: hæc manifestatio est Confessio: ergo ex ista collatione « potestatis arbitrariæ Sacerdotibus in causa peccati, obligatur peccator ad accusandum se eis tanquam arbitris, quod est confiteri. — « Si dicatur quod ratio bene concludit, quod Sacramentum Pœnitentiæ « est institutum a Christo, tanquam utile et efficax, non tamen sequitur ex hoc, quod sit necessario recipiendum, ut cadens sub præcepto, quia Extrema-unctio est instituta a Christo, et Confirmationis « Sacramentum, ut dictum est supra, et tamen neutrum est simpliciter « necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo; et tunc « ad formam argumenti: sunt arbitri in causa peccati: ergo ad id « debent se illis accusare; verum est, illi qui volunt se eorum arbitrio « submittere, et se submittunt, ipsi habent bene potestatem arbitrandi; « sed non sequitur, ergo alii necessitate præcepti tenentur se submittere eorum arbitrio. Exemplum, quatuor sunt Sacerdotes, quorum « quilibet habet auctoritatem absolvendi istum peccatorem; quilibet « est complete arbiter ejus, quantum ad potestatem; non tamen tenentur se submittere cuilibet, sed uni tantum, cui voluerit. Et hoc « confirmatur per hoc, quod Christus subjunxit: et *quorum retinueritis, retenta sunt*, illud verbum non est præcisum; non solum enim « illa peccata retenta sunt a Deo peccatori ad pœnam, quæ retenta « sunt a Sacerdote: quia Sacerdos non retinet aliqua, nisi aliquo modo sibi accusata, licet signis indebitis Pœnitentiæ, et tamen illa, « quæ nullo modo sunt ostensa Sacerdoti, Deus retinet ad vindictam « gehennæ: ergo nec istud verbum: *Quorum remiseritis, remittuntur*, « erit remissum. Unde neutri affirmationi adjunxit negativam denotantem remissionem factam ab Apostolis, vel retentionem esse præcisam respectu retentionis a Deo faciendæ: licet hæc responsio videatur multum probabilis, excludendo rationem præcepti ab isto « verbo Joann. 20. *Quorum remiseritis, etc.* Tamen excludendo eam, « ostenditur propositum dupliciter: primo sic: nulli committitur potestas judiciaria, vel arbitraria, nisi alicui imponatur necessitas submittendi se sibi: sed Sacerdoti per se committitur hujusmodi potestas « in causa peccati: ergo alicui ut sic imponitur necessitas submittendi se arbitrio ejus, et hoc per idem. *Major probatur*: quia nullus est « Judex alicujus, in ejus scilicet judicandi voluntate est judicari ab « isto Judice, vel non judicari: tunc enim iste nullam auctoritatem « judicandi haberet, si iste potest judicari, si voluerit, et non judicari, « si noluerit. Ad quid enim est potestas judiciaria apud aliquem, nisi « ut jus dictet in illum, qui tenetur parere juri? Tantummodo enim « judicare per modum punitionis, si tu velis, non est judicare. Sed « nec istud cogito: concedo enim, quod iste arbiter non tantum habet, « ut possit dictare jus in causa ista, sed ex quo alius submittit se sibi, « sua dictatio ligat, vel solvit istum: non sic autem dictatio alicujus.

« scientis jus, et non habentis potestatem judicariam. Taliter ergo
 « arguo sic: quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate
 « præcepti, et hoc illius; *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. agere
 « quantum in se est, ad ejus recuperationem, et etiam virtute illius
 « præcepti: *Diliges teipsum*: sed ipse peccator in peccato mortali amisit
 « primam gratiam, et potest eam recuperare suscipiendo Sacramentum
 « Pœnitentiæ ab illo arbitro, quia hoc est institutum, ut remedium
 « efficac ad recipiendam primam gratiam, ex illo verbo Joann. 20.
 « *Quorum remisistis peccata*, etc. Et sic concluditur necessitas præ-
 « cepti Confessionis, non ex isto verbo tantum, *Quorum remisistis*, etc.
 « sed ex isto, et illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*, etc.
 « simul juncto. — Si dicas, quod *major* est vera, quod tenetur ad
 « aliquam viam, per quam possit gratiam recuperare, sed non ad istam
 « terminate, si alia sit possibilis: nunc autem licet suscipere Sacra-
 « mentum Pœnitentiæ sit via utilis, tamen est etiam alia utilis, quia
 « non probatur istam esse præcisam ad illam recuperandam. — Contra
 « hoc, nulla alia est ita facilis, et ita certa; hic enim non oportet,
 « nisi non ponere obicem ad gratiam, quod multo minus est, quam
 « habere aliquam Attritionem, quæ per modum meriti de congruo
 « sufficiat ad justificationem, ut dictum est supra dist. 14. Potest etiam
 « aliquis esse magis certus, quod non ponat obicem, quam quod habeat
 « Attritionem sufficientem, quasi per modum meriti de congruo; quia
 « probabiliter potest scire, se tunc non peccare actualiter peccato in-
 « teriori, vel exteriori, et indendere recuperare, quod Ecclesia intendit
 « in illo Sacramento conferre; non sic potest scire, se habere Attrit-
 « tionem sufficientem, ut meritum de congruo ad justificationem. Tunc
 « hanc *majorem* accipio: ubi est via facilior, idest, magis in potestate
 « hominis, et certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad
 « illam viam, ita quod non amissa illa attentet aliam difficiliorem, et
 « incertiolem; quia tunc exponeret se periculo salutis suæ, et vide-
 « retur esse contemptor propriæ salutis. Sed illa via suscipiendi Sa-
 « cramentum Pœnitentiæ est magis possibilis homini, et certior ad
 « primam gratiam recuperandam: ergo ex illo, unde istud habet effi-
 « caciam, et ex illo præcepto dilectionis Dei, et sui ipsius, tenetur
 « quis ad istam. Ista ratio si concludat præceptum de Confessione
 « haberi ex Evangelio ex illo verbo: *Quorum remisistis peccata*, etc.
 « et illo: *Diliges Dominum*, etc., bene quidem; sin autem, saltem hoc
 « concludit; quod præceptum de Confessione faciendâ est valde ratio-
 « nabile pro multitudine; quia etsi aliqua persona possit habere ali-
 « quod remedium speciale, tamen de isto remedio, quod communitati
 « est possibilis et certius rationabiliter, datur præceptum etiam
 « omnibus in communitate, ut dictum est supra de Baptismo, quod
 « licet aliquis habeat Baptismum fluminis, sine Baptismo fluminis,
 « tamen quia Baptismus fluminis est remedium facile, et certum præ-
 « ceptum de hoc pro tota communitate, est valde rationabile, et ita
 « ad minus habeo, quod rationabiliter fuisset datum præceptum ge-
 « neraliter de Confessione faciendâ. — Si omnino contendas, quod per
 « rationes positas in isto membro non probatur fuisse datum ex verbis
 « Evangelii; numquid dicemus secundum, scilicet quod illud præcep-
 « ptum habetur ex verbis alicujus Apostoli? Dicitur quod sit de illo

« verbo Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata*: sed nec per hoc
 « videtur mihi, quod Jacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum
 « a Christo promulgavit. Primum non: unde enim sibi auctoritas obli-
 « gandi totam Ecclesiam, cum esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymi-
 « tanæ? Nisi dicas illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, et
 « per consequens ejus Episcopum principalem Patriarcham; quod non
 « concederent Romani, nec quod illa auctoritas proprio ore tempore
 « illo erat substracta. Nec secundum videtur; quia Apostoli publi-
 « cantes præceptum Domini in Scripturis suis utebantur modo loquendi,
 « per quem potuit innotescere, quod erant præcones Christi, ut patet
 « per illud Pauli 1. ad Cor. 7. ut quando vult publicare illud præcep-
 « tum Domini de non dimittenda uxore, dicit: *Præcipio non ego, sed*
 « *Dominus*, etc. quando autem vult facere propriam persuasionem,
 « dicit de cohabitatione viri conversi ad fidem cum sua uxore infideli
 « vere converso, quia hoc licet sine contumelia Christi, non tamen
 « est necessarium: *Dico ego, non Dominus*: alioquin non posset Ec-
 « clesiæ constare, quod ipse præco publicaret præceptum, nisi ex præ-
 « cedentibus vel sequentibus manifestaret, se esse in illa publicatione
 « præconem. Utrumque etiam membrum simul probatur per illa verba
 « annexa, dicendo enim: *Confitemini alterutrum*, non magis dicit,
 « Confessionem faciendam esse Sacerdoti, quam alii. Subdit enim, *et*
 « *orate pro invicem, ut salvemini*: ubi nullus diceret ipsum instituisse
 « vel promulgasse præceptum divinum; sed intellectus ejus est sicut
 « in illo verbo, *Confitemini alterutrum*, persuasio ad humilitatem, ut
 « scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, juxta
 « illud: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos sedu-*
 « *cimus*, etc. Ita per secundum persuadet ad charitatem fraternam, ut
 « scilicet per fraternam charitatem subveniamus nobis invicem. Ap-
 « paret ergo istud non esse de jure divino promulgato per Scripturam
 « Ecclesiasticam. » *Hæc Doctor*, quibus aperte probat Confessionem
 esse de jure divino.

Quoniam autem non solum rationibus, sed maxime ea perpetua et
 constanti Ecclesiæ Traditione pugnandum est adversus hæreticos hujus
 temporis, affirmantes, quod Confessio fuerit dumtaxat instituta ab Inno-
 centio III in Concilio Lateranensi, ideirco congruum judicavi non-
 nullas ex plurimis, quas habent Controversiæ, Conciliorum et SS. Pa-
 trum auctoritates hic attexere.

Probatur itaque divina Confessionis institutio ex Conciliis: *primo*
 quidem ex Laodicæno, Can. 2. sub Sylvestro Papa anno 319. *His, qui*
diversorum peccatorum lapsus incurrerunt, et orationi, Confessionem,
Pœnitentiæ instant, malorum suorum perfectam conversionem demon-
strantes, pro qualitate peccati, tempus Pœnitentiæ tribuendum est. Ea
 Confessio, in qua pro qualitate peccati Pœnitentiæ tempus est tribuen-
 dum, hominibus in specie fieri debet. — * “ Fatetur tamen Gabriel
 Albaspinæus, episcopus Aurelianensis in notis ad illum canonem, hæc
 verba, *perseverantes in oratione, confessione et pœnitentia*, ad Confes-
 sionem sacramentalem directe non pertinere, sed ad actus externos
 pœnitentiæ. Non enim pœnitentem in Confessione sacramentali perse-
 verare debere reperimus, sic semel confiteri sufficit; bene vero testari
 debere lacrymis, precibus, prostrationibus atque macerationibus quam

acriter commissorum dolore angatur. *Deinde* illi ad quos canon ille pertinet jam peccata sua confessi supponuntur. Hæc enim fuit canonis edendi causa. Concilium Illiberitanum decreverat quod, *qui maximum peccatum admisit ei irrogetur Pœnitentia, si plura denegetur*. Severum illud institutum quod servabatur in Ecclesia paululum moderari visum est Patribus Laodicenis, mandando ut qui gravioribus peccatis licet non paucis numero reum se confiteretur, postquam dolorem suum constanter demonstrasset, ad justam Pœnitentiam admitteretur. Præmittebatur ergo confessio demonstrationi doloris et resipiscentiæ, ac proinde verba illa *perseverantes in oratione, confessione, etc.* ad Confessionem sacramentalem non spectant. Quod ut confirmet, notat prædictus auctor, quod qui confiterentur, aut statim absolutos fuisse, aut statim concessam fuisse Pœnitentiam si meruissent, aut excommunicatos, si reatus eorum excommunicationem merebatur. Ad hæc tria genera confessiones et non ultra usurpabantur. Sed canon de iis non loquitur qui statim absolvebantur, eos enim pœnitentiæ per justum tempus addicendos decernit, Pœnitentiam autem antiquitus ante absolutionem perfici nemo nescit. Neque de illis loquitur qui statim ad Pœnitentiam admittebantur, quia eos antea probandos esse statuit usquequo sinceræ resipiscentiæ et contritionis indicia per lacrymas et preces perseveranter dederint. Canon igitur intelligendus de tertio genere pœnitentium qui scilicet erant excommunicati; sed excommunicationem præcedebat confessio. Duplex etenim iterum excommunicationis genus est distinguendum: primum quod in pertinaces, alterum quod in maximos peccatores crimina sua potestati Ecclesiæ ultro subjicientes erant. * — Ex sexta Synodo in Trullo, Can. 102. *Opòrtet eos, qui solvendi, et ligandi potestatem acceperunt a Deo, peccati qualitatem considerare, et ejus, qui peccavit, ad eam conversionem promptum studium: et sic morbo convenientem afferre medicinam, ne si de peccato sine crimine statuunt, aberrent in ægroti salute: non enim simplex est peccati morbus, verum varius et multiformis, plurimisque propaginibus subpullulans, ob quas malum longe, lateque diffunditur, ac serpit, quosque tandem virtuti medicamenti resistat; ergo qui voverit ostendere quantum valeat in spiritali medendi arte, oportet attente rimari, qualiter affectus sit, qui peccavit, an ad salutem inclinet, an contra moribus, quibus familiaritate assuevit adversus ægritudinem provocet, inspicere; sed id absque Confessione peccatorum occultorum fieri non potest a Sacerdote. — Ex Carthaginensi III. c. 31. *Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio Pœnitentiæ tempora discernantur: at ea differentia peccatorum absque Confessione specialiter fieri non potest. — Ex primo Cabilonensi, Can. 8. ut pœnitentibus a Sacerdotibus, facta Confessione indicaretur Pœnitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire. — Ex secundo Cabilonensi, Can. 31. circa annum 813. *Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus non plene id faciunt: quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagacione debent inquiri peccata, ut ex utrisque sit plena Confessio, scilicet ut confiteatur, et ea quæ per corpus gesta sunt, et ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. — Ex Turonensi tertio circa***

tempus idem habito, Can. 22. *Episcopis, et Presbyteris, diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sibi sua delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant.* — * “ *Ex Concilio Parisiensi, 4. celebrato anno 829., Can. 32: Quoniam multi Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum Penitentiae reatum suum confitentibus secus quam Jura canonica decernant imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos penitentiales vocant, et ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia ad decipiendas animas: omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, et eos inventos igni tradat, etc. Et continuo sermone: Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter et confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem Penitentiae noverint imponere, quoniam hactenus eorum incuria et ignorantia multorum flagitia remanserint impunita, et hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.* — *Ex Moguntino sub Archiepiscopo Rabano, anno 847.* ” * Can. 26. *Ab infirmis in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est Confessio, non tamen iis imponenda quantitas Penitentiae, sed innotescenda.* — *Ex Wormacensi, circa annum 868. cap. 25. Penitentibus secundum differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio, Penitentiae decernantur: ergo Sacerdos in imponenda Penitentia singulorum causas, originem, modumque peccatorum examinare debet, et effectus gemitusque delinquentium, temporum etiam, et personarum, locorum, ætatum qualitates, ut per considerationem delictorum, et gemituum uniuscujusque delinquentis a sacris regulis oculos non deflectat.* — * “ *Adde Lateranense sub Innocentio III, Can. 21. Constant., Sess. 3. Florent. in Institut. Trident. Arianorum, Bulgarorum, supra.* ” * — *Ex tot Conciliis veteribus et novis, in tam diversis temporibus, et locis, Ecclesiae totius unanimi consensu patet, Confessionis necessitatem antiquissimam esse, nec aliunde suam originem habere, quam a Deo; nam ex Augustino, regula 14. De Bapt., cap. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur; at universa semper Ecclesia tenuit Confessionem istam, ut ex Conciliis patet, et patebit ex Patribus; nec ea necessitas initium habuisse legitur ab ullis Conciliis, aut Pontificum decretis: Licet enim annua Confessio præcepta sit in Lateranensi, tamen ipsa Confessio non incepit in eo, sed solum tempus præscriptum est, quo fieri debet Confessio peccatorum, quæ jure divino necessaria est, ut ait Tridentinum, Sess. 14. cap. 5.*

Probatur secundo ex SS. Patribus; primo namque S. Irenæus Apostolorum ævo proximus, lib. 1. cap. 9. *De quibusdam feminis ab hæretico Marco seductis, ait: Hæ conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo veluti cupidine, et inflammas valde se illum dilexisse.* * “ *Ad præoccupandam vero responsionem hæreticorum qui volunt hæc verba confessæ sunt, de spontanea et cuilibet indifferenter facta peccati sui declaratione tantum intelligenda esse, non vero de Confessione illa quam sacramentalem dicimus;*

subjienda sunt ea quæ refert S. Irenæus ibidem de uxore Diaconi ab eodem Marco corrupta, ac deinde ad pœnitentiam conversa. *Cum esset, inquit, uxor ejus speciosa, et sententia et corpore corrupta esset a mago isto, et secuta eum esset multo tempore; post deinde cum multo labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens et lamentans ob hanc quam passa est ab hoc mago corruptelam.* Enimvero conversio et confessio mulierum illarum, de quibus supra agit S. Irenæus, similis erat conversioni et confessioni uxoris illius Diaconi, de qua modo. Sed confessio istius non fuit pure spontanea, sed religiosa, non cuilibet indiscriminatim facta, sed Sacerdotibus solis, a quibus satisfactionis modum accepit. Confessio enim illa ad exomologesim pertinebat, ut colligitur ex his verbis: omne tempus in exomologesi consummavit. Sed exomologesis erat actus religionis, et fiebat ex præscripto Sacerdotum: ergo confessio illius, aliarum ex consequenti mulierum fuit religiosa, necessaria, et Sacerdotibus facta.

Nec dicant exomologesim non significare confessionem peccatorum, sed integram pœnitentiæ actionem, quæ in diversos gradus, fientium scilicet, audientium, substratorum et consistentium distincta erat. Hi enim pœnitentiæ gradus inducti sunt in Ecclesiam centum quinquaginta prope annis post S. Irenæum, scilicet tempore S. Cornelii papæ, cum excitata fuit hæresis Novatiani. Tempore vero S. Irenæi duobusve sæculis prioribus Ecclesiæ non aliæ imponebantur peccatoribus pœnæ, quam depositio pro clericis, et communionis interdictio pro laicis, ut colligitur ex canonibus Apostolorum, necnon Concilii Illiberitani. Illæ autem pœnæ nunquam per hoc verbum *exomologesis* fuerunt expressæ. Superest igitur, ut per exomologesim intellexerit confessionem S. Irenæus. Et sane hæc est prima et vera illius nominis significatio, et illo sensu usurpatur Matth. 8. *ἐξομολογούμενοι τὰς ἀμαρτίας ὑμῶν confitentes peccata sua.* Similiter Epist. 1. Joan. cap. 2. vers. 9.; et S. Jacobi, cap. 5. vers. 16.; adeoque valde credibile est hoc nomen ad integram pœnitentiæ actionem ac usum translatum fuisse, quia præcipuam pœnitentiæ partem, scilicet Confessionem significabat. De exomologesi iterum loquitur S. Irenæus, * lib. 3. cap. 4. *Cerdon in Ecclesiam sæpe veniens, et exomologesim faciens sic consummavit, modo quod est latenter docens, modo exomologesim faciens.* S. Irenæus agit ibi de latente hæresi Cerdonis, et occulta cupiditate, seu corruptela mulierum, quæ sine speciali Confessione detegi non poterant. — * “ Tertullianus expressius illud tradit, lib. *De Pœnitentia*, cap. 9., ubi ait: *Exomologesis est, qua delictum nostrum Domino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Quomodo autem debeat fieri confessio illa, ibidem declarat dicens, in hac peccatorem *presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari.* Et ut ostendat hanc confessionem non Deo soli, sed etiam hominibus necessario faciendam esse, subjungit cap. sequenti: *Plerosque hoc opus ut publicationem sui suffugere, pudoris magis memores quam salutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescencia sua pereunt: ubi comparat, ut patet, sacerdotem medico, et occultorum confessionem cri-*

minum remedio, quod qui respuunt præ verecundiâ pereunt. Hinc subdit: *Grande plane emolumentum verecundiâ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus; adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere quam palam absolvi?* Tertullianum insuper de omni peccatorum genere, tam de occultis, quam privatis, de internis, quam de externis loqui, colligitur ex cap. 4. *Omnibus ergo delictis, inquit, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam sponndit.* Pœnitentiam autem postea dividit in eam quæ præcedit, et eam quæ sequitur Baptismum; et hanc ultimam speciem vult Confessione peccatorum et Satisfactione constare. Nec dicant hæretici Tertullianum ibi tantum loqui de confessione publica; secretorum enim et internorum peccatorum non fiebat confessio publica, sed privata. *Adde quod publice vel privatim facta fuerit, non pertinet hoc ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, satisque nobis est ex Tertulliano habere, quod necessaria sit omnium et singulorum peccatorum Confessio ad eorum veniam impetrandam.*

Ex Origene quatuor aut quinque loca proferri possunt, quæ præ aliis locis confessionem catholicam demonstrant. Primus habetur in Hom. 2. in Psal. 37. ubi necessitatem confessionis innuit esse de jure divino, eam probans ex Scriptura. Hæc sunt ejus verba: *Quoniam iniquitatem meam pronuntio, pronuntiationem iniquitatis esse confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina; quia* * *oportet peccatum non celare intrinsecus: fortasse enim, ut ii, qui habent inclusam escam indigestam, aut humoris et phlegmatis copiam stomacho imminentem si vomuerint, relevantur: ita ii, qui peccaverunt, si occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentes, et prope-modum suffocantur a plegmate, vel humore peccati: si autem ipse accusator sui fiat, dum accusat semetipsum, et confitetur, simul evomit delictum, et omnem morbi causam: tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum fente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum is quid ille dixerit, qui es prius et eruditum medico ostenderit; et misericordem, si quid consilii dederit, facias, et sequaris, si intellexerit, et viderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, et curari; ex quo fortassis, et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari. Multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est.*

* “ REPONUNT, Origenem per confessionem et languoris expositionem in conventu Ecclesiæ non significasse singulorum nominatim peccatorum declarationem Sacerdoti factam, sed generalem peccatorum suorum agnitionem, et improbitatis suæ per opera pœnitentiæ et per verba etiam professionem et detestationem. — **Contra:** si Origenes de sola illa generali peccatorum confessione loqueretur, cur tantam circumspeditionem et diligentiam in exquirendo et deligendo medico requireret? Cur tanta deliberatione et consilio ad rectum iudicium proferendum medico ipsi opus esse diceret? generalis illa confessio cuilibet indiscriminatim, ut ipsi volunt adversarii, fieri potest. Sed quid signi-

ficat illa comparatio peccatorum cum cibus crudis et indigestis, nisi peccata singula evomenda esse, ne si retineant ab eis suffocentur? Quid iterum demonstrat Sacerdotis cum medico comparatio, nisi omnia et singula conscientiae mala cum causis et circumstantiis esse aperienda, ut aptum illis remedium adhibeatur? Nec dicant, hic non fieri mentionem Sacerdotis, aliumque posse esse medicum; quis enim sit medicus ille docet Origenes, Hom. 3. in Leviticum, ubi præoccupans objectionem quam facere potuissent aliqui ipsius auditorum, qui jam Montani hæresis potestatem Ecclesiae ad peccata post Baptismum remittenda negantis rumore perculti fuerant, ait: *Sed fortasse dicant auditores Ecclesiae: melius fere agebatur cum antiquis quam nobiscum, ubi oblati diverso ritu sacrificiis, peccantibus venia præstabatur. Apud nos uno modo venia est peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur.* Hæc, quæ Montanistarum errorem sapiunt, ut evertat, et ostendat non deteriorem esse nostram quam fidelium veteris testamenti conditionem, enumerat varios modos quibus peccatorum venia sub Lege gratiæ comparatur, scilicet Baptismo, martyrio, eleemosyna, charitate. et aliis. Ubi vero ad septimum pervenit, sic loquitur: *Est adhuc et septima, licet dura* * *et laboriosa: per Pœnitentiam remissio peccatorum est, cum lavat peccator lacrymis suis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, et cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et remisisti impietatem cordis mei.*

* ARGUUNT ex hoc loco adversarii: ille confessionem quæ apud Pontificias in usu est, ne quidem agnovit, qui præter confessionem et Baptismum quinque alios modos remittendi peccata proposuit: sed Origenes id præstitit. — Distinguo: Origenes proposuit quinque alios modos remittendi peccata mortalia, et sine voto Baptismi aut Confessionis edendæ, *nego*: peccata venialia aut etiam mortalia, sed adjuncto Baptismi vel Confessionis voto, *concedo*. Intentio namque Origenis erat ostendere in nova lege non deesse varia peccatorum remedia, sicut nec in veteri Testamento. Ideo enumerat omnes modos quibus deleri possunt peccata, indiscriminatim loquens de mortalibus et venialibus. Venialia autem teste ipso Augustino, Homil. 49. in Joannem, oratione Dominica et piis vitæ christianæ operibus, sine Confessione remittuntur. Charitas quoque perfecta lethalius ipsorum peccatorum veniam comparat priusquam actu suscipiatur sacramentum, juxta doctrinam Concilii Tridentini, Sess. 14. Eleemosynas et bona opera ad salutem pariter non parum conducibilia esse. etiam ante actualem Baptismi susceptionem, multis locis docet S. Augustinus; attamen inde nemo inferret illum negasse necessitatem Baptismatis. Proinde quamvis alios modos remittendi peccata afferat Origenes, eum Baptismi et Confessionis necessitatem negasse inferri non potest. Sed cum illorum Sacramentorum suscipiendorum aufertur occasio, ostendere voluit Origenes aliunde illa posse suppleri.

Tertius locus ex eadem Homilia petitus: Omni genere, inquit, * *pronuntianda sunt, et in publicum proferenda cuncta, quæ egimus; si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam infra*

cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, et proferri: proferri non ab illo, qui et accusator peccati est, et inceptor; ipse enim nunc nos, ut peccemus, instigat: ipse etiam, cum peccaverimus, accusat: si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici et accusatoris nostri fugimus. Sic enim et alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris. Et Homil. 17. in Lucam: Si peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi; si enim revelaverimus peccata nostra, non solum Deo, sed et iis, qui possunt mederi vulneribus nostris et peccatis, debebuntur ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas.

* “ *Ex S. Cypriano, lib. De lapsis: Quanto et fide majores, et timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen vel de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. Ad hanc autem interiorum peccatorum sinceram confessionem omnes teneri, declarat his sequentibus verbis: “* Confiteantur singuli, quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. —* * “ *Theodoretus, lib. 4. Hæreticarum fabularum, cap. 10. pag. 242. edit. Sismondi, sic Audianos hæreticos carpit: Hi autem peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (hos enim eximie trianos et mysticos existimant) et ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque, et peccata sua confiteri; deinde confessis dant veniam; non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiae leges præcipiunt, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transeunt, ludum esse quod agitur, vera peccata celant, et parva quaedam risu digna dicunt, quæ et dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi amentia teneatur. — Ex apocrypha Clementis Romani ad Jacobum Epistola, IV saltem sæculo scripta: Quod si in alicujus cor vel livor vel infidelitas, vel aliud malum ex his quæ supra memoravimus, latenter irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit, hæc confiteri ei qui præest, ut ab ipso per verbum Dei et concilium salubre curetur. Tum de S. Petro loquens: Docebat, inquit, cogitationes malas mox ad Christum allidere, et sacerdotibus Dei manifestare. — Eusebius, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 34. edit. Henrici Valesii, refert Philippum quem plerique veteres scriptores ecclesiastici primum imperatorem christianum existimant, in postrema Paschæ vigilia precationum in ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse: sed Episcopum qui huic ecclesie præerat, non prius illi aditum permisisse, quam Confessionem fecisset, atque iis qui humanitus lapsi fuerant, et in pœnitentium ordine stabant sese adjunxisset. Quippe ob multa quæ commiserat crimina, numquam omnino ab Episcopo fuisse admittendum, nisi id prius fecisset: et imperatorem quidem libenter obtemperasse, sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei operibus ipsis declarasse. Ex hoc loco evidenter constat ante Concilium Nicænum peccatorum Confessionem in usu fuisse. Ne quis enim hic exomologesim cum pœnitentium or-*

dine confunderet, utrumque distinguit Eusebius, notans et *confessionem*. et *pœnitentium ordinem*, ut duo disparata. Deinde confessionem illam non ad aliqua tantum atrociora crimina, puta idololatriam, mœchiam et homicidium, sed ad omnia quæ commiserat crimina extendit. Denique eam non fuisse spontaneam ac liberam demonstrant hæc verba: *quippe ab Episcopo numquam omnino admissus fuisset, nisi id prius fecisset.* — Lactantius Firminianus duo nobis reliquit testimonia notatu dignissima: primum in lib. 4. *Institutionum*, cap. 17, de vera sapientia, in quo explicans qua ratione circumcisio veteris Legis esset figura Confessionis peccatorum, quæ fit in nova, ait: *Quoniam pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quamdam similitudinem cordis. et est pudenda; ob hanc causam Deus nudari eam jussit (in circumcisioe), ut hoc argumento nos admoneret ne involutum pectus haberemus, idest, ne quod pudendum facinus intra conscientiae secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad ruinam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ et saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisioe proposuit, ut si cor nudaverimus, idest si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo qui non faciem sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur.*

Ut solita hæreticorum effugia præcludamus, hic aliisque in locis citandis observandum est 1. Omne peccatum, cujuscumque generis sit, legi confessionis subjici, ne quod pudendum facinus intra conscientiae secreta velemus. 2. Confessionem integram omnibus necessariam esse ad veniam obtinendam, quia *contumacibus*, inquit, *et admissa sua celantibus denegatur*. 3. Confessionem illam non soli Deo, qui *intima et arcana cordis intuetur*, sed homini, qui secundum faciem judicat, et cui possunt peccata abscondi, faciendam esse. Equidem non demonstrat his verbis Lactantius an Confessio illa Sacerdoti ad aurem, vel in senatu presbyterorum fieret. Sed publica fuerit vel secreta, perinde est ad essentiam dogmatis ecclesiastici, quod statuit tantum necessariam esse Confessionem omnium lethalium delictorum Sacerdotibus faciendam. Cæterum Confessionem auricularem in usu fuisse a primis Ecclesiae temporibus alibi demonstrabitur. 4. Locus ex ejusdem libri cap. 30. exhibitur: *Quia singuli quique cœtus hæreticorum suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est religio, confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Hic Lactantius perstringit Novatianos: sed illi confessionem soli Deo factam non negabant, cum sustinerent peccata post Baptismum commissa ab Ecclesia remitti non posse, sed a solo Deo: ergo pro veræ Ecclesiae nota Confessionem factam Sacerdotibus omnium peccatorum ex imbecillitate carnis contractorum, assignat. — Ex S. Basilio Magno plura habemus testimonia, dogma catholicum de Confessione mirum in modum confirmantia. Comment. in Ps. 29. pag. 191. Hom. 1., edit. Paris. an. 1618., sic fatetur: *In propitiationem ergo, remissionemve eorum quæ peccatis, confitemini de his quæ non recte prius, nec sobrie facta sunt a vobis.* Evidenter loquitur ibi S. Basilius de omnibus peccatis, docetque Confessionem obtinere remissionem peccatorum. At cui debeat fieri talis Con-

fessio, tradit Canone 74. Epist. 3. canonicæ ad Amphiloichium, tom. 2. p. 777. *Si autem unusquisque eorum, inquit, qui in prædictis peccatis fuere, confessus bonus evaserit, et is cui a Dei benignitate ligandi et solvendi credita est potestas, si fias clementior, videns summam ejus qui peccavit confessionem ad diminuendum penarum tempus; non erit dignus damnatione, cum quæ est in Scripturis nobis historia significet, quod qui majori labore confitentur, Dei misericordiam celerius apprehendant.* Idem clarius adhuc colligitur ex Regulis brevioribus S. Basilii, quæstione 288. his verbis concepta: *Qui peccata sua confiteri vult; numquid omnibus passim et quibus vis ea confiteri liber, aut certis quibusdam?* Respondet: *Necessario his peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Et responsione ad quæst. 229. *Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiant, sed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda sint teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet qui ea curare possint.* Ex quæstione 110. quæ talis est: *Numquid conveniat dum soror presbytero confitetur etiam Antistitam ipsam adesse?* Evidens est moniales tunc temporis presbytero peccata confiteri. Hanc autem praxim fuisse non monachorum et monialium solum, sed et omnium fidelium, constat ex Homil. in hæc verba, *Attende tibi ipsi, pag. 345., quæ ab plebem facta est: Infirmirate enim laborantes adhortantur medici, sibi ipsis ut attendant, nec quidvis negligant concernentium medelam et sospitatem. Nihilominus sermo salutaris istius mandati, nempe animarum nostrarum medicus (idest Sacerdos) misere affectam noxa lethalis peccati persanat animam exiguo hoc auxiliari antidote. Itaque attende tibi ipsi, ut pro delicti proportionem, huic quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est et grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, etc.* — S. Gregorius Nazianzenus non sententia minus quam amicitia S. Basilio conjunctus fuit, dum ait Orat. 15. pag. 236: *Magna vitii medicina est Confessio, et peccati fuga.* Et inter optandas a Deo gratias recenset correctionem eam quæ ex peccati declaratione existit. Ubi notandum est illum non uti nomine *exomologesis*, quod ad actionem integram pœnitentiæ transferrent adversarii, sed voce *omologia*; quæ simplicem peccatorum declarationem significat. — His accedit et S. Gregorii Nysseni auctoritas, qui Orat. 10. *Contra Eunomiûm*, pag. 277. edit. Paris, an. 1617. inter ritus Ecclesiæ peccatorum declarationem recenset. Quam declarationem esse etiam peccatorum quibus pœnæ a canonibus non præscriptæ fuerunt v. g. furto, necnon fieri Sacerdotibus, probat Epist. ad Letorum, Episcopum Melitinis, Tom. 2. p. 954: *Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato ægritudinem curabit.* — Denique Oratione in eos qui alios acerbe judicant, ait: *Quamobrem major in eo tibi fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in eis a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana, tamquam occulta vulnera medico detege. Ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit. Quod autem S. Gregorius de privata Confessione, non de pœnitentia publica loquatur, antecedentia verba demonstrant.*

Nos autem, inquit, *pœnitentiam verbis pollicemur, factis vero nihil studii laborisque præstamus, sed eadem vivendi consuetudine utimur, qua priusquam peccata confitendo detestaremur, utebamur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu victuque splendor, etc.* Hæc autem de publice pœnitentibus dici non possunt; iis enim præscripta erat austera multum vivendi ratio; præterea iis se non accenseret S. Gregorius, nam in more positum est apud Patres, neque se neque alios fideles cum publice pœnitentibus confundere, utendo hæc loquendi formula *nos*. Denique, ibi loquitur de his peccatis quæ non publicæ subijciebantur pœnitentiæ, sed privatæ; scilicet de avaritia, perjurio, mendacio. *Tu vero, inquit, cujus animus æger est, cur non ad medicum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? deliciis indulgens in morbum delapsus es? eum inediis et jejuniis cura. Animus laborat inedia? adhibetur temperantiæ medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim incidisti? liberalitate et eleemosyna depellatur. Mendacium proximi te duxit ad interitum? veritatis studio periculum evitetur, etc.* — Ex **S. Ambrosio**, lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 9: *Plerique futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii pœnitentiam petunt; et cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore... Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam non exuunt, et Sacerdotis induunt, cui præceptum est: « Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas ante porcos », hoc est, immundis spiritibus sacræ communionis non facile impertienda consortia. Itaque videas eos candidata veste incedere, quos lugere et gemere oportebat, quia vestem illam ablutionis et gratiæ sordidarunt, etc.* — In vita ejusdem S. Ambrosii a **S. Paulino** conscripta legitur: *Quotiescumque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint, magis quam accusatores apud homines. Quo ex testimonio tria habemus, 1. confessionem secretam peccatorum, 2. sigillum confessionis, 3. Episcopos hoc munus audiendi confessiones sæpe per se exercuisse. Afferri potest insuper ex S. Ambrosio testimonium aliud ex lib. 1. *De Pœnitentia*, cap. 6. ubi ait: *Si vis justificari, fatere delictum; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* — Quam egregie **S. Chrysostomus** traditam Sacerdotibus ligandi atque solvendi potestatem commendat, supra vidimus; jam quid de peccatorum Confessione censeat, examinandum est. Lib. 2. *De sacerdotio*, cap. 4. pag. 20. Tom. 4: *Itaque nihil horum relinquendum est, inquit, quod probe non excutiat atque examinet Episcopus: quin omnia accurate et studiose perscrutatum, tum demum illum oportet sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Hic agitur de morbis occultis animæ; peccata enim publica tam accurate perscrutari necesse non est, cum omnibus pateant. Talis autem exacta exploratio conscientiæ fieri non potest nisi per Confessionem omnium peccatorum in specie et secundum circumstantias; sine qua insuper remedia tam apte et congrue afferri non posse, manifestum est. De illa*

Confessione loquitur S. Chrysostomus, Hom. 30. in Genesim, pag. 425. Tom. 2: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus incedendus est, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens ac pura peccatorum Confessio.* Ne vero vocem *exomolgesis* traducant adversarii, ut solent, ad solam cordis contritionem et corporis prostrationem, in quibus antiquam pœnitentiam sitam esse volunt, subjicienda sunt ea quæ inferius continuo sermone habentur de Confessione, qua fideles ad festa paschalia sese disponebant. *Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de his quæ ad nostram salutem attinent loqui, et peccata declarare, seu aperire, et detegere vulnera medico, et sanitatem consequi.* Ergo *exomolgesis* potissimum consistit in peccatorum occultorum revelatione. Homil. 20. in cap. 5. Genesis. *Scortator enim, vel adulter, vel qui aliud tale quiddam commisit, etiamsi omnes latere queat, numquam tamen sic in tranquillitate vincit, etc.* Hic de peccatis occultis agitur, de quibus quid censeat, egregie ad propositum nostrum subjicit statim: *Attamen qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, et ad Confessionem facinorum festinare, et medico ostendere ulcus, qui curet et non exprobet, atque ab illo remedia accipere, et soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio est delictorum.* Efficax etiam est ad id convincendum exhortatio quæ habetur Homil. De muliere Samaritana, Tom. 4. pag. 421. in qua postquam dixit S. Chrysostomus: *Cæpit deinceps aperire peccata sua mulier, cæpit deinceps confiteri,* subdit: *Imitemur et nos illam mulierem, et ob propria peccata non erubescamus, sed Deum timeamus.* Jamvero contrarium fieri video. Nam cum qui nos judicaturus est non reformidamus, eos vero qui nullatenus non lædunt perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam non reformidamus: quapropter in iis quæ timemus, pœniam sustinemus. Qui enim homini peccata detegere erubescit, Deo vero satisfacere non erubescit, neque confiteri vult, et Pœnitentiam agere: in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. Quia vero manifestatio illa peccatorum occultorum difficillima multis videtur, monet S. Chrysostomus, lib. 2. De Sacerdotio, cap. 3. *quod multa quidem arte opus est, ut iis qui elaborant christianis persuadeatur, ut ultro se ac volentes Sacerdotum curationibus submittant: neque id solum, sed etiam ut curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Et Homil. 2. in cap. 6. Epist. ad Hebræos: *Cujusmodi est medicamentum Pœnitentiæ, et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione et Confessione.* « *Delictum meum, inquit, cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* ». Et iterum: « *Dic peccata tua prior, ut justificeris.* ». Secundo ex multa humilitate: est enim veluti catena aurea, et si initium acceperit, sequuntur omnia, nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima... Post humilitatem vero opus est intensis precibus, multis lacrymis, et interdiu et noctu, etc. Deinde dicit in ejusdem homiliæ serie, quod de conditione veræ Pœnitentiæ sit, se in Sacerdotes ut convenit gerere, iisque peccata sua sigillatim exponere. *Sin autem dicit, sum*

peccator: ea autem per species non cogitat et supputat, et non dicit: hoc et illud peccatum admisi; numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis." * — Ex **Paciano**, paranesi ad Pœnitentiam: Vos primum appello fratres, qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccata non erubescitis, erubescentes confiteri... Rogo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam, prudentes ægri Medicos non verentur, nec in occultis quod est partibus secuturos, et percussuros... Nunc ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua Pœnitentiæ nomine confitentur, nec quid sit Pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt: similesque sunt iis, qui plagas aperiunt, et tumores medicis assidentibus confitentur: sed admoniti, quæ sint imponenda, negligunt, et quæ bibenda fastidiunt. — * “ **Innocentius papa I** diserte docet non modo graviora peccata quæ publicæ subiacebant Pœnitentiæ, sed et leviora iudicio Sacerdotis committenda esse, ut juxta confessionem pœnitentis atque satisfactionem illorum vincula dissolvat. Hæc sunt illius verba, Epist. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. 7. *De pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum: Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de* * *ponderè æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem; id absque speciali Confessione fieri non potest* — * “ **S. Hieronymus** in gratiam Confessionis Sacerdotibus sigillatim faciendæ hunc locum: *Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam, ita explicat Comment., in cap. 10. Ecl. pag. 59. Tom. 7., edit. Basileæ, anno 1525. Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacerit qui percussus est, et non egerit Pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Ibi et occultorum et omnium peccatorum Sacerdotibus declarandorum manifeste necessitas exprimitur. — Ex **S. Augustino**, Homil. 1. inter 50. *Judicet ergo seipsum homo in istis (quæ sunt, scilicet, contra decalogum, et de quibus Paulus ait: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, ut superius dixerat) ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse protulerit in se severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur; et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non tantum in gravi ejus malo, sed etiam in aliorum scandalo fuerit, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem, addat tumorem. Et Homil. 41: ” * *Non solum post***

Pœnitentiam a vitiis homo servare se debet, sed et ante Pœnitentiam, dum sanus est, quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit ipsam Pœnitentiam accipere, ac Deo et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.

* “ **Ex S. Leone, Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ data:** *Illam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper audivi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submo-
verari: ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta confessio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari (Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem erubescere apud homines non veretur, tamen quid non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui Pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam impro-
babilis consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti qui pro delictis Pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

Et Epist. 91. ad Theodorum Foro-Juliensem: *Mediator Dei et hominum homo Christus* ” * *Jesus hanc Ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* — * “ **Ex Victore Uticensi, lib. 2. De Persecutione Vandalorum,** ubi narrat fideles Afros videntes sibi Pastores suos subduci et jussu Hunnerici tyranni in exilium relegari, exclamasse: *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fluctibus aquæ perennis? Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælis. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes?* etc. — **Ex Sidonio Apollinari, Epist. 14. ad Polemium:** *Noveris volo, non ut est apud judicem fori, ita esse apud judicem mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur, ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus absolvitur. Confessionem autem illam fieri debere Deo per Sacerdotes, immediate ante significavit dicens: Nos putrium conscientiarum squallens ulcus medicaturo cultro aperimus,* etc. — **Ex Juliano Pomerio, cui verisimilius tribuuntur lib. De Vita Contemplativa, lib. 2. cap. 7.:** *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cum si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quod si ipsi judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exercent, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus æterni ignis incendia extinguunt.* — **Ex vita S. Eligii Noviomensis Episcopi a S. Audoëno Rhotomagensi Archiepiscopo conscripta, cap. 7.:** *Cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, et metuens ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia*

ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est acta; sicque sibi austeram imponens Pœnitentiam cepit fortiter colluctationi carnis spiritus fervore resistere. ” * — Ex **Sozomeno** 7. *Hist.*, cap. 19. *Cum prorsus non peccare naturæ sit humana diviniore, pœnitentibus veniam dare Deus jussit, et ad impetrandam veniam, peccata confiteri necesse est.* — * “ **S. Joannes Climacus**, in libro cui titulus *Scala paradisi*, gradu 3. hæc confessioni patrocinantia protulit: *Ante omnia vero culpas nostras præclaro judici nostro soli confiteamur; omnibusque si ita ille jusserit confiteri parati sumus.* Tantæ insuper necessitatis hanc existimat Confessionem, ut ibidem dicat: *Quocirca jam et illos ad Confessionem hoc exemplo provoco, qua sine nullus remissione potietur.* Quantæ vero sit utilitatis illa Confessio præsi, idest Episcopo, Abbati, vel alteri Sacerdoti facta eodem Scalæ suæ gradu declarat: *Qui Confessionem peccatorum semper animo evolvit; ab illa tamquam freno, ne peccet, coercetur. Celandam enim deinceps velut tenebris sepeliendam secure admittimus.* Et infra: *Ne dedigneris velut Deo, adjutori tuo, nimirum Sacerdoti, animo submisso Confessionem facere.* — **Joannes** insuper **Abbas Raythu**, cujus instigatione **S. Joannes Climacus** Scalam Paradisi composuerat, in scholiis ad illum librum vivente adhuc auctore factis, in hæc verba supra laudata, ad Confessionem, qua sine nullus remissione potietur, sic loquitur: *Quia confiteri simpliciter peccata tenemur ex necessitate divini mandati, patet ex apostolicis traditionibus, et regulis ab eis propositis Ecclesiæ Catholice per Spiritum Sanctum, quorum canones et instituta tenentes, Dei Sacerdotibus juxta eorum præceptum peccata confitentes, indulgentiam et remissionem accipere efficimur digni.* Hæc sane verba nullum relinquunt adversariis effugium; et fateantur oportet eandem fuisse sæculo illo de Confessione fidem et praxim, quam nunc Romana tenet Ecclesia. ” *

Ex **Gregorio**, *Homil.* 26. in *Evang.*, *Lazarus dicitur: veni foras; ac si aperte culibet in culpæ merito diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per Confessionem egredere, qui te inferius per negationem lates.* Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator; venientes foras solvant *Discipuli*, ut Ecclesiæ pastores ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. — Ex **Beda** ad illud *Jacobi* 5. *Confitemini alterutrum*, ait: *Quotidiana levique peccata alterutrum æqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione salvari: porro gravioris lepræ immunditiam, juxta legem, Sacerdoti pendamus, et ad ejus arbitrium qualiter, et quanto tempore jusserit, ** “ *purificari curemus.* Duplex genus Confessionis ex his verbis apertissime intelligitur; peccatorum scilicet venialium, quæ alterutrum confiteri debemus, et quorum veniam orationis Domini ex subsidio obtinemus: et peccatorum lethalium, quæ sunt lepra animæ, quam Sacerdoti detegere necesse est.

REPONUNT HÆRETICI, Bedam per gravioris lepræ immunditiam non omnia peccata lethalia, sed tantum crimina hæresis, idololatriæ, judaismi ac schismatis significari, quod probant ex lib. 5. in cap. 17. *Evang. S. Lucæ*, cap. 69. pag. 121. edit., Basileensis, ubi **Beda** ad hæc verba, *Quos ut ridit, dixit: ite, ostendite vos Sacerdotibus; leprosos esse dicit eos qui vel hæretica pravitare, vel superstitione gentili, vel judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore infecti sunt,*

eosque et non alios teneri Sacerdotibus sese ostendere (locus integer inter objectiones exscribitur), eamque fuisse mentem Ven. Bedæ probant ex Guillelmo Goffridi Abbatis Vindocinensis quomdam præceptore. — **Contra**, ex eo quod ultimo loco citato Beda intelligit per lepram certa quædam crimina per publicam pœnitentiam expianda, sine ulla ratione inferitur quibusvis aliis in locis illa tantum et non alia peccata lethalia significare. Imo constat pluribi passim per lepram quævis delicta mortalia illum designare, ut Comment., in cap. 8. S. Matth., lib. 11. p. 32. ubi de leproso ad Sacerdotes remisso a Christo, ait: *Mystice vir iste peccatis languidum genus humanum designat, quod extenta manu Salvatoris, hoc est incarnato Verbo mundatum est.* Sed per incarnationem omnibus omnino peccatis mundati sumus: igitur per lepram omnia peccata lethalia hic significat. Quod autem loco a nobis laudato omnia quoque peccata mortalia intelligat per lepram, patet ex distinctione generali, qua peccata leviora et quotidiana a gravioribus sive mortalibus discernit, ut illa alterutrum, ista Sacerdoti confiteamur. — Cæterum non diffitemur trecentis post Venerabilem Bedam annis Guillelmum citatum ea opinione mentem anticipatam habuisse, quod Beda existimasset quatuor tantum genera prædicta peccatorum legi Confessionis subjacere. Sed ejusmodi opinionem aperto Marte oppugnavit discipulus illius Goffridus Vindocinensis Abbas, Epist. 16. lib. 5. epistolarum quas publici juris fecit P. Sirmondus, anno 1610. — Ex illius quoque verbis invictissimum habemus testimonium confessionis legem et usum viguisse in Ecclesia ducentis annis ante Concilium Lateranense, a quo introductam fuisse confessionem blaterant hæretici. *Necesse est, inquit Guillelmo Goffridus, ut quicumque istis peccatis (scilicet hæresis, idolatriæ, judaismi et schismatis) polluuntur, non jam soli Sacerdoti, sicut in cæteris agitur, sed universæ Ecclesiæ confiteantur, et sic ad unitatem ejus redeant, cujus fidem antea impugnabant... Cætera vero vitia sicut dicit per semetipsum Dominus sanat et corrigit. Licet enim omnia quæcumque sanantur Dominus sanet et corrigit, quædam tamen per semetipsum sanare atque corrigere prohibentur, ea videlicet quæ sibi privata in Confessione revelantur ut sanentur. Tibi dico, quia illi qui in ejus loco esse dignoscitur, certum est omnia peccata Confessione indigere et pœnitentia, etc.* * — Ex Rabano Episcopo Moguntino, lib. 7. in Eccles. *Qui transgreditur mensuram in concupiscentiis carnis, et aggravatur eis, necesse est per Confessionem peccatorum fœditatem evomat, et sic per jejunium et castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat.* — * “ **Nicephorus Cartophilex**, qui sæculo septimo floruit, eximium nobis reliquit de Confessionis auricularis usu atque necessitate testimonium in tertio fragmento, quod latine redditum cum duobus aliis fragmentis quæ ex illo supersunt, habetur Tom. 7. Biblioth. Patrum, edit. Coloniensis, anno 1618. pag. 429. et 430. *Ligandi solvendique provincia Pontificibus ipsis a clementissimo Domino Deo nostro demandata est. Unde olim oportebat omnes ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, et sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem quid factum sit ut hæc minus observentur: quamvis existiment Pontifices, negotii tædii, frequentique multitudinis turbulencia defatigatos id opera ad monachos transmisisse: ad*

eos scilicet qui vere probati sint, aliisque valeant esse utiles: nihil enim tale inexpertis et indoctis permiserunt. — **Chrodeganus** Episcopus Me-tensis sub Pipini regno quadringentis et amplius annis ante Conci-lium Lateranense, anno scilicet circiter 760. regulam Canonicis Me-tensibus præscripsit, quam publici juris fecit R. P. Lucas Dacherius. Congregationis S. Mauri, Tom. 1. Spicilegii, cap. 32. sub hoc titulo: *Ordo ad penitentiam accipiendam, et Confessionem faciendam, in quo statim hæc leguntur: Hæc est ratio penitentiae et Confessionis nostræ, quæ coram Deo et Sacerdotibus ejus pariter nobis agendæ sunt. Id est in uno quoque anno tribus vicibus, id est, in tribus quadragesimis populus fidelis suam Confessionem suo Sacerdoti faciat, et qui plus fecerit, melius facit.* Omnia vero peccata lethalia etiam occultissima debuisse hac Confessione contineri, quis non intelliget ex continuis ejus capitis verbis: *Postea require diligenter si sunt secum opera mala, quæ separant hominem, ut ait Apostolus, a regno Dei, et hæc sunt: mala cogitatio, malus sermo et otiosus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, scurrilitas, dissimulatio, cupiditas carnalis, etc. etc. Et si vult dimittere ipsa peccata, fac ei confiteri et ad ultimum dicere: multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi penitentiam canonicè mensuratam. Cavendum utique est, ne hi qui in gravibus peccatis incidunt, et hi qui in levioribus quibusdam delinquant, æqualiter judicentur, sed secundum morbum adhibenda est medicina.* — Eodem sæculo floruit **Egbertus Ebo-racensis** Episcopus, in ejus penitentiali quamplurima leguntur, ex quibus Confessionis auricularis partes et conditiones sigillatim intelli-guntur, quæque hic exscribere longius esset. — Eodem fere tempore Reges Galliæ habebant a Confessionibus et a consiliis viros pietate et scientia illustres, ut colligitur ex vita S. Ansberti Rothomagensis Epi-scopi, successoris S. Audoëni, quæ habetur sæculo 2. Actorum San-ctorum Ordinis S. Benedicti, pag. 1054. in qua legitur S. Ansbertum fuisse confessorem Theodorici Regis. — **Alcuinus Abbas** Caroli Magni præceptor sic loquitur, Epist. 26: *Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Et cessabunt opera medicorum, si vulnèra non ostendunt ægroti. Si vulnèra corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnèra animæ spiritualis medici solatia de-poscunt?* — **Theodulfus** Episcopus Aurelianensis Alcuino æqualis in Capitulari pro sæe diocesis Sacerdotibus facto, quod in publicum pro-tulit P. Sirmondus, anno 1646. cap. 31., ait: *Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur.* Et infra: *Quando ergo quis ad Confessionem venit, diligenter debet in-quiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregrisse se confitetur, et juxta modum facti debet ei penitentia judicari. Debet ei persuaderi, ut et de perversis cogitationibus faciat Confessionem, et nominatim debet ei Sacerdos unumquodque vitium ex octo principalibus (quæ supra recensuit) dicere, et suam de eo Confessionem accipere.* — **Hincmarus** Archiepiscopus Rhemensis, opusc. 40. ad Hildeboldum Epi-scopum Suessionensem, Tom. 3. pag. 687. *Velut ex superfluo denique, inquit, quoniam hæc te egisse non dubito, bonam devotionem tuam commoneo, ut præter istam generalem Confessionem, quæque ab ineunte ætate, usque ad hanc in qua nunc degis, te commisisse cognoscis, spe-*

cialiter et sigillatim Deo et Sacerdoti satagas confiteri. — **Paschasius Radbertus**, Abbas Corbejensis, qui obiit anno 851. Comment. in Evang. S. Matth., cap. 14. pag. 676: *Quomodo in veteri Lege Sacerdos mundum facit aut immundum, quia discernit; sic et hic ligat vel solvit Episcopus vel presbyter non eos qui noxii sunt, vel innoxii suo arbitrio, sed pontificali officio, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandi sint, quive solvendi.* — **Theodorus Studita** circa finem octavi sæculi scripsit vitam S. Platonis relatam Tom. 6. *De vitis Sanctorum*, pag. 270. quas collegit Laurentius Surius Carthusianus, Coloniae an. 1618. et de eo refert quod *pro ludo habebat divinas lectiones, pro spectaculis Ecclesias frequentabat, quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes et acta cuidam eorum qui præerant confitebatur; quæ res magnum religionis illius erat indicium.* Hujusmodi autem Confessionem ad omnes christianos pertinere ostendunt hæc illius verba ex Homil. 36. ad Monachos: *Socors labilisque natura est, dicit quispiam; fateor equidem, sed quoties id accidet, expeditur Confessio, pœnitudo, contritio cordis, in antiquum statum revertendi celeritas.* Et Homil. 122: *Ergo utamur confessione frequenti; postquam frænum non peccandi confessio est.* — **Angelomus** Monachus sub imperio Lotharii plura scripsit quæ habentur Tom. 9. biblioth. Patrum, edit. Coloniensis an. 1618. At comment. in lib. 4. *Regum*, cap. 12. in rem confessionis, ita scribit: *Nemo proprio arbitrio se credere debet, sed magis sciat quod Confessio peccatorum et pœnitentia Sacerdotum iudicio peragenda est, qui habent scientiam discernendi inter mundum et immundum, et lepræ maculam dijudicare.* — **Radulphus** Monachus abbatiae S. Seremari Flaviacensis in diœcesi Bellovacensi, lib. 3. *Sui comment. in Leviticum*, cap. 7. in hæc verba: « *Qui non potest offerre aves, offerat similam* ». *Quid est simila, inquit, nisi latentium cogitationum et criminum, in quibus peccator sibi soli notus est, per Confessionem expositio intelligitur?* Et infra: *Quod tamen in potestate habet faciat: similam offerat, et mala quæ apud se celabat per Confessionem Sacerdoti prodatur... dignum est enim, ut qui peccatorum suorum Confessionem facit, consummet eam, omnia quæ ad memoriam revocare potest, Domino pandens: non alia prodens, alia abscondens.* Hanc autem Confessionem necessariam existimasse Radulphum, constat ex his verbis ejusdem capituli: *Homo itaque sicut Confessionem hujusmodi, utrumne vera, an falsa sit, nequit examinare: sic nec judicare de ea potest, nec certam veniæ spem confitenti promittere.* Hinc enim manifeste sequitur spem veniæ haberi non posse sine bona Confessione. — **Petrus de Honestis**, Cardinalis Damiani nuncupatus, qui undecimo sæculo fioruit, Serm. 58. *De S. Andrea*, pag. 287. edit. Lugdun. an. 1623., ait: *Quartus gradus est Confessio oris: hæc pure facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, et altera reticenda.* Hanc vero Confessionem Sacerdotibus fieri debere, antea significaverat his verbis: *Cum igitur de vitiorum abyso disponis emergere, ad illum præcipue sit refugium tuum, cui anima tua commissa est, quem imposuit Dominus super caput tuum.* Et continuo: *Videat autem ille, ne unquam de his quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat.* Et ibidem: *Ut enim confiteamur Deus cogit, qui videt, et si confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confusione, ubi omnia*

omnibus patebunt? scilicet in extremi iudicii die. Demum in fine: Ecce quam potui, etsi non quantum volui, de Confessionis disserui Sacramento.

His adungere non pigebit, quod refertur Tom. 4. Spicilegii Dacheriani, cap. 12. antiquorum consuetudinum Cluniacensis monasterii, quas collegit Venerabilis Petrus, an. 1122. Abbas generalis totius Ordinis Cluniacensis: *Si quis opus habet ad Confessionem pro aliquo excessu venire accedit ad Sacerdotem... et primum petit ab eo veniam toto corpore prostratus, a quo iussus se levare postquam conseriderit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte quod nos veracunde fragilitatem appellamus, ante Confessionem septem poenitentiales dixerit, vel si psalmos nescit, Dominicam orationem septies; et postquam fuerit confessus, eo die non textum Evangelii osculatus, nec ad pacem venit, nec ad offerendum.* Unde colligitur auricularis occultorum peccatorum Confessio.

Jamvero hæc omnia testimonia antiquitatis aliis recentioribus cumulare non esset difficile ex scriptis Hugonis et Richardi de S. Victore, Petri Cluniacensis, Petri Blesensis, Petri Abbatis Cellensis et infinitorum aliorum qui ante pontificatum Innocentii tertii floruerunt. Sed quia minoris auctoritatis sunt apud hæreticos, quia propius accedunt ad tempora Concilii Lateranensis, propterea dimitto illos hic appposito tantum S. Bernardi ad conclusionem calculo. " *

Ex Bernardo, Serm. ad milites templi, cap. 12. Quid de Bethphage dicam, ubi Confessionis Sacramentum, et Sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Si Confessio Sacramentum divini juris est... Verbum in corde peccatoris operatur salutiferam Contritionem, verbum in ore noxiam tollit confusionem, ne impediatur necessariam Confessionem: igitur etiam in corde compunctis est necessaria Confessio: at Sacerdotibus... non absolvant etiam compunctum, nisi viderint, et confessum.

REPONUNT HÆRETICI, Concilia, et SS. Patres nomine Confessionis faciendæ intelligere dumtaxat vel solam Confessionem generalem et indistinctam, qualis fit in Primæ officio et initio Missæ ac Completorii: vel solum loquuntur de publica peccatorum Confessione, qualis in Ecclesiæ primordiis erat in usu fidelium frequentissima; neutra autem ejusmodi Confessionum est de jure divino necessaria, quippe cum ex Ecclesiastica tantum institutione fieri debeat; unde pro varietate temporum et Ecclesiarum diversimode fit hæc utraque Confessio: igitur, etc. — **Contra, SS. Patres et Concilia eam commendant Confessionem ex Christi Domini institutione, qua Sacerdos audiat peccatorum varietates et differentias, etiam eorum quæ occulta et prorsus in animo latentia sunt; ac subinde non loquuntur solum de Confessione publica et indistincta. Deinde, Confessio publica fiebat tantum coram Sacerdote Pœnitentiario publicis Confessionibus et Pœnitentiis fidelium excipiendis præfecto: at SS. Patres loquuntur de Confessione faciendâ non uni dumtaxat Sacerdoti, siquidem Origenes monet diligenter esse circumspiciendum, cui Sacerdoti velut Medico, fiat Confessio, ac ex plurimis quærere prudentiorem ac peritiorem, cui animi languores et infirmitates exponantur. Adde quod unus dumtaxat Sacerdos præfectus erat excipiendis Confessionibus publicis: unus autem non sufficiebat ad excipiendas omnes Confessiones fidelium unius ci-**

vitatis. *Denique*, publica Confessio supponebat aliam secretam factam apud Sacerdotem, qua expenderet, quæ peccata pœnitens cum propria utilitate, et ædificatione Ecclesiæ deberet publice p̄fopalarè: unde, ut refert Sozomenus infra laudandus, Sacerdos ille Pœnitentiarius debuit esse prudens, et secretorum tenax, ut præscriberet quæ peccata declarare, seu retinere deberent, et ut Confessionis sigillum in occultis criminibus tegendis prudenter ac religiose servaret. Igitur nec Concilia nec SS. Patres loquuntur de publica et indistincta Confessione.

REPONUNT 1. Patres et Concilia, ubi sermonem faciunt de Confessione privata et secreta, solum innuere eam esse in usu de consilio, ad solatium et instructionem simplicium, non vero de præcepto divino, et in remedium peccati. — Contra, Patres et Concilia loquuntur de ea Confessione, quæ necessaria erat ad obtinendam remissionem peccatorum, et solvendas eorum nexos; — nam Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, Can. 9. *Confessio peccatorum*, inquit, *tantum relevat, quantum exaggerat dissimulatio*. Et cap. 10. *An melius est, damnatum latere, quam palam absolvi? ... si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam exomologesis extinguit*, etc.

PROPONUNTUR AC SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA, EX S. SCRIPTURA PETITA. — OBJICIUNT PRIMO HÆRETICI varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur, non esse necessariam peccatorum Confessionem ad obtinendam eorum veniam, nec in Lege Evangelica esse præceptam. *Primo*, quia spondet Deus, Ezechielis 8. quod quoties ingemuerit peccator, vita vivet, et Deus iniquitatum ejus non recordabitur amplius. *Secundo*, longe suavior est ac levior observantiâ Legis Evangelicæ, quam Mosaycæ, juxta illud Christi Domini, Matth. 18. *Jugum meum suave est, et onus meum leve*: sed in veteri Lege Judæi non tenebantur ad confitenda sua peccata sigillatim, ut eorum veniam obtinerent: igitur nec ad id adigi debent Christiani. *Tertio*, non aliter Sacerdotes novæ Legis debent peccata remittere, quam Christus remisit; siquidem sunt Christi Domini Ministri, ac pro eo legatione funguntur: sed quoties Christus Dominus peccata remisit, non requisivit præviam eorum Confessionem et specialem accusationem, ut constat exemplo Magdalenæ, Paralytici, Cananæ: igitur nec opus est, ut pœnitentes singulorum peccatorum enumerationem faciant coram Sacerdotibus, ut ab eis absolvantur; sed satis est, ut generatim se peccatores profiteantur, et veniam a Deo per illorum ministerium exorent. — **Nego consequentiam**, et ad *primum* dico, veniam promitti peccatori ingemiscenti, et facienti præcepta, quæ Deus servanda statuit, pro qualibet peccati lege, *concedo*: non implenti hujusmodi præcepta, *nego*. Sic in Lege veteri servandæ erant quædam cæremoniæ legales, et faciendæ oblationes, ut quis aliquorum peccatorum veniam consequeretur; sic pariter in nova, ut quis ejusmodi remissionem obtineat, oportet quod recurrat ad receptionem Sacramentorum, quæ pro eluendis peccatis ordinata sunt; nec gemitus et lacrymæ quidpiam pœnitenti prodesse possunt, nisi illa Sacramenta suscipiat in re, vel in voto; alioqui ad eluendas iniquitates non esset necessarius Baptismus, et homo salvari posset sine præceptis actibus Fidei, Spei, et Charitatis; quod utique absurdum ultra nobiscum fatentur hæretici; itaque nisi

quis confiteatur peccata in re, vel in voto, non ingemiscit ut par est; quippe cum nolit suis vulneribus et morbis ea sibi applicare remedia, quæ Deus absolute necessaria ordinavit. — *Ad secundum dico*, Confessionis obligationem non officere, quin Lex nova longe sit facilior et levior Mosayca; siquidem in nova Lege cum præmissa peccatorum remissione sufficit cordis Attritio juncta Sacramento ad obtinendam remissionem, quæ utique Attritio in veteri Lege erat insufficientis; opus enim erat Contritione perfecta, quæ ita firmam ac constantem peccati detestationem exigit, ut forte pauci fuerint in illa lege, in qua non ita uberior gratia exundabat, qui illam perfectam Contritionem exercerent. *Insuper*, Confessionis difficultatem et onus allevat et emollit utilitas, inquit Concil. Trident., Sess. 14. cap. 5. scribens: *Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis item videri posset, nisi tot, tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.* Hæc autem commoda seu utilitates ex peccatorum declaratione percipiendas elegantèr aperit Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, cap. 12. scribens: *Si de exomologesi retractas gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adptione non dubites.* Descriptis postea inferorum cruciatibus, colligit labores illos pœnitentiales lubenti animo subeundos, eo quod his remediis avertimus æterna supplicia nobis parata: *Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas argui, quod scias mederi tibi?* Quæ postea multis persequitur. — Simili ratione pœnitentes exhortatur ad Confessionem, et Satisfactionem S. Patianus: *Si de cruciatu Exomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet.* Deinde variis similitudinibus dolore gehennæ descripto, quando et quomodo extinguitur docet fideles: *Mementote, Fratres, quia apud inferos Exomologesis non est, nec Pœnitentia tunc tribui poterit consumpto tempore pœnitendi. Festinate, dum in vita estis, etc. Per Ecclesiæ fidem rogo vos, Fratres, per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor et deprecor, ne pudeat in hoc corpore, ne pudeat, ne pigeat opportuna, quam primum remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, etc. In quantum pœnæ nostræ non pepercistis, in tantum vobis Deus parcet.* Si laborum actorum memoria jucunda est, ut proverbio fertur, quanto magis laborum, quorum tantus fructus, tam ampla merces? *Adde quod illud Confessionis onus totum cedat in pœnitentis emolumentum;* quippe cum nihil timendum habeat ex ejusmodi declaratione peccatorum facta Sacerdoti, qui tenetur strictissime ad servandum sigillum; et insuper habet illam animi tranquillitatem ac fiduciam peccata sua esse divinitus remissa, quando maxime omnem quam potuit, adhibuit diligentiam, ut illa detestaretur et confiteretur: quamquam enim non habeat perfectam Contritionem, sufficit, quod habeat Attritionem, per quam ejus animus revocetur a peccato, nec obicem ponat efficacitati Sacramenti. — *Ad tertium dico*, quod etsi Sacerdotes non absolvant peccata, nisi auctoritate sibi a Christo delegata et commissa, inde tamen non est consequens, quod eodem modo

debeant peccata solvere, quo Christus Dominus; hic enim cum haberet plenariam auctoritatem et independentem, cunque optime nosset omnes hominum actus et affectus, poterat sine ulla prævia accusatione particulari peccata dimittere, sicut et gratis condonare, non exigendo aliquam satisfactionem; non sic autem est de Sacerdotibus novæ Legis, qui cum a Deo delegati sint Judices, non solum pro solvendis, sed etiam pro retinendis peccatis, necnon et præscribendis pœnis, juxta majorem vel minorem peccatorum numerum et gravitatem, necessum est, ut distinctam eorum notitiam habeant: illam autem habere non possunt, maxime de peccatis occultis, nisi pœnitens ipse illis manifestet per Confessionem: igitur ad id necessaria est Confessio.

OBJICIUNT 2. Plurimas SS. Patrum auctoritates, quibus significari videntur, peccatum etiam in nova Lege posse remitti, vel sine ulla Confessione, vel saltem cum sola Confessione Deo facta, non autem homini: Sic S. Ambrosius, lib. 10. *In Lucam*, cap. 22. *Petrus doluit*, inquit, *et flevit, quia erravit ut homo; non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit, lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, abluï potest: lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri*. Similiter S. August., lib. 10. *Confessionum*, cap. 3. *Quid mihi est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi sanaturi sint omnes languores meos? curiosum genus hominum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam*. Idem declarat S. Prosper, lib. 2. *De Vita contemplativa*, cap. 7. *Illi*, inquit, *quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent in testem, habituri sunt et ultorem; quod si ipsi Judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores, si in se voluntariam pœnam severissimæ animatransversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia*. Censet igitur quod etsi peccatores sua peccata non confiteantur, dummodo ea detestentur et defleant, eorum veniam obtinebunt. Insuper Beda, lib. 5. *In Lucam*, cap. 69. expendens illa Christi Domini verba, quibus alloquens leprosos a se miraculo mundatos, ait: *Ostendite vos Sacerdotibus*, sic illa exponit: *Nullum Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad Sacerdotes, nisi leprosos: quia videlicet Sacerdotium Judæorum figura erat Sacerdotis futuri regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad Corpus Christi summi, et veri Principis Sacerdotum. Et quisquis hæretica pravitate, vel superstitione gentili, vel judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera vero retia tamquam valetudinis, et quasi membrorum animæ, atque sensuum per semetipsum interius in conscientia, et intellectus Dominus sanat, et corrigit*. Igitur Beda censet, quod alii non debent necessario confiteri Sacerdotibus, quam qui lepræ spiritalis immunditia laborant, ut ait ipse supra Jacob. 5. idest, ii qui inficiuntur hæresi, judaïsimo, gentilitate, schismate; cætera vero vult Absolutione Sacerdotis non egere vitia, proindeque nec vocali Confessione: mutuis cœqualium, idest, fratrum quorumvis precibus expiari, et a Christo interius in conscientia et intellectu sanari, et

corrigi. Igitur ex his omnibus liquet, Confessionem Sacramentalem non esse omnibus præscriptam, nec necessariam jure divino. — **Nego consequentiam**, et ad Ambrosium respondet Doctor, dist. 17. n. 29. « Posse dici, quod tempore negationis Petri Sacramentum Pœnitentiæ non fuit institutum, sed post Resurrectionem, quando Christus dixit « Discipulis suis: *Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis, etc.* » et ideo non tenebatur pro tunc ad Confessionem, nec post institutionem Sacramenti adhuc tenebatur, quia jam ante Resurrectionem per aliud remedium fuit peccatum suum deletum. Et similiter responderi potest de infidelitate omnium Discipulorum, in Passione Christi, quod non tenebantur post ad Confessionem, quia post Resurrectionem pœnituerunt ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ; et hæc bene confirmant, quod Confessio non erat de Lege naturæ, nec Mosayca ». Ad illa autem verba S. Ambrosii: *Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri* dicit Doctor, illa non esse sic intelligenda, quod sine Confessione pudorosa in actu vel habitu lavetur delictum, sed Contritio potest esse tanta, quod in ea etiam ante Confessionem deleatur peccatum, quod tamen est ita grave, quod Confessio ejus sequens est pudorosa ». *Hæc Doctor.* Quibus verbis significat primo, mirum non videri, quod Petrus, ut suum delictum elueret, recursum non habuerit ad Sacramentum Pœnitentiæ, quia tunc temporis nondum erat institutum, sed tantum post Resurrectionem. *Secundo*, quod Petrus, instituto postmodum Sacramento, non debuerit confiteri, quia jam virtute suæ Contritionis peccati veniam obtinuerat. *Tertio*, quod lacrymæ Petri Confessionem aliquam delicti continebant; sic enim contingit interdum, quod reus alicujus sceleris, ubi ab alio convincitur, lacrymis suum fatetur delictum, quod voce non audet promere: tales erant Petri lacrymæ, quæ ipsius delictum manifestabant; nam, ut ubidem observat S. Ambrosius, maluit Petrus suum fateri peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravare negando; justus enim in principio accusator est sui; et ideo flevit: verecundæ lacrymæ sine oratore numquam loquuntur: lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ fatentur. *His adde* quod Christus Dominus cum haberet supremam potestatem remittendi peccata, potuerit Petro pœnitenti et lugenti condonare delictum absque ulla Confessione et ulteriori satisfactione. — * “ Eadem via diluitur altera objectio ex Homil. 3. S. Maximi Taurinensis, *De Pœnitentia S. Petri*: in qua leguntur eadem verba S. Ambrosii, et eo lubentius ipsius eandem explicationem inducimus, quo ex ipso S. Maximo intelligimus Homil. in natali Beatiss. Petri et Pauli Apost. relata, Tom. 7. Biblioth. Patrum, pag. 32. Edit. Colon. 1618. hanc potestatem remittendorum peccatorum ipsimet Petro et aliis Apostolis non nisi post Resurrectionem concessam fuisse. ” * — *Ad S. Augustinum* dico, illum ibi sermonem non instituisse de Confessione sacramentali, sed de Confessione satisfactoria præteritorum scelerum per Baptisma remissorum, et instituta in eum finem, ut inde misericordia Dei magis provocetur ac sollicitetur ad conferendam gratiam, necnon ut laudibus, ac gratiarum actione celebretur, et fidelis quisque per hujusmodi Pœnitentiæ ac satisfactionis exemplum ad emendationem vitæ, et spem veniæ provocetur. Talis est illa Confessio publica, quam ipsemet S. Augustinus de omnibus suæ vitæ delictis tredecim libris

Confessionum exaravit, ut videlicet ad acriorem et majorem cordis compunctionem stimularetur, ampliorem Deo satisfactionem exhiberet, et miram in se Dei misericordiam omnibus commendaret. — *Ad S. Prosperum* dico, illum ibi solum intelligere publicam Confessionem, quam absolute non esse necessariam, pronunciat; addit enim: « Hi qui in « aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen admittunt, Deum sibi facilius placabunt, illi qui non humano convicti « judicio, sed ultro crimen cognoscunt; qui aut propriis illud Confessionibus probant, aut nescientibus aliis, quibus occulti sint, ipsi « in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, et ab Altari, « cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tamquam « mortuam plangunt ». Quod autem revera ibi sermonem faciat tantum de Confessione publica, qua multitudini peccata declarentur, aperte liquet per hæc verba, *nescientibus aliis*, quibus significat, quod absque hujusmodi Confessione publica aliquando dimittantur, non tamen sine Confessione privata, qua peccatores dici possunt etiam sibi ipsis esse iudices et ultores propriæ iniquitatis; quia priusquam ad sacramentale Tribunal accedant, suum ipsi peccatum agnoscunt, et damnant, et injunctas a Sacerdote pœnas a seipsis exigunt. — Tandem *ad Bedam respondeo*, eum illis verbis excludere tantum Confessionem publicam, quæ debet toti Ecclesiæ fieri ab eo, qui communem Ecclesiæ fidem impugnat, quales sunt, qui hæretica pravitate, vel superstitione Gentili, vel Judaïca perfidia, vel schismate Ecclesiam infestant, qui omnes, ut veniam obtineant, tenentur publicam Confessionem et penitentiam agere. Cætera autem vitia privata non debent ita publice revelari, sed satis est, quod Sacerdoti in privata Confessione aperiantur, ut ejusmodi morbos Dominus corrigat, mediante videlicet ipso Sacerdote, qui Dei vice fungitur, et per cujus ministerium Deus omnia confessa crimina remittit et sanat.

* “ SOLVUNTUR OBJECTIONES *ex Doctoribus scholasticis et Gratiano, necnon ex praxi et doctrina Ecclesiæ Græcæ petiæ.* — OBJICIUNT 1. Si confessio esset de jure divino, nusquam de eâ necessario facienda fuisset in Ecclesia dubium: sed plurimi Theologiæ Doctores, et Gratianus canonum collector, id in dubium revocaverunt, et a pluribus jam revocatum esse asseruerunt. Etenim S. Thomas, in 4. dist. 17. examinans questionem, an sufficiat soli Deo confiteri, ait: *Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt: sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio tertio factam hæresis reputanda est.* Cui subscribit eadem distinctione S. Bonaventura. Et sane merito: Magister enim Sententiarum, lib. 4. dist. 17. *in his enim etiam docti, inquit, diversa sentire inveniuntur, quia super his varia ac pene adversa tradidisse videntur doctores,* Et ” * Gratianus Canonum Collector, dist. 1. *De Pœnit. quærit: Utrum sola cordis Contributione, et secreta satisfactone, absque oris Confessione, quisque possit Deo satisfacere? Sunt enim qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine Confessione facta Ecclesiæ Dei Sacerdotali judicio posse promereri.* Insuper idem ad Canonem *Omnis*, in eadem dist., ait: *Non ergo in Confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur: fit itaque Confessio ad ostensionem Penitentiae, non ad impetrationem veniæ. Et sicut Circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam justitiæ.*

*fictionis, sic Confessio Sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ. Et ad Can. Quamvis... in eadem dist. Gratianus, allatis in utramque partem Canonibus, subiungit: Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia Satisfactionis, et Confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus: cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reservatur: utraque enim fautores habet Sapientes, et Religiosos viros: igitur non semper compertum fuit in Ecclesia, Confessionem oris et Sacramentalem fuisse necessariam ad salutem. — * “ Respondeo, nullum rationabile dubium unquam fuisse de Confessionis sacramentalis necessitate, cum illa colligatur evidenter ex potestate ligandi atque solvendi Sacerdotibus data, et ex perpetua praxi et traditione Ecclesiæ. Quod si aliqui Doctores temporibus Magistri Sententiarum confessioni soli Deo factæ patrocinari usi sunt, ab illorum errore alienissimus fuit ipse Lombardus, ut constat ex dist. 17. lib. 4. Sentent. Sicut enim, inquit, præcepta est nobis interior pœnitentia, ita et oris confessio et exterior satisfactio, si adsit Sacerdos. Unde nec vere pœnitens est, qui confessionis votum non habet. Et paragrapho sequenti eadem dist. concludit: Ex his aliisque indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, et deinde Sacerdoti offerri Confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas. Ex his vocibus, indubitanter ostenditur, satis intelligimus Lombardum dubium non reputasse sententiam eorum qui Confessionis necessitatem negabant. Quibus nec favet verbis in objectione adductis, non enim dixit illos defecisse ad erroneam illam opinionem, quia super his varia ac pene adversa doctores antiqui tradiderint, sed quia tradidisse videntur. Nihil autem vetat quominus hujus opinionis novitas aliquam dederit occasionem decreto Concilii Lateranensis, et canonis Omnis utriusque sexus, etc. Cæterum non adeo insolitum est virorum doctorum animos falsis opinionibus ante iudicium Ecclesiæ occupari. Ante Concilium Nicænum non tam castigate Patres de mysterio Trinitatis locuti sunt. Mysterium gratiæ et prædestinationis ante exortam hæresim Pelagianam non tam intime Patres græci penetraverant. — Quod pertinet ad Gratianum, legimus in dialogo 18. Antonii Augustini de emendatione Gratiani; Sunt qui putent hos duos tractatus de Pœnitentia non esse Gratiani. Et infra: Hæc verba in scheda inveni; Tractatus hic de Pœnitentia non videtur esse Gratiani, sed alicujus paulo antiquioris, et totus huc videtur translatus, deestque in exemplaribus antiquis. Igitur non integre constat Gratianum hanc opinionem de Confessione dubiam atque ancipitem existimasse, sed ut fuerit Gratianus ipse novæ illi opinioni de facienda soli Deo Confessione suo calculo non favit, si S. Bonaventuræ credamus, lib. 4. Sent. dist. 17. De Confessione Sacramentali, parte 2: Magister et Gratianus in decretis hoc referunt, inquit, tamquam opinionem; tamen uterque improbat hoc et determinat in contrarium. Insuper dubitandi locus non relinquitur pluribus erratis ac sphalmatibus scatere integrum opus Gratiani, uti ex correctionibus Romanis, et dialogis Antonii Augustini abundanter intelligimus. ” * Unde Gregorius XIII in Bulla emendationis Decreti significat aperte, Gratianum, et alios auctores juris Canonici in aliquos errores incidisse; venia tamen utcumque donandos, quod ipsorum ætate*

res illa nondum erat aperte definita, sicut innotuit post definitionem Œcumenicorum Conciliorum Lateranensis, Florentini, et Tridēntini, quibus illi antiquiores erant, scripsit enim Gratianus Decretum circa annum Domini 1150. *Adde quod ex omnibus Canonibus et auctoritatibus a Gratiano contra necessitatem Confessionis citatis, nullus est Canon, qui evincat aperte necessariam non esse Confessionem; nullusque est, qui non facile possit explicari, vel de Confessione publica non faciēda pro omnibus peccatis, vel de remissione peccati obtinēda per Contritionem cordis, et animi Confessionem soli Deo factam ante Confessionem sacramentalem; quod utique non negamus.*

URGENT. Illa Confessionis necessitas non fuit semper comperta et rata in Ecclesia, cujus observantiam plurimæ Ecclesiæ necessario tenendam non censuerunt: at ita est de observantia Confessionis; Græci namque illam soli Deo faciendam esse asserunt, ut docet ipsemet Gratianus in cap. ult. *De Pœnit.*, dist. 1. ex Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi natione Tharsensi, ac subinde apud Græcos enutrito, quem, inquit Baronius ad annum 668. Vitalianus Papa misit in Angliam. Hic autem scribit in suo Pœnitentiali: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere Sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam: ita dumtaxat ut Deo, et hoc perfectorum est (quæ ut Glossa ibi, non habent nisi venialia, unde non indigent oris Confessione speciali) ut cum David dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitias meas Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem, ut salvemur. Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod est Justorum, purgat peccata; ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata: Deus namque, salutis et sanctitatis Auctor, plerumque præbet hanc suæ Pœnitentiæ medicinam invisibili administratione, plerumque medicorum operatione, idest, Absolutione Sacerdotum.* Ita Theodorus. — **Respondeo**, omissis variis aliorum responsionibus, illæ voces (ut Græci) videri imperiti Scoliastis ignorantia ex margine, cui præfixæ fuerant, in textum Gratiani irrepsisse; hæ enim voces non habentur in Capitulari, nec in Can. 32. Concilii Cabilonensis secundi sub Leone III, qui Canon totus ex Theodori Pœnitentiali sumptus videtur. Cujus utique responsionis indicium est, quod in Concilio Florentino, ubi actum est de iis omnibus, in quibus Græcis a Latinis deficiebant, nulla facta est mentio de non frequentata a Græci Confessione: nisi quod Eugenius Papa quæsivit ab aliquibus Græcis doctioribus, cur eorum Sacerdotes ante sacrificii celebrationem sua peccata non confiterentur: ac si supposuisset Eugenius ibi Confessionem oris apud vulgum Græcorum in usu fuisse, quando de solis eorum Sacerdotibus eos interrogabat. — Arcudius vero, Græcorum Rituum peritissimus, agens de Sacramento Pœnitentiæ, scribit eum apud Sacerdotes Græcos absum non confitendi propter severitatem Canonum Pœnitentialium introductum esse; quia in variis Canonibus Pœnitentiæ, quos refert, decernitur Episcopis et Sacerdotibus, ob certa quædam peccata, quibus accidebat, ut plerique suspensi manerent ab officio, dum ea confite-

bantur. *Præterea*, Græci inter Schismaticos eruditissimi quidam ajunt eam Confessionem inter suos vigere. Nicolaus Cabasilas in *Explicatione Liturgiæ*, cap. 29. docet aperte Confessionem Sacramentalem ita scribens: *Scimus, post mortem Christi, etiam fide et Penitentia, et Confessione opus esse, et Sacerdotum oratione: nec potest homo solvi a peccatis, nisi hæc præcesserint.* Hieremias Patriarcha Constant. in Orientali censura Confessionis Augustanæ, c. 11. Lutheranos arguit, quod negarent Confessionis necessitatem, nam ita scribit: *Dicimus eum, qui confitetur, tunc demum perfectam peccatorum suorum consequi curationem, si peccata omnia, omnesque eorum partes, quantum animus illi sufficit, et quantum meminisse potest, cum contrito et humiliato corde recensuerit. atque confessus fuerit, feceritque omnia, quæ maxime illis peccatis, quæ admisit, adversantur, ut arrogantiam humilitate corrigat.* — Sed esto sint eæ voces (ut Græci) in Canone Theodori, nihil aliud inde sequitur, ex eo quod indefinite tribuat eum Græcis errore, nisi quod aliqui Græci in eo tuerunt errore, forte soli Sacerdotes respectu sui; non autem inferri potest, illam apud Græcos omnes obtinuisse consuetudinem. Imo Nicephorus Cartophilax ait, eam confitendi consuetudinem apud Græcos antiquissimam fuisse, in Epistola scilicet ad Theodorum de potestate ligandi et solvendi, cujus fragmentum extat Tom. 3. Bibliothecæ Patrum, ubi sic habet: *Omnes olim oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, et sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem quid factum sit. cur hæc minus obserrentur, quamvis existimo Pontifices negotii tædio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad Monachos transmisisse, ad eos scilicet, qui vere probati sunt, aliisque valeant esse utiles.... Si quis expertus sit, et homo frugi, et cum hoc Sacerdotio fungatur, ad illum imprimis accedendum est. Quorumcumque vero Græcorum sit error ille, non probat eum Theodorus, sed improbat omnino: primo, quia contrariam opponit ei totius Ecclesiæ doctrinam, dum ait: quidam Deo solum confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam Sacerdotibus, ut tota fere S. Ecclesia; nam particula (*fere*) paucos solum excipit Græcos, qui licet hoc errore, et aliis quibusdam etiam gravibus impliciti, nihilominus adhuc in Ecclesia tolerantur. Secundo, particula (*fere*) videtur adscititia; non enim habetur apud Ivonem Carnotensem par. 15. *Decreti*, cap. 155. nec apud Burchardum, lib. 19. c. 149. apud quos ille Canon invenitur, his solis verbis, *ut tota sancta Ecclesia. Tertio*, Theodorus, ut approbet Ecclesiæ totius dogma de necessitate confitendi Sacerdotibus, ait utrumque, puta soli Deo confiteri, et confiteri Sacerdotibus, intra S. Ecclesiam non sine magno fructu fieri; quia nempe Confessio, quæ fit Sacerdoti, supponit eam, quæ soli Deo fit ex humilitate, et Contritione cordis. Quarto, contrarias in specie sententias, quarum altera dicit, uni Deo confitendum, altera Sacerdotibus etiam esse confitendum, ita conciliat, ut perfectis, idest justis, et iis, qui nullius peccati mortalis conscii sibi sunt, uni Deo confitenti sufficiat, nec opus sit confiteri Sacerdotibus; aliis vero, nempe qui mortali peccato sunt infecti, necesse sit Sacerdoti confiteri, quare nobis institutionem Apostoli sequendam asserit. Ita dumtaxat, inquit, *ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, et hoc perfectorum est, seu justorum, ut**

ait postea, sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra: vel, ut habetur in Capitulari; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam: ita duntaxat, ut et Deo, a quo est remissio peccatorum, confiteamur; et secundum Apostoli institutionem confiteamur alterutrum.

URGEBIS: Ex eodem Canone videtur negari efficacia Confessionis externæ factæ Sacerdoti; sic enim scribit: *Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod est iustorum, purgat peccata: ea vero, quæ Sacerdotibus fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata:* igitur Confessio facta Sacerdoti non aufert peccata. — **Nego consequentiam:** illis enim verbis non negatur efficacia Confessionis, sed determinatur modus, quo tolluntur peccata, quasi dicat: solus Deus est, qui ut auctor principalis et causa princeps remissionis condonat peccata; modus autem, quo communiter illa condonat, est Confessio facta Sacerdoti; unde statim subjungit: Deus namque, salutis et sanctitatis auctor et largitor, plerumque hanc præbet suæ Pœnitentiæ medicinam invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. Quod ita dictum observant illius Decreti emendatores, ut ille Canon *operationis* appellatione, doceat ordinarium purgandi modum esse per Sacerdotis Absolutiones: Deus enim (inquiunt ad marginem) ut continuo subjungitur, sanitatem largitur, plerumque medicorum operatione, non dicit autem sola duntaxat ostensione.

INSTANT ITERUM: Quæ fuerit Canonistarum sententia, non potest evidentius innotescere, quam ex Glossa Joannis Teutonicæ: sed ille dist. 5. *De Pœnit.*, in principio, docet humano jure peccatorum Confessionem esse introductam; ait enim: *Videndum est ergo, quando Confessio oris instituta fuit. Dicunt quidam, institutam fuisse in Paradiso statim post peccatum, dicente Domino ad Adam: Adam, ubi es? Ideo enim quæsit, ut ipso confitente peccatum daretur forma aliis imposterum confitendi: sed quia in illa interrogatione Dominus minus expresse videbatur ad confitendum monuisse, ideo post exquisivit a Cain fratricida expressius, ubi est Frater tuus? Alii dicunt, quod sub lege primo fuit instituta, quando Josue præcepit Achan crimen suum confiteri, et lapidatus est. Alii dicunt, quod in novo Testamento a Jacobo dicente: Confitemini alterutrum peccata vestra. Sed melius dicitur eam institutam fuisse a quadam universalis Ecclesiæ Traditione potius, quam ex novi, vel veteris Testamenti auctoritate; et Traditio Ecclesiæ obligatoria est, ut præceptum. Unde colligit: ergo necessaria est Confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non: quia non emanavit apud illos Traditio talis, sicut nec faciunt in azimis, sed in fermentatis. — **Nego antecedens:** « Non enim, inquit Doctor, dist. 17. num. 9. Ecclesia tentasset tam arduum præceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset præceptum divinum: vel quia non invenitur ubi ab Ecclesia imponatur istud præceptum, quia ante hoc Sancti reputarunt, hoc præceptum de Confessione obligare; si enim allegatur illud Capitulum, *Omnis utriusque sexus*, patet quod illud est Innocentii III in Concilio Lateranensi: sed ante illud tempus per multos annos fuit Augustinus plusquam per octingentos annos, qui prædicavit Confessionem valde esse necessariam.... Nec Canonista facile inveniret aliquod Concilium, vel præceptum propriè ubi exprimitur*

« præceptum de Confessione facienda, sicuti hic loquimur ». Unde colligit Doctor, ipsum Glossatorem *irrationaliter loqui*; « turpe enim esset « Theologo dicere, aliquid esse in Biblia, et nescire ubi illud invenitur, et ita inconveniens debet esse Canonistæ dicenti aliquid esse « ex universali Traditione Ecclesiæ, et non invenire in Canone; non « Canon sufficienter continet universales Traditiones Ecclesiæ: si « allegat autem aliquod Capitulum Canonis ad istam Traditionem; « sed tantum post subdit, quod Traditio Ecclesiæ est obligatoria ». — * « Cæterum, ut nullum supersit dubium quin Ecclesia græca cum latina consentiat circa fidem proximque Confessionis, non abs re erit ipsa eorum Euchologia consulere, in quibus leguntur orationes et ritus quibus tota de hoc Sacramento Ecclesiæ doctrina continetur. In una istarum orationum habetur: *Ipse humane, et malorum tolerator Domine, exorare nunc quoque super servum tuum, et modum Pœnitentiæ, peccatorumque veniam illi concede, condonans illi per me indignum famulum tuum omne delictum spontaneum, pariter et involuntarium. Tu enim dixisti Domine sanctis Apostolis tuis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt; et quæcumque ligaveritis et solveritis super terram, erunt ligata et soluta in cælis. Et in alia oratione legitur: Deus, qui propter nos homo effectus est, et totius mundi peccata tollit, ipse suavissima sua benignitate cuncta hæc suscipiat, quæ coram indignitate mea enarrasti, frater, condonans tibi omnia in hoc sæculo pariter et in futuro. Et in altera: Tu optime et valde misericors Domine, cuncta quæ filius meus spiritualis contrito corde coram te tenuitati meæ confessus est, condona. In alia tandem: Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque coram Deo et mea indignitate confessus es. — Sic autem administratur apud Græcos Pœnitentiæ Sacramentum. Peccator patrem spiritualement adit, cum quo sedens peccata sua confitetur. Quibus ille auditis, si leves pœnitentis culpas deprehenderit, nullam absolutionem confert, sed amice monitum, ut piis se operibus exerceat, dimittit. Si vero lethalia crimina confessus fuerit pœnitens, illa in Nono. Canone juxta se posito examinat, ac ad canonum rigorem discussa, pœnis quas statuunt castigat. Tandem pœnitenti bene precatur, et orationes superius allatas super ipsum recitat. Verum non hæc tantum Ecclesiæ Græcæ recentioris disciplina est, sed et veteris, ut ex Joannis Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani Pœnitentiali constat, qui anno Domini 585. in defuncti Eutiachii locum successit. Eo enim in libro totum hujus Sacramenti administrandi ritum legimus. Assumit Sacerdos pœnitentem, et sistit eum coram altari, cantat cum eo trisagion, psalmos, antiphonas, et orationem ibidem adscriptam recitat, ter cum eo genua flectit, et erectum sic alloquitur: *Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus, (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit, et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur, sicut per propriam vocem ipse declaravit: quæcumque ligaveritis aut solveritis super terram, erunt in cælis illa quidem ligata, hæc vero soluta. Revela igitur et declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ a te facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris, et ipse occultorum cognitor de-**

lebit omnia quæ revelaveris... Licet enim hoc probrosum et pudendum tibi videtur opera probris et pudori obnoxia revelare; attamen eximie et accurate tibi persuasum esto, per præsentem pudorem, te a futuro liberari, et mandatis obediendo non solum indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri. Sequuntur deinde interrogationum de singulis peccatis et eorum circumstantiis formulæ, quibus hæc adjiciuntur: Atque ut absolute dicam, de omnibus eum cum omni diligentia inquirere debet... postquam autem omnium confessionem peccatorum exceperit, confitente inferne jacente, addet: *Hæc et Dominus noster Jesus Christus Deus indulgeat tibi omnia quæ in conspectu ejus nullitati meæ confessus es.* — Similia leguntur in Canonario seu libello pœnitentiali Joannis Monachi, in libello pœnitentiali Anonymi auctoris ex mss. bibliothecæ Emin. Cardinalis Barberini a Joanne Morino descripti, in libro Simeonis Thessalonicensis, *De Sacramentis*, in lib. *De Septem Ecclesiæ Sacramentis*, Gabrielis Philadelphiæ Metropolitanæ, qui typis excusus est Venetiis, anno 1600. ubi tres partes Pœnitentiæ declarat, *cordis contritionem, oris confessionem, operis satisfactionem.* Et Confessionem sic definit: *Confessio est declaratio voluntaria labiis sive pectore facta propter ante commissas turpitudines, et voluntaria, dilucidaque secretorum accusatio; apud eum qui legitimam et canonicam habet potestatem.* — Ex his patet, quam perperam in sui erroris præsidium græcos schismaticos advocant nostri temporis hæretici. Licet enim apud ipsos non adeo frequens sit illius Sacramenti usus, quia eorum disciplina evigorata est, ut fides evacuata, certum tamen est et indubitatum, eandem cum latina Ecclesia de Confessione doctrinam eos tenere. " *

OBJICITUR, ET EXPENDITUR FACTUM NECTARII. — OBJICIUNT 4. Si Confessio revera esset de jure divino, a nullo Ecclesiæ Pastore merito posset abrogari: sed Nectarius Episcopus Constantinopolitanus abrogavit Confessionem auricularem in Ecclesia sua, ob scandalum aliquod ortum ex Confessione nobilis cujusdam mulieris, ut constat ex Sozomeno, lib. 7. *Historiæ*, cap. 16. ubi rem sic narrat: « In Ecclesia « Constantinopolitana presbyter pœnitentibus deputatus hoc munere « functus est; donec mulier quædam nobilis, ob peccata quæ confessa « fuerat, ab hoc Presbytero jejuna ac Deo supplicare jussa, et ob « ipsam causam quod in templo morosa, se ab homine Diacono con- « stupratam prodidisset. Hoc autem cognito vulgus ut ob contume- « liam Ecclesiæ illatam indignabatur, acerbissimisque calumniis pre- « mebantur Sacerdotes. Nectarius itaque perplectus, quodnam huic « infortunio remedium adhiberet, stupratorem ipsum Diaconatu pri- « vavit, et consulentibus quibusdam, ut unicuique liberum permit- « teret, prout ipse sibi conscius esset, et confideret ad mysteriorum « communionem accedere, Pœnitentiarium illum Presbyterum exau- « ctoravit ». Subjicit, ipsum morem alias Orientales Ecclesias fuisse imitatas. Ex quibus colligit Calvinus, lib. 3. *Institut.*, cap. 4. n. 7 *Si lex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus est Nectarius eam re- « figere, ac convellere? Nectarium sanctum Dei hominem, omnibus vete- « rum suffragiis probatum, hæreseos et schismatis accusabunt? Sed eodem « calculo damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi « morem, non ad tempus modo dissimulatum fuisse, sed ad suam usque*

memoriam obsolevisse narrat Sozomenus; imo non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias defectionis reas agant, quæ inviolabilem si verum dicunt legem, et Christianis omnibus mandatam neglexerunt. — **Nego minorem:** Nam, ut præclare docent Bellarminus, Suarez, dist. 17. qu. 2. Vazquez, qu. 90. art. 1. dub. 3., etc. *Primo*, negari potest factum istud: *tum* quia, ut declarat S. Gregorius, lib. 6. *Epistolarum*, cap. 159. Historia Sozomeni a Sede Apostolica non admittitur, quod multa mentiatur: *tum* quia Sozomenus ipse cum esset Novatianis Pœnitentiæ Sacramenti hostibus impense addictus, potuit illam historiam, ut eorum parti studeret, gratis confingere: *tum*, quia ipse non refert abrogationis hujusc Pœnitentiarii Sacerdotis historiam, et seriem, ut rem suo tempore certam et constantem, sed ut rem controversam, de qua varii varie sentiunt; ait enim: *Quid autem hoc sit, aut unde sumpserit originem, aut quam ob causam id sublatum fuerit, alii forsitan aliter referunt: ego autem quid mihi videatur, explicabo.* Quibus verbis significat, se narrare rem, non quam viderit, aut a testibus fide dignis acceperit; sed ut illam probabiliorem judicabat. — Verum quoniam Nicephorus, lib. 12. *Hist.*, c. 20. et Socrates, lib. 5. *Suæ Historiæ*, cap. 19. hujus facti a Nectario historiam referunt; idcirco respondeo secundo, Sozomenum non asserere abrogatam fuisse a Nectario Confessionem auricularem et Sacramentalem, ut contendit Calvinus, utpote cum ibidem illam esse necessariam ad impetrandam veniam asserat; sed dumtaxat refert abrogatam fuisse Confessionem publicam, necnon et morem illum Ecclesiasticum, quo Pœnitentiarius Sacerdos ad crimina publica et graviora excipienda designatus, discernere ea, pro quibus publica Pœnitentia esset agenda, ab illis pro quibus non esset publice pœnitendum: quem utique morem propter illud subortum scandalum Nectarius abrogavit. — Quod autem hæc fuerit Sozomeni sententia, apparet ex verbis, quæ ante illa in objectione scribit: « Quoniam, *inquit*, non peccare, divinum esse, et « ultra humanam naturam cognoscitur: pœnitentibus autem, quamvis « frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, et ad impetran- « dam denique veniam, confiteri peccata necesse sit; odiosum, ut cre- « dibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit, tamquam in theatro, « audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronuntiare. Presbyterum « itaque aliquem, vitæ integritate maxime spectabilem, secretorum « etiam tenacem ac sapientem huic officio præfecerant, cui acce- « dentes, qui peccaverant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille vero, « pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret. « interminatus absolvebat, ut a se ipsi commissorum pœnas exige- « rent. At Novatianis quidem, quos Pœnitentiæ nulla cura tran- « isto nihil opus fuit: in cæteris autem sectis in hunc usque diem « durat. Sollicite autem in occidentalibus Ecclesiis, et maxime in Ro- « mana servatur; ibi enim manifestus est Pœnitentium locus: stant « autem in eo mœsti, ac velut lugentes, finitoque demum Dei sacri- « ficio participes non facti, quorum participes fieri veros Dei cultores « fas erat, cum planctu ac lamentatione, semetipsos in terram pronos « abjiciunt: tamen ex adverso lamentabundus Episcopus occurrens, « consimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota. Deique Ecclesiæ « multitudine lacrymis suffunditur: post hæc Episcopus primus erigitur,

« ac jacentes erigit, et quantum satis est pro peccatoribus Pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit privatim. *Deinde*, sponte sua quisque vel jejuniis. vel lotionum ciborumve abstinentia, vel aliis, quibus justus est, semetipsum affligens, tempus expectat, in quantum Episcopus præstiterit. Exacto demum præfinito die, pœna jam quasi debito quoppiam exoluta, a peccatis absolvitur, et populo in Ecclesia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes, ab ipso inde exordio etiam ad nostram usque memoriam custodiunt. In Ecclesia vera Constantino-politana, Presbyter pœnitentibus deputatus hoc munere functus est. « ne donec scandalum ex Confessione nobilis tœminæ contigerit ». Ex eo Sozomeni loco patet aperte: *primo*, Pœnitentiarium aliquem institutum esse, qui publicis præesset pœnitentiis: *secundo*, publice pœnitentes ei Presbytero singula suæ vitæ peccata detexisse, publica pariter, et occulta, speciali Confessione: non alio. quippe consilio virum integræ vitæ, secretorumque tenacem huic officio præfecere; quia si publicâ tantum ei peccata confessi fuissent, non erat in eo secreti tenacitas admodum efflagitanda: *tertio*, pœnitentes vitæ suæ Pœnitentiario privatim confessos, ex ejus imperio, seu consilio publica quædam, aut etiam occulta propalasse postea Confessione publica: nam ideo sapientem Presbyterum ei præfecere muneri, qui pro cujusque delicto, quid facere singulos oporteret, et quas a se pœnas exigerent ipsi jejunando, supplicando, vel etiam occulta publice confitendo, sicuti Matrona suam cum Diacono consuetudinem etsi secretam evulgavit. Unde Sozomenus exaurationem illius Pœnitentiarii improbat, quod ea peccandi frænum auferat, tollendo verecundiam eorum, qui sua confitebantur ipsi delicta. Verbis enim in objectione relatis hæc immediate subjicit: « Pœnitentiarium illum presbyterum exauctoravit, quod quidem ex tempore porro irritum vindicatum fuit: jam tamen, ut opinor, ipsa vetustate, et ei conjuncta gravitate, atque severitate, in promiscuam ac dissolutam vitam paulatim delabi incipiente; siquidem antea, ut ego existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsorum delicta ipsi enuntiabant, tum ob severitatem eorum, qui Judices ejus rei constituti erant: at ille pudor imprimis erat in occultorum explicatione ». — *Confirmatur* hæc responsio ex Socrate, lib. 5. *Historiæ*, cap. 19. ita scribente: « Per id tempus visum fuit Ecclesiæ, ut Presbyteri, qui in singulis Ecclesiis Pœnitentiæ præerant, tollerentur; idque hæc de causa ab illo tempore, quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitata, lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam Pœnitentiæ præesset, quo qui post Baptismum lapsi fuissent coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. Iste Canon adhuc apud alias sectas ratus, firmusque manet: soli autem, qui fidem consubstantialitatis tenent cum Novatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, Presbyterum Pœnitentiarium rejecerunt; Novatiani vero, ne initio quidem, istam quasi appendicem admiserunt: Episcopi, qui jam præsent Ecclesiis, quamvis ad longinquum temporis spatium hoc teneant institutum; tamen temporibus Nectarii Episcopi, immutarunt, propter cujusdam facinus,

« quod tum forsā in Ecclesiis admissum fuit: mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiariū accedit; peccata, quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur; Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis et continuis precibus se dederet, quod una cum peccatorum Confessione, opus dignum Pœnitentia ostenderet. Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ seipsam insinuat, docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse; ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Ecclesia ejectus est: tumultus inde in populi multitudine excitatus; nam indignabatur, non solum de admissio flagitio, verum etiam quod inde gravis infamiæ et contumeliæ nota Ecclesiæ iniusta esset. Itaque cum Sacerdotibus ob hanc causam esset vehementer objectatum, Eudemon quidam Ecclesiæ Presbyter genere Alexandrinus Episcopo Nectario dedit consiliū, ut Presbyterum Pœnitentiariū tolleret, et liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet; nam eo pacto solum esse futurum, ut Ecclesia omni macula careret infamiæ. Ista omnia ab Eudemone ego ipse accepi, huic nostræ historiæ mandare nequiquam plane dubitavi ». — Eadem ex Socrate et Sozomeno Cassiodorus, *Historiæ Tripartitæ*, lib. 9. cap. 36. et Nicephorus Calixtus, lib. 12. *Historiæ*, cap. 25. exscribunt, ac referunt.

Ex quibus aperte colligitur, Nectarium abrogasse tantum tria: *primum*, potestatem, seu munus Sacerdotis Pœnitentiarum constituti super publicos pœnitentes, eumque exauctorasse, vel quia id imprudenter illi mulierculæ mandaverat: vel quia noverat illam id indicaturam in publica sua Confessione; nec tamen prohibuerat: vel quia diuturniores Pœnitentiæ moras in Ecclesia mulieri præscripsisset: unde occasio fuit committendi sceleris vel scandali. *Secundum*, publicam Pœnitentiam ejusque exercitium proscrispsit, quibus dirigendis Pœnitentiarius ille Presbyter constitutus fuerat; eo quod occasione hujus Pœnitentiæ publicæ ortum fuit illud scandalum. *Tertium*, publicam Confessionem prohibuit, quæ erat veluti pars Pœnitentiæ publicæ, et per quam flagitium fœminæ cum Diacono populo innotuerat. Non autem abrogavit Confessionem privatam, nec exauctoravit Presbyteros excipiendis Confessionibus privatis, et Sacramentalibus ab Episcopo designatos; nec eripuit eis absolvendi potestatem. Quod utique colligitur *primo*, quia tantum abrogavit eam Confessionem, quæ Novatianorum occasione fuerat instituta: at Confessio privata pridem ante Novatianos erat in usu, ut constat ex Irenæo, Origene, etc. *Secundo*, tantum removit eam Confessionem, cui peculiariter Presbyter Pœnitentiarius erat specialiter destinatus: at ille non erat destinatus ad privatam Confessionem excipiendam; fieri enim non poterat, ut unus dumtaxat Sacerdos in amplissima ac valde populosa Civitate Constantinopolitana, imperii sede, sufficeret privatis Confessionibus tot hominum excipiendis. *Tertio*, Nectarius eam solum abrogavit Confessionem, quæ fuerat occasio scandali, et cujus abrogatio videbatur necessaria sedando tumultui excitato in plebe Constantinopolitana: hæc autem fuit Confessio publica; nam ex Socrate tumultus ille excitatus est in populo, quia mulier in confitendo progressa longius, flagitium cum Diacono admissum vulgaverat. *Nec refert* quod in textu Græco Socratis non habeantur illæ voces,

longius in confitendo progressa: nam aliæ statim adjectæ, scilicet *alterius culpæ seipsam insimulat*, ostendunt aperte secundam ejus Confessionem; illa quippe sui ipsius insimulatio, qua manifestat suum cum Diacono flagitium, est accusatio, seu Confessio, non quidem privata, quæ omnino secreta erat, sed publica, per quam crimen istud innotuerat: quomodo enim scelus istud occultum venisset in cognitionem tum Cleri, tum populi, essetque in causa cur Diaconus e suo gradu exturbaretur, et tam grandis in populo tumultus fieret? Non abs re igitur Christo-Phorsonus in sua Interpretatione Socratis, has voces addidit textui Græco, *longius in confitendo progressa*.

URGEBIS: Eam Nectarius Confessionem abrogavit, quam præmittere debebat peccator, ut digne ad Eucharistiam accederet: sed hæc est quam sacramentalem appellamus: igitur illam sustulit. *Minor constat. Major probatur*: nam ex Socrate Nectarius liberam dedit potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Ex Sozomeno permisit unicuique liberum, ut ipse sibi conscius esset, et confideret, ad communionem mysteriorum accederet. Ex Cassiodoro singulos ad communicandum iudicio conscientiæ suæ reliquit. Ex Nicephoro, cuique permisit pro conscientia et fiducia sua communicare, et immaculatis participare mysteriis: ergo permisit ad Eucharistiam accedere deinceps sine privata quacumque Sacramentali Confessione. — **Nego majorem**: ea quippe libertas a Nectario deinde concessa pœnitentibus in eo fuit, ut antequam ad Eucharistiam accederent, ii non adigerentur amplius confiteri Pœnitentiario Sacerdoti, sed possent cuicumque Presbytero vellent ex deputatis ab Episcopo confiteri; quia concessa libertas est intelligenda conformiter ad ea, quæ referuntur ibi, nimirum ut Pœnitentes publici eximerentur onere, quod ante permissionem hanc iis impositum erat; hoc autem onus in eo fuit, ut antequam accederent ad mysteria, Pœnitentiario sigillatim acta vitæ suæ confiterentur, et alter nemo posset eos absolvere: sed ab hac obligatione liberati sunt a Nectario: dum etiam ab onere publicæ Pœnitentiæ, tum et publicæ Confessionis, qua tenebantur aliquando debita quædam evulgare coram universa multitudine populi; postea quippe permissi sunt communicare sine iis oneribus; at non ideo permissi sunt illi pœnitentes ad Eucharistiam accedere sine purgatione peccatorum, ideoque nec absque privata Confessione. Quod et ipsis hæreticis patet, contra quos agimus, ajunt enim ad Eucharistiam admittendos non esse, nisi prius a Pastore probatos; unde Melancthon in Augüstana Confessione, sic ait § *De Confessione*: « confessio non est apud nos abolita; non enim solet porrigi Corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis ». Et Calvinus 3. *Instit.*, cap. 4. jubet, « ut si-
« stant se oves Pastori, quoties sacram cœnam participare volunt; »
« adeo non reclamo, et maxime velim hoc ubique observari ».

INSTABIS: Pœnitentiarius occasione Novatianorum institutus, debuit esse *secretorum tenax*, ex Sozomeno; *servans secretum*, ex Cassiodoro; *taciturnus*, ex Nicephoro: at si fuisset institutus regendis pœnitentibus, et pœnis ac Confessionibus publicis, efflagitata non esset in eo tam arcta secreti sigillique religio: ergo tantum institutus excipiendis Confessionibus privatis, ideoque hac abrogata, privatæ Confessiones abrogatæ videntur. — **Nego minorem**: ex Sozomeno quippe debebat

ille pro cujusque delicto præscribere, quid oporteret facere, seu luere singulos, ut debitas a se pœnas scelerum exigent. Ex *historia tripartita*, secundum cujusque culpas statuebat multa: ad id impense necessaria fuit inspectio occultiorum culparum, intentionum, et circumstantiarum, ut satisfactiones, et pœnas delictis pares injungeret utilitati pœnitentis, et Ecclesiæ, quasdam etiam ex occultis Confessione publica declarare juberet, sed id sine privata Confessione non poterat, quæ virum secreti tenacem, probum, et prudentem exigit. Duplex itaque Confessio fuit, qua publice pœnitentes eo tempore sua peccata confitebantur. *Una* secreta seu privata, qua statim ab initio Pœnitentiæ singula vitæ suæ acta Pœnitentiario detegebant, ut ab eo Pœnitentiæ modum, et rationem acciperent. *Alter*a publica, quam interdum in parte satisfactionis edebant, ubi pœnitentis utilitas, aut Ecclesiæ ratio postulabat. Utramque Socrates in nobilissimæ mulieris pœnitentiâ designat. *Primo*, privatam coram Pœnitentiario, qua ad Presbyterum illum accedens, peccata; quæ post Baptismum admiserat, particulatim confitetur. *Secundo*, publicam coram populo, qua Presbyter audita Confessione secreta mulieris, ei mulctam imponit, et mandat, ut jejuniis, et continuis precibus cum peccatorum Confessione opus dignum Pœnitentiâ ostenderet. Hac ipsa Confessione dum matrona fungitur, longius confitendo progressa, forsitan ex indiscreta devotione sua, vel etiam ex imprudentiori consilio Presbyteri, turpe cum Diacono crimen ita patefecit, ut inde tumultus in populo sit excitatus, et ejectus ab Ecclesia Diaconus.

URGEBIS ITERUM: Mulieres ob verecundiam, et pudorem sexus, non agebant Pœnitentiâ publicam: ergo matrona, quæ Nectario dedit occasionem abrogandi Pœnitentiarium, non emisit Confessionem publicam. — **Distinguo antecedens:** ita frequenter, ut viri, *concedo*: numquam omnino, *nego*. Nam ex Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum: « Ea primariæ nobilitatis femina, quod secundo marito « nupsisset, repudiato priori, qui tanta vitia habuisse narratur, ut ne « scortum quidem, et vile mancipium, ea sustinere posset: ita post « secundi viri mortem in semet reversa est, ut saccum indueret, ut « errorém publice fateretur, et tota urbe spectante Romana, ante diem « Paschæ, in Basilica Laterani, staret in ordine pœnitentium, et coram Episcopo, Presbyteris, et omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, et sordida colla submitteret ».

URGEBIS: Pœnitentiâ et Confessio publica diu vigerant ante Novatianorum schisma et hæresim: igitur illa Confessio, quam abrogavit Nectarius, non erat Confessio publica, sed ea, quam appellamus secretam et sacramentalem. — **Distinguo antecedens:** vigerunt alia prorsus ratione, quam ab Episcopis institutæ sint, occasione hæresis Novatianorum, *concedo*: eodem modo, *nego*. Fateor equidem, quod ante illud Novatianorum schisma plerique publicam Pœnitentiâ agebant, et sua publice peccata confitebantur, vel Episcopo, vel ei Sacerdoti, quem ab Episcopo ex plurimis ad excipiendas Confessiones designatis seligebant, ut constat ex Origene supra laudato: tunc enim uni dumtaxat Sacerdoti peccata sua non tenebantur aperite, uti postmodum contigit occasione Novatianorum: Episcopi enim statuerunt, ut publici

pœnitentes certum aliquem Presbyterum pœnitentiis et pœnitentibus præfectum adirent, ei sua confessuri peccata, et præscriptam ab eo Pœnitentiam et Satisfactionem impleturi. Cujus utique publici Pœnitentiarii institutio nulla memoratur apud veteres Ecclesiæ Doctores ante persecutionem Decii, et schisma Novatianorum; sed ab eo tempore, quo Novatiani discesserunt et separaverunt se ab Ecclesia, quoniam illi recusabant communicare cum iis, qui grassante persecutione lapsi fuerant, et quos nonnulli Præsules nimia facilitate ad Communionem sine debita satisfactione et pœnitentia admirarent, de quibus acriter conqueritur S. Cyprianus, Serm. *De lapsis*; idcirco ut Ecclesia tam gravi malo deinceps occurreret, nova constitutione sancivit, ut publicorum aliquot criminum, nonnisi post exsolutos ex hujusce Pœnitentiarii præscripto secretioris Pœnitentiæ labores, ad sacrorum participationem mysteriorum admitterentur ii, qui post Baptisma lapsi fuissent, ut ostenderent contra Novatianos aliquam in Ecclesia potestatem esse dimittendi peccata, quando præciebant pœnitentibus Presbyterum, ut ab eo dispositi per exercitia pœnitentiæ possent ab Episcopo reconciliari: tum etiam, ut disciplina severitatem observarent, ac illis eum præponeret Sacerdotem, ut per spontaneas Pœnitentium pœnas eorum delictis aliquo modo pares eos ad mysteria recipienda compararent, cum eos non admitterent, nisi Sacerdotis illius ope, ductuque, per dignos Pœnitentiæ labores et fructus a gravioribus peccatis antea purgarentur.

INSTANT HÆRETICI: Illam Confessionem Nectarius abrogavit, quæ postmodum non fuit in usu in Ecclesia Constantinopolitana: at quæcumque Confessio facienda hominibus, post hujusmodi abrogationem, non fuit amplius ibi in usu: igitur, etc. *Major constat ex dictis. Minor vero probatur ex S. Chrysostomo ipsius Nectarii in Sedè Constantinopolitana Successore, qui pluribi docet non esse confitendum hominibus, sed soli Deo, maxime vero Homil. 2. in Psalm. 50. ubi ait; Peccata tua dicito, ut deleas illa; si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua: non dico ut confitearis conseruo tuo, ut exprobrat, dicito Deo, qui curet illa. Et Serm. De Pœnit. et Confess. Nunc autem, inquit, neque necessarium est presentibus confiteri: cogitatione fiat delictorum inquisitio, sine teste sit hoc iudicium, solus te Deus confitentem videat. Et Homil. 4. De Lazaro: Neque enim conseruo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino. Ubi S. Chrysostomus Confessioni, quam improbat, opponit eam, quæ fit Deo, et quæ fit in anima ac cogitatione, et intra conscientiam: igitur S. Chrysostomus improbat omnem Confessionem faciendam hominibus. — Nego minorem, et ad ejus probationem dico, S. Chrysostomum improbare solum Confessionem publicam, non vero privatam: loquitur enim de Confessione, ex qua sequi posset exprobratio; talis autem erat Confessio publica; nam, ut notat Origenes, Homil. 2. in Psal. 37. cum publica Confessio fieret, semper aderant, qui possent exprobrare, unde ait: Si hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur ea, quæ commisit, et humana confusione parvipendat eos, qui exprobrant, et eum confitentem notant, aut irrident. Eiusmodi vero non est eâ Confessio, quæ fit in Sacramento Sacerdoti: nulla enim potest ex ea sequi exprobratio, quia sine testibus fit, et arctissimo silentii debito seu sigillo Sacer-*

dotes adstringuntur. Hinc addit: *Nunc autem neque necessarium est presentibus testibus confiteri*: nam his verbis ostendit aliquando fuisse necessarium coram testibus, ideoque publice confiteri, sed eam necessitatem esse sublatam a Nectario, ne scilicet ejusmodi publica Confessio amplius foret ansa et occasio exprobrationis faciendæ. *Vel dico*, S. Chrysostomum ibi non loqui de Confessione Sacramentali, quæ fieri debet ex præcepto, sed dumtaxat de Confessione quotidiana. Unde signanter dixit verbis supra laudatis in Psal. 50. *Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua*, etc. quasi diceret: rem tibi grandem non suadeo, neque adhortor, ut quotidie confitearis peccata tua Sacerdoti, qui exprobret illa, et suis increpationibus perstringat; sed alium tibi Confessionis modum aperio, nempe ut diebus singulis peccata tua privatim Deo confitearis in anima tua, unde subdit: *Ecce habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum; habeto codicem conscientiam tuam, et scribe quotidiana peccata; quando accubueris super stratum tuum, et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam*. — Idem etiam suadet in præfata Homilia de Lazaro, ubi monet, quod si aliquando habuerimus corruptæ cupiditatis in anima conceptum, statim suffocemus; si vero in opus prodierit, occidamus per Confessionem statim: *Cur ergo, inquit, pudescis, et erubescis dicere peccata tua? cave enim homini dixeris, ne tibi exprobret, neque enim conservo confiteris, sed ei qui Dominus*. Quibus significat, quotidianam Confessionem statim esse faciendam, ac peccavimus. Non igitur loquitur de Confessione Sacramentali, quam nullibi negat; sed dumtaxat de Confessione privata, quæ fieri potest et debet a quolibet homine, ut videlicet per Contritionem peccati veniam possit obtinere.

URGENT TANDEM: Quæ fuerit S. Chrysostomi de Confessione sententia, apparet distincte ex Cassiano illius discipulo: at hic negat omnem Confessionem faciendam esse hominibus; siquidem Collatione 20. cap. 8., ait: *Si verecundia retrahente, revelare coram hominibus peccata tua erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, qui et absque verecundiæ publicatione curare, et sine improprio donare consuevit*. — **Nego minorem**; nam eodem modo loquitur Cassianus, quò ejus Præceptor, nempe vel de Confessione publica, quæ coram populo fiebat, et ex qua sæpe oriebatur exprobratio et improprium, non vero de privata, quæ Sacerdoti fiebat, ut Vicario Dei, seu Christi, non vero ut homini simplici ac puro; unde Confessio hæc censeri potest fieri Deo, quia fit homini vices Dei gerenti: siquidem Sacerdos pro Christo legatione fungitur. *Vel dico*, cum illis verbis adhortari ad quotidianum conscientiam examen, et privatam Confessionem diebus singulis coram Deo de peccatis post illam conscientiam investigationem faciendam; ait enim ante verba supra laudata: « Quis est, qui non possit dicere: peccatum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non operui? Ut per hanc Confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur: et remisisti impietatem cordis mei. Quod si verecundia retrahente, etc ».

OBJICIUNT 5. Plurimi Theologiæ Principes aperte fatentur, Confessionem non divino jure, sed dumtaxat humano esse præceptam. Nam Hugo Victorinus, lib. *De Sacramentis*, part. 14. cap. 14. dicit,

Christum non dedisse hominibus præceptum sua peccata confitendi. Et Magister Sent. dist. 17. proponit sententias utrinque probantes et negantes necessitatem Confessionis, nec ipse quidquam resolvere videtur, saltem ex jure divino. Et Alensis 4. par. qu. 18. memb. 3. art. 2. *Dominus, inquit, non instituit Confessionem, ut erat exercenda ab ipsis penitentibus.* Tandem S. Bonaventura, dist. 17. par. 2. art. 1. q. 3. aperte docet, Christum Dominum non instituisse Confessionem, sed illam esse opus pure humanum: *Unde, inquit, non est data virtus Sacramenti ipsi Confessionis, sed Absolutioni: ideo recte hominibus puris institutio debuit reservari.* Igitur Confessio non est de jure divino. — **Distinguo antecedens:** fatentur non esse de jure divino explicite, seu distincte et expresse, *concedo:* tacite et implicite, *nego.* Fatentur enim illi, Christum Dominum dedisse Apostolis ejus vices agentibus potestatem dimittendi et retinendi peccata; ac subinde implicite saltem etiam mandavit Confessionem fieri, quippe cum, ut diximus, scire non possit Sacerdos, quæ peccata sint remittenda, quæve retinenda, nisi pœnitens ea distincte declaraverit. Nec aliud certe volunt Hugo Victorinus, Magister Sentent. et Alensis. Quantum vero ad Seraphicum Doctorem major videtur difficultas; nihilominus facile potest explicari; duo namque distinguit in Sacramento Pœnitentiæ: unum *formale*, quod est Sacramenti completivum, et hoc est Absolutio, sive facultas absolvendi, vel medicandi; aliud vero *materiale*, hoc est detectio peccati, seu morbi. *Primum, inquit, Dominus instituit, qui potestatem clavium concessit, et penes hoc residet virtus Sacramenti; secundum vero non instituit in se, sed insinuavit.* Cujus utique quadruplicem profert rationem: « Ex his, quæ dicta sunt, *inquit,* quatuor possunt rationes « elici, per quas Dominus immediate Confessionem, et expresse non « instituit: *prima* quidem, quia non oportuit: *secunda* vero, quia hoc « voluntarium esse debere docuit: *tertia*, quia est Sacramentum re- « cidivantium: *quarta*, quia quantum est de se, est opus humanum; « unde credo quod non per se instituit; et si dicatur instituisse, hoc « est intelligendum, insinuando, et auctoritatem dando ».

EXPENDUNTUR OBJECTIONES CALVINI, ILLIUSQUE ASSECLARUM. — OBJICIT CALVINUS, lib. 3. *Instit.*, n. 16. cap. 4. Deus impossibilia nec instituit, nec jubet: sed Confessio enumerativa omnium peccatorum est impossibilis: ac subinde non est a Deo instituta. *Probat minorem Calvinus variis Scripturæ sacræ auctoritatibus, maxime ex Psal. 19. et 38. ubi David testatur, se sua peccata non posse sigillatim recensere: « Delicta, inquit, quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine. Et iterum: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, etc. « Nimirum (inquit Calvinus) intelligebat Propheta, quanta esset peccatorum nostrorum abyssus, quam multæ scelerum facies, quot capita « ferret, et quam longam caudam traheret hæc hydra: non ergo ad recensendum catalogum se conferebat, sed de profundo malorum clamabat ad Dominum: Obrutus sum, sepultus sum, et suffocatus, inferorum portæ circumdederunt me, immersum alto puteo, deficientem, « et moribundum manus tua extrahat. Quis suorum peccatorum nunc « supputationem cogitet, ubi Davidem videt suorum numerum inire « non posse? »* Hæc Calvinus. — **Nego minorem:** tam enim possibilis est Confessio specialis et enumerativa peccatorum apud Sacerdotem.

quam apud Deum: sed Calvinus ipse num. 18. fatetur fieri posse accusationem omnium peccatorum coram Deo; ait enim: « Quid, inquires, ergo ne confitenda non sunt singula delicta? ergo nulla Confessio Deo accepta, nisi duobus istis verbis conclusa, *Peccator sum?* Imo vero danda potius opera, ut quantum in nobis est, totum cor effundamus coram Domino: nec modo nos peccatores uno verbo fateamur, sed ut tales nos vere et ex animo agnoscamus: quanta sit, et quam varia peccatorum labe, tota cogitatione recognoscamus, non modo nos immundos, sed qualis sit, et quanta, quamque in multis partibus nostra immundities: non modo debitores, sed quantis simus debitis gravati. et quot nominibus obstricti; non modo vulneratos, sed quam multis, et lethalibus plagis saucii simus: ita credimus ». Quibus fatetur non satis esse confiteri Deo generatim, et universim se peccatorem profiteri coram Deo, sed ultra necessum esse, ut post accuratum examen conscientiae, diligentemque peccatorum inquisitionem et discussionem, poenitens sua peccata coram Deo profiteatur. Nihil autem aliud ad Sacramentalem Confessionem requirimus, quam ejusmodi peccatorum accusationem coram Sacerdote cum ea praevia discussione, quam viri prudentes adhibere solent in rebus gravioris momenti.

INSTAT CALVINUS: Non potest poenitens, etsi omnem impendat animi contentionem, ad rationem vocare totius anni acta, et quid singulis diebus peccavit colligere; siquidem experientia unumquemque convincit, ubi ad vesperam excutienda sunt unius tantum diei delicta, memoriam confundi, tanta se turba, et varietas delictorum ingerit: igitur haec enumerativa Confessio singulorum delictorum est impossibilis. — **Distinguo antecedens:** si per delicta intelligas quoslibet hominis detectus, necnon et veniales culpas, quas utique necesse non est in Confessione aperire, valde difficile est, omnia totius anni delicta in memoriam revocare, *concedo:* si intelligas graviores culpas, quae in Confessione manifestari debent. *nego:* nullus enim est, qui adhibita diligenti disquisitione conscientiae facile non memoretur omnium graviorum criminum a se per anni curriculum patratum; si quae autem post illam diligentem inquisitionem crimina memoriam fugiant, poenitenti satis erit generatim de omnibus occultis et omissis confiteri. Cui utique assertioni refragari non potest Calvinus, cum dicat n. 18. quod cum peccator se totum coram Deo, per singulorum peccatorum accusationem effuderit, serio ac sincere cogitare debet, plura adhuc restare, ac profundiores esse malorum suorum recessus, quam quos poenitus excutere possit: atque adeo debet exclamare cum Davide: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine.*

URGET: « Illa saltem enumerativa Confessio turbat animae pacem, et fiduciam, ac spem in Deum: adducit quippe poenitentis conscientiam in dubitationem, curam et sollicitudinem, quod nempe in inquirendis suis delictis non satis temporis impenderit, non justa opera incubuerit, et multa per negligentiam praeterierit, quorum remissionem et Absolutionem non potuit obtinere: non igitur Deus illius Confessionis est auctor, quae est vera carnificina, crudeliter divexans animas eorum, qui aliquo Dei sensu afficiuntur ». — **Nego antecedens:** nam ille, qui omnem quam potuit adhibuit diligentiam

ad investiganda et confitenda sua peccata, habet certam animi tranquillitatem ac fiduciam, quod a Dei misericordia per Absolutionem Sacerdotis ejusmodi peccatorum veniam consequetur; inde pacatum habet animum, et cum fiducia accedit ad thronum misericordiæ, et Deo quem proum novit ad miserendum, impense famulari studet, ut irrogatam ipsi per peccatum injuriam pro viribus resarciat.

URGET TANDEM CALVINUS, lib. 3. *Instit.*, cap. 7. ante Concilium Lateranense, nullam fuisse legem Confessionis, in eoque Concilio, editæ legis *Omnis utriusque sexus* barbaries fidem abrogat: *Nam, inquit, quod jubent boni Patres, omnem utriusque sexus quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri, omnia peccata faceti homines lepide excipiunt, hoc præcepto teneri solos hermaphroditas, ad neminem vero spectare, qui sit mas, vel femina.* — **Respondeo:** Concilium Lateranense non statuisset ut fideles confiterentur; id enim jure divino statutum esse intellexerat; sed ut præceptum divinum Confessionis solum semel in anno ab omnibus et singulis ratione utentibus impleretur. Quod objicit Calvinus barbariem, frivolum est: *Primo*, quia Grammaticæ leges plerumque Ecclesia spernit. *Secundo*, quia frequens est hic loquendi modus, in Scripturis, Deuteronomii 7. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Judicum 8. *Circiter tria millia utriusque sexus.* 2. Paralipomenon 31. *Liberis eorum utriusque sexus.* *Tertio*, quia Plinius secundus vir disertissimus, lib. 1. *Illustrium virorum*, in Romulo hanc usurpat loquendi formulam: *Ludos, inquit, Circenses simulavit, ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, etc.*

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, A QUIBUS, ET DE QUIBUS, FIERI DEBEAT CONFESSIO EX PRÆCEPTO ECCLESIE.

NOTANDUM 1. Ecclesiam habere potestatem præcipiendi, aut saltem determinandi usum Sacramentorum, necnon et ea, quæ spectant ad eorum ministrationem, et susceptionem, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 21. cap. 2. ubi ita scribit: « *Declarat (sancta Synodus)* » hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum « dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, » quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, « pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judi- » caret... Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in admini- » stratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ » Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen pro- » gressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus » et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie com- » municandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam repro- » bare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet ». Quæritur ergo utrum ex hypothesisi, quod non esset præcepta Confessio faciendâ de jure divino, Ecclesia illam legitime præcipere potuerit, et de facto præceperit, ac determinaverit tempus, quo sit faciendâ. Circa quam resolutionem non consentiunt Theologi. Triplex enim est eorum capitalis sententia: *prima* est Durandi, in 4. dist. 17. q. 8. n. 7. docentis, Confessionem Sacramentalem, quatenus est accusatio omnium

peccatorum etiam interiorum, non posse præcipi ab Ecclesia, ac subinde aut non esse præceptum annuæ Confessionis pure ecclesiasticum, aut nullum esse præceptum, sed tantum consilium. *Secunda* sententia eorum est, qui docent, Ecclesiam non potuisse quidem præcipere ac determinare tempus faciendæ Confessionis, nisi jam illa facienda esset ex jure divino; unde præceptum ecclesiasticum Confessionis annuæ est tantum determinatio, modificatio, seu applicatio divini præcepti servandi hoc, aut illo determinato tempore. Ita docent Soto, in 4. dist. 18. q. 1. art. 1. concl. 1. et Canus in Relectione de Pœnitentia, par. 5. *Tertia* vero sententia eorum est, qui docent præceptum annuæ Confessionis, non esse solam declarationem aut determinationem juris divini, sed omnino ecclesiasticum præceptum, ad cujus observantiam tenentur omnes fideles.

NOTANDUM 2. Omnes Theologos (saltem paucis exceptis) convenire, quod Ecclesia non habeat directam auctoritatem aut potestatem circa actus pure interiores, et qui interius consummantur, quales sunt actus assensus vel dissensus intellectus, odii vel amoris, aut complacentiæ voluntatis in re prohibita vel illicita: Ecclesia enim in id potestatem directam non habet, quod nec prohibere potest, neque illius transgressionem punire, at transgressionem præcepti circa actus internos punire non potest: quia deduci non possunt ad ejus judicium; nec subinde illos actus potest præcipere. Utrum autem hujusmodi actus pure internos indirecte saltem, et ratione alterius præcepti servandi, præcipere possit, affirmat Doctor in 3. dist. 27., ubi agens de obligatione charitatis, ait, illius actum præcipi posse ab Ecclesia, quatenus ille eliciendus est, ut religiose festa præcepta serventur, et debitus eo tempore Deo cultus, qua decet reverentia, ei impendatur. Queritur itaque utrum Ecclesia directe, vel indirecte præcipere possit Confessionem omnium peccatorum, etiam interiorum.

NOTANDUM 3. Duplicem distingui posse obligationem alicujus præcepti servandi: *unam* quidem per se et immediatam, quæ videlicet oritur ex vi talis præcepti, idest, secluso omni alio præcepto, tam divino, quam humano. Sic per se præcepta est agenda Pœnitentia a peccatore, quando maxime occurrit et imminet mortis periculum. *Alteram* vero mediatam et per accidens, quæ non petitur ex præcepto ipsius rei, quæ fieri debet et impleri, sed dumtaxat ex præcepto alterius rei faciendæ, aut suscipiendæ, quæ debite non fieret, nisi aliud præmitteretur, tamquam prævia dispositio; sic Pœnitentia dicitur præcepta, quoties sumenda est Eucharistia ab homine, qui peccato mortali inquinatur, ne videlicet recipiens Corpus Christi indigne, judicium sibi manducet. Difficultas itaque est, utrum Confessio sit facienda per se ex præcepto Ecclesiastico, aut tantum per accidens, semel in anno, videlicet occasione implendi præcepti de suscipienda Eucharistia tempore Paschali.

Tria itaque hic sunt determinanda: *primum*, utrum Ecclesia directe et per se præcipere potuerit, ac revera præceperit, faciendam Confessionem: *secundum*, de quibus peccatis fieri debeat ista Confessio, ut fiat satis illi ecclesiastico præcepto: *tertium*, quinam teneantur ad hujusmodi præcepti observantiam.

Conclusio prima. — REVERA ECCLESIA PRÆCIPERE POTUIT AC DE FACTO PRÆCEPIT PER SE FACIENDAM CONFessionEM SINGULIS ANNIS.

Probatur utraque pars ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III, ubi statuitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: et injunctam sibi Penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ac minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis prædicetur, ne quisquam ignorantie cæcitate velamen excusationis assumat.* Quibus verbis duo determinantur: *primum*, quod sit facienda Confessio: *secundum*, quod sit facienda saltem semel in anno. Utrumque autem ab Ecclesia præcipitur, ut necdum liquet ex verbis hujus decreti, sed etiam ex gravi pœna, quæ transgressoribus ibidem infligitur; non enim solet Ecclesia tanta severitate animadvertere in filios, nisi propter transgressionem præcepti proprie dicti, et cujus observantia sit ad salutem necessaria. — Nec valet reponere cum Durando, severam illam Ecclesiæ animadversionem eos perstringere, non qui omiserint faciendam Confessionem, sed tantum qui neglexerint suscipiendam Eucharistiam tempore Paschatis. Hæc, inquam, responsio nulla est: *tum quia* vocabulum *alioqui*, quod est comminatorium pœnæ, ex æquo refertur tam ad Confessionem, quam ad Communionem; nec unam potius, quam alteram per se designat: *tum quia* non potest melius innotescere, quæ fuerit Concilii Lateranensis sententia, quam ex Concilio Tridentino: at ex hoc liquet, Lateranense præcepisse faciendam Confessionem semel in anno; ait enim Tridentinum, Sess. 14. Can. 8. *Si quis docuerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.* In quo utique Canone, ut apparet, nulla fit mentio Communionis Paschalis; ex quo colligere licet, Concilium significare, quod in Lateranensi Confessio præcipiatur, non tantum per accidens et mediate, quatenus videlicet est medium necessarium ad digne communicandum, sed etiam immediate ac per se; ita quod ad ejusmodi annuam Confessionem teneantur etiam, ii, qui aliunde excusarentur a præcepto Communionis; et consequenter ille peccaret duplici peccato, qui Confessionem annuam et Communionem in Paschate omitteret. *Adde quod* si præceptum faciendæ Confessionis non esset distinctum a præcepto suscipiendæ Eucharistiæ, sequeretur non esse quinque distincta Ecclesiæ præcepta, quod utique est contra communem fidelium sententiam.

DICES: Nulla lex potest præcipere actum, cujus transgressorem non potest juste punire: sed nulla lex humana potest juste punire illum, qui non confiteretur peccatum sibi soli notum. Quod utique probatur, quia non potest eum punire propter transgressionem, cujus non potest

esse nota transgressio: at Ecclesia non potest certo nosse, utrum peccator omnia occulta sua peccata, sive interna, sive externa confiteatur: igitur, etc. — **Nego minorem:** Ecclesia enim legitime præcipit faciendam Communionem, ut etiam fatetur Durandus, licet non possit interdum punire illius præcepti violatorem, puta si quis reciperet Eucharistiam ore tantum, non vero illam in stomachum trajiceret. Quod autem Ecclesia sæpe præcipiat ea, de quibus non potest facile judicare ac cognoscere in foro externo, nec subinde transgressores punire, apparet ex præcepto Horarum Canonicarum recitandarum singulis diebus a Clericis, necnon auditionis Missæ diebus Dominicis et festivis, et similium actuum, qui requirunt aliquam certam intentionem internam, quæ per externum opus satis aperte non manifestatur. Similiter quando tales actus præcipiuntur, qui necessario non debent fieri publice, nam posset quis dicere, se in occulto legem implevisse, quamvis revera illam non impleverit. *Respondeo secundo*, negari posse *minorem*: fieri enim potest, ut qui publica commisit crimina, nec ad proprium Sacerdotem accedit, si interim ille e vivis excedat; in eum ita non confessum potest animadvertere Ecclesia, et præscripta a Lateranensi Concilio poena eum mulctare. Hinc apparet, quam levi fundamento dubitaverit Durandus, an determinatio Concilii Lateranensis sit potius præceptum, quam consilium. *Adde quod* ipsemet Durandus in seipsum videatur militare; nam circa medium quæstionis subdit, Ecclesiam per auctoritatem Christi posse præcipere Confessionem; hoc enim dicere nihil est aliud, quam revera fateri Ecclesiam posse directe Confessionem præcipere per auctoritatem, quam habet; nam Ecclesia totam suam auctoritatem habet a Christo, ac subinde omnia, quæ præcipit circa susceptionem, aut administrationem Sacramentorum, præcipit auctoritate Christi. — *Ex his* itaque liquet, quod etsi Confessio non esset facienda ex jure et præcepto divino, eam Ecclesiæ præcipere posset. At vero cum sit jure divino præcepta, saltem aliquando in vita facienda, quando videlicet peccator tenetur recurrere ad remissionem peccatorum per Absolutionem Sacramentalem obtinendam; ideoque Ecclesia merito jure determinavit certum tempus, in quo debeat divinum illud præceptum adimpleri, ut docet Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. circa finem ibi: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat: sed ut præceptum (divinum) Confessionis ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenisserent, impleretur.* Consonat Doctor Subtilis, l. dist. 17. n. 14. *De tertio articulo dico, quod Ecclesia præceptum illud (divinum Confessionis) quantum ad aliqua predictorum non specificavit, et quantum ad aliqua specificavit. Præcipua autem specificatio hujus præcepti invenitur in illo capitulo, Extra de Pœnitent. et Remiss. Omnis utriusque sexus. Et infra n. 28. Quoad quando, Ecclesia determinavit præceptum (divinum Confessionis) scilicet semel in anno. Non ait Doctor: Ecclesia præcepit Confessionem, sed determinavit præceptum, scilicet divinum.*

PETES 1. *Utrum, si Confessio non esset jure divino facienda, nec a Christo præcepta, eam præcipere potuisset Ecclesiæ?* — **Respondeo**, quod si Confessio sacramentalis a Christo solum fuisset instituta, et

pro arbitrio faciendâ, vel omittendâ, illam Ecclesia non potuisset præcipere, qualis de facto præcipitur, nempe ut fiat de omnibus peccatis mortalibus, etiam occultis; idque non solum quia, ut volunt aliqui, Ecclesia caret potestate, saltem directâ, circa actus mere internos; hoc enim, ut statim diximus, non est adeo certum; sed quia Ecclesia non potest præcipere rem tantæ difficultatis, qualis est Confessio omnium peccatorum mortalium, nisi aliunde haberet unde ejusmodi difficultatem alleviaret; quemadmodum revera alleviatur ac minuitur ratione effectus remissionis, et sanctificationis, ac renovationis interioris hominis, quæ fit per gratiam sanctificantem collatam in Absolutione sacerdotali: sed Ecclesia non habet ex se, quod hujusmodi gratiam sanctificantem propria virtute conferre possit, ac subinde nihil habet, unde possit illam difficultatem delinire, alioquin ex se haberet vim instituendi aliquid Sacramentum, cujus contrarium declaravimus Disp. Procœmiali: igitur si non obstante vi et efficacia hujus Sacramenti, quod est reconciliatorium Deo, quam interdum in viris piis, et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet, ut loquitur Tridentinum, Sess. 14. cap. 3. si, inquam, his non obstantibus, multi sunt ex Catholicis, qui præ nimia verecundia non implent divinum præceptum Confessionis, quod Ecclesia declaravit, saltem semel in anno esse implendum, quanto magis ab ejusmodi præcepto implendo deterrentur, si inde non esset certe speranda peccatorum remissio?

Hanc rationem approbat Doctor; quippe dist. 17. n. 9. impugnans sententiam eorum, qui dicunt Confessionem non obligare, nisi ex præcepto Ecclesiæ, ait: « Id non posse faciliter improbari, nisi quia vel « Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus « Christianis, nisi esset præceptum divinum, etc. » Quibus significat, nimiam esse difficultatem in ipso præcepto implendo, ut ab Ecclesia sola præscribatur, nisi aliunde a Christo Domino jam statutum fuisset. Fatendum est ergo, quod quemadmodum Ecclesia non potest præcipere alicui, ut profiteatur statum religiosum, quem Christus Dominus voluit esse liberum, propter annexam difficultatem ipsi statui, quamquam aliunde varias utilitates habeat; ita nec propter ejusmodi difficultatem potuisset præscribere hominibus obligationem confitendi peccata, si Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum instituendo, ac implicite saltem Confessionem designando, illius usum penes Pœnitentium libertatem et arbitrium reliquisset.

DICES: Cujus est præscribere tempus aliquid faciendi ex potestate ordinaria, ejusdem est ex eadem potestate præcipere substantiam actus, cum tempus accessorie ad actum præcipiatur, tanquam ipsius circumstantia: sed Ecclesia, ut mox dictum est, potest præscribere et revera præscripsit tempus faciendæ Confessionis: igitur illius usum etiam præscribere potest. — **Distinguo majorem:** quando substantia, et exercitium hujus actus non superat communiter humanam facilitatem, *concedo*: quando superat, *nego*. Et similiter *distincta minore, nego consequentiam:* circumstantia enim temporis faciendæ Confessionis non superat communiter humanam fragilitatem; secus est autem de substantia actus; nam, ut optime ait Coninch., disp. 5. *De Pœnitentia,*

dub. 4. n. 42. Confessio omnium peccatorum mortalium in pluribus casibus multis est valde difficilis; ita ut plurimi eam horreant tanquam mortem, et mallent fere mori, quam quædam peccata confiteri, atque vix ulla arte ac timore inferni proposito, possunt ad Confessionem induci, et inter confitendum sentiunt tales angustias, quales experiuntur capitæ supplicio damnati: atqui, nisi sit maxima quædam, ac fere extrema necessitas, potestas humana non potest rem adeo difficilem præcipere: ergo cum eo casu (quo videlicet Sacramentum Confessionis esset liberum a præcepto divino) non esset hic talis necessitas, non posset Ecclesia eam Confessionem præcipere.

PETES 2. *Unde sit inchoandus annus, intra quem viget præceptum Ecclesiæ de faciendâ annuâ Confessione?* — **Respondeo**, annum illum posse computari ab uno Paschate ad illud sequens; vel ab una Quadragesima in aliam sequentem; vel a die, quo emissa est ultima Confessio, ad eundem diem anni sequentis; communior tamen et verior sententia est, illum annum esse computandum, juxta communem supputationem a prima die Januarii usque ad ultimam Decembris. Prima pars constat, quia quocumque ex his tribus modis assignatus ducatur exordium anni, si intra illud spatium peccata quis confiteatur, recte dicitur satisfacisse præcepto annuæ Confessionis per Lateranense Concilium præscripto. Hoc tamen intellige de præcepto et obligatione per se, quæ scilicet oriatur ex vi et efficacia ipsius præcepti faciendæ Confessionis; contingere enim potest, ut per accidens, hoc est, ratione præcepti suscipiendæ Eucharistiæ, aliquis teneatur iterum confiteri in quindena Paschatis, quo tempore viget præceptum faciendæ Communionis; si nempe aliquo mortali peccato laboret, nec possit ad sacram Synaxim accedere, nisi prævia Confessione facta et suscepta Absolutione Sacramentali.

Posterior tamen pars communior est et securior; verba enim legis accipienda sunt sicuti sonant, nisi aliunde aliquid obstat: hinc quando Ecclesia præcipit faciendam annuam Confessionem, annus debet accipi secundum communem supputationem, quæ est a prima die Januarii usque ad ultimum Decembris.

PETES 3. *An qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initio anni sequentis?* — **Respondeo**, id videri probabilius; quando enim tempus non præscribitur, ut terminus, quo præceptum, expirat, sed tantum ultra quod protendi ac differri non debeat talis præcepti executio, adhuc elapso illo tempore, præceptum istud obligat. Sic quando præfigitur certum tempus alicui debitori ad solvendum debitum, transacto eo tempore, debitor ille manet semper obligatus ad solvendum illud debitum; quippe cum tempus non fuit illi præfixum, ut in eo debitum expiraret, sed ne ultra illud debiti solutio differretur. Sed præfata constitutione Concilii Lateranensis tempus anni non ponitur ut terminus, quo præceptum expiret, sed ultra quod differri non debeat adimpleto præcepti Confessionis; verba enim illa, *ut saltem semel in anno confiteatur, æquipollent, ne ultra annum confiteri differat.* — Unde non tantum est præceptum affirmativum semel confitendi singulis annis, sed etiam negativum, scilicet non differendi

ulterius; quod utique præceptum transgreditur, qui non statim elapso anno confitetur, cum jam tam salubre remedium ac medicamentum, ultra quam par sit, differat. Ex quibus patet, discrimen esse inter præceptum faciendæ Confessionis singulis annis, et præceptum recitandi Horas Canonicas, audiendi sacrum diebus Festivis, et Dominicis, necnon et suscipiendæ Eucharistiæ tempore Paschatis; in his enim præceptis tempus præscribitur, tamquam terminus illius executionis, cui annexa sit obligatio illud opus implendi, tamquam tributum illius diei et temporis; unde præceptum Communionis Paschalis, utpote specialiter latum, propter reverentiam, et celebritatem illius temporis, expirat cum ipso tempore; sicuti præceptum audiendi Missam expirat cum die Dominico et Festo.

PETES DENIQUE: *Utrum qui prævidet se non posse confiteri reliquo anni tempore; quia videlicet navigaturus, aut peregrinaturus in remotam regionem, ubi non habebit Confessionis copiam, teneatur statim confiteri, antequam auspicietur illam navigationem, aut peregrinationem?* — **Affirmo**; cujus utique ratio est facilis; cum enim præceptum de faciendâ Confessione sit præscriptum pro toto anno, et pro qualibet anni parte, consequens est, quod in qualibet parte anni possit impleri: ergo qui non potest in aliis anni partibus illud implere, tenetur hic et nunc ei satisfacere; sic qui non potest audire Missam die Festo hora undecima cum sesqui, tenetur illud tempus anticipare, quoniam videlicet totum tempus antemeridianum præscriptum est pro implementatione illius præcepti.

DICES: Qui prævidet se impediendum die festo ab auditione Missæ, non tenetur adesse die Sabbati; similiter qui prævidet se præpediendum a jejuniis die Sabbati, non tenetur illud tempus anticipare jejunando die veneris: igitur pari ratione, qui prævidet se impediendum ab implendo præcepto faciendæ Confessionis per reliquum anni spatium, non tenetur illud tempus anticipare. — **Nego paritatem**, et ratio disparitatis est, quod obligatio audiendi Missam, aut jejunandi non incipit ante diem illum præfixum, quo videlicet huic præcepto faciendum est satis; unde quantumvis tempus illud præveniret, minime tali obligationi satisfaceret; secus autem est de obligatione confitendi; hæc enim cum sit annua, incipit a primo die anni, et ad ultimum usque diem perseverat; non quod revera illa obligatio debeat impleri illo primo die; sed quod mihi liberum sit primo die ei satisfacere, si ita velim, ac proinde dum prævideo me aliis diebus illud debitum non posse exolvere, teneor illud implere ipso primo die, quo id licet et juvat.

Conclusio secunda. — SOLI, ET OMNES BAPTIZATI, POSTQUAM AD ANNOS DISCRETIONIS PERVENERINT, TENENTUR AD PRÆCEPTUM ANNUÆ CONFESIONIS, SI ALIQUO MORTALI PECCATO INFICIANTUR. Ita Lateranensè Concilium (ut patet ex ejus verbis in præcedenti Conclusionè laudatis) quæ Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. ita interpretatur: *Neque enim per Lateranensè Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab*

omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impletur. Igitur illi omnes, et soli obligantur tum divino, tum ecclesiastico præcepto ad Confessionem faciendam, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. An autem jure divino infideles teneantur ad Confessionem, saltem semel in vita faciendam; ac subinde peccent mortaliter, non solum propter neglectum Baptisma, sed etiam propter non susceptum Pœnitentiæ Sacramentum, videtur affirmare Dôctor, dist. 17. n. 29. ubi ait: *Quod si Confessio esset tantum præcepta jure ecclesiastico, non videretur quod infideles tenerentur ad præceptum de Confessione, quia secundum Apostolum 1. Cor. 5. Quid mihi est de iis, qui foris sunt, judicare?*

Id autem aperte docet Richardus, in 4. dist. 17. art. 2. Sylvester verbo *Confessio*, necnon et Hiquæus in suo Commentario, ad dist. 17. Doctoris, ubi suam assertionem sic probat: Lex Evangelica, inquit, promulgata est tam fidelibus, quam infidelibus, sicut et remedia illius legis, qualia sunt Sacramenta, et eorum præcepta: ergo comprehendit tam fideles, quam infideles. *Antecedens constat. Consequentia probatur:* ad obligationem legis aut præcepti in genere, quod spectat ad substantiam legis, non requiritur, quod præceptum pro omni statu, materia et circumstantia, loquendo de affirmativo, adimpleatur; sed sufficit quod in statu determinato, materia, tempore, et circumstantiis determinatis: sed hoc non tollit, quin aliquis obligetur lege, licet numquam occurrat ei tempus, in quo præceptum legis affirmativum adimplere debeat, aut materia, quam determinat: ergo potest stare obligatio legis et præcepti, quamvis ad exercitium actus non obliget, nisi ex conditione prærequisita, quam lex ipsa determinat. *Major patet;* quia ipsa lex implicat illam conditionem determinatam, quæ potest non poni, aut non concurrere. *Minor probatur:* ex legi naturali quilibet tenetur succurrere proximo extreme indigenti, dum potest; quamvis autem non occurrat casus adimplendi hoc præceptum, non inde sequitur, quin quisque teneatur lege. Similiter quisque tenetur pro Republica vitam et bona exponere, quamvis necessitas determinata, in qua tenetur ad hæc, in exercitio non occurrat. Sic tenetur fidelis ad Confessionem fidei, et vitam commutandam pro ejus defensione coram tyranno, si occurrat casus, et sic de cæteris: ergo obligatio legis non tollitur, neque confunditur cum exercitio operis præscripti, quamvis circumstantia particularis operis perficiendi non occurrat. Sed eodem modo obligatur infidelis ad Legem Evangelicam, ejusque præcepta, quamvis non pro statu infidelitatis retentiæ, quia sic nequit aliquod ejus præceptum positivum, ut est proprium hujus legis, adimplere (quia neque fidei, quæ est fundamentum cæterorum, neque Baptismi, qui est Sacramentum fidei) saltem fructuose quantum ad salutem. Hucusque Hiquæus. Et continuo adjungit: quidquid ad hæc dicatur, præceptum Eucharistiæ comprehendit infideles, quamvis hoc præceptum pro statu infidelitatis nequeat adimpleri.

SI RESPONDEAS, Infidelem suscepta fide et Baptismo, posse sumere Eucharistiam, non ita Sacramentum Pœnitentiæ, nisi peccaverit post Baptismum: non tenetur autem peccare, sicut tenetur suscipere Fidem et Baptismum. — **Contra facit,** quod sic neque omnes fideles teneantur præcepto Confessionis, sed solum illi, qui baptizati morta-

liter peccaverunt. Imo, inquit Hiquæus, neque in illo statu unquam fuit obligatio Pœnitentiæ, nisi ratione peccati mortalis personalis, ut supponit Tridentinum, Sess. 14. cap. 1. et 4. Cum tamen præceptum Pœnitentiæ omnes obligabat, non in exercitio, nisi ex suppositione peccati, si fieret. Sicut ergo præceptum Eucharistiæ obligat infideles, ut ita dicam, in actu signato, quamvis non in exercitio, nisi adimpleatur conditio prævia, nempe per susceptionem Fidei, et Baptismi, et in ætate adulta; sic etiam præceptum Pœnitentiæ obligat infideles, supposito Baptismo, et materia ipsius Pœnitentiæ, nempe peccato post Baptismum actuali mortali. Sed hoc etiam sufficit, quia non aliter obligat fideles, quos tamen obligat secundum omnes, non in exercitio, nisi supponatur peccatum tale. Unde si hæc ratio eximat infideles ab obligatione præcepti, quia in eo statu non possunt habere actum, per quem adimpletur præceptum, sic etiam eximendi sunt ab ejus obligatione fideles justi pro statu justitiæ. *Respondeo*: Plane eximendi sunt fideles justi pro statu justitiæ, et ab omnibus eximuntur, qui dicunt, præceptum divinum Confessionis obligare solos illos, qui baptizati mortaliter peccaverunt. Neque usquam Tridentinum insinuat, Pœnitentiam esse omnibus fidelibus necessariam; sed, ut loquitur Sess. 14. cap. 1. *Universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent*. Sed neque Scotus obligat omnes fideles ad confitendum, ait enim 4. dist. 17. n. 18. « De secundo articulo dico, quod hoc præceptum includit quis debet confiteri, quia adultus ». Nunquid omnes? Sequitur: idest, habens usum rationis, et cognoscens peccatum, quod commisit, puta in Baptismo, vel post Baptismum; quia illud solum est materia confessionis. Igitur Hiquæus non videtur ratiocinari conformiter ad ipsius Doctoris principia, neque illius argumentum plurimum urget: plurimi namque negant, infideles teneri præcepto divino ad sumendam Eucharistiam.

Et insuper discrimen intercedit inter obligationem ad Sacramentum Eucharistiæ et Pœnitentiæ; non enim aliter obligatur quis ad confessionem ratione præcepti sumendæ Eucharistiæ, quam quia illa est medium ad ejusmodi susceptionem ab homine, qui reus est alicujus peccati mortalis, quia digne ac debite non potest ab eo suscipi Eucharistia, nisi prius obtinuerit remissionem peccati mortalis; quam utique habere non potest sine Confessione, et Absolutione in re vel in voto. Concludendum ergo, quod præceptum divinum Confessionis per se duntaxat dirigitur ad baptizatos, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt; ac subinde infideles non comprehendit; nec consequenter novi mortalis peccati rei censendi sunt, propter omissam Sacramentalem peccatorum accusationem.

Verum, quidquid sit de præcepto divino respectu infidelium, certum est saltem eos non teneri ad annuam Confessionem; quippe cum hæc obligatio tantum oriatur ex auctoritate et præcepto Ecclesiæ. Porro Ecclesia nullam auctoritatem habet in infideles nondum baptizatos, ut docet Apostolus, 1. ad Cor. 5. *Quid mihi est de iis, qui foris sunt, judicare?*

Quod autem omnes adulti, etiam pueri, statim ac ad annos discretionis pervenerint, teneantur ad Confessionem annuam ex præcepto ecclesiastico, aperte colligitur ex Conciliis Lateranensi et Trid. ubi

decernitur, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, confiteatur; illæ enim voces complectuntur etiam omnes pueros fideles baptizatos, usus rationis compotes, peccati mortalis reos, et sibi conscios; illi namque ad annos discretionis pervenerunt, quia discernere possunt bonum, et malum, pudeferi de mendacio, vel alio simili peccato, laudare pietatem, et alias virtutes sibi notas. Unde Doctor, d. 17. n. 24. inquirens, quis teneatur ad præceptum annuæ Confessionis; « quantum ad *quis*, *inquit*, Ecclesia specificavit, quia peccator adultus, « postquam scilicet ad annos discretionis attigerit, etc. Et nihil aliud « est, quam adultus secundum intellectum prius assignatum, *puta* n. 18. *ubi ait*: per quem adultum non intelligo tantæ, vel tantæ ætatis: « sed quod habeat ætatem ad cognoscendum justum, vel injustum « contra legem Dei ». Quibus verbis Doctor nullum adultum excipit a Lege Ecclesiastica faciendæ annuæ Confessionis; ac subinde infert ad eam teneri omnes etiam pueros rationis compotes. Et merito quidem; quia distinguere non debemus, ubi lex ipsa non distinguit; odiosum enim est distinguere, ubi jura non distinguunt: at ea Lex Concilii Lateran. ab universali statuto fideles omnes obligante, non excipit pueros, nec eos distinguit ab aliis fidelibus: igitur cum communi sententia dicendum est, pueros rationis compotes, ac mortalis peccati reos obligari ad annuam Confessionem, statim ac ad annos discretionis pervenerint.

DICES: Ex statuto Lateranensi æqualiter præcipitur Confessio, et Communio: atqui Communio non obligat pueros statim atque pervenerint ad annos discretionis: ergo nec confessio. — Respondet Lugo, disp. 15. n. 151. ex ipsis verbis colligi diversitatem; nam communio præcipitur cur illa limitatione: *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Hæc autem rationabilis causa prudenter æstimatur esse, quamdiu nondum plene agnoscit dignitatem hujus Sacramenti, ut ad illud cum debita reverentia accedat. Quamquam non desint Auctores, qui affirmant, idem esse tempus discretionis ad Confessionem et Communionem, ita ut quilibet puer, cum ad annos discretionis venit, et obligatus est lege Confessionis, obligatus etiam sit recipere Eucharistiam, nisi expresse tempus a Confessario prorogetur. Ratio præcipua est, quia æqualiter imponitur omnibus fidelibus præceptum Confessionis annuæ, et Communionis Paschalis. Additur autem illa limitatio: *Nisi forte*, etc. quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus Communionis, quam Confessionis.

Quo autem anno præcise incipiat hæc obligatio, et sufficiens adsit in pueris usus rationis, non potest a nobis certo determinari; nam (*inquit* Doctor n. 18.) in multis ante ætatem consuetam (*puta* ante annum septimum) malitia supplet ætatem, et non tantum in malis, ut dicunt communia verba, quia forte habet citius prudentiam ad malum, unde dicitur doli capax; sed etiam in bonis, juxta illud in legenda S. Agnetis: fides non in annis computatur. Unde etiam Concilium Lateranense nullum certum ætatis annum determinavit, sed absolute dixit: postquam ad annos discretionis pervenerint; relinquens Pastorum ac Confessariorum discretioni et judicio, ut istud decernant,

ac determinant; fit enim plerumque, quod aliqui anno suæ ætatis septimo, ingenio maturiores sint, et de rebus fidei melius ac perfectius informati, quam alii anno duodecimo. Hinc apposite Catechismus Romanus, 2. cap. 17. n. 33. ait: *Primum ex Concilii Lateranensis canone, cujus initium est: omnis utriusque sexus, perspicitur, neminem Confessionis legi adstrictum esse ante eam ætatem, qua rationis usum habere potest; neque tamen ea cetas aliquo annorum numero definita est, sed illud universe statuendum videtur, ab eo tempore Confessionem puero indictam esse, cum inter bonum et malum discernendi vim habet, in ejusque mentem dolus cadere potest, nam cum ad vitæ tempus quisque pervenerit, in quo de salute æterna deliberandum est, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet, cum aliter salutem sperare nemini liceat, qui scelorum conscientia premitur.*

Conclusio tertia. — PROBABILE EST, EUM, QUI DUMTAXAT VENIALIUM PECCATORUM REUS ESSET, NON TENERI EX PRÆCEPTO ECCLESIASTICO AD ANNUAM CONFESIONEM. Hæc est Doctoris, dist. 17. n. 25. ubi ait: « Dico igitur, quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus: nullus tenetur ad confessionem venialium in quocumque casu: nec in hoc Ecclesia specificavit præceptum de Confessione; et hoc rationabiliter, quia ipsa utitur Sacramento Pœnitentiæ, tamquam tabula secunda contra naufragium, quod non est in venialibus. Nec aliquis tenetur ad aliquam Contritionem de venialibus: imo in actuali voluntate, vel actus venialis moriens, salvabitur, vapulabit tamen: non videtur autem, quod aliquis teneatur ad secundam partem Pœnitentiæ, quæ est Confessio, de quo non teneatur habere Contritionem, vel Attritionem. Hæc etiam patet ex alio, quia (sicut supra dictum est) venialia delentur totaliter quantum ad culpam, et pœnam, quandoque sine aliquo opere speciali; sicut per actum ferventem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta consumitur a flamma vehementi.

« SI QUÆRAS, quomodo ergo Sacerdos cognoscet vultum pecoris sui, si ille qui dixit se vixisse innocenter, non tenetur confiteri venialia sua? — Respondeo, si quis sibi confiteretur, et solum venialia, ex quo cognoscet, ipsum non fecisse nisi sola venialia? Ex nullo, nisi ex Confessione sua. Unde extrav. de offic. ordinarii, cap. significavit: *Confitenti pœnitentialiter in omnibus credendum est, quia non est verisimile, quod quis sit immemor suæ salutis:* ergo sibi eodem modo credat venienti, et dicenti: Domine regrator Deo, quia ex quo fui ultimo confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali: date mihi Eucharistiam; et in ista Pœnitentia tantam habet cognitionem vultus pecoris, quantam si narrasset venialia sua per duos dies: nec aliam certitudinem posset habere de propriis venialibus si confiteretur, quam modo habet de innocentia ejus, scilicet per proprium testimonium ejus ». Hæc Doctor. Quibus aperte docet, eum qui dumtaxat haberet peccata venialia, non teneri ad annuam Confessionem, ex præcepto Ecclesiæ. Idem docet S. Th., in hac dist. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3. ad 3.

Et probatur insuper primo, quia ex vi statuto Concilii Lateranensis, tenentur omnes fideles omnia sua peccata confiteri: sed nemo

potest omnia venialia confiteri, nec propter eorum multitudinem illa in memoriam reducere; ac subinde mens Concilii non fuit nomine peccatorum complecti venialia. *Deinde*, gravissima pœna infligenda præscribitur iis, qui tale præceptum non implent, nempe ejectio ab Ecclesia, et privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, ut supra diximus: sed non videtur æquum, aut rationi consentaneum, ei qui peccata venialia confiteri recusaret, pœnam adeo gravem infligere: ergo idem quod prius. *Demum*, ut supra ostendimus, præceptum ecclesiasticum de annua Confessione est determinatio præcepti divini: atqui præceptum divinum non obligat, nisi ad confitenda mortalia: ergo nec ecclesiasticum. *Minor constat ex Concilio Trid., Sess. 14. c. 5., ubi dicitur: Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter, citra omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

DICES: Finis Confessionis Sacramentalis annuæ est, ut accedatur ad Eucharistiam majori cum reverentia, necnon ut Pastor ipse suas oves cognoscat: sed ad utrumque confert venialium Confessio, nam ex notitia venialium, Pastor animam sui subditi, et statum conscientiæ intelligere non obscure potest, ut salutaria det ei monita, ipsaque muniat adversus futura peccata, etiam mortalia; et similiter immunitas venialibus maxime confert ad dignam Eucharistiæ susceptionem: igitur hæc, etsi sola sint, tamen sunt confitenda. — **Respondeo**, majorem esse veram ex congruitate, non vero ex necessitate, nam ut Pastor sui pecoris vultum agnoscat, et ovis sibi commissæ statum ac conscientiam percipiat, satis est quod in tali casu pœnitens se ostendat Sacerdoti, dicatque se non habere conscientiam ream alicujus mortalis. Similiter, ut quis digne accedat ad Eucharistiam, et absque omni defectu etiam veniali, non est necesse, quod ejusmodi venialia peccata confiteatur; quippe cum per alia remedia possint expiari, ut statim diximus ex Concilio Tridentino.

PETES: *Utrum Ecclesia possit præcipere Confessionem venialium?* — **Affirmant communiter Theologi**, idque probant: *primo*, quia videtur illud de facto fuisse præceptum Religiosis S. Benedicti in *Clementina*, *Ne in agro Dominico*, ubi decernitur: *Ne in agro Dominico, sacro videlicet Monachorum nigrorum (idest Benedictinorum) Religionem indecorum aliquid obrepit, aut vitiosum quidquam perniciose in segetem coalescat, sed ut in illa potius flores honoris, et honestatis fructus in ubertate succrescant in eis, etc. En Causa Constitutionis. Sequitur constitutio: Sane singulis mensibus, tam in Monasteriis, quam extra (sublata occasione quacunque) ad Confessionem semel accedant omnes, et et singuli Monachi. Et in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent: nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasterii non differant intimare, eorumque judicio vel abstineant, vel recedant.* — Quamquam autem in ea Constitutione non fiat mentio peccatorum venialium, attamen, inquit Canus relect. *De Pœnit.*, c. 5. et Navarrus, *De Pœnit.*, dist. 6. cum eis Religiosis præcipiatur, ut confiteantur singulis mensibus, consequens est, illos teneri ad confitenda peccata venialia, si alia non occurrant. Verum hæc ratio

mihî videtur infirma, illa namque Constitutio absolute non obligat ad faciendam Confessionem singulis mensibus, sed tantum ex hypothesi, quod ipsi Religiosi confessione opus habeant: si enim in nullum prorsus laberentur peccatum, haud dubium est, quod ad confessionem virtute illius Constitutionis non tenerentur, ac subinde supponit Summus Pontifex, ipsos Religiosos egere confessione, ut peccatorum remissionem obtineant; cum autem venialia remitti possint sine Confessione, inde consequens est, mentem Summi Pontificis non fuisse, ut Benedictini virtute hujus Constitutionis teneantur ad Confessionem venialium, ita quod peccatum inobedientiæ incurrant, si ejusmodi venialia peccata non confiteantur.

Sed quidquid sit de hac Constitutione, probabilius apparet Ecclesiam posse præcipere Confessionem venialium: *tum quia* interdum Ecclesia fert aliquam censuram pro veniali peccato, scilicet minorem excommunicationem, ad cujus censure Absolutionem necessaria est manifestatio talis peccati: *tum quia* confiteri peccata venialia est actus virtutis Pœnitentiæ; ergo cadere potest sub præcepto, Ecclesia enim præcipere potest omnem actum virtutis: *tum denique quia* Confessio venialium plurimum conducit ad profectum spiritualem, quippe cum propositum efficax involvat peccatum veniale, in quod homo solet cadere, extirpandi, ut suadet experientia in iis, qui venialia peccata confitentur; licet enim non confiteantur omnia, sed dumtaxat ea, quæ ipsi volunt, nihilominus hoc magnum eis frenum est, et remedium ad corrigendos defectus ordinarios et peccata levia.

DICES: Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti, ac subinde non potest facere materiam necessariam, quæ ex institutione Christi non est necessaria: sed si præciperet Confessionem venialium, mutaret materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia materiam non necessariam et liberam, revera necessariam efficeret; siquidem suo præcepto constitueret, ut peccata venialia, quæ non sunt necessario confitenda, necessario de facto confiteri deberent: igitur peccatorum venialium Confessionem Ecclesia præcipere non potest. — **Respondeo**, negando *minorem*; quamvis enim Ecclesia præciperet Confessionem venialium, non mutaret propterea materiam Sacramenti Pœnitentiæ a Christo institutam; quoniam ejusmodi materia est peccatum, non tantum mortale, sed etiam veniale; quam utique materiam revera mutaret, si illud quod est peccatum, declararet, non esse materiam Confessionis; vel quod peccatum non est, declararet esse ejusdem Confessionis materiam: secus autem est in proposito, nam Ecclesia suo præcepto faceret, materiam esse necessariam, quæ alias erat quidem sufficiens, licet libera.

URGEBIS: Sacramentum Pœnitentiæ per se primo ordinatur ad remissionem culpæ: igitur illa culpa, ad cujus remissionem non est necessarium hoc Sacramentum, qualia sunt peccata venialia, non potest fieri materia necessaria hujus Sacramenti. — **Distinguo consequens**: non potest fieri materia necessaria, ita ut sine illa non possit unquam ministrari hoc Sacramentum, *concedo*: ita quod non fiat materia necessaria, quæ hic et nunc debeat remitti virtute hujus Sacramenti, *nego*.

QUÆSTIO TERTIA.

QUALIS ESSE DEBEAT CONFESSIO, UT SIT PERFECTA.

NOTANDUM 1. Veteres Theologos ad perfectam Confessionem, sexdecim conditiones desiderasse, sequentibus versibus expressas :

*Sit simplex, humilis, Confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.*

Quas omnes conditiones præclare expendit Seraphicus Doctor in 4. dist. 21. p. 2. dub. 3. in *explicatione textus Magistri*. « Sufficientia
« autem, *inquit*, et numerus harum conditionum potest accipi sic :
« quædam enim sunt conditiones, quæ sunt et debent esse in Con-
« fessione secundum sui rectam quantitatem. Quædam secundum
« rectum ordinem et societatem. Quædam secundum rectam qualita-
« tem, et secundum rectam quantitatem. Et hoc tripliciter: aut quantum
« ad integritatem, aut quantum ad numerositatem, aut quantum ad
« diuturnitatem; et sic sunt tres conditiones, scilicet, quod sit *integra*,
« *frequens*, et *accelerata*. Si quantum ad associationem, sic debet habere
« duarum societatem partium, scilicet Contritionis, et Satisfactionis.
« Quantum ad Contritionem sit *lacrymabilis*; quantum ad Satisfactio-
« nem sit *parere parata*. Vel quantum ad utrumque, et sic *fortis*. Quan-
« tum ad qualitatem, aut ipsius Confitentis, aut Confessionis. Si Confiten-
« tis, sic sunt quinque conditiones: secundum vim rationalem, est *sim-*
« *plex*; secundum concupiscibilem, debet esse *libens*; secundum irasci-
« bilem, *humilis*: in sermone *fidelis*; et in signo *verecunda*; et sic sunt
« quinque. Si in se consideretur, sic debet esse *pura*, ut nihil inter-
« misceat; debet esse *nuda*, ut nihil celatum teneat; quantum ad cir-
« cumstantias, debet esse *discreta*, ut nihil addat; debet esse *secreta*,
« ut aliis non noceat; debet esse *accusatoria*, ut seipsum puniat. Et
« sic sunt tres ex parte quantitatis, tres ratione adjuncti, quinque ra-
« tione subjecti, et quinque ratione sui; et sic in universo sunt sex-
« decim ». Ita Seraphicus Doctor.

NOTANDUM 2. Harum omnium conditionum hunc sensum esse, quod Confessio debeat esse *primo, simplex*, idest, verbis ingenuis, non autem artificiose concinnatis edita, ut ea ratione aliquid occultetur, vel ut pœnitens disertus et eloquens appareat, quod utique vanum esset, et omnino perversum: *secundo, humilis*, idest, cum animi abiectione et humilitate, quæ appareat tam in verbis, quam in compositione et habitu corporis: *tertio, pura*, idest sine ulla adjunctione rerum inutilium ad accusationem, quo spectat, ut unusquisque propria, non vero aliena confiteatur: *quarto, fidelis*, idest, vera, et sine mendacio, quia in Confessione, nec dici debet quod factum non est, nec negari quod commissum est: *quinto, frequens*, idest, quod sæpius fiat, nec post diuturnum tempus protrahatur, ne videlicet plurima peccata excidant e memoria: *sexto, nuda*, hoc est, distincta et clara, ne peccati gravitas aut species occultetur, et unumquodque peccatum juxta gravitatem, ut probabiliter existimatur, a pœnitente proferatur: *septimo, discreta*, idest, honesta et debitis verbis explicata: *octavo, libens*, hoc

est, voluntaria, ut nempe fiat ex animi deliberatione propter Deum placandum, et peccati veniam obtinendam: *nono, verecunda*, idest, confusionem, ac animi verecundiam propter peccati turpitudinem præferens, ne videlicet quis peccata sua, quasi fabulam recitet et enuntiet: *decimo, integra*, hoc est omnia prorsus peccata tam quoad numerum, quam quoad speciem, et aggravantes circumstantias referens: *undecimo, secreta*, idest, ut fiat solum secreto, non autem publice, sed etiam, ut sit auricularis, et uni dumtaxat Sacerdoti: *duodecimo, lacrymabilis*, hoc est, ut dolorem de peccatis commissis annexum habeat: *decimo tertio, accelerata*, idest, quod fiat statim atque sese post admissum peccatum obtulerit occasio suscipiendi Absolutionem: *decimo quarto, fortis*, ne videlicet ob timorem, et verecundiam, aliquid ex necessario dicendis omittatur: *decimo quinto, accusans*, hoc est, in seipsum, non vero in dæmonem, aut tentationem crimen admissum refundat. *Denique, quod sit parere parata*, hoc est, quod pœnitens habeat animum implendi ea, quæ sibi a Confessario præscribentur in satisfactionem et expiationem delictorum. Ex his autem omnibus conditionibus plurimæ invicem conveniunt, et dumtaxat spectant vel ad majorem reverentiam Sacramenti, vel ad ampliorem fructum ex Confessione percipiendum. Unde propositi nostri non est de his omnibus sigillatim fusiori sermone disserere, sed dumtaxat de undecima et duodecima, nempe quod Confessio debet esse secreta, et integra.

NOTANDUM 3. Duplicem distingui posse in Confessione integritatem: unam materialem, alteram formalem. *Materialis* dicitur, quæ revera fit de omnibus omnino peccatis mortalibus in specie, numero, et circumstantiis aggravantibus, ita quod nullum omnino sit ejusmodi peccatum, quod in Confessione non aperiatur; *formalis* vero, quæ licet non omnia omnino mortalia peccata aperiatur, non minus tamen censetur integra et valida; quia nullum reticet absque rationabili causa, aut inculpabili oblivione, seu ignorantia; ideo Absolutione Sacramentali vere informatur ac perficitur. Quæritur itaque, utrum Confessio debeat esse integra alterutro ex his modis; unde tria hic occurrunt discutienda: *primum*, utrum Confessio necessario debeat fieri secreto: *secundum*, utrum fieri debeat de omnibus omnino peccatis, tam quoad numerum, quam quoad speciem et circumstantias: *tertium*, utrum liceat aliquando dimidiare Confessionem.

Conclusio prima. — CONFESSIO AURICULARIS EST INSINUATA A CHRISTO, NON PRÆCEPTA; TAMETSI SEMPER A FIDELIBUS FREQUENTATA, ET IN ECCLESIA RECEPTA. Ita docet Concilium Trid., Sess. 14. cap. 5., ubi ait: *Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda: unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanymique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa fuit, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a*

divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non ventur. Et eadem Sess., Can. 6. Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secretae confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.

Idem probatur auctoritate Patrum, maxime vero Origenis, Homil. 2. in Psalm. 37. Tantummodo, inquit, circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, etc. ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius, ut eruditum medicum ostenderit, et misericordem; si quid consilii dederit, facias et sequaris: si intellexerit et providerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari, ex quo fortassis, et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito Medici illius consilio procurandum est. Ex quibus liquet, quam turpiter hallucinetur Rhenanus in argumento libri Tertulliani, *De Pœnitentia*, cum ait, ex publica Exomologesi, seu Confessione, secretam sumpsisse originem; potius enim vice-versa ex secreta Confessione publica Pœnitentia processit, siquidem non prius publice dicebantur peccata, quam Sacerdoti privatim secreto manifestata fuissent, ut ipse judicaret, de quibus esset agenda Pœnitentia publice, vel secreto. — Unde quoniam apud nonnullos inleverat consuetudo peccata tantum publice confitendi, illam uti contrariam Apostolicæ doctrinæ submovendam statuit S. Leo, Epist. 80. quæ est ad Episcopos Campaniæ, ubi inter cætera scribit: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo, submoveri (de Pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur) de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publice recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, quæ Pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta reserari, quibus possint legum Constitutione percelli; sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, et populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Idem docet S. Hieronymus, qui exponendo illud Ecclesiastici, cap. 10. *Si mordeat serpens in silentio*, ait: *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et Pœnitentiam non egerit, nec vulnus suum fratri aut Magistro voluerit confiteri, Magister, qui linguam habet ad curandum prodesse non poterit; si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.*

Quod autem secreta Confessio Sacramentalis a Christo Domino tuerit insinuata, colligere licet ex perpetua et constanti Ecclesiæ tra-

ditione ac praxi, nam inquit S. August., lib. 7. *De Baptismo Contra Donatistas*, cap. 23. *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur.* Cum ergo ab initio universa Ecclesia usa fuerit Confessione secreta, et modo etiam utatur, consequens est illud a Christo Domino per Apostolos ad nos usque fuisse transmissum. Merito ergo Concilium Lateranense præscribendo obligationem confitendi singulis annis, ait: *Solus peccata saltem semel in anno fideliter confitetur proprio Sacerdote.* Ubi particula *solus* significat obligationem illam non esse dicendi peccata sua publice et coram multis, sed dumtaxat coram solo Sacerdote. Hæc ratio confirmabitur in objectionum solutione.

DICES: Nullibi in Scriptura legitur Christum Dominum imperasse pœnitentibus, ut privata et secreta Confessione peccata sua Sacerdotibus manifestarent: igitur non instituit illum secretum confitendi modum. — **Nego consequentiam;** accurata quippe, nec unquam interupta secretæ Confessionis a primis Ecclesiæ temporibus, ad hæc nostra tempora consuetudo, quæ nec a Conciliis, nec a summis Pontificibus originem duxit, sufficiens indicium est, illam non alium quam Christum habere auctorem. *Adde quod,* cum Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit Job 20. ex cuius institutione colligitur etiam Confessionis institutio; inde pariter deduci potest illius secretus faciendi modus, utpote qui magis deceat eximiam illam novæ Legis suavitatem, necnon et jucundam Christi Domini dispositionem, qui jugum suum suave esse voluit, et onus suum leve. Cum itaque manifestatio omnium peccatorum etiam occultorum et interiorum, ex se habeat annexam verecundiam, ac subinde plurimam difficultatem, haud dubium est, quin Christus Dominus voluerit, illam declarationem fieri modo minus laborioso et pœnali, qualis est secretus; quem utique modum verisimile est, eum docuisse, cum suscitatus a mortuis, per dies 40. apparuit Discipulis, loquens de regno Dei, idest, de his, quæ spectant ad Ecclesiæ regimen, et hominum salutem, inter quæ remissio peccatorum per sacramentalem Confessionem et Absolutionem suscipiendam præcipuum locum obtinet.

DICES 2: Confessio publica peccatorum potest esse Sacramentalis et valida, ut constat ex Tridentino verbis supra laudatis: igitur Christus non instituit nec ordinavit, ut peccatorum Confessio fieret secreto. — **Nego consequentiam;** aliquid enim a superiore potest dupliciter inferiori præscribi: *primo* quidem determinate, quando in particulari non solum præscribitur res agenda, sed etiam modus quo debet peragi; sic Christus præscripsit Ecclesiæ nedum ut baptizaret, sed ut baptizaret in aqua cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. *Secundo*, quando superior ita determinat in particulari modum exequendi legem a se latam, ut inferior liber perseveret ad eum modum usurpandum, vel alterum, quem ipse prudenter existimaverit magis expedire suæ privatæ, vel publicæ Ecclesiæ utilitati. Hoc autem posteriori modo Christus Dominus ordinavit Confessionem fieri secreto; non tamen prohibuit, ne quis confiteretur publice, ubi prudenter æstimaret id conducere ad majorem Ecclesiæ ædificationem, aut propriam salutem.

PETES: *Utrum liceat aliquando confiteri per interpretem, quando videlicet penitens non calleat idioma Sacerdotis, nec Sacerdos idioma penitentis, et adest tertius, qui utriusque linguam calleat?* — **Affirmo**, idque inquit Lugo, d. 15. n. 60. omnes Theologi fieri posse absque controversiâ conveniunt, paucis exceptis, et usus fidelium id probat, et suadet ratio, quia per ipsum sufficienter manifestantur peccata Sacerdoti in ordine ad Absolutionem, et per hunc modum Sacerdos potest etiam sufficienter nosse dispositionem penitentis in ordine ad recipiendam Absolutionem. Quod utique confirmatur ex Sacramento Matrimonii, quod omnes concedunt celebrari posse per interpretem coram Parocho, et testibus: quidni ergo fieri etiam poterit Confessio per interpretem? nam (inquit Lugo) videtur major notitia requiri in Parocho, ut valide assistat Matrimonio, quam in Confessario, ut absolvat, quia in Matrimonio ideo requiritur præsentia Parochi et testium, ut possit legitime Ecclesiæ constare de Matrimonio celebrato, si forte conjux postea id negaret, vel ut conjuges id possint apud Ecclesiam probare: ad hoc autem posset apparere insufficientis consensus præstitus per interpretem, quia Parochus non potest testari de consensu, cum ipse non intelligat idioma contrahentium; sed solum posset dicere, interpretem dixisse illos consentire; unde si postea conjuges negarent consensum, et dicerent interpretem fuisse mentitum, non posset aliquid plane contra ipsos probari, cum totum reduci deberet ad testimonium unius interpretis. Si ergo conceditur sufficiens illa notitia per interpretem data, ut Parochus valide assistat, facilius concedi debet sufficiens similis notitia ad Confessionem sacramentalem, in qua non requiritur notitia, qua postea possit apud Ecclesiam probari illud peccatum, vel ejus Confessio, sed qua Confessarius in foro interno possit penitenti contra se loquenti credere, ad quod sufficit modus ille loquendi per interpretem, sicut in aliis rebus et negotiis humanis. Hucusque Lugo, ex quibus ad minus sequitur, et sufficienter ad nostrum propositum, quod æque saltem desideretur præsentia contrahentis in Matrimonio, ut suum consensum manifestet Sacerdoti, ac desideraretur præsentia penitentis in Sacramento Pœnitentiæ, ut sua peccata manifestet: igitur quemadmodum ille sufficienter suum consensum declarat per intellectum coram Parocho et testibus, ut censatur valide contrahere, sic penitens per interpretem sufficienter peccata sua manifestabit Sacerdoti præsenti, ut ab eo legitime possit absolvi; siquidem ad valorem Sacramenti nihil aliud requiritur, quam ut peccata manifestentur Sacerdoti, tamquam Judici, in ordine ad obtinendam eorum remissionem.

DICES: Doctor Subtilis, in 4. dist. 17. n. 31. respondens ad argumentum a se propositum n. 2. nempe quod non omnes teneantur confiteri peccata sua Sacerdoti, quia, inquit, nullus obligatur ad impossibile: sed mutus non potest loqui; item omnis extraneus inter illos, quibus est barbarus, est mutus: ergo non tenetur confiteri. *Respondet*: ad aliud dicitur, quod talis debet confiteri per interpretem, vel per alia signa a verbis, quæ possunt esse nota Sacerdoti. Secundum est bene concedendum, si aliquâ talia signa communia confiteri muto, vel barbaro, et Sacerdoti. Sed primum non videtur necessarium, quia torum istud ex natura sua est secretissimum: ergo non tenetur aliquis

ad istud forum, ut aliquo modo publicum. Sed licet interpres velit celare, et teneatur celare, sicut Sacerdos, tamen si velit malignari, ipse et Sacerdos possunt esse testes contra accusatum, et ita ex natura hujusmodi accusationis hæc accusatio potest venire in publicum, et ita non est pœnitentialis. Ex hoc patet, quod pluribus Sacerdotibus simul non est confitendum necessario, ut melius judicent. Quod si fiat, non est sacramentalis Confessio; maxime autem videtur, quod non sit confitendum per interpretem, quando timetur ipsum non esse secretarium idoneum, et si in tali casu iste habet impossibilitatem confitendi homini idoneo, confiteatur Deo cum proposito confitendi homini opportunitate oblata. Igitur ex mente Doctoris, Confessio, quæ fit per interpretem, non est sacramentalis, nec valida. — **Nego consequentiam;** Doctor enim nihil aliud his verbis significat, quam quod ea confessio, quæ fit per interpretem, non sit absolute necessaria ad salutem, utpote quæ nec sit a Christo præcepta, nec ab Ecclesia proposita, ut necessario facienda; maxime quando timetur confessi criminis evulgatio: non enim verisimile est, Christum Dominum, qui vult omnes homines salvos fieri, et qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus, instituisse ac præcepisse modum illum confitendi, qui vergeret in præjudicium pœnitentis, et Sacramentum nimis difficile ac onerosum redderet; maxime cum præcipiendo correctionem fraternam, voluerit eam secreto fieri, ait enim Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.* Quæ verba sic expendit S. August., Serm. 16. *De Verbis Domini: Quid in te peccavit tu scis, quia peccavit: quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quære cum corrigis quod in te peccavit; nam si solus nosti, quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.* Si igitur voluit Christus Dominus correctionem fraternam fieri secreto, quis existimabit eum voluisse, ut Confessio sacramentalis peccatorum occultorum fieret publice? Merito igitur Doctor censet, non esse necessario confitendum per interpretem, maxime quando timetur, eum non esse tenacem secreti; ac subinde Confessionem illam per interpretem non censi Confessionem Sacramentalem, ad quam regulariter et per se obligantur omnes fideles ex institutione Christi, licet revera possit esse Sacramentalis, quatenus pœnitens voluntarie, ac pro libito ad eam recurrit, quemadmodum Confessio publica non est quidem necessaria, est tamen sufficiens ad salutem, et etiam interdum utilis tum pœnitenti, cum Ecclesiæ, ac fidelium ædificationi.

Conclusio secunda. — OMNIA OMNINO PECCATA MORTALIA, QUE POST DILIGENTEM CONSCIENTIÆ DISCUSSIONEM MEMORIÆ OCCURRUNT, NECESSARIO SUNT APERIENDA IN CONFESIONE, NON TANTUM IN GENERE, SED ETIAM IN SPECIE, AC SIGILLATIM, SUBINDEQUE UT CONFESSIO SIT VALIDA, DEBET ESSE FORMALITER INTEGRA. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 14. c. 5., ubi ait: « Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse etiam a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus, e terris

« ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tam-
 « quam Præsules et Judices, ad quos omnia mortalia crimina defe-
 « rantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo potestate clavium,
 « remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant; con-
 « stat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non
 « potuisse; neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare
 « potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigil-
 « latim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a
 « Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui
 « discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi
 « occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præ-
 « cepta commissa, quæ nonnumquam animam gravius sauciant, et pe-
 « riculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur; nam venialia,
 « quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur,
 « quamquam recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in
 « Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; ta-
 « ceteri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.
 « Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines
 « iræ filios, et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam ve-
 « niam, cum aperta et verecunda Confessione, a Deo quærere. Itaque
 « dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles con-
 « fiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda
 « exponunt; qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil
 « divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt, si enim
 « erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina
 « non curat ». *Ita Concilium.* Quibus verbis aperte declarat, omnia
 omnino mortalia peccata, quæ post diligentem conscientie discus-
 sionem occurrunt, esse necessario in Confessione aperienda. Quod uti-
 que probat duplici ratione: *primo*, quia Deus in Sacramento Pœnitentiæ
 peccata dimittit per modum iudicii, interveniente accusatione ex parte
 pœnitentis, et sententia Absolutionis, ex parte Sacerdotis: sed sententia
 Sacerdotis non potest legitime ferri incognita causa, neque Sacerdotes
 æquitatem servare possent in pœnis injungendis, si in genere dumtaxat,
 et non potius in specie, aut sigillatim sua peccata pœnitentes declara-
 sent: igitur ita sunt declaranda. *Secundo*, Sacerdos in hoc Sacramento
 non solum habet rationem Iudicis, sed etiam Medici: sed Medicus non
 potest prudenter ac sapienter conveniens morbis remedium præscri-
 bere, nisi omnes ejusmodi morbos noverit, omnemque infirmi habitu-
 dinem perspectam habuerit: igitur nec Sacerdos potest salutarem Pœ-
 nitentiam præscribere pœnitenti, nisi omnia illius peccata distincte
 cognoscat: nosse autem illa non potest Sacerdos, nisi ipse pœnitens
 aperuerit. Consequens est ergo, ut omnia omnino peccata in Confes-
 sione aperiantur. Unde præclare Concilium, Can. 7. definit: *Si quis*
dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, neces-
sarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mor-
talia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeat-
ur, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant.... anathema sit. —
 Neque existimandum est, Concilium hanc doctrinam, tamquam novum
 aliquod dogma in Ecclesia ingressisse; constat enim sufficienter ex di-
 ctis, communem eam esse S. Patrum doctrinam, quod omnia omnino

mortalia peccata sint in Confessione aperienda; ita namque docet S. Cyprianus, Serm. *De Lapsis*, ubi loquendo de iis, qui rei non sunt perfidiæ, aut idololatriæ, sed tamen in alia peccata lapsi sunt, ait: *Quanto et fide majores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, et hoc ipsum apud Sacerdotes Domini dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, et salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur.* Idem docet Auctor lib. *De Vera et Falsa Pœnit.*, c. 15. *Cantus sit, ne verecundia ductus, dividat apud se Confessionem, et diversa dissimulatio Sacerdotibus velit manifestare. Quidam enim uni celant, quæ aliis manifestanda conservant; quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere ad quam per frusta putant pervenire.* Idem pariter docent S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, c. 14. S. Gregorius, Hom. 10. super Ezechielem, S. Hieronymus, in c. 10. Ecclesiastici, quorum oraçula referuntur parte secunda Catechismi Tridentini. Tit. *De Pœnitent. Sacramento*, num. 61.

Quibus etiam suffragatur ratio theologica; præceptum enim Confessionis ex institutione Christi Domini subrogatum est præcepto Contritionis: sed Contritio fieri necessario debet de omnibus peccatis, non enim potest unum peccatum deleri, de via ordinaria, quin pariter omnia deleantur; unde Contritio non delet peccata, nisi omnia detestetur: igitur nec ea delere potest Confessio et Absolutio, nisi omnia peccata subjiciantur Ecclesiæ clavibus.

PETES 1. *Quid sentiendum sit de circumstantiis peccatorum?* — **Respondeo**, eas circumstantias esse triplicis generis; aliquæ enim mutant speciem peccati; nam si quis habeat rem cum virgine libera, et consentiente, erit simplex fornicatio; si cum conjugata, erit adulterium; si cum parente et proxima, erit incestus; si cum voti sponsione Deo consecrata, aut in loco sacro, erit sacrilegium: quæ omnes circumstantiæ diversum peccatum efficiunt. Aliæ vero aggravant tantum notabiliter intra eandem speciem; si quis enim centum, vel ducentos aureos furetur, gravius peccat, quam is qui unum dumtaxat nummum aureum furtim accipit. Aliæ vero circumstantiæ nec speciem mutant, nec notabiliter aggravant, ut si quis hominem interficiat, percutiendo eum ferro, ligno, aut lapide. — Quantum autem ad *circumstantias mutantem speciem*, conveniunt omnes Theologi, eas esse necessario in Confessione aperiendas, ut etiam docet Concilium Tridentinum præfato cap. 5., ubi ait: « Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: aut sine « illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec « iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum « recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere, unde alienum a ratione est, docere circumstantias « has ab hominibus otiosis excogitatas esse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem ». — Quantum autem ad circumstantias, quæ peccatum non aggravant, nec peccati speciem mutant, conveniunt omnes cum Subtili Doctore, d. 17. n. 20.

eas non esse necessario manifestandas in Confessione. *De aliis vero circumstantiis, inquit Doctor, quæ nihil ad propositum spectant, et sine quibus tanta esset gravitas, quanta sine illis circumstantiis impertinentibus, fatuum est confiteri, utpote si aliquis peccat cum aliqua, quæ vocatur Berta, vel Lucia, et ejusmodi. — Quantum vero ad circumstantias notabiliter aggravantes, variant inter se Auctores; quidam enim contendunt eas esse necessario aperiendas in Confessione; ita Alensis, 4. part. q. 18. memb. 4. Cajetanus, 1. 2. q. 4. Major in 4. d. 4. q. 4. etc. Alii vero negant cum S. Bonaventura, dist. 17. 3. part. art. 2. quæst. 3. Doctor vero Subtilis, loco mox laudato, ait: *Multæ sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius, et hoc vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis; de quibus non est ita certum, quod oporteat illas confiteri; tamen tutum et utile est hoc fieri.* Idque maxime quia id significat S. Augustinus, vel quisquis est Auctor lib. *De visitatione infirmorum*, cap. 5. *Quæ ergo mentem gravius exacerbant facinora, inquit, Dei Angelo manifesta, nihil obscurum dicens, culpam multis ambagibus involvens, etc. Designanda sunt etiam in quibus peccasti, loca; si recordaris, et tempora; cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, et ut a peccato desistant, secreto corrigenda familiaritas, in quo peccasti, labilis ætas, in quo gradu serviebas Ecclesiæ, utrum semel an ex consuetudine, utrum necessitate, an ex voluntate cecidisti. His enim omnibus sua instant judicia; si enim in judiciis sæcularibus a locis loca discernuntur, alia censura vindicatur homicidium in Regis curia, alia in via publica, alia in agresti villa: aliquando pro tempore temporalis ignoscitur infantia, defertur aliquando senectuti, quæ media defervet ætas, severa adhibetur habena. In solemnibus præcipue Natalitiis perpetrata feroci plectuntur exterminio facinora, sic et cætera quanto districtioribus eliminanda sunt animadversionibus, in locis Deo sacratis, in temporibus festis Deo dicatis, in ætate discretiori, in personis propriè Deo delegatis, in gradibus commissis sublimioribus: nonne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nonne minus est hominem occidisse, quam homines? Nonne levius est semel deliquisse, quam centies? Nonne celeriore consequitur veniam ex necessitate cecidisse, quam ex voluntate? etc.**

Fateor tamen plures in eis sententiis numerari circumstantias, quas omnes conveniunt non esse de necessitate Sacramenti, quod in Confessione aperiatur, scilicet tempus orationis, tempus jejunii, et ætatis. Unde potissima ratio deducitur ex auctoritate Concilii Tridentini; licet enim noluerit expresse definire hanc quæstionem inter Doctores controversam; non obscure tamen nostram partem affirmativam tuetur locis supra laudatis. Siquidem Concilium docet idcirco confitenda esse peccata in specie ac sigillatim, quia, inquit, constat Sacerdotes non posse servare æquitatem in injungendis pœnis, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim peccata cognoscant: et declarans, cur circumstantiæ mutantem speciem sint confitendæ, hanc rationem præfert, *quod sine illis peccata ipsa, neque a pœnitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.* Porro hæ rationes æqualiter probant necessitatem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes; nam per se notum

est, majorem pœnam esse injungendam ei, qui unico actu eripuit multa millia aureorum, puta Principi, qui uno Edicto injuste lato plures subditos spoliat, quam qui tantum tres aureos tribus distinctis furtis abstulit. *Addit quod*, si circumstantia aggravans circa eandem speciem non haberet novam malitiam, sequeretur illum non gravius peccare, qui incestum commisit in primo gradu, quam qui illud committeret in tertio et quarto; sequeretur similiter, quod qui amputasset alicui aures, et nares, et brachia, et pedes, atque oculos ei effodisset, dummodo ipsum non occidisset, satisfaceret præcepto Confessionis dicendo, se graviter aliquem vulnerasse. Item qui explodendo tormentum bellicum voluntarie occidisset plures homines, suum delictum sufficienter explicaret, dicendo, se reum esse homicidii. Quæ utique absurda sunt. Concludendum igitur cum Catechismo Concilii Tridentini, Tit. *De Pœnit.*, cap. 62. « Quod non solum peccata gravia narrando explicare oportet; verum etiam, quæ unumquodque peccatum circumstant, et gravitatem valde augent, vel minuunt ». *Nec obstat*, quod circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem non constituent formaliter distincta peccata; sufficit enim, quod ea constituent virtualiter, seu æquivalenter; unum namque peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia, moraliter æquivaleret multis numero distinctis, ut patet exemplis jam adductis. Unde non videntur sufficienter explicari quoad numerum peccata mortalia, nisi explicentur circumstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes.

DICES 1: Nullus ad id obligatur, de quo non extat præceptum: sed nullum extat præceptum divinum, aut ecclesiasticum de confitendis circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: igitur nullus ad id tenetur. — **Nego minorem**: siquidem divino præcepto tenemur id omne in Confessione exprimere, quod necessarium est ad perfectam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, et susceptionem. Porro hujusmodi circumstantiarum declaratio ad id necessaria est; cum enim hoc Sacramentum sit institutum a Christo Domino per modum judicii, quidquid requiritur ad hoc, ut Sacerdos recte de criminum gravitate judicare possit, et debitam pœnam præscribere, cadit sub præcepto divino. Cum igitur explicatio circumstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium necessaria sit ad hoc, ut Confessarius rectum de peccatorum gravitate iudicium efformet, idcirco fatendum est, Confessionem illarum circumstantiarum cadere sub præcepto divino.

DICES 2: Si necessarium esset confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, pari ratione aperiendæ essent in Confessione circumstantiæ notabiliter minuentes peccati gravitatem: sed hoc videtur esse contra rationem Confessionis, quæ debet esse accusatio, non autem excusatio: igitur, etc. — **Nego minorem**: quemadmodum enim parvus peccatorum numerus explicandus est, ut rectum de pœnitente feratur iudicium, sic etiam aperienda est circumstantia notabiliter allevians, puta si quis peccaverit, vel ex ignorantia, vel ex vehementi tentatione, vel ex metu imminenti periculi mortis; hæc enim maxime conferunt ad hoc, ut Sacerdos rectum de crimine possit ferre iudicium. *Ad probationem vero* dico, quod etsi Confessio sit potius accusatio, quam excusatio, attamen hæc accusatio talis esse

debet, ut ex ea Sacerdos possit agnoscere delicti gravitatem, et juxta illam præscribere debitam, et non excedentem Satisfactionem: ad hoc autem conducit explicatio circumstantiæ minuentis gravitatem peccati; ac subinde illa est in Confessione aperienda.

DICES 3: Id non videtur necessario ac tuto asserendum et faciendum, quod pœnitenti nimiam anxietatem animi ingerit, et eum reddit semper dubium de validitate suæ Confessionis: at ita fiet si circumstantiæ graves sint aperiendæ; quis enim definiet, quanta intensio, et quanta duratio actus requiratur, ut peccatum censeatur notabiliter gravare intra eandem speciem? igitur, etc. — **Nego minorem**: primo namque facile apparet circumstantia aggravans ex parte magnitudinis, vel multitudinis. Idem etiam apparet ex intensione, et duratione actus peccaminosi; quilibet enim pœnitens per exactam suæ conscientiæ disquisitionem rescire potest, quamdiu perseveraverit in actu odii proximi, et quantum in ipso odio exarserit, ut nempè istud in Confessione aperiatur. Idem autem dicendum de cæteris; ac subinde non est adeo difficile ejusmodi circumstantias aggravantes in memoriam revocare, et eas in Confessione exprimere.

PETES 2. *Qualis, et quanta esse debeat conscientiæ disquisitio prævia ad salutarem et integram Confessionem?* — **Respondet Doctor** dist. 17. n. 19. eam desiderari inquisitionem, quam posset aliquis apponere circa aliquod negotium multum arduum, quod sibi multum esset cordi, tantam deberet apponere circa omnia peccata mortalia reducenda ad memoriam, et illa reducta ad memoriam debet eidem confiteri, non dividendo Confessionem: quia, ut dicit Augustinus, *De vera et falsa Pœnitentia*, et ponitur *De Pœnitentia* distinct. 5. cap. *Consideret, Quidam uni celant, quod alii manifestandum conservant; quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, ad quam credunt per frustra pervenire.* Idem docet Catechismus Concilii Tridentini, Tit. *De Pœnit.*, n. 62. dicens: *Sed in Confessione summa illa cura et diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus, omneque studium ita eo conferendum, ut cernamus animæ vulnera, et peccati radices avellamus.*

Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut ejusmodi disquisitio fiat cum ea diligentia, quam patitur humana fragilitas, *ne forte, ut habet idem Catechismus* n. 66. *nimis dissolute, et remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possimus; id enim si factum fuerit, Confessionem iterare omnino oportebit: prudentia igitur opus est, ne pœnitens vel nimis leviter se examinet, vel nimium se in ejusmodi inquisitione divexet, in præjudicium sanitatis corporis, ac quietudinis mentis.*

Conclusio tertia. — **NON REQUIRITUR ABSOLUTE AD PERFECTAM CONFESIONEM INTEGRITAS MATERIALIS; AB EA NAMQUE EXCUSAT IMPOTENTIA PHYSICA ET MORALIS.** Hæc est communis, illamque expressis verbis docet Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. ubi ait: *Constat, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ simul omnes late-*

bras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitando non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.

Ratio autem hujus Conclusionis est, quia Deus impossibile non jubet, neque Christus Dominus id pro medio necessario ad salutem instituit, quod interdum sit impossibile: sed interdum accidit, quod Confessio materialiter integra omnium peccatorum sit impossibilis physice et moraliter; igitur, etc. *Major constat: Minor probatur, quantum ad primam partem, nempe quod illa integritas aliquando physice sit impossibilis, tum ex parte pœnitentis, si nempe dum confitetur, subito obmutescat, vel si ita morte præoccupetur, ut non possit aliquod peccatum in specie ac sigillatim declarare, sed tantum signa Contritionis, necnon et desiderii suscipiendæ Absolutionis manifestare; quibus in casibus conveniunt omnes, illum debere necessario absolvi; vel ex parte Confessarii, si nempe sit surdus, aut diversi idiomatis, nec alius possit occurrere, qui peccata sigillatim excipiat, vel si plures occurrant absolvendi, quos pro temporis angustia non potest sigillatim audire, puta cum imminet naufragium, incendium, aliudve exitium; quibus in casibus, ut constat, physice impossibilis est integritas materialis Confessionis. Nec tamen verisimile est Deum voluisse hujusmodi homines in eis casibus excludi a susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, quod pro omnibus post Baptismum lapsis, tamquam medium necessarium ad salutem, fuit institutum: igitur, etc. Probatur similiter eadem minor de impotentia morali; plures namque occurrunt casus, in quibus dimidianda videtur Confessio, nec censetur vigere præceptum confitendi omnia prorsus peccata, etiam quæ memoriæ occurrunt; quos videre poteris apud Auctores casuum conscientiæ; præcipui autem casus sunt:*

Primus, quando grave ex Confessione talis peccati emergeret incommodum et damnum pœnitenti, puta si probabile immineat periculum mortis corporalis, aut alterius mali æquivalentis, nempe mutilationis membrorum, perpetui carceris, exilii, etc.; vel si tempore pestis Confessarius probabiliter timeat infectionem pestiferam, si diu cum pœnitente peste infecto perseveret; his enim in casibus poterit pœnitens graviora confiteri peccata, et Absolutionem percipere.

Secundus casus est, si immineat periculum mortis spiritualis, tam ipsi pœnitenti, quam Confessario, puta si fœmina proclivis ad peccatum carnis, prudenter judicet Confessarium eam ad ejusmodi peccatum sollicitaturum, si peccatum istud, et peccandi proclivitatem aperiat. Censet tamen Lugo, disp. 16. num. 734. distinguendum esse: nam, inquit, si fœmina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi, vel certe importunas preces, aut instantiam Confessarii, quod non leve incommodum fœminæ affert, potest illud tacere; si nihil horum timeat, non est quod curet de malitia Confessarii. Debet tamen observari regula communis, quæ tradi solet in materia scandali, ut si possit commode vitari damnum proximi, sine damno nostro, vitari debeat ex obligatione charitatis. Quare sicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui est in peccato mortali, requiritur aliqua specialis utilitas ejus, qui petit, sic debet in præsentî intervenire specialis causa excusans ad confitendum huic, et non alteri.

Tertius, si pœnitens prudenter timeat, quod Confessarius præter suum consensum sit peccatum revelaturus alteri, ex eo videlicet, quod noverit eum minus discretum, nec secreti tenacem. Valde tamen cavendum est pœnitenti, inquit Conink, disp. 7. dub. 9. n. 77: ne similia de suo Confessario suspicetur, sine gravi admodum fundamento, quale esset, si sciret eum aliquando Confessionem revelasse, aut aliquos ob peccata in Confessione audita male tractasse, aut ad flagitium sollicitasse, aut tam proclivem esse in vitia, ut obvias quasque feminas sibi familiares ad turpia sollicitet: alias hæc suspicando gravissime peccaret. Ut autem legitime ab integritate Confessionis eis in casibus eximi possit pœnitens, tria debent concurrere: *primum*, quod sit necessitas faciendæ Confessionis, vel ex præcepto divino, puta si urgeat periculum mortis: vel ex præcepto ecclesiastico annuæ Confessionis: si enim quis confiteatur dumtaxat devotionis causa, non videtur ipse ob ejusmodi motiva legitime possit Confessionem dimidiare: *secundum*, quod non facilis sit recursus ad alium Confessarium, cui posset fieri integra Confessio, absque metu eorum damnorum et periculorum: *tertium*, quod hæc incommoda sint gravia, et extraordinaria Confessionis: nec enim, ut bene advertit Conink num. 76. ut aliquod peccatum omittat in Confessione, sufficit quod Confessarius, qui me habebat pro valde pio et casto, auditis meis peccatis me habiturus sit pro gravissimo peccatore: aut quod graviter sit reprehensurus, et pudore affecturus; hæc enim non sunt extraordinaria Confessionis, sed quasi illius appendices.

Quartum casum profert Doctor, dist. 20. qu. 2. num. 21., ubi ait: « Quod Confessor indiscrete ministrans Sacramentum Pœnitentiæ tenetur non statim confiteri de facto suo indiscreto, quando scilicet « Confessor suus poterit statim devenire in notitiam personæ, circa « quam indiscrete exercuit usum clavium: et hoc ad minus tenetur, « non in speciali exprimere culpam circa quam, et modum quo indiscrete exercuit: sed vel præcise in universali dicendo sic, *mea culpa* « *indiscrete, et indebite ministravi Sacramentum Pœnitentiæ*: vel si urgeret eum conscientia de Confessione facienda super hoc in speciali, « ut dicit argumentum, quia est peccatum mortale speciale, et circumstantiæ specialiter aggravantes, tenetur expectare opportunitatem « confitendi alicui, qui ex tali Confessione peccati et circumstantiarum non posset devenire in notitiam personæ huic confessæ. Quod « si nunquam possit haberi talis Confessor, quin ex explicatione peccati et circumstantiarum posset devenire in culpam et personam « isti confessam: iste est in casu impossibilitatis ad confitendum « homini, quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam « sibi confessam, quam ad confitendum explicite culpam suam; quia « ad primum multipliciter ex lege naturæ, ut probant rationes ad primam Conclusionem, et multipliciter ex Lege positiva divina, ut probant rationes ad secundam Conclusionem. Ad secundam vero ad « plus de Lege positiva divina, ut dictum est dist. 17. ergo iste confiteatur Deo ».

Quintum casum addunt aliqui, nempe tunc licere Confessionem dimidiare, quando videlicet peccatum aliter revelari non potest, quin pariter reveletur peccatum personæ complicitis, seu cum qua pœnitens

peccavit. Ita docent Navarrus, cap. 7. num. 3. et plures alii Casuistæ. Verum opposita sententia communior est et tutior, eamque indicat Subtilis Doctor, dist. 21. qu. 2. num. 16., ubi ait: « De *quid* dico? « Quod non tantum peccatum principale confitentis, et circumstantias « peccati; quia circumstantiæ non possunt bene revelari sine revela- « tione facti; sed et persona secunda, cum qua peccatur; quia autem « confitens vult famam personæ, cum qua peccavit, salvare, idest, de- « beret velle, sicut sui; imo eo magis, quod persona illa sibi conjuncta « fuit in crimine: tantum enim magis tenetur ei ad boni restitutionem, « quod per illam amisit, et ad custodiam illius boni, quod potest cu- « stodire, non obstante ullo modo commisso ». *Hæc Doctor*, ubi licet solum expresse doceat, personam complicitis debere etiam sub sigillo Confessionis celari a Confessario, nihilominus satis indicat, ejusmodi personam complicitis posse detegi in Confessione, quippe cum illam in Confessione manifestatam debeat Sacerdos celare.

Id autem aperte docet Doctor Angelicus, in 4. dist. 16. qu. 3. art. 2. qu. unic. 5., ubi ait: *Ad quintum dicendum, quod homo in Confessione debet famam alterius custodire quantum potest, sed suam conscientiam magis purgare debet; et ideo si circumstantia, quæ ducit in cognitionem personæ, sit ex necessitate Confessionis, secundum regulam datam, tunc debet confiteri occultando personam quantum potest: si autem non sit de necessitate Confessionis, debet dimittere, ne alterius peccatum prodatur.* Ejusdem sententiæ est Doctor Seraphicus S. Bonav., 4. dist. 21. p. 2. art. 1. qu. 3. num. 51., ubi sic scribit: « Dicendum, quod aliena pec- « cata aut sunt impertinentia ad peccati nostri accusationem, sed ex « quadam associatione refert ea, et ad quamdam excusationem ille, « qui confitetur, quia solatium est miseris socios habere pœnarum; « et male facit, qui sic confitetur: sicut multi simplices accusant ali- « quando omnes vicinos suos, ut minus confundantur, ut si dicant: « sumus latrones, usurarii, perjuri, et consimilia; et tales a Confes- « soribus corripendi sunt, quia arctam formam Confessionis non ser- « vant. Aut peccata aliena nostris sunt conjuncta et admixta: ita « quod sine illis non potest bene culpa propria explicari, et tunc li- « citum est confiteri eatenus, quatenus non potest sine alieno peccato « culpa propria explicari. Unde aliquando in generali; ut si mulier « cognita est ab Episcopo (quod absit) sufficit dicere, quod aliquis « magnus Prælatum eam cognovit. Si a persona Religiosa, sufficit, « quod in generalitate sua stet, quia satis apparet genus culpæ. Si « vero descendat ad personam singularem, increpanda est persona « confitens. Si vero peccatum non potest explicari sine explicatione « personæ determinatæ, utpote, si mulier inordinate a viro cognita « est; tunc si dicat de marito, non peccat, pro eo quod non potest « aliter confiteri propriam culpam. Et tunc non debet attendi accu- « satio aliena, sed accusatio propria. Et sic generaliter verum est, quod « peccata aliena non sunt dicenda in Confessione, nisi eatenus, qua- « tenus sunt propria, nec Confessores debent inquirere. Unde illi Con- « fessores, qui ramusculos in Confessionibus inquirent, et audiunt de « aliis malum, et sustinent, vix aut numquam a peccato detractionis « excusari possunt; et nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos, « qui veniunt ad medicinam, alios accusando, sibi infligere vulnus

« grave ». *Hucusque S. Bonaventura.* Accedit S. Bernardus in formula honestæ vitæ, versus finem: *De nullo prorsus sinistre loquaris (quantumcumque sit verum, vel manifestum) nisi in Confessione, et hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

Quod autem ejusmodi complicitis personam in Confessione pœnitens possit revelare licite, *probatum primo*, quia licitum est uti jure suo, et propriam utilitatem corporis, aut animæ quærere; etiamsi inde sequatur incommodum proximi: licitum est enim ad defensionem propriæ vitæ facere aliquid, ex quo indirecte sequatur mors alterius: sed pœnitens habet jus ad faciendam integram Confessionem, ut consulat suæ saluti et curæ spirituali: ergo licite potest illud peccatum manifestare, ex cuius manifestatione sequitur declaratio personæ complicitis, etiamsi ex illa manifestatione oriatur aliqua infamatio ipsius complicitis apud Confessarium, maxime cum talis infamia sit parvi momenti, quippe cum crimen complicitis uni dumtaxat homini revelatur, qui Dei vices gerit, et districtè obligatur ad illud peccatum celandum. — *Deinde*, eo ipso quo quis se voluntarie facit complicem et participem alicujus criminis, etiam se subjicit pœnis debitæ, et omnibus appendicibus ipsius criminis: igitur cum peccatum istud commissum subjici debeat clavibus Ecclesiæ, et explicari Confessario eo modo, quo commissum est, quando modus ille vel variat speciem peccati, vel illud notabiliter aggravat; hinc est quod si non possit peccatum ille aliter manifestare, necessario debet explicare etiam peccatum complicitis. *Confirmatur:* idcirco Christus Dominus voluit fideles manifestare omnia sua peccata, etiam occulta, Sacerdoti, non obstante infamia, quæ ex ejusmodi Confessione oritur, quia summa ex illa Confessione integra exurgit Pœnitentis utilitas: *Ipsa enim*, inquit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. *hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis, et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissime conferuntur:* igitur si non obstante propria infamia possim omnia peccata mea occulta Confessori revelare propter summam utilitatem inde consequendam, quidni pari ratione potero manifestare personam complicitis, ut videlicet integræ Confessionis fructum et utilitatem consequar? — *Denique*, licite possum (inquit Lessius, *De Justitia*, cap. 11. dub. 12.) aperire alienum crimen alicui personæ, quando hoc necessarium est, ut me in re magni momenti adjuvet, quia non teneor cum notabili meo damno alienam famam omnino illæsam servare: ergo multo magis potero id aperire in Confessione quando hoc necesse est, ne tenear peccata iterum confiteri, et possim ad instituendam vitam spiritualem a Confessario monita salutaria excipere, quibus maxime caveam periculum in idem peccatum relabendi.

Quod autem pœnitens teneatur ad integritatem suæ Confessionis personam complicitis manifestare, apparet ex statim dictis; pœnitens enim tenetur ad integre confitendum omnia peccata mortalia, quoties id licitum est, nec ex alio majori præcepto ab ejus impletione prohibetur: igitur si licite possit personam complicitis revelare, quando id exigit Confessionis integritas, nec potest aliter suum peccatum manifestare, ad id præcepto divino tenetur. — *Deinde*, virtute præcepti

faciendæ Confessionis integræ obligatur homo ad confitenda sua peccata, etiam turpissima, non obstante summa verecundia, ac detrimento propriæ famæ apud ipsum Confessarium, a quo forte ut vir pius ac religiosus antea habebatur: igitur multo magis obligatur ad ea declaranda peccata cum periculo ac præjudicio famæ alienæ: quando aliter non potest peccatum suum integrè explicare. *Consequentia patet*: cum enim ex charitate homo magis teneatur vitare propriam infamiam, quam alienam, etiam minus teneretur ad confitenda propria sua peccata, quam aliena: igitur cum teneatur sua, quantumvis enormia peccata manifestare, etiamsi incurrat præjudicium suæ famæ, multo magis ad id obligatur, quamvis inde oriatur quædam infamia proximi. — *Denique*, si pœnitens non teneretur personam complicitis manifestare in Confessione, quando aliter peccatum suum declarare non potest, sequeretur conjugatos non obligari ad confitenda peccata, quæ in actu matrimoniali interdum committuntur; quando maxime uterque notus est Confessario; et subinde non posse illa peccata a Confessario judicari et retineri: at hoc videtur absurdum, utpote cum vergat in præjudicium salutis conjugatorum, necnon in nimis relaxatam administrationem hujus Sacramenti.

DICES 1: Pœnitens non potest declarare in sua Confessione peccatum complicitis, quin illum infamet apud Confessarium: at propter integritatem suæ Confessionis non potest infamare proximum suum apud Confessarium: igitur nec illius peccatum revelare. *Major constat. Minor probatur*: quando concurrunt duo præcepta simul servanda, quorum unum est juris naturalis, aliud vero juris divini positivi, nec utrumque simul servari potest, magis servandum est præceptum juris naturalis, quam juris positivi, si enim vigeat præceptum positivum faciendæ Confessionis, et simul occurrat præceptum naturale tuendæ vitæ proximi, magis teneor ad tuendam vitam proximi, quam ad faciendam Confessionem: sed integritas Confessionis est tantum juris positivi, prohibitio autem infamationis proximi est juris naturalis: igitur magis tenetur pœnitens ad non infamandum proximum, quam ad faciendam Confessionem integram. — *Nego minorem*, et ad ejus probationem dico, in eo casu non vigere præceptum juris naturalis de non infamando proximo, propter præceptum et utilitatem integræ Confessionis; non quod hoc præceptum positivum per se deroget isti præcepto naturali; sed quia immutat circumstantias, quæ in isto præcepto naturali includuntur, et sub quibus præceptum naturale tantum obligat, quia præceptum naturale conservandi famam proximi non est absolutum et generale pro quocumque tempore ac loco, et quibuscumque positis circumstantiis, sed tantum quando non occurrit causa rationabilis in contrarium, sicut constat ex aliis præceptis juris naturalis. Nam, ut optime advertit noster Bosco, disp. 7. sect. 9. n. 28. præceptum naturale, *Non occides*, non obligat simpliciter et absolute (nam licet occidere malefactores auctoritate publica, licet occidere auctoritate privata injustum invasorem vitæ, etc.) sed cum hac limitatione: *Insontem, et justum non occides*, Exod. 23. v. 7. Item, scandalum acceptum vitare juris naturalis est, sed non cum gravi detrimento proprio. Et hinc præceptum positivum audiendi Sacrum die Dominica efficere potest, ut mulier, quæ alioquin ad vitandum scan-

dalum acceptum juvenis alicujus, illam inordinate diligētis, deberet se continere domi; nihilominus, ut impleat istud præceptum, possit ire ad templum, quia non tenetur se privare Sacro, et impletione præcepti, ut cum illo detrimento prospiciat alteri ex malitia peccaturo. *Similiter* est præceptum naturale defendendi Rempubicam; si tamen id nequeo facere absque revelatione sigilli Sacramentalis (cujus observatio est juris quodammodo positivi) nulla est obligatio, quia tunc solum teneor defendere Rempubicam quando possum sine majori incommodo, quam sit commødum illud, quod Respublica accipiet ex mea defensione: jam autem incommodum, quod oriretur ex revelatione sigilli, longe majus est, quam quodcumque commodum Reipublicæ. Igitur ad propositum nostrum, jus naturale prohibens revelationem complicitis cum ejus infamia, intelligitur, nisi adsit rationabilis causa, qualis occurrit integritas Confessionis, ejus bonum longe præstat infamatione complicitis apud solum Confessarium: unde hæc infamia non excusat ab integritate materiali Confessionis. *His adde*, quod magis habenda sit ratio reverentiæ debitæ Sacramento Pœnitentiæ, et boni spiritualis ipsius pœnitentis, quæ requirunt ut integre confiteatur, quam tantillæ jacturæ famæ ipsius complicitis, ejus perdendæ periculo ipsemet voluntarie se exposuit, cum tale peccatum cum pœnitente commisit. Quare præceptum de integritate Confessionis non infert hic aliquid contra jus naturæ, sed quod ei maxime consentaneum est: sicut nec Judex in foro externo agit contra jus naturæ, dum reum cogit, ut complices declarēt, et præcipit testi, ut accusati crimen proferat.

DICES 2: Illud non est suadendum ad praxim, quod maxime Confessionem odiosam efficit: sed revelatio complicitis reddit ipsi Confessionem pœnitenti odiosissimam; ac subinde periculum est, ne ab ea pœnitentem avertat: igitur id non est suadendum et asserendum. — **Nego majorem;** propria enim infamia facit Confessionem odiosam ipsi pœnitenti, et ex se magis avertit a Confessione, quam avertere posset complex: nec tamen propter illam verecundiam et infamiam pœnitentis legitime dimidiaretur Confessio: igitur neque dimidianda est propter infamiam complicitis.

DICES 3: Peccatorum Confessio non alia ratione censetur ad salutem necessaria, quam quia ita Christus Dominus instituit et ordinavit: sed verisimile non est, Christum Dominum voluisse hoc Sacramentum instituere cum dispendio et damno famæ proximi, et obligasse pœnitentem ad manifestandum crimen complicitis, quando absque ejusmodi revelatione non potest integre confiteri: igitur pœnitens non tenetur, nec debet propter servandam integritatem Confessionis personam complicitis revelare. — **Nego minorem;** cum enim Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum instituerit per modum veri judicii, inde fit, quod sicut in vero judicio reus habet jus declarandi crimen sui complicitis, quando id requirit et præcipit Judex, et accusator ac testis habet jus manifestandi crimen ipsius rei, et ejus complices, quando id necessarium est ad perfectionem judicii, etiamsi ex illa declaratione complex patiatur damnum, tum in fama, tum in bonis fortunæ et vitæ; sic in Tribunali Pœnitentiæ, pœnitens seipsum accusans habet jus declarandi in Confessione socium sui criminis, si

hæc declaratio necessaria sit ad integritatem Confessionis, licet ex ea declaratione complex patiatur aliquod damnum in sua fama apud Confessarium.

DICES DENIQUE: Si pœnitens teneatur revelare personam complicitis, ut integre confiteatur, etiam tenebitur ad manifestandum peccatum alterius, quamvis non complicitis, si non possit sine hujusmodi manifestatione peccatum suum Confessario explicare, puta si dedit potionem alicui non conjugatæ ad extinguendam prolem ex fornicatione vel adulterio conceptam: sed hoc est falsum, pœnitens enim nullum habet jus ad revelandum peccatum, cujus non est particeps et reus, quodque in ejus societate non est commissum: igitur pari ratione non tenetur ad aperiendam personam complicitis, ad observandam integritatem Confessionis. — **Nego sequelam majoris,** et ratio disparitatis est, quod proximus per peccatum cum ipso pœnitente non commissum, non se subdidit perfectioni judicii in foro Pœnitentiæ circa ipsum pœnitentem exercendi, neque Confessarius ex eo quod habet jus cognoscendi delictum pœnitentis, habet etiam jus cognoscendi delictum proximi, quod non est circumstantia peccati quod ipse pœnitens accusat: impertinens enim est ad potionem datam pro suffocando fœtu, et procurando abortivo, quod fœtus natus sit ex adulterio aut fornicatione; secus autem est de persona complicitis, cujus delictum est circumstantia mutans speciem, vel notabiliter aggravans peccatum, de quo pœnitens confitetur.

ADVERTE TAMEN, pœnitentem non posse manifestare personam complicitis, nisi quando id necessarium est ad integritatem Confessionis; unde si quæ soror dumtaxat venialiter peccasset, in non resistendo satis prompte violentiæ fratris stuprum ei inferre nitentis; non liceret ei sorori in confessione fratris personam et crimen detegere, quia in eo casu non haberet jus propter integritatem suæ Confessionis ad revelandum peccatum sui fratris; quia peccata venialia, eorumque circumstantiæ non debent necessario in confessione aperiri; unde sufficeret ei dicere, non restiti ea, quæ debebam animi promptitudine et fortitudine ei, qui me ad peccatum carnis impellebat. Idem dicendum de peccatis jam commissis, quæ ubi denuo aperiuntur in Confessione, non debet indicari persona complex, si nota possit esse Confessario; quia ejusmodi peccatorum accusatio non est necessaria ad integritatem Confessionis; unde eo in casu satius est, ejusmodi peccata iterum non confiteri, aut saltem cum ea circumstantia, quæ personam complicem indicaret.

ADVERTENDUM SECUNDO, quod qui revelat peccatum complicitis sine ulla necessitate, vel utilitate, peccat contra justitiam, adcoque tenetur ad restituendam famam, quæ ex tali indiscreta Confessione adeimpta esset apud Confessarium; eadem enim est ratio infamationis in Confessione, ac extra Confessionem, quando id per se Confessio non exigit: sed infamatio extra Confessionem, quæ fit sine necessitate et utilitate, est injusta, et per se obligat ad restitutionem famæ, eo convenientiori modo, quo hæc restitutio fieri potest: igitur idem dicendum de infamatione facta per Confessionem.

PETES 1. Utrum qui habet casus reservatos, occurrente necessitate, possit confiteri non reservatos ei Sacerdoti, qui non habet facultatem

absolvendi a reservatis, non aperiendo ei ejusmodi reservata peccata? — Affirmativam partem docet Alensis, 4. par. q. 18. memb. 5. art. 2. ad ultimum, ubi respondens huic argumento: propter quædam peccata recurrendum est ad summum Pontificem, qui habet plenitudinem potestatis absolvendi: sed ad ipsum non est recurrendum propter minora peccata, a quibus absolvere potest Sacerdos ordinarius: igitur aliquando necessum est dividere Confessionem. Ait: « dicendum, quod « aliud est confiteri peccata sua uni Sacerdoti, et quædam alii, ut sic « minor appareat malitia sua, et aliud est, cum non possit absolvi ab « illo, qui immediate habet animæ suæ curam, de consensu, et voluntate illius adire superiorem, qui potest eum absolvere, et hoc « quia non potest absolvi. Primo modo enim dividens Confessionem « movetur ex inordinata et perversa voluntate, qua vult se in parte « justificari, cum se deberet contemnere. Secundo modo dividens movetur ex bona voluntate propria et aliena, quia sic providere intendit « salutem propriam; nec talis dicitur dividere Confessionem, cum de consensu et consilio unius alii confiteatur ». Verum, ut apparet, non negat Alensis, pœnitentem debere peccata reservata aperire Sacerdoti, a quo absolvitur a non reservatis; quippe cum aperte dicat, eum de consilio ipsius Sacerdotis debere recurrere ad Superiorem, ut possit eum a reservatis absolvere; qualiter autem posset Sacerdos id consulere, si pœnitens ejusmodi peccata non aperiret?

Unde negativa sententia probabilior est, nempe quod confitens ei, qui non potest a reservatis absolvere, tenetur etiam peccata reservata confiteri: tum quia cum Sacerdos sit saltem indirecte pœnitentem etiam a reservatis absoluturus, necessum est, quod ejusmodi peccata etiam cognoscat, ac de eis judicet: tum quia horum peccatorum manifestatio plurimum inservit ad cognoscendum, utrum pœnitens sit dignus Absolutione, necne; nam horum ratione fieri potest, ut nullo modo sit absolvendus, puta si habeat concubinam, quam non vult abjicere, si nolit restituere aliena, etc.

DICES 1: Nullus tenetur eadem peccata bis confiteri, alioqui nimis grave esset onus Confessionis: sed pœnitens tenetur peccata reservata confiteri ei, qui habet potestatem ab eis directe absolvendi: ergo non debet ea confiteri Sacerdoti non habenti potestatem ab eis peccatis directe absolvendi. — Nego majorem quantum ad eum casum; nec enim illud onus iterandæ Confessionis est tanti momenti, ut propterea debeat integritas Confessionis violari, maxime cum pœnitens sibi hoc onus debeat imputare, propterea quod sua sponte hanc obligationem contraxerit.

DICES 2: Pœnitens non tenetur ad Confessionem, nisi Sacramentalem, quæ fiat apud legitimum judicem, qui possit solvere, vel ligare: sed Sacerdos ordinarius non est legitimus Judex, respectu peccatorum reservatorum, et consequenter Confessio ei facta non potest esse Sacramentalis: igitur non tenetur ad illa peccata confitenda. — Nego minorem; licet enim Sacerdos ille non sit legitimus Judex ejusmodi peccatorum per se et directe, ita quod si pœnitens dumtaxat confiteretur peccata reservata, non posset sacramentaliter de eis judicare, attamen est saltem indirecte eorum peccatorum Judex, quatenus videlicet conjuncta sunt cum aliis, de quibus, sicut et de statu pœni-

tentis, potest judicare; qua ratione eorum peccatorum reservatorum accusatio potest dici Confessio sacramentalis, quatenus illa peccata sunt veluti quædam circumstantiæ eorum, a quibus debeat directe absolvi, eaque præsentem statum peccatoris in Confessione manifestandum concernunt, ut judicetur an debeat absolvi, necne.

PETES 2. *Utrum legitime possit absolvi moribundus, qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri, sed solum signa generalia doloris ostendere?* — **Respondeo**, moribundum illum considerari posse dupliciter: nimirum vel quatenus, præsentem Sacerdote, dat quædam signa doloris, quibus ostendit se peccasse, et de eo dolere, sed ex eo quod subito privetur loquendi facultate, non potest ullum peccatum in particulari confiteri; vel considerari potest quatenus ante adventum Sacerdotis ostenderit quædam signa Pœnitentiæ, et postulaverit Confessarium, interim vero omnem usum rationis perdidit, ita ut Sacerdos adveniens non possit ullum ab eo Pœnitentiæ signum habere, sed tantum rescire a præsentibus, quod Pœnitentiæ signa dederit, et Confessarium petierit. Dico itaque, moribundum hoc utroque modo consideratum legitime absolvi posse, ut colligitur ex Concilio Arausicano, cap. 11. ubi dicitur: *Subito obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu, quo scilicet dolorem de peccatis significet.* Item Concilium Carthag. 3. cap. 34. ait: *Ut ægrotautes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur; similiter et de pœnitentibus agendum est.* Idem Carthag. 4. cap. 67. *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat Pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia.* Nec valet reponere, Concilia hæc dumtaxat loqui de Absolutione a censuris; hoc enim gratis omnino dicitur: *tum quia Concilia comparant hanc reconciliationem cum Baptismo, quibus significant se loqui de reconciliatione, quæ fiat per Sacramenta: tum quia loquuntur de reconciliatione, quæ fieri debeat ante sumptionem Eucharistiæ: hæc autem debet esse Sacramentalis in iis, qui inficiuntur peccato mortali, ut docet Conc. Trid., Sess. 14. Can. 7.*

Porro hanc veritatem aperte tradit S. Leo, Epist. 91. quæ est ad Theodorum Episcop. Forojuliensem, ubi scribit de reconciliandis per Pœnitentiæ Sacramentum, et ait: *Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante posebant, sub præsentia Sacerdotis, significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debent, ut simul et Pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur.* Ubi non loquitur de Absolutione a censuris; siquidem antea dixerat: *Mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus satisfactionem Pœnitentiæ darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad Communionem sacramentalem per januam reconciliationis admitterent.* Ubi clare docet, se loqui de Sacramentali Absolutione. Deinde, cum docuisset qua charitate et diligentia Sacerdotes se huic operi impen-

dere debeant, subjicit: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, exutus carne non poterit consequi.* Ex quibus aperte constat S. Leonem non loqui de Absolutione a censuris, quæ potest etiam mortuis impendi, ut patet ex capite *A nobis* 28., etc.

Suffragatur etiam ratio: Nam si talis Absolutio esset invalida, maxime quia non supponeret veram materiam, nempe veram sui ipsius accusationem, cum ostensione doloris, ex quo Sacerdos cognoscat, penitentem esse dignum Absolutione: at ita non est, siquidem penitens sufficienter ostendit se dolere de peccatis cum Pœnitentiam postulat, et jam incipit generatim confiteri, cum petit Sacerdotem accersiri; simili fere modo, quo quis per interpretem confitetur, dum ipsi peccata sua consignat, ut ea Sacerdoti explicet; cum enim adstantes Sacerdoti præsentem Pœnitentiam et desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius Confessionem Sacerdoti exponunt, sicque ipse Sacerdoti jam præsentem veluti per interpretes peccata manifestat, ac Pœnitentiæ signa protert.

DICES 1: Ad Absolutionem Sacramentalem prærequiritur Confessio, per quam status pœnitentis possit cognosci: atqui per hujusmodi signa pœnitentis status cognosci non potest: igitur, etc. *Deinde*, per illa signa Confessarius nihil cognoscit, quod ante non sciebat, nam tantum generatim cognoscit talem peccasse: at non potest exercere iudicium sine distincta cognitione causæ: igitur Sacerdos non potest iudicam et Sacramentalem Absolutionem proferre circa hunc moribundum. — **Respondeo ad primum, negando minorem;** sufficienter enim per hujusmodi signa Sacerdos cognoscit, illum hominem egere Sacramento Pœnitentiæ, ac subinde reum esse peccati; neque enim ad hoc ut quis directe absolvatur, necessum est, ut confiteatur aliquod peccatum in particulari. Nam si aliquis, qui multis annis in gravissimis vixisset peccatis, solum confiteretur unum peccatum veniale, v. g. se aliquando voluntarie distractum fuisse inter orandum, et subito destitueretur sensibus, secundum omnes, deberet absolvi; et tamen moraliter loquendo, Sacerdos ex illa Confessione non posset magis de illius statu iudicare, quam si solum generatim dixisset se peccasse: ergo etiam hoc casu deberet absolvi. *Ad secundum, nego majorem;* per ea namque signa a pœnitente exhibita Sacerdos cognoscit tamquam Iudex in Tribunali Pœnitentiæ, hunc hominem Deum offendisse, et de hoc dolere, quorum utrumque, saltem postremum, prius non noverat sub eâ ratione Iudicis.

DICES 2: Si pœnitens, qui absente Sacerdote dedit Pœnitentiæ signum, valide et licite posset absolvi, sequeretur, quod liceret per litteras et internuntium Confessario absentem peccata sacramentaliter confiteri: sed hoc tamquam erroneum dogma proscriptum est a Clemente VIII et Paulo V. ut jam diximus agendo de forma hujus Sacramenti: igitur, etc. — **Nego sequelam majoris:** longe enim diversus est casus hominis moribundi ab homine, qui per litteras Sacerdoti absentem peccata sua declararet; nam moribundus, quasi per interpretem confitetur, scilicet per testimonium eorum, qui audierunt illum

postulantem Confessarium, et viderunt signa Contritionis ab eo edita. *Insuper*, Sacerdos eo in casu non censetur absens, quia habet absolventum præsentem, necnon et præsentem testes, qui declarant, moribundum illum habere voluntatem efficacem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Secus autem est de homine prorsus absente, quia Confessarius non habet nec habere potest certitudinem moralein, quod pœnitens ille, qui per litteras confessus est, sit in debito statu, ut possit absolvi. Unde ad *minorem* dico, hanc assertionem non repugnare definitioni Clementis VIII, qua damnavit hanc propositionem: *Licet per litteras aut internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere. Primo*, quia, ut diximus, hic casus omnino diversus est a nostro: *secundo*, quia ipsemet Pontifex interrogatus, an moribundus sic deberet sacramentaliter absolvi; respondit debere absolvi, et se cum absoluturum, si talis occurreret occasio, nec eum casum suo decreto ullo modo comprehendi. Nam, ut refert Conink, disp. 7. num. 105. ann. 1608. 16. Aprilis, Illustrissimus Cardinalis. Bellarminus, et Illustrissimus Archiepiscopus Armacanus testati sunt se id ab eo audivisse. *Confirmatur* ex Rituali Rom., edito auctoritate Pauli V, in quo Summus Pontifex non solum permittit, sed etiam præcipit omnibus Parochiis, ut in tali casu moribundo Sacramentalem Absolutionem impendant, sic enim habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægrum deficient, nutibus, et signis cõnetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

QUÆSTIO QUARTA.

QUIS, ET QUALIS ESSE DEBEAT MINISTER SACRAMENTI,
CUI FIERI DEBEAT CONFESSIO.

TRIA maxime hac in Quæstione sunt determinanda: *primum*, utrum solus Sacerdos sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ: *secundum*, utrum id omni Sacerdoti conveniat virtute sui characteris et Ordinis: *tertium*, utrum Confessarius debeat esse ita secreti tenax, ut nulla unquam ratione ipsi liceat peccatum sibi confessum alteri, quam pœnitenti manifestare ac declarare. Quæ ut distinctius resolvantur, et appareant,

NOTANDUM 1. Eum inter cæteros fuisse Wicleffi errorem, quod Sacerdos non esset necessarius Minister Sacramenti Pœnitentiæ, sicut testatur Waldensis, Tom. 2. c. 135. quem nonnulli ex recentioribus hæreticis hoc in errore secuti sunt, ut colligitur ex Concilio Trid., Sess. 14. cap. 6. ubi statuit: *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse, et a veritate Evāgelii pœnitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos et Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo, et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, ad omnes Christifideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quisvis potestatem habeat remit-*

tendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquirerit, secreta vero per spontaneam Confessionem cuicumque factam. Non defuerunt etiam quidam Catholici, qui Magistrum Sententiarum secuti in 4. dist. 17. etsi concesserint, solum Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti, putaverunt tamen in necessitate, absente Sacerdote, peccatorem teneri confiteri Laico: *Dixerunt enim*, ut refert S. Bonaventura, eadem dist. p. 3. dub. 1. *quod quinque modis habetur potestas absolvendi, scilicet auctoritate, et sic est Dei: excellentia, et sic est Christi hominis: potestate, sive auctoritate commissa, et sic est Sacerdotis: merito vite, et sic est Justis, et Sanctis: et virtute Unitatis Ecclesiasticæ, et sic est cujuslibet viri fidelis: et ideo dicunt, quod talis Confessio quodammodo est Sacramentum Ecclesiæ: probabilius tamen est dicere, quod non sit Sacramentum Ecclesiæ, cum deficiat ipsi formale, scilicet potestas clavis: sed est aliquid loco ejus.*

NOTANDUM 2. Potestatem ad absolvendum a peccatis Sacerdotibus novæ Legis a Christo Domino concessam, declaratam fuisse Matth. 16. metaphorice nomine *clavium*, ubi Dominus Petro hanc potestatem spondens, ait: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, etc.* « Porro, inquit, Seraph. Doct., dist. 18. ar. 1. « nomen *clavis* translatum est ad spiritualia ab ipsis corporalibus; in « his autem corporalibus clavis est instrumentum ad removendum ali- « quod obstaculum. Quoniam igitur in spiritualibus invenimus aliquod « obstaculum ad ingrediendum in regnum cæleste, necesse est illud re- « movere. Ideo ad spiritualia nomen *clavis* transferimus, vocantes *clavem* illam virtutem, per quam obstaculum removetur, sive per quam « excluditur, includitur. Secundum hoc igitur notandum, quod cum « triplex sit obstaculum ingrediendi in regnum, et triplex potestas illud « removens, triplex est clavis spiritualis, differens secundum gradum « et dignitatem. Obstaculum autem ingrediendi in cælum est debitum « alicujus peccati; hoc autem est triplex: *primum*, peccati mortalis « commissi, et hoc est debitum æterni supplicii. Hoc autem obstacu- « lum solus Deus amovet; quia removetur per culpæ deletionem; et « ideo potestas hæc removens est potestas divina, quæ ab aliquibus « dicitur *clavis auctoritatis*. *Secundum* obstaculum est debitum pec- « cati contracti, et illud est debitum solutionis pretii, et hoc solvi « potuit per eum, qui potuit satisfacere; talis autem fuit solus Chri- « stus; et ideo hæc potestas removens illud obstaculum est solius « Christi, et vocant eam aliqui *clavem excellentiæ*. *Tertium* obstacu- « lum est debitum peccati dimissi, quia postquam homini dimissa est « culpa, adhuc est obligatus ad temporalem pœnam; et hoc removeri « potest per illum, qui potest peccati pœnam taxare; et talis est Mi- « nister Christi, non tantum Christus; et illa potestas est hominibus « communicata, et vocatur ista potestas *clavis ministerii*. Cum igitur « triplex sit obstaculum, triplex est clavis. Prima scilicet auctoritatis, « a qua est secunda, scilicet excellentiæ, et hæc est in solo Christo; « et tertia est clavis ministerii, quæ descendit a clave auctoritatis, « mediante clave excellentiæ; et de hac dictum est Petro: *Tibi dabo « claves regni cælorum* ». — Paulo aliter hanc veritatem explicat Do- « ctor, dist. 19. n. 4. ubi ait: « auctoritas judiciaria sentiendi, cælum « huic aperiendum, vel apertum esse, potest intelligi tripliciter: *Uno*

« modo auctoritas simpliciter principalis. Secundo modo, non princi-
 « palis, sed præcellens. Tertio modo, non principalis, nec præcellens,
 « sed particularis. Prima soli Deo convenit propter duo: primo, quia
 « ipse solus ex se est justus: imo ipsa justitia: primum autem judi-
 « cium non potest competere, nisi primo justo, quia iudicium non est
 « perfectum, nisi sit justum, juxta illud Ps. *Feci iudicium et justi-*
 « *tiam*, siquidem iudicare est jus vel justum dictare. Primum autem
 « justum oportet esse perfectissimum, et ita justissimum: igitur primi
 « justi. Secundo, quia iudicare est Præsidentis, juxta illud Apostoli
 « ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* Primus autem
 « Præsidens non potest esse nisi Deus solus. Unde sicut non potest
 « alii communicare divinitatem, sic nec primam potestatem iudicandi,
 « nec per consequens clavem simpliciter principalem aperiendi cæ-
 « lum. *Secunda clavis*, scilicet non principalis, tamen præcellens, po-
 « test intelligi quantum ad duplicem præeminentiam: unam quidem
 « in universalitate causarum iudicandarum; aliam in firmitate sen-
 « tentiæ definitivæ. Et utraque præeminentia potest convenire illi qui
 « omnia merita et demerita novit, quæ sunt causæ propter quas cæ-
 « lum est aperiendum, vel claudendum, et cum hoc habet voluntatem
 « inseparabiliter conformem justitiæ divinæ. Propter primum potest in
 « omnibus causis sententiare, quia omnes novit... Propter secundum
 « potest ejus sententia simpliciter esse firma et irrevocabilis, quia
 « semper justa. Hæc clavis cum utraque præeminentia proprie est
 « Christi, qui novit omnia merita et demerita iudicandorum, et semper
 « justitiæ divinæ conformiter iudicat. Nec ista potest esse in Ecclesia
 « militante, saltem congrue non potest, quia nullus in Ecclesia novit
 « omnes causas iudicarias, nec habet voluntatem immutabiliter justam.
 « *Tertia clavis*, scilicet particularis quantum ad causas cognoscendas,
 « et infirma quantum ad sententiam ferendam, puta quod sit aliquando
 « revocabilis, potest conferri alicui in Ecclesia militante, qui potest in
 « illa causa nosse, et in illa secundum legem divinam recte iudicare;
 « et si quando præter illam, sententia ejus non erit firma, sed secun-
 « dum illam erit firma. Potest ergo in Ecclesia esse una clavis cælum
 « aperiendi, scilicet auctoritas sentiendi particulariter, non irre-
 « vocabiliter, alicui cælum esse apertum. Congruit etiam istam esse in
 « Ecclesia, et hoc in Sacerdote, ut Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata,
 « et ultima reducatur in primum per medium ».

NOTANDUM 3. Sigillum Confessionis nihil aliud esse, quam obli-
 gationem qua Confessarius tenetur ad servandum secretum de iis omni-
 bus, quæ audivit in Confessione; quæ utique obligatio ideirco meta-
 phorice *sigillum* appellantur, quia sicut secreta sigillo solent obsignari,
 ne aliis manifesta fiant, ita peccata Confessori manifesta perpetuo si-
 lentio, quasi sacro et inviolabili sigillo debent obsignari, ne aliis in-
 notescant. Cum autem sit triplex jus, quo quis teneri potest ad ser-
 vandum sibi demandatum secretum, nempe jus naturale, divinum
 positivum, et ecclesiasticum; quæritur an Confessarius hoc triplici
 jure obligetur ad celandum peccatum sibi in confessione manifestatum.

Conclusio prima. — SOLUS SACERDOS. LEGIS EVANGELICÆ
 EST. LEGITIMUS MINISTRE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ, CUI FIERI DE-

BEAT SACRAMENTALIS CONFESSIO. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 14. c. 10. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solum Sacerdotes esse Ministros Absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo, et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam Confessionem, anath. sit.* Patet hæc veritas ex facto Christi Domini, qui Joann. 2. conferens facultatem absolvendi a peccatis, solis eam Apostolis dedit; nam cum insufflasset in eos, et dixisset: *Accipite Spiritum sanctum; statim subjicit: Quorum remiseritis peccata, etc.* clare insinuans illis solis hæc verba dicere, qui per singularem ordinationem ad hoc Spiritus Sancti gratiam acciperent: tales autem sunt soli Sacerdotes: igitur, etc.

Probatur insuper eadem veritas auctoritate SS. Patrum, qui unanimi calculo docent, hanc absolvendi potestatem solis Sacerdotibus novæ Legis esse concessam. Ita S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, et lib. *De Pœnitentia*, ubi loquens de potestate ligandi et absolvendi, dicit: *Jus hoc solis est permissum Sacerdotibus.* S. Hieron. exponens illud Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum: Habent, inquit, judicariam potestatem alii Apostoli, habet et omnis Ecclesia in Episcopis et Presbyteris; sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque a veritate fidei, et societate Ecclesiæ separatur, nec a peccatis solvi, nec cælum potest ingredi.* Idem festantur cæteri Patres, maxime S. Leo, Epist. 91. et ante eos S. Pacianus, Tract. *Contra Novatianos*. Porro hanc veritatem probat Subtilis Doct. supra laudatus n. 6. ex eo quod Sacerdos sit mediator inter Deum et peccatorem: « Congruit, inquit, istam auctoritatem « esse in Ecclesia, et hæc in Sacerdote, ut Hierarchia Ecclesiastica « sit ordinata, et ultima reducatur ad primum per medium: Hierar- « chia est medium inter Deum, peccatoremque reducendum. Hoc « etiam congruit perfectioni causarum secundarum in esse morali, « Deus enim universaliter non negat creaturis causalitatem, quæ po- « test eis competere, imo et illam communicat, et ad ejus actionem « causis secundis assistit. Ex quo ergo in esse gratuito possibile est « hominem habere istam causalitatem reductivam, quæ dicitur clavis, « congruum est, quod hoc supremo in Ecclesia, scilicet Sacerdoti, « detur ».

Eandem veritatem aperte et nitide declarat Seraph. Doctor, dist. 19. art. 2. qu. 1. ubi ait: « Dicendum (sicut dicunt Sancti, et « hoc etiam innuit ipse modus tradendi Ordines), quod in ordine Sa- « cerdotali clavium potestas confertur. Hujus autem ratio est institutio « divina. Institutionis autem congruitatem videre possumus, quoniam « harum clavium conservator habet efficaciam Mediatoris, et officium « Reconciliatoris. Mediator autem est inter Deum et hominem; recon- « ciliator vero reducendo ad Ecclesiam, et reconciliando Ecclesiæ. Ad « hoc autem ut possit esse Mediator perfectus et competens inter Deum

« et hominem, oportet quod posse habeat offerendi dona et sacrificia
 « pro peccatis, in quibus Deus placatur. Ad hoc, quod possit esse re-
 « conciliator, oportet quod possit reducere ad corpus Christi mysticum,
 « cujus caput est ipse Christus verus; et ut recta sit et ordinata po-
 « testas, oportet quod habeat posse conficiendi sanctissimum corpus
 « Christi. Hoc autem pertinet ad solos Sacerdotes; et ideo mirabilis
 « Dei sapientia ordinatissimo modo ordinans Ecclesiasticas potestates,
 « hanc potestatem ligandi, et solvendi solis Sacerdotibus commisit;
 « et ita in ordine Sacerdotali dantur claves ».

OBJICIES 1. S. Jacobus, cap. 5. monet, ut sua peccata sibi mutuo confiteantur; ait enim: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio Justi assidua*: igitur non censet soli Sacerdoti faciendam esse Confessionem. — **Respondeo**, triplicem in Scriptura distingui Confessionem peccatorum faciendam proximo: unam quidem satisfactoriam, quæ fiat offenso fratri ad impetrandam ab eo veniam et pacem: aliam consultoriam, quæ fiat ad capessendum consilium necessarium ad salutem: tertiam vero Sacramentalem, quæ fiat ad veniam obtinendam per Absolutionem. *Prima* quidem fieri potest cuilibet proximo offenso. *Secunda* vero homini justo et erudito, præsertim autem Pastoribus, ac viris Religiosis, quorum officium est publice et privatim fideles Evangelica doctrina illustrare, et salutari exhortatione consolari. *Tertia* autem fieri dumtaxat potest Ecclesiæ Sacerdotibus, quibus solis concessa est a peccatis absolvendi potestas. Porro de hac posteriori videtur dumtaxat loqui S. Jacobus, cum monet confitenda esse alteri peccata; siquidem prius sermonem fecerat de Sacerdotibus, monendo fideles, ut si quis ex eis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, et ungant oleo, unde statim colligit: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*; quibus non obscure significat, apud eos esse deponenda peccata, quos jam dixerat esse advocandos, ut orarent super infirmum, et eum ungerent. Ne vero quis existimaret peccata mortalia, quibus ægri conscientiam oneratam haberent, per istam Sacerdotum orationem et ministratam Sacram Unctionem posse deleri, subjungit: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, (ut explicat Hugo Victorinus, lib. *De Sacramentis*) hoc est inter vos homines hominibus, oves Pastoribus, subjecti Prælati, laici Sacerdotibus, ii qui habent peccata iis qui peccata dimittendi potestatem habent.

OBJICIES 2. S. Cyprianus, lib. 3. *Epistolarum*, secundum editionem Pamelii, Epist. 13. docet: *Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotis adventum, reconcilietur per Diaconum, facta prius exomologesi*, idest Confessione. Similiter *De Furtis*, cap. *fures*, legimus: *Fures et latrones, si in furando et depredando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum: sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*. — **Respondeo**, Cyprianum loqui non de Absolutione sacramentali, sed de ea, qua publice pœnitentes recipiebantur in Communionem Ecclesiæ, ut possent cum aliis communicare, et divinis interesse. *Ad alterum* dico, in eo capite non dici, quod Diaconus possit furem Sacramentaliter absolvere, sed quod possit audire ejus Confessionem, et

judicare, utrum sit vere contritus et dignus cui Sacramentum Eucharistiæ ministretur, quod tunc temporis Diaconi, absente Sacerdote, fidelibus conferre solebant.

OBJICIENS 3. Varias SS. Patrum auctoritates, quibus significare videtur potestatem clavium ad omnes omnino fideles, præsertim bonos et pios pertinere, eamque ab illis exerceri, quotiescumque vel offensas fratribus, qui in se peccassent, pœnitentibus remitterent, vel præfractos et impœnitentes divino judicio puniendos relinquerent. Ita præ cæteris S. August., lib. 3. *Contra Donatist.*, cap. 18. ubi de Apostolis, quibus dictum erat: *Quorum remisistis*, sic loquitur: « Ergo si per-
« sonam gerebant Ecclesiæ, et sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi
« Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit peccata, et ab Ecclesiæ
« pace alienatio tenet peccata, non secundum arbitrium hominum,
« sed secundum arbitrium Dei, et orationes Sanctorum spiritualium,
« qui omnia dijudicant, ipsi autem a nemine judicantur. Petra enim
« tēnet, Petra dimittit, columba dimittit, unitas tenet, unitas dimittit:
« pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritualibus,
« vel ad spiritualia concordia obedientia proficientibus; in malis autem
« non est, etc. » *Et infra* de malis: « Remissam tamen peccatorum non
« dabant, quæ per orationes Sanctorum, idest, per columbæ gemitus
« datur. Non enim raptoribus et fœneratoribus diceret Dominus, *si*
« *cui dimiseritis peccata*, etc. » *Et* lib. 5. cap. 21. « Quapropter, *inquit*,
« Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gra-
« tiam non nisi per seipsum, vel per Sanctos suos, et ideo remissio-
« nem peccatorum, vel per seipsum facit, vel per illius columbæ
« membra, quibus ait: *Si cui dimiseritis*, etc. » *Et ejusdem operis*,
lib. 6. cap. 4. « Cum, *inquit*, homini malo veraciter ad Deum con-
« verso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci
« conversione conjungitur. Idem quippe Spiritus sanctus ea dimittit,
« qui datus est omnibus Sanctis sibi charitate cohærentibus, sive se
« noverint, sive non noverint. Similiter cum alicujus peccata tenentur,
« ab eis utique tenentur, a quibus ille cui tenentur, vitæ dissimilitu-
« dine et pravi cordis aversione disjungitur ». *Præterea* Tract. 58. in
Joann. dicit, quod dum nobis invicem peccata dimittimus, ea in terra
solvimus, ut et in cælo solvantur. *Et* Tract. 121. ad ea verba: *Quo-*
rum remisistis, etc. Ecclesiæ charitas, *inquit*, eorum, qui participes
sui sunt, peccata dimittit, eorum qui non sunt, tenet. Similis est locus
apud S. Ambrosium, lib. 9. in Lucam, ad illud: *Solvite, et adducite*,
ubi sic ait: *Solvit enim manus Apostolica, talis actus, talis vita, talis*
gratia, esto talis et tu, ut possis ligatos solvere. Proferri etiam potest
quod Origenes, Homil. 1. in 16. Matth. scribit: *Omnes eos, qui vestigia*
Petri sequuntur, habere solvendi et ligandi potestatem. *Et* quod Theo-
philactus in Matth. 18. apertis verbis tradit, dicens: *Non enim solum,*
quæ solvunt Sacerdotes, sunt soluta, sed quæcumque et nos injuria af-
fecti vel ligamus, vel solvimus, et ipsa erunt ligata, vel soluta. — **Re-**
spondeo, nos jam ex parte his omnibus auctoritatibus fecisse satis in
Disp. Pœnitentiæ, ubi demonstravimus, Sacramenta valide administrari
etiam per malos Ministros. Addo insuper, locis mox laudatis SS. Augu-
stinum et Ambrosium non loqui de Ministris Sacramenti, neque de
sacramentali modo remittendi peccata, qui fit per auctoritatem mini-

sterialem, sed de modo impetratorio, qui proprius est sanctis et piis viris. Neque enim Deus dimittit alicui peccata extra Sacramentum ad orationes perversorum, sed justorum. Quæ duo apertissime distinguit S. Augustinus, lib. 4. *Contra Donatistas*, cap. 4. ubi disputans de hæretico et raptore, utrum remittant peccata, ait: *Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille, sic et ipse: si per meritum suum, nec ille, nec ille*. Quibus significat, peccata interdum dimitti, vel per ministerium absolventis, vel per meritum impetrantis; quem utique posteriorem modum remittendi peccata etiam agnoscit Ecclesia in Sanctis cum Deo regnantibus; dicit enim, inquit Estius, dist. 20. § 2. in Hymno ad B. Virginem: *Solve vincla reis: et iterum: Nos culpis solutos mites fac et castos*. Et ad Apostolos: *Nos a peccatis omnibus solvite jussu quæsumus*. Et ad Martyrem: *Soluta jam sunt vincula tui sacrati corporis, nos solve vinclis sæculi*, etc. Dicitur autem jussu, propter certitudinem effectus consequentis earum intercessionum. Item ad Præcursorem: *Solve polluti labii reatum, sancte Joannes*. E diverso quoque dicuntur Sancti ligare impœnitentes, et eorum retinere peccata, quando divinam justitiam circa impœnitentes, et potissimum circa damnatos approbant. Unde vox eorum est in Psalmo: *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Nam sicut in extremi Judicii die Sancti futuri sunt Judices, ita et nunc quodammodo judicant malos et impios, divinam etiam in hac vita circa eos approbando sententiam. Ad id vero, quod ex Origene et Theophilacto objicitur, jam supra responsum est ad primam objectionem, ubi diximus triplicem esse Confessionem; unam quidem Satisfactoriam, de qua hi duo Auctores sunt intelligendi.

PETES: *Utrum, absente Sacerdote, et urgente mortis periculo, aliquis peccati mortalis conscius confiteri teneatur Laico, aut Diacono?* — **Respondeo:** ejusmodi Confessionem varios Auctores consulere: primo, namque Auctor libri *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 10. et ex eo Gratianus, cap. *Quem pœnitet*, dist. 1. *De Pœnit.*, ubi ait: *Tanta Confessionis vis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo: sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest verecundari coram Sacerdote; et si ille, qui confitebitur, potestatem non habeat solvendi, fit tamen dignus venia Sacerdotis desiderio, qui confitetur socio: Mundati enim sunt leprosi, dum ibant orare, vel se ostendere Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet, Deum ad cor inspicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire. Sæpe quidem quærunt eos sani, et læti: sed dum quærunt, antequam perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est, qui et justis parcere novit, etsi non tam cito, sicut si solverentur a Sacerdote*. — Idem docet Petrus Cantor Parisiensis in Summa de Sacramentis, fol. 203. ubi eandem tuetur sententiam ut communem, eadem libri *De vera, et falsa Pœnit.*, auctoritate fretus: *Ecce ex hac auctoritate habemus, quod in necessitate confitendum sit laico, si Sacerdos desit, et non solum venialia, sed etiam mortalia*. Deinde sibi auctoritatem Bedæ objicit, qui hoc videtur de venialibus tantum intelligere, cui sic respondet: *Sed hoc forte dictum est in casu, ubi Sacerdos haberi potest; quod videtur ex eo quod sequitur, scilicet, quod sine Confessionis emendatione peccata nequeunt*

dimitti. Si enim tantæ necessitatis est Confessio, quod si deest Sacerdos, confitendum sit cuicumque in mortis periculo, sed numquid Judæo, vel Gentili, vel Hæretico manifesto? Non videtur, quia contemptores sunt, et irrisores Christianæ Religionis, etc. Postea probat, nec moriõni, nec puero confitendum esse, sed laico discreto, qui non scandalizetur propter ejusmodi Confessionem. Quærit amplius idem Petrus, atque respondet ea, quæ nihi videntur hic inserenda, ut quæ fuerit tum multorum vulgata praxis evidentius demonstraretur: *An, et similiter mulieri, quæ non scandalizetur per ejusmodi Confessionem? Item si fidelis serviens Judæo moriatur in via, domino præsentem solo suo, non habens peccata aliqua, in quibus Judæus ille velit, vel possit detrudere confitenti, vel Ecclesiæ: et ille priusquam moriatur, confiteatur Judæo illi, et eum adjuret per Deum, et fidem quam ei debet, ut Pœnitentiam, et Confessionem suam protestetur Ecclesiæ: an credetur ei postmodum hoc protestanti? nonne commendabit Ecclesia talem Confessionem, cum nullum ex ea sequatur periculum? R. Credo, quod Dominus, qui dat in tali casu pœnitenti Contritionem, ipsum quid agere debeat, docebit per internam inspirationem. Potest enim, ut credo, propter tantam necessitatem etiam hoc Judæo vel hæretico confiteri; potest autem commendabiliter abstinere, ne talibus confiteatur, si dicit ei conscientia.* — Ita etiam docuit Præpositivus, ut vulgatam doctrinam, sicut ex ejus Summa manuscripta colligitur, 2. cap. *De Confessione*, ubi sic scribit: « *Quæritur utrum aliquis possit confiteri socio suo. Quod sic, probatur. Beda super illum locum, Confitemini alterutrum peccata vestra, dicit, quod peccata ex deliberatione facta debet quis confiteri Sacerdoti; facta vero ex infirmitate vel ignorantia potest confiteri socio. Contra hoc sic: aliquod peccatum factum ex infirmitate gravius est omni peccato ex deliberatione facto. Nam peccatum fornicationis, quod fit ex infirmitate, gravius est verbo otioso, quod quis dicit ex deliberatione. Ergo aliquod mortale peccatum debet quis confiteri socio, et veniale Sacerdoti. Solutio: Beda per peccatum infirmitatis, intellexit peccata quotidiana, sine quibus vix potest esse vita, quia hæc sæpe ex infirmitate vel ignorantia procedunt. Sed queritur quid conferat confiteri socio. Videtur quod nihil conferat, nam socius non habet potestatem ligandi, atque solvendi: ergo nihil confert socius, maxime cum possit invenire Sacerdotem. Solutio: dicimus, quidquid dicat Beda, quod semper melius est confiteri Sacerdoti, quam socio, et socio non est confitendum, nisi in necessitate. Necessitas autem est in minimis peccatis. Pene enim esset impossibile semper quoties peccamus Sacerdotem invenire, sed socium de facili reperimus: et cum quis confiteretur socio, solvitur ex desiderio Sacerdotis, ut dicit Augustinus ». Hæc ille. — Albertus Magnus in 4. dist. 17. art. 58. hanc questionem proponit: *An aliquis possit confiteri suo socio, et ad quid valeat illa Confessio?* Cui sic respondet: *Valeat Confessio facta laico, ubi articulus necessitatis, non contemptus Religionis, excludit proprium, vel alienum Sacerdotem.* Deinde docet, Patres multiplicem asseruisse absolvendi potestatem: « *Est, inquit, potestas absolvendi ex auctoritate, quæ est Dei: est potestas superexcellentiæ, et hæc est Christi hominis, etc. Tertia potestas est ex vitæ merito, et suffragiis orationum, et hæc est Sanctorum in**

« Ecclesia, qua unus alii meretur primam gratiam, quæ absolvit a
 « peccatis. Alia autem potestas ex officio Ministrorum concessa Sacer-
 « dotibus, est ultima ex unitate fidei et charitatis; et hæc pro neces-
 « sitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subvenien-
 « dum: et hanc potestatem habet laicus in articulo necessitatis, et
 « mulier similiter ». Articulo sequente docet, Absolutionem illam esse
 Sacramentalem, ut est Baptismus a laico datus, et laicum eo casu
 veri Ministri, idest, Sacerdotis Vicarium. — Ita quoque **S. Ray-**
mundus, lib. 3. *De Pœnit. et Remiss.*, § 20. ubi ait: *Sed et graviora*
coequalibus pandenda sunt, cum deest Sacerdos, et urget periculum:
venialia, Sacerdotis ablata copia, licet confiteri coequalibus, et hoc suf-
ficit, ut dicunt plerique Doctores; si tamen ex contemptu non præter-
mittatur Sacerdos. Alii vero dicunt, et credo tutius, quod utriusque
generis peccata Sacerdotibus sunt pandenda, quibus est concessa potestas
ligandi et absolvendi, si habeatur eorum copia. Et antea Sess. 15. di-
xerat S. Augustini auctoritate fretus, et Decreti de Pœnit., dist. 1.
quem pœnitet, et de Consecratione, dist. 4. cap. Sanctum: Tanta est
vis Confessionis, ut si immineat articulus necessitatis, vel quia infir-
matum ad mortem, qui confiteri vult, vel debet intrare bellum iustum,
et deest Sacerdos, confiteatur proximo; et ita non solum Clerico, sed
etiam Laico, vel socio posset. — Alexander Alensis 4. Summæ q. 19.
memb. 1. art. 1. dicit, Confessionem laico factam utilem esse multis
de causis, et Absolutionem a laico datam esse Absolutionis a Deo im-
petitionem; atque in hujus rei probationem affert S. Augustini dictum
jam exscriptum; sed sub nomine S. Gregorii. — S. Bonaventura in
dist. 17. p. 3. dub. 3. et art. 2. q. 1. testatur nonnullos Doctores ex-
istimare, Confessionem illam esse Sacramentalem; contrarium tamen
probabilius judicat. Sed parum interest, an sit Sacramentalis, necne,
modo primarium Absolutionis Sacramentalis effectum, idest, salutem,
quoquo modo in pœnitente producat. — Cardinalis Hostiensis, lib. 5.
Summæ, tit. De Pœnit. et Remiss., cap. 14. ubi casus explicat, in
quibus licet non confiteri Parocho suo. « Septimo, inquit, tempore
« necessitatis 26. q. 6. Si Presbytero de Pœnit. dist. 3. Quicumque
« Presbyter; quia, sicut ait Augustinus, tanta est vis Confessionis,
« quod si immineat necessitatis articulus, ut quia infirmatur ad mor-
« tem is qui vult confiteri, vel oportet eum intrare bellum, et deest
« Sacerdos non solum proprius, sed et quilibet; in tali articulo potest
« etiam laico, vel etiam mulieri si non adsit alius, confiteri, de Pœnit.
« dist. 1. Quem pœnitet, et dist. 3. Qui vult, et de Consecratione, dist. 4.
« Sanctum est, etc. Non tamen hæretico, vel excommunicato debet
« quis confiteri ». Quantæ autem virtutis sit ejusmodi Confessio, paulo
post explicat: « quod autem dictum est de laico vel muliere, intel-
« ligas quoad ostendendam fidem sacramentalem; unde si sic moriatur,
« salvatur; debitum tamen Sacramentum deficit, quia nullus potest
« vere absolvere, ut scilicet verum sit Sacramentum Pœnitentiæ, nisi
« Sacerdos sit; ideoque si talis evadat, debet iterum Sacerdoti proprio
« confiteri ». — Similiter S. Thomas, in dist. enim 17. q. 3. art. 3.
quæstiuncula 2. Dicendum, quod sicut Baptismus est Sacramentum
necessitatis, ita et Pœnitentia. Baptismus autem, qui est Sacramentum
necessitatis, habet duplicem Ministrum: unum, cui ex officio bapti-

zafè incumbit, idest, Sacerdotem: alium, cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui Confessio facienda ex officio est, est Sacerdos; sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit. *Et postea* in responso ad primum docet, in hujusmodi Confessione inesse rationem Sacramenti, et ea, quæ ad Sacramenti essentiam pertinent, licet non omnia: quæ vero desunt, defectum scilicet Sacerdotis, a summo Sacerdote suppleri: quando necessitas immiñet, debet facere pœnitens, quod ex parte sua est, scilicet conteri, et confiteri cui potest. *Et paulo post*: nihilominus Confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum. Postea responsione ad secundum asserit, laicum esse confitentis Judicem, eo quod ratione necessitatis, et Sacramenti adipiscendæ sese ei confitens subiecit.

Verum dico his et similibus auctoritatibus et sententiis non significari illam Confessionem a pœnitente factam, et Absolutionem a Diaconis aut laicis datam, esse Sacramentalem; quippe omnes omnino Ecclesiæ Doctores constanter docent clavium potestatem ad solos Episcopos et Presbyteros pertinere, uti aperte definit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 6. Itaque illa confessio potest quidem esse salutaris propter Contritionem, et verecundiam ac humilitatem annexam; nam (inquit Doctor, dist. 17. q. 27.) « Talis Confessio potest esse materia verecundiæ, quæ est una pœna debita peccato; et in hoc confitens solvit aliquam pœnam, quam solveret, si confiteretur Sacerdoti; sed quia accusatio ad hoc ex præcepto sit, et non aliud, ut sequatur sententia; et laicus nullam habet sentiendi auctoritatem in isto foro; sequitur, quod nullum præceptum est de accusando se laico. Et forte utilius esset non accusare se illi, si posset æqualem verecundiam habere apud se recogitando eadem peccata, et sic æque puniri. Et si diceret aliquis, quod necessarium est non confiteri laico, quia nulli liceret diffamare se, nec prodere peccatum suum occultum, maxime quando ille, cui prodit, non præsumitur celator secreti, nec scit melius consulere peccatori, quam ipsemet sibi; forte enim propter consilium requirendum, licet revelare peccatum suum alicui laico discretiori. Sed nec hoc patet, quia consilium posset inquiri posito casu in universali de aliquo, absque revelatione peccati sui. Quid igitur de malefactoribus damnatis confitentibus laicis? Respondeo, simplicitas excusat eos, ne in hoc peccent; et humilitas eorum est meritoria eis, pro quanto volunt illud, quod pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ supplere, sicut possunt. Sed viro discreto, qui bene sciret ad quid est Confessio instituta, nec forte utile foret, nec (sine forte) necessarium talem Confessionem facere ». *Ita Doctor.*

Conclusio secunda. — NON OMNIS SACERDOS, EXTRA IMMIÑENS PERICULUM MORTIS, EST MINISTER SACRAMENTI PŒNITENTIÆ, CUI FIERI DEBEAT CONFESSIO, SED TANTUM ILLE, CUI AD ID CONCESSA EST JURISDICTIO. Hæc est communis apud Theologos, et expresse

Colligitur ex Concilio Florentino, in Decreto Eugenii, ubi docet, Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel delegatam. Quibus verbis cum explicet ea,

quæ jure divino ad essentiam Sacramentorum requiruntur, significat hanc auctoritatem sive potestatem jurisdictionis requiri jure divino. Idem aperte satis docet Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 5. ubi ait, Absolutionem a peccatis esse actum judicarium, ex institutione Christi: ad hunc autem requiritur jurisdictio; unde cap. 7., ait: *Quoniam igitur natura et ratio Jurisdicti illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Unde etiam cap. *Si Episcopus, De Pœnitent. et Remiss.*, in 6. statuitur, nulla consuetudine posse induci, sive præscribi, ut quis sine licentia Superioris possit sibi Confessarium eligere, quia nimirum contra jus divinum nulla consuetudo aut præscriptio potest prævalere. Ex quo apparet hanc necessitatem jurisdictionis ex ipsa natura et institutione Sacramenti consequi; si enim, quod quilibet Sacerdos non possit quemlibet absolvere, proveniret tantum ex jure humano, contra illud præscribi posset, quia secundum veriore sententiam, præscribi potest contra omne jus humanum.

Difficultas autem est, unde proveniat ejusmodi jurisdictio; quidam enim Theologi docent cum Armacano, lib. 11. *Questionum americanarum*, cap. 4. potestatem jurisdictionis in hoc Sacramento non distingui a potestate ordinis; atque ita Sacerdotem utramque simul accipere in ordinatione omnino completam, sicque quemlibet Sacerdotem posse valide quemvis legitime dispositum absolvere, licet illicite ob Ecclesiæ prohibitionem. Verum hæc sententia aperte repugnat Concilio Tridentino, c. 7. decernenti, *delictorum reservationem consonam esse divinæ auctoritati, et non tantum in externa potestate, sed etiam coram Deo vim habere; verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possunt in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.* Quibus verbis aperte docet, non solum illicite, sed etiam invalide aliquos Sacerdotes absolvere a peccatis reservatis; ac subinde falsum est, eos omnes habere completam jurisdictionem virtute suæ ordinationis.

Censent nonnulli cum Navarro in *Summa* cap. 4. n. 3. et cap. 27. n. 54. Sacerdotes quidem in sua ordinatione accipere jurisdictionem habitualement, non talem ac tantam, ut valide possint absolvere, Ecclesia id sua prohibitione impediente. *Verum* hæc sententia pene coincidit cum præcedente; nam si quis Sacerdos jure divino et virtute suæ ordinationis habeat sufficientem potestatem, ut actu possit ab omnibus peccatis absolvere, nulla ratione Ecclesiæ poterit efficere, ut pœnitentem debite dispositum valide absolvat, sicut nulla sua prohibitione potest efficere, ut Episcopus aliquem invalide ordinet, aut confirmet.

Tertio, aliqui docent cum S. Antonino, 3. part. tit. 17. c. 4. Sacerdotes in sui ordinatione accipere quidem potestatem jurisdictionis, sed quæ, etiam seclusa omni Ecclesiæ prohibitione, non possit reduci

ad actum, propter defectum materiæ; nam ut aliquis Judex exerceat actum jurisdictionis, non satis est, quod a Principe Judex instituat, sed præterea necessarium est, quod habeat subditos, et determinatum locum ubi ejusmodi jurisdictionem exerceat; unde ut Sacerdotes valide possint aliquem pœnitentem absolvere, necessum est, quod Ecclesia ipsis aliquos subditos assignet; quia Christus Dominus hoc sacramentum ita instituit, ut nullus sine auctoritate et determinatione Ecclesiæ possit in alterum sententiam ferre; quam sententiam veriolem existimo.

Quarta tandem sententia docet potestatem Ordinis, quam solam Sacerdos in sui ordinatione accipit, esse distinctam a potestate Jurisdictionis, quam postea accipit a Prælati Ecclesiæ; unde fit, ut neminem possit absolvere, nisi prius accepta hac auctoritate, quæ sicut libere conceditur, sic etiam libere suspendi potest et revocari. Ita Medina, *De Pœnit.*, Tract. 2. qu. 39. conclusione 3. Soto, in 4. dist. 18. qu. 4. art. 2. Suarez, disp. 16. sect. 3. n. 7. Quam utique sententiam probant maxime his momentis, quæ alibi, agendo de Ordine, examinabimus; ajunt autem: Trident. et Florent. distinguunt hanc jurisdictionem in ordinariam, et delegatam; ac subinde censent hanc potestatem posse delegari: id autem falsum esset, si potestas jurisdictionis esset eadem cum potestate ordinis; nemo enim dixerit potestatem ordinis posse delegari; ac subinde censent Concilia, potestatem jurisdictionis a potestate ordinis esse distinctam. *Deinde*, omnis jurisdictio est essentialiter superioritas, quæ intrinsece dicit respectum ad subditos; sicut enim nullus revera potest esse dominus, quin habeat servum, ita nec Superior esse potest, ac jurisdictionem habens, nisi habeat subditos: sed Sacerdos virtute suæ ordinationis nullos acquirit subditos: igitur nec virtute illius jurisdictionem obtinet. *Denique*, ejusdem est conferre jurisdictionem, cujus est dare subditos, in quos exerceatur ejusmodi jurisdictio: sed Ecclesia Sacerdotibus ordinatis assignat subditos, in quos exerceant jurisdictionem et auctoritatem judicandi sacramentaliter: igitur etiam dat hanc jurisdictionem.

DICES 1: Urbanus II, ut refertur cap. *Placuit*, *De Pœnitentia*. Statuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui prius se commisit. Igitur prius cuilibet licebat, quemvis ad Pœnitentiam et Absolutionem suscipere. — **Nego consequentiam**; siquidem ibi non agitur de Pœnitentia sacramentali, sed tantum de Pœnitentia publica, et decernitur ne aliquis agendo solemnem Pœnitentiam postquam commissus est uni Sacerdoti, ut illam juxta illius judicium et præscriptum agat, possit sine hujus Sacerdotis licentia alteri se committere in eadem causa, nisi forte Sacerdos ille, cui se primo commiserat, ei injunxisset aliquid indecens propter ignorantiam; hoc enim in casu posset alterum convenire.

DICES 2: Potestas jurisdictionis, seu remittendi peccata, conceditur cuilibet Sacerdoti in sua ordinatione, ut decernit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 6. his verbis: *Docet quoque* (sancta Synodus) *etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti, in ordinatione collatam, tamquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis Sacerdo-*

tibus hanc potestatem non esse contendunt. Ubi Concilium docet, Sacerdotes habere potestatem jurisdictionis virtute suæ ordinationis: igitur illa potestas non est distincta a potestate Ordinis; ac subinde quemadmodum quilibet Sacerdos potest exercere potestatem Ordinis independenter a qualibet prohibitione Ecclesiæ, pari ratione poterit exercere jurisdictionem et auctoritatem absolvendi. *Adde quod* Concilium dicat Sacerdotes habere auctoritatem eandem quæ concessa fuit Apostolis vi verborum Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata:* at Apostoli virtute verborum istorum poterant quemlibet absolvere: igitur idem præstare possunt Sacerdotes. — **Nego consequentiam,** juxta tertiam sententiam; quamquam enim potestas remittendi peccata conferatur secundum substantiam et virtutem cuilibet Sacerdoti in ordinatione, non tamen confertur exercenda, nisi assignatis subditis, in quos exerceatur; ac subinde confertur quidem intrinsece completa quantum ad virtutem, sed in complenda extrinsece quantum ad exercitium, et applicationem subjecti, in quod illa potestas exerceatur; non secus ac si Rex tribueret aliquibus potestatem judicandi, et constitueret eos Judices, non assignaret tamen illis subditos, sed designationem ipsorum permetteret provinciarum Gubernatoribus, ubi judicarent expedire bono regni. — Ad id quod subjungitur, non aliam quemlibet Sacerdotum accipere in sua ordinatione potestatem, quam quæ Apostolis concessa fuit, quando eis dictum est: *Quorum remiseritis, etc. Respondeo,* concedendo non aliam præcise vi verborum illorum potestatem accipi, sed quemadmodum præter hanc potestatem ex Christi voluntate missi sunt in universum mundum, qua missione complementum potestatis jurisdictionis fuit eis collatum, ita præter eam, quam quilibet Sacerdos recipit in ordinatione sua, potestatem, debet ejusdem complementum recipere ab Ecclesia, quæ illi subditos assignet.

OBJECIES 2. Si vera esset nostra sententia, sequeretur Sacerdotes recipere ab Ecclesia potestatem absolvendi; quod absurdum est; alioqui dicendum esset: Ego te absolvo auctoritate Ecclesiæ. — **Respondeo,** *negando sequelam:* Sacerdotes recipiunt a Christo in sua ordinatione potestatem jurisdictionis, a qua efficienter est remissio peccatorum, posito quod subditi assignentur, adeoque habent a Christo potestatem absolvendi, et ab Ecclesia recipiunt tantum designationem subditorum, quod non est recipere, nisi complementum potestatis, a quo non potest dici Sacerdos sic recipere potestatem absolvendi; sicuti ignis non recipit potestatem comburendi ab eo, qui materiam combustibilem illi approximat; nam ille qui a Principe constitutus Judex recipit a gubernatore Provinciæ potestatem judicariam, designatos, in quos judicium ferat, subditos habet a gubernatore Provinciæ.

Conclusio tertia. — CONFESSARIUS STRICTE TENETUR JURE NATURÆ, DIVINO POSITIVO, ET ECCLESIASTICO AD SERVANDUM SIGILLUM CONFSSIONIS, ITA UT NULLA RATIONE POSSIT ALTERI REVELARE EA, QUÆ SIBI IN CONFSSIONE MANIFESTATA SUNT. HÆC EST COMMUNIS APUD CATHOLICOS, ET QUANTUM AD OBLIGATIONEM EX JURE ECCLESIASTICO, DEFINITA IN CONCILIO LATERANENSI SUB INNOCENTIO III, CAP. *Omnis utriusque sexus*, ubi statuitur: *Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo aut*

signo, aut aliquo quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiget, illud absque ulla expressione personæ caute requirat; quoniam qui peccatum in penitentiali iudicio sibi secretum præsumpserit rivelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. Quod utique decretum approbat Conc. Trid., Sess. 14. cap. 5. — Quantum autem ad obligationem ex *jure naturali*, laborant Theologi in assignanda genuina ratione hujus obligationis. Aliqui enim eam repetunt ex mendacio, quia, inquit, nusquam licet mentiri: at si Sacerdos revelaret Confessionem mentiretur; nam diceret se scire ut est homo, quod nescit ut homo, sed tantum ut Dei vicarius. Verum hanc rationem refellit Doctor, dist. 21. n. 4. *Primo*, quia Sacerdos ex potestate clavium sibi commissa in propria persona cognoscit, et decernit in causa peccatoris, ejusdem enim est in persona cognoscere, cujus est in causa sententiare de ea: sed Sacerdos non in persona Dei sententiat absolvendo confitentem: igitur et sic audit, et cognoscit. *Minor patet*; non enim absolvit principaliter, sed tantum ministerialiter; absolvere autem ministerialiter sibi non competit, nisi in persona propria, si enim in persona Dei loqueretur, absolvendo confitentem, vere posset dicere sine prece prævia, quæ est, *Dominus te absolvat, Ego te principaliter absolvo, et gratiam infundo*: sicut Angelus vere dixit in persona Dei: Ego te eduxi de Ægypto. *Insuper* non magis audit vel absolvit Sacerdos in foro Confessionis in persona Dei, quam conficiat Eucharistiam in persona ejus, quia æque excellens est actus iste, sicut ille; et actus Sacramentalis, in quo operatur virtus divina. sicut hic: imo videtur ibi plus agere in persona Dei, vel Christi, quam hic. Ibi enim profert verba Christi, *Corpus meum*, et in persona Christi, de quo præmisit: *Qui pridie, quam pateretur*, etc. Ita quod totum illud: *Accipite*, etc. *Hoc est corpus meum*, dicit ipse recitando verba Christi: non sic in proposito. Unde non præmittit hic, Christus volens absolvere peccatorem dixit sic, *Ego te absolvo*, sed *ly ego* stat hic pro persona Ministri. Ex hoc ergo patet, quod magis, vel non minus conficit in persona Christi, quam absolvat vel audiat Confessiones in persona Christi: sed conficit in persona propria; unde non mentitur post Missam dicens, Ego scio hodie me consecrasse: igitur pariter non mentiretur, dicendo: Ego hodie audivi talem confitentem hoc peccatum. *Tertio*, si hæc ratio esset vera, sequeretur Sacerdotem non posse in Confessione auditum peccatum alteri manifestare, non revelata persona, nisi mentiretur; sed hoc falsum apparet per illud *Extra de Pœn. et Remiss.*, cap. 1. Officii, ubi Innocentius III respondet Cardinali Legato, qui scripserat casum, quem audierat in Confessione, et super eum consilium petierat a summo Pontifice, qui ipsum non redarguit, quod revelasset peccatum hujusmodi in universali per scripturam; sed respondit qualiter sit tali personæ confitenti consulendum. *Quarto*, patet ex communi usu Confessorum, quod Confessor extra Confessionem potest dicere, hoc aut illud fuisse sibi confessum, ubi non est periculum manifestandi personam confitentem: sed stante prædicta ratione id non liceret, quia nusquam licet mentiri: igitur, etc. Unde concludit Doctor, quod cum Sacerdos non audiat Confessiones,

nec absolvat ut persona Dei, sed tantum ut ejus Minister, et vices gerens, idcirco non mentiretur, si aliquod peccatum sibi confessum alteri manifestaret.

**Itaque, quatuor alias rationes profert Doctor, n. 8. quibus suadet sigillum Confessionis esse de jure naturæ; quæ quoniam per se claræ sunt ac perspicuæ, idcirco hic eas transcribendas esse volui; quarum prima sumitur ex ratione charitatis; secunda ex ratione fidelitatis; tertia ex ratione veritatis vel veracitatis; quarta, ex ratione unitatis, vel mutuæ utilitatis. Prima talis est: « Lex naturæ de charitate frâ-
« terna exprimitur Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant
« vobis homines, hoc facite illis. Hæc est enim lex, et Propheta. Et
« Lucæ 6. Prout vultis, ut faciant homines vobis, et vos facite illis.
« Sed sic intelligi debet illa propositio Legis naturæ de charitate fra-
« terna, quæ vultis vobis, idest, quæ debetis secundum rectam ratio-
« nem velle; et hoc intelligitur in illa propositione, Matth. 22. *Diliges
« proximum tuum, sicut teipsum. Sed quilibet debet diligere secundum
« rectam rationem famam propriam: ergo et celationem peccati sui
« confessi; et per consequens Confessor debet idem diligere, et velle
« ipsi confesso: sed revelatio tolleret confesso famam; ergo, etc. Minor
« probatur per Scripturam, Ecclesiastici 11. *Curam habe de bono no-
« mine, et reddit rationem de hoc: hoc enim magis permanebit tibi,
« quam mille thesauri magni et pretiosi. Probat etiam per aliud, sub-
« dens: *Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit
« in æternum. Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ
« multæ. Item per rationem probatur: quilibet enim secundum rectam
« rationem debet sibi velle vitam civilem: hæc autem tollitur per
« ablationem famæ, quia in hoc aliquis vivit vita civili, quod idoneus
« est ad actus aliquos competentes sibi in illa civitate; sed fama amissa,
« privatus est habilitate ad tales actus, quia amisit statum dignitatis
« illæ, scilicet habilitatem ad actus, quibus alias dignus esset. Se-
« cunda pars minoris, scilicet quod revelatio peccati confessi tollit
« confesso hujusmodi famam, probatur; quia quæ ratione potest uni
« revelari, potest et alteri, et sic omnibus; sed in tali revelatione est
« manifestum, quod status dignitatis illæ, quæ consistit in fama
« ejus apud concives, tollitur isti ».*******

Secunda ratio: « Quilibet de Lege naturæ tenetur servare fidelitatem
« proximo suo, quam vellet, et deberet sibi velle servare: sed com-
« mittens secretum maximum alteri, vellet sibi servari, et deberet
« velle sibi servari, tamquam secretum: ergo alter, cui committit,
« tenetur illud sibi servare. Hæc ratio tangitur Prov. 11. *Qui ambulat
« fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est, celat amici com-
« missum.*

Tertia ratio. « Quilibet ex Lege naturæ tenetur servare promissum
« licitum: Sed recipiens secretum, maxime istud in Confessione dete-
« ctum, etsi non explicite, tamen implicite promittit se servaturum,
« quia sine tali promisso, saltem sub intellecto, non committeretur
« sibi tale secretum: ergo, etc. Hæc ratio probatur, vel potest sumi
« ex illo verbo: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.*

Quarta ratio: « In hoc communitas aliquam habet unitatem pro-
« portionatam unitati corporis, quia ibi est ordo Superioris et infe-

« rioris, et tenetur Superior influere in inferiorem, et inferior submi-
 « nistrare Superiori, juxta illam parabolam Pauli de corpore mystico,
 « et naturali in diversis locis: sed in civitate, inferior est minus suf-
 « ficiens, et minus sciens, et in Ecclesia peccator inferior; Superior
 « autem est Hierarcha, qui et potest consulere et reconciliare: ergo
 « de Lege naturæ est, quod nullus excludat inferiorem a recurso ad
 « Superiorem, quia hæc est communis utilitas membrorum ad invicem.
 « Sed revelatio secreti excludit talem recursum inferioris ad Supe-
 « riorem in consilio animæ, et per consequens influentiam Superioris
 « in inferiorem, quia nullus recurreret, si regulariter illud, de quo
 « querit consilium vel remedium, non esset servandum secretum:
 « ergo eadem Lege naturæ, qua tenetur quilibet ad servandam uni-
 « tatem corporis Christi mystici, et ad communem utilitatem aliis,
 « sicut membris in corpore, tenetur celare secretum hoc ».

Idem probat. Doctor de obligatione petenda ex Lege divina
 positivâ: « Quilibet Christianus (*inquit* n. 11.) tenetur non dare occa-
 « sionem alteri, qua revocetur a lege Christi: sed lex Christi est de
 « Confessione facienda, ut est ostensum dist. 17. igitur quilibet in
 « lege Christi tenetur non retrahere aliquem a Confessione faciendâ:
 « sed revelans Confessionem occasione data retrahit aliquos a Con-
 « fessione: ergo, etc. Si dicas, etsi ille Sacerdos revelat, tamen alius
 « erit celator secreti; hoc nihil est, quia iste, quantum est ex genere
 « operis sui, dat occasionem alteri cavendi eodem modo a singulis
 « Confessoribus. Item *secundo* sic: Christus statuit arbitrium Pœni-
 « tentiæ esse ultimum in terris quantum ad illud crimen confessum,
 « quod patet ex illo verbo Matth. 16. *Quodcumque solveris super ter-
 « ram, erit solutum et in cælis*, idest, finaliter, et ultimate appro-
 « batum: et Joann. 20. *Quorum remisistis peccata*, etc. supple in
 « Judicio divino finaliter remissa approbantur: ergo peccat contra
 « legem Christi quicumque aliquid in isto foro discussum, et ibi fina-
 « liter terminatum deducit ad aliud forum publicum: sed revelans,
 « quantum in se est, facit, quod deduci possit ad aliud forum: ergo, etc.
 « *Tertio* sic: dâns occasionem peccandi mortaliter exequendo præce-
 « ptum Christi, peccat mortaliter, quia præceptum, quod esset debite
 « exequendum, iste quantum in se est, facit indebite exequi: sed re-
 « velans Confessionem dat occasionem indebite exequendi Christi præ-
 « ceptum de confitendo, quia mendaciter: dat enim occasionem, ut
 « aliquis in Confessione seipsum laudet, et alium, quem odit, vitu-
 « peret, ut sic indigne a Confessore promoveatur et alius puniatur:
 « ergo, etc. ».

OBJECIES 1. Ex S. Bernardo, lib. 4. *De præcepto et dispensatione*:
Quod est institutum pro charitate, non debet contra charitatem mili-
itare: sed sigillum Confessionis militaret contra charitatem aliquibus
 in casibus, puta si aliquis noverit in Confessione Pastorem aliquem,
 et animarum Rectorem esse hæreticum, quem inducere non posset, ut
 ab erroribus disseminandis, et inficienda plebe sibi commissa desisteret;
 quo in casu esset contra charitatem ejusmodi non denunciare, non
 secus ac contra charitatem militaret, qui hominem peste infectum nosset
 cum cæteris conversantem, nec alios moneret, ut ab ejus consortio
 effugerent: igitur tale sigillum non est asserendum. — **Negat mino-**

rem Doctor; non est enim contra charitatis ordinem, quod interdum non caveatur aliquod malum, ad servandam Sacramento debitam reverentiam, quæ utique longe præstantius est bonum, quam illud quodlibet, quod ex revelatione Confessionis posset accidere. Charitatis enim et justitiæ ordo est, ut majus bonum præferatur minori; nam Deuter. 16. *Juste quod justum est exequeris*: ergo, inquit Doctor, *charitative quod charitatis est exequeris*. Unde colligit reprobandum esse hunc versum Jurisperitorum: *Est hæresis crimen quod nec confessio celat*; quia hæc sententia est falsa. *Adde quod* Confessarius alia via providere possit, ne malum istud longius grassetur, nempe vel monendo Episcopum, ut diligenter inquirat de administratione et fide Rectorum sibi subditorum, et resciat ab eorum plebe, utrum ab iis doceantur Catholica dogmata; ea tamen ratione, ut neque ullò signo, directe vel indirecte manifestet eum, qui sibi confessus fuerat.

DICES 2: Nullus potest obligari ad id quod vergit in proprium damnum suæ conscientiæ: sed celatio confessi peccati aliquando vergeret in damnum propriæ conscientiæ ipsius Confessarii; puta si quis evocatus in Judicium adjuretur de veritate dicenda; quam novit per Confessionem; si enim veritatem non proferat, perjurii crimen incurret; sicque peccabit mortaliter. — **Nego minorem**; illa enim secreti celatio non erit in præjudicium conscientiæ ipsius Confessarii, nec perjurii crimen incurret; quippe cum ad revelandam hanc veritatem non teneatur virtute juramenti, quia, ut diximus, dum occurrunt varia præcepta, quæ simul servari nequeunt, maxime servandum est illud, quod est majoris ponderis, et momenti; hic autem apparet sigillum Confessionis esse gravioris ponderis, quam præceptum juramenti; quia videlicet obligatio ad servandum sigillum fundatur in jure naturali, divino positivo, et ecclesiastico.

DICES 3: Sacerdos ex Confessione cognoscens sibi paratas esse insidias in nemore quod erat ingressurus, per unum ex conjuratis, qui pœnitens facti, ei sacramentaliter confitetur ante illum ingressum, potest ex hac notitia alio declinare: sed sic declinando revelaret Confessionem: igitur licet aliquando non servare sigillum. — **Negat minorem Doctor**; n. 20. nam « potest dici, inquit, quod Sacerdos, iste « multiplicem occasionem potest habere non intrandi nemus, aliam ab « ista malitia latronum sibi detecta, et ad multiplicem aliam potest « cogitare, et dicere coram illis, utpote, Volo hoc, et illud facere, ad « illum et illum locum declinare, antequam procedam ulterius; et si « ex tali occasione allegata videatur divertere, nec verbo, nec facto « revelat Confessionem. Si autem non possit ex aliqua occasione di- « vertere, quin appareat illis aliis, quod propter Confessionem diver- « teret, et in hoc facto revelaret Confessionem, dicit quidam quod « tenetur intrare, et si exponit se morti, hoc est, pro causa justa, ut « scilicet servet legem Dei de sigillo Confessionis, et per consequens « si moritur, martyr est. — Sed aliter potest dici, quod facta possunt « esse signa æquivoca, quia diversimode a diversis concipi possunt, « ad hoc scilicet, vel ad illud factum: igitur non debet reputari re- « velativum Confessionis, nisi ex natura sua prodat peccatum con- « fessum: sed divertere a nemore non sic ducit; quia si illi alii non « fuissent prius collocuti de illa interfectione, numquam per hoc, quod

« ille divertit, cognoscerent illum esse confessum de voluntate occi-
 « dendi istum; si tamen divertere ex ratione sui est signum ductivum
 « in notitiam talis peccati confessi, duceret quoscumque in hoc, et
 « istos, æque si non fuissent collocti, sicut si fuissent collocti. Ge-
 « neraliter igitur potest dici, quod signum, quod est de se indifferens
 « ad hoc quod est tale peccatum esse confessum, vel non esse, licet
 « sit aliquibus magis signum determinatum ex aliquo supposito, non
 « est signum revelativum Confessionis, nec per consequens simpli-
 « citer illicitum Confessario ».

DICES 4: Ex hypothesi quod Sacerdos absolverit aliquem Episcopum
 simoniacum, ad cuius Absolutionem non habeat potestatem, et quod
 Sacerdos ille teneatur statim confiteri, ut Missam celebret, etiam tene-
 bitur revelare Confessionem sibi tactam, declarando se indebite absol-
 visse ab isto peccato simoniæ Episcopum confessum, quia peccatum
 illud mortale est, et istæ circumstantiæ aggravant; gravior est enim
 simonia ab Episcopo facta, quam a quovis alio Clerico, propter majorem
 Episcopi scientiam et dignitatem: sed sic confitendo revelat peccatum
 istius Episcopi simoniaci: igitur licet aliquando revelare peccatum con-
 fessum. — Respondet Doctor, num. 21. « Primo quod qui sic indiscrete
 « administravit Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur non statim confiteri
 « de facto suo indiscrete, quando scilicet Confessor devenire posset in
 « notitiam personæ, circa quam indiscrete exercuit usum clavium; vel
 « si teneatur, saltem non debet in speciali exprimere culpam circa
 « quam, et modum, quo indiscrete exercuit; sed vel universim di-
 « cendo: mea culpa indiscrete et indebite ministravi Sacramentum
 « Pœnitentiæ; vel si stimulante conscientia, existimet se teneri ad
 « detegendas circumstantias aggravantes, debet expectare opportuni-
 « tatem confitendi alicui, qui ex tali Confessione peccati et circum-
 « stantiarum, non possit devenire in notitiam personæ, quæ fuerat
 « sibi confessa. Si autem non possit talis Confessor inveniri, quin ex
 « explicatione peccati et circumstantiarum possit agnosci persona,
 « quæ sibi fuerat confessa, iste in eo casu non debet peccatum istud
 « confiteri homini, sed sufficit, quod illud confiteatur Deo; quia, in-
 « quit Doctor, plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam sibi
 « confessam, quam ad confitendum explicite culpam suam; quia ad
 « primum tenetur Lege naturæ, et positiva divina, ad secundum vero
 « tenetur tantum Lege divina positiva ». Ita Doctor.

EX IIS INFERES PRIMO, violationem sigilli esse peccatum contra Re-
 ligionem, quatenus est contra reverentiam et bonum Sacramenti; nec-
 non et habere malitiam gravem contra justitiam, quatenus est contra
 jus naturale secreti, quod violatur, et quod etiam exclusa ratione Sa-
 cramenti, obligaret Confessarium ad servandum secretum, etiamsi esset
 dumtaxat revelatio peccati venialis.

INFERES SECUNDO, neminem posse uti cognitione per Confessionem
 habita ad aliquid faciendum, vel fugiendum, nisi aliunde hujusmodi
 notitiam habeat extra Confessionem. Ita expresse definit Clemens VIII
 in Motu proprio, quem edidit anno 1594. die 26 Maij, pro Regularibus
 circa casus reservatos, ubi præcipit, quod tam Superiores pro tempore
 existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fue-
 rint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum

peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Quod antea docuerat Doctor, num. 33., ubi respondens ad 6. Argumentum, nempe quod Abbas cognoscens per Confessionem aliquem ex Monachis, extra Monasterium degentem, habere societatem ibi suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum, possit eum in Monasterium revocare, ut istius salutî consulat; *dicit Doctor,* « quod si in Collegio est consuetudo communis, ut sine nota quilibet
« extra Monasterium curam habens, vel sine cura moram trahens, re-
« vocetur pro libito præsentis; vel etiam non passim pro libito, sed
« quandoque pro alia causa honesta, ut nunc iste quiescat in claustrum,
« nunc laboret cum Martha in exteriori ministerio, et nunc ille, prout
« utile visum fuerit præsentis; dico tunc, quod Monachum confessum
« de crimine commisso in aliquo loco extra Monasterium, ubi moratur,
« potest Abbas ad Monasterium revocare; quia in hoc nullo modo pec-
« catum confessum prodit, licet aliquis dixerit, quod Confessor nullo
« modo potest se habere aliter ad confessum, ratione Confessionis
« quantum ad quemcumque actum extra forum illud, quam si pe-
« nitus nihil audivisset. Si autem est consuetudo in Collegio, quod
« non transferatur Monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi
« ratione delicti, vel insufficientiæ, in cura illius loci, non videtur
« tunc licitum Abbati confessum ad Monasterium revocare. — *Si dicas:*
« non opponit remedium ad salutem ovis suæ: *respondeo:* consulat sibi
« in foro Pœnitentiæ meliori modo poterit, ut illum locum sibi
« periculosum dimittat. Si noluerit, non attentet esse Deus, sed defe-
« ctus occultos sibi secundum justitiam incorrigibiles, Dei correctioni
« dimittat ». — Idem dicit de vitando excommunicato cognito ex sola
Confessione; « nam, *inquit,* si confessarius per aliam viam potest
« nosse eum esse excommunicatum, poterit ipsius consortium vitare;
« sin autem, non solum non debet, imo non licet vitare. quia talis
« violatio est de jure positivo ecclesiastico tantum; non prodere autem
« tenetur ille de Lege naturæ, et de jure positivo divino, et ecclesia-
« stico: quando autem præcepta videntur esse contraria, illud, quod
« est superius, magis obligat, et ideo est firmius servandum, nec ser-
« vans illud, et prætermittens aliud, peccat ». *Ita Doctor.*

PETES I. *Utrum ad requisitionem pœnitentis possit interdum Confessarius revelare peccata confessa, quæ aliter non novit, nisi in Confessione?* — *Affirmat* S. Thomas, dist. 21. qu. 3. art. 3.; *negat* vero Alensis, 4. p. q. 19. memb. 2. art. 2., et cum eo Subtilis Doctor, dist. 21. qu. 2. num. 18. « Quia, *inquit,* obligatio ad celandum peccatum confes-
« sum non est tantum jux confitentis, sed jux communitatis omnium
« fidelium, et totius Ecclesiæ, necnon et reverentiæ debitæ Sacramento:
« nam ex revelatione peccati confessi sequeretur continua perturbatio
« in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabi-
« lem: non est autem in potestate pœnitentis renuntiare juri commu-
« nitatis, necnon et reverentiæ debitæ Sacramento, ac subinde non po-
« test, eo petente, Confessarius peccatum istud revelare ». — *Deinde,*
si posset Confessarius revelare Confessionem cum licentia pœnitentis,
proxima daretur occasio mentiendi in Confessione, et fallendi Confes-
sorem, et non confitendi integre peccata sua; nam diffamati de aliquo

crimine, quod commiserunt, etsi de eo non sint convicti, possent non confiteri istud crimen, et sic dare licentiam Confessario, ut revelet peccata, quibus notum fiat, pœnitentem non esse reum illius peccati, de quo infamabatur; sed hoc vergeret in ludibrium Sacramenti, et manifestum fieret sacrilegium: igitur, etc. — *Denique*, si hoc ita liceret, posset ex licentia pœnitentis obligari Confessarius ad revelanda peccata, quando est sufficiens motivum, et obligari etiam posset pœnitens, et vi aut promissis induci, ut concedat talem licentiam: sed hoc vergeret in detrimentum libertatis, maxime requisitæ ad frequentationem hujus Sacramenti: igitur, licet revelari possit secretum, quando consentit ille, qui celandum commiserat, non tamen potest revelari secretum Confessionis, quia quatenus est obligatio secreti sacramentalis, non est in potestate ipsius pœnitentis. — Quid igitur faciet Confessor, quando pœnitens vult peccatum suum prodi? « Dico (*inquit Doctor*) quod confitens potest postea peccatum suum extra Confessionem dicere, et si « ut secretum, adhuc licentia sequens non absolvit Confessorem a Lege « naturæ, quin teneatur celare; sed si dicit, ut non habeatur secretum, « et maxime apud aliam personam, vel apud alias certas, quibus forte « licet propter aliquem bonum finem, qui potest sequi ex revelatione « istis facta, vel illi, tunc Confessor potest dicere illud tamquam sibi « publice dictum extra omne secretum. — Sed numquid potest tunc « dicere: audivi hoc in Confessione? *Respondeo*: dicitur, quod hæc « sola verba, *Audivi hoc peccatum hujus personæ in Confessione*, includunt peccatum mortale, quia includunt revelationem hujus ut « cogniti, eo modo quo non licet revelari. Unde cui post Confessionem « nem revelatur extra omne secretum, caveat in modo narrandi, ne « hoc narret tamquam sibi dictum modo, quo non licet revelari ».

PETES 2. *Utrum solus Sacerdos teneatur ad sigillum Confessionis?* — **Respondet Doctor**, num. 18. non tantum Confessorem, et eos, qui ab illo mediate vel immediate accipiunt peccatum confessum a pœnitente, vel quibus peccatum istud quomodocumque notificatur in ordine ad Confessionem, teneri ad servandum sigillum. « Dico (*inquit Doctor*) « quod non solum Confessor, sed et is, cui Confessor revelat, licet « illicite, tenetur celare. *Probat*ur, quia transferens aliquid in alium « de facto, quod non potest licite de jure transferri, non dat illi alteri jus utendi, vel transferendi istud in alterum, quia ex quo non « habuit jus, non potuit jus in alium transferre, quia nemo dat quod « non habet: sed Confessor revelans non habuit jus transferendi. Idem « dico de illo, qui audit Confessionem confitentis, alius scilicet a Confessore, si enim audit casualiter non peccat, tenetur tamen ad silentium; si vero dolose, mortaliter peccat, et adhuc tenetur ad silentium ». *Ita Doctor*. Hinc ad sigillum tenetur: *primo*, qui vel maligne peccata confitentis audivit, vel casu et sine culpa; hæc enim res transit cum suo onere; alias onerosa foret atque odiosa Confessio. *Secundo*, interpres, quando eo utitur pœnitens in Confessione facienda. Ratio est, quia ille non præbet soli pœnitenti ministerium, sed etiam Sacerdoti, qui sic per interpretem cognoscit peccata confitentis, sicut is per eum loquitur. *Tertio*, qui cum non sit Sacerdos, gerit tamen se pro Sacerdote audiendo Confessiones. *Quarto*, doctor, et quicumque

consultitur in ordine ad Confessionem sacramentalem, cui ex licentia pœnitentis, tam ejus persona, quam peccatum aperitur. *Quinto*, Superior, a quo cum pari aut simili declaratione postulatur potestās absolvendi pœnitentem a casu reservato. *Sexto*, cui Confessarius etiam injuste Confessionem pœnitentis revelat. *Septimo*, qui indicem faciendæ Confessionis scriptis exaratum invenit; illum autem tenetur restituere, vel comburere.

PETES 3. *Utrum Judex, vel Prælati possit uti scientia, quam haberet ex reperto illo indice ad puniendum eum, qui scripsit, de peccatis, quæ in eo exarantur?* — **Respondeo** non posse. Ita præ cæteris docet Henriquez, lib. *De Pœnitentia Sacramentali*, ubi ait: « Qui forte, aut « de industria quærens invenit chartam, ubi reus peccata scripserat « in subsidium memoriæ pro faciendâ Confessione, non tenetur sigillo, « sed magno secreto, eo quod ea charta esset via ad Confessionem: « sed si Judex aut Prælati propter talia scripta, vel ex uno sacrilego: « Confessario, vel ex multis peccata intellexerit, vel etiam inquirens « bona fide, et procedens in causa advertit notitiam habuisse ortum « ex Confessionis detectione, tenetur statim cessare ab ea inquisitione, « et processu judiciali, et facta pro infectis habere, neque potest reum « de re interrogare, quia ad eam scientiam non processit humano « modo ». — Idem docet Antonius Diana: « An qui invenerit chartam, « in qua scripta erant alicujus peccata, teneatur illa abscondere sub « sigillo Confessionis? » *Respondet*: « Qui invenerit descripta peccata, « quæ litteris mandavit forte aliquis memoriæ causa, ut ea exactius « confiteatur, tenetur sigillo, sive jam Confessio facta sit, sive adhuc « faciendâ. Communis Doctorum ratio est, quia chartæ illius tenor est « aliquid Confessionis, et quasi Confessio scripta, ut æquiparari chartæ « illi, eo modo, quo quis casu audit Confessionem, est enim charta illa, « quasi internuntia juvans memoriam confitentis; itaque censetur si- « gillata sacro sigillo; et recte quidem, nam charta illa dici potest « Confessio inchoata ». — Similiter Navarrus, cap. 18. n. 31. « Peccat « qui invenerit scriptum, in quo aliquis sua peccata ad memoriam « Confessionis scripserat, et ea divulgat; et idem est de eo, qui legit, « etiamsi non divulgat, si schedulam, cujus principio scriptum erat, « memoria meorum peccatorum, aut aliud simile, quo scire teneretur « ejus auctorem nolle ea ab alio legi ». — Consentit Dominicus Soto, in 4. Sentent. dist. 18. art. 50. « Quid autem, *inquit*, si rem sciat, « non per Confessionem, sed per viam Confessionis, ut si quis scripsit « sua peccata, et perdidit scriptum, quod Prælati invenit? Scio hoc « usu venisse, ut quidam Prælati per hanc viam ad inquisitionem « processerit; sed fuit jure optimo a Superiore de hac re punitus; est « enim Confessio tam sacra, ut id etiam, quod ad eam ordinatur sit « perpetuo silentio sepeliendum; et quod dictum est de Prælati Ec- « clesiasticis, intelligendum de Prætoribus, et iudicibus sæcularibus. » — Rodericus Acugna, Archiepiscopus Bracchar., Tract. *De Confessariis sollicitantibus*, q. 13. n. 38. id ipsum confirmat exemplo petito ex S. Thoma de Villanova, quod sic narrat: « Quidam Cathalanus, *inquit*, interfecit « adversarium. et illius cadaver secreto sepulturæ tradidit. Postea Cle- « ricum ignotum ad homicidii peccatum expiandum quæsivit, apud

« quem omnes necis circumstantias, et temporis, et loci, et convictus
 « propalatis necis causis. et sepultura de plano confessus est, et ad
 « ultimum supplicium damnatus. Cum, prout moris est, ad excipien-
 « dam condemnati Confessionem Confessor accederet, renuit miser
 « homo ad eam induci, dictitans Confessionis Sacramentum a Domino
 « Salvatore fuisse institutum, nemque maximi periculi esse, et nocu-
 « menti: instabat Presbyter, monebant amici, ne tantum in se scelus
 « susceperet. ut simul cum corpore, animam perdere vellet: sed per-
 « tinax homo a sententia dimoveri recusabat: putabant circumstantes
 « præ mortis terrore a mente discessisse. N. 39. Cum hoc casu ad Ar-
 « chiepiscopum Valentinum sanctum Thomam Eleemosynarium defer-
 « rentur, petiit bonus Pastor a Prætorè, ut supplicii executionem dif-
 « ferret. permetteretque hominem ad se deduci, ne ovis illa periret;
 « tanti viri respectu, tamque justæ petitionis instantia motus Prætor
 « annuit, jubet damnatum sub custodia ante Præsulem præsentari.
 « Ille hominem monitis lenire procuravit, enixe obtestans, ut sibi cau-
 « sam tantæ pertinaciæ aperiret. Homo neci destinatus, lacrymis obortis,
 « Confessionem illius delicti Sacramentalem exposuit causam fuisse ul-
 « timi supplicii, cum Confessor esset frater hominis a se necati, quod
 « ipse tunc ignorabat, et nullus alius id detegere potuisset. Pius Præsul
 « eum esse bono animo monet. apud se retinet cum Prætoris assensu,
 « data restituendi fide, postquam certam disquisitionem præmitteret:
 « acivit Confessarium, eumque rei ignarum, remotis arbitris, coram
 « devoto Crucifixo ita vehementer constrinxit, ut cum Pœnitentiæ
 « signis ad Prælati pedes prostratus errorem, et sigilli fractionem fa-
 « teretur. dolorem fratris interfecti, et amorem causatus. Archiepi-
 « scopus in ipsius Palatii cubiculo Presbyterum asservari jubet, Præ-
 « tori rei gestæ, et accusationis originem ex Confessionis Sacramento
 « sumptam exponit: unde attempta Lege divina, cessandum a processu,
 « et executione fore, cum doctorum Virorum sententiis prudenti Præ-
 « tori, et viro religioni sacrarum rerum addicto facile persuadere valuit.
 « Dimittitur homicida cum populi admiratione, et Sacramentorum vene-
 « ratione, Confessario mitiori pœna, quam ut scelus exigebat, punito ».

Ex his omnibus aperte constat, neminem posse uti scientia petita ex indicibus Confessionis ad purianda peccata, de quibus aliquis sese erat accusaturus. Quamquam non inficiar, quin ubi ejusmodi indices perveniunt ad notitiam Prælati, vel Judicis, deservire possint velut adminicula quædam ad diligentiores indagationem criminis, de quo jam infamabatur, aut accusabatur ille apud Judicem, vel Prælatum, qui illum indicem scripsit.

PETES ULTIMO: *Ex qua Confessione oriatur hoc sigillum?* — **Re** spondeo, oriri ex omni Confessione Sacramentali, sive interim illa sit valida, sive invalida: hoc est, sive habeat revera annexam remissionem peccati per Absolutionem sacramentalem, propter legitimam dispositionem pœnitentis, sive non, propter illius defectum; quia etsi invalida confessio non sit complete sacramentalis, propterea quod non consequatur effectum Sacramenti, nec annexam habeat Absolutionem Sacerdotalem, propter manifestam indispositionem ipsius pœnitentis, saltem est sacramentalis inchoate et incomplete. *Adde quod si sola*

Confessio valida obligaret ad sigillum, occasionem inde sumerent pœnitentes non frequentandi Confessionem; cum enim essent dubii, utrum defectu Contritionis, vel alicujus alterius dispositionis, forent digni suscipiendæ Absolutionis, necne, vix moveri possent et allici ad confitenda sua peccata, si peccatum non habens annexam Absolutionem posset alicui revelari. Tenetur igitur Sacerdos ad servandum sigillum respectu eorum omnium, quos novit accessisse ad Confessionem cum animo revera suscipiendæ Absolutionis Sacramentalis; secus autem si compertum haberet, pœnitentem illum tantum convenisse simulatorie, ut nempe accusatione Confessionis, ipsum in malum aliquod alliceret et induceret.

EX HIS COLLIGE, Confessionem sic posse definiri: *Confessio Sacramentalis est accusatio peccatorum propriorum post Baptisma commissorum, facta Sacerdoti, ad obtinendam remissionem illorum virtute clavium Ecclesiæ.* Dicitur primo, *accusatio*, tum quia debet esse quædam externa propriæ culpæ agnitio, per modum accusationis facta a pœnitente, qui ut reus veniam petens attendi debet; tum ut detur intelligi, quod fieri non debeat per modum excusationis, vel meræ narrationis, aut commendationis propriarum virtutum, ut aliquando fit a quibusdam, non quidem (ut opinor) ex animo jactantiæ, sed ex aliqua ignorantia et imperitia, aut ex quodam loquacitatis contracto habitu. Dicitur secundo, *peccatorum post Baptisma commissorum*; quia illa sunt remota materia Sacramenti Pœnitentiæ. et Confessio eorundem materia proxima partialis. Dicitur tertio, *propriorum*, ut insinuetur quod aliorum peccata simul cum propriis declarari non debeant, nisi forte ipsa propria fiant, vel ita communia per aliquam participationem, aut per alium modum, ut aliter declarari non possint. Conabitur pœnitens in hoc casu non declarare personam complicem, nisi aliter peccatum aperiri nequeat. Dicitur quarto, *Sacerdoti facta*, quia nullus inferior Sacerdote hoc Sacramentum Pœnitentibus administrare potest, ut ex infra dicendis, ubi de Pœnitentiæ Sacramenti Ministro agetur, innotescet. Dicitur quinto, *ad remissionem peccatorum post Baptisma commissorum*, ut hujus Sacramenti effectus specialis indicetur. Dicitur sexto, *virtute clavium Ecclesiæ*; quia in hoc Sacramento non fit remissio peccatorum, nisi per virtutem potestatis, quam a Christo Ecclesia recepit.

ARTICULUS QUARTUS.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

JAM satis superque constat, Satisfactionem esse partem integram Sacramenti Pœnitentiæ; primam quidem ordine intentionis; postremam vero ordine executionis. Est, inquam, prima ordine intentionis; ideoque namque Pœnitentiam usurpamus, ut Deo faciamus satis per debitum dolorem et pœnam convenientem. Hinc S. Isidorus, lib. 6. *Originum*, cap. ult. ait: *Pœnitentiam appellari quasi punientiam, eo quod homo se puniat pœnitendo; nihil enim aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerunt, impunitum esse non sinant.* Et Auctor lib. *De vera et falsa Pœnitentia*, cap. 19. ait, Pœnitentiam derivari a pœna: *Pœnitere, inquit, est pœnam tenere, ut*

semper punit in se ulciscendo, quod commisit peccando: pœnam enim proprie dicitur læsio, quæ punit et vindicat quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit, quod commisisse dolet. Nam, inquit S. Augustinus, lib. 50. Homiliarum, Homil. 50. non sufficit penitenti mores in melius commutare, et a malis recedere, nisi et de iis, quæ malè facta sunt, satisfiat Domino per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Nullus siquidem pœnæ debitæ gravioris accipiet veniam, nisi qualemcumque, etsi minor est, quam debeat, solverit pœnam. Quoniam vero Satisfactio posterior est ordine executionis, et non nisi post receptam sacramentalem Absolutionem solet impleri. de ipsa postremo loco agendum est.

Porro *Satisfactionis* nomen, est vox æquivoca: interdum enim significat omnem illam actionem, qua quis facit satis, quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo de se conceptæ expectationi, sive denique reddendo sufficientem rationem eorum, de quibus rogitur; quo posteriori sensu S. Petrus monet Epist. 1. cap. 3. *Parati semper ad Satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.* Aliquando sumitur pro ea actione, qua quis se excusat, atque defendit; quo sensu S. Ambrosius supra: *Lacrymas Petri lego, Satisfactionem non lego:* ubi signatur excusatio, atque defensio nomine Satisfactionis, ut probant sequentia hæc verba: *Quod deleri non potest, ablati potest.* Aliquando strictius sumitur pro ea omni actione, qua compensamus sive damnum illatum, sive injuriam personæ factam. *Denique* aliquando sumitur pro ea sola actione, qua compensatur, sive æqualitas redditur propter injuriam personæ illatam; quæ est propria illius acceptio. Nam Satisfactio proprie distinguitur a *restitutione*, quod hæc sit in rebus, illa in actionibus. Compensatio facta ad injuriam peccato illatam compensandam proprie est Satisfactio, fitque per opera afflictiva, idest, quibus ipsi nos affligimus, castigamus, punimus, propter injuriam, offensamque a nobis Deo factam, et ablatum honorem et obsequium, quod ei debebamus impendere, nec impendimus; quamvis enim peccator nihil possit a Deo subtrahere; tamen quantum in se est. aliquid subtrahit, dum ab eo per affectum avertitur, et convertitur ad creaturas. — *Insuper*, Satisfactio sumpta pro compensatione injuriæ per peccatum illatæ considerari potest tripliciter: nempe vel per respectum ad Deum, vel per respectum ad Ecclesiam, vel per respectum ad proximum; contingit enim interdum, quod per peccatum injuria fiat Deo, ut maxime contingit in peccatis internis: vel quod istud vergat in Ecclesiæ scandalum, et præjudicium; vel denique in damnum proximi. — *Denique*, injuria Deo illata potest compensari, vel ratione culpæ, vel ratione pœnæ. Compensatur ratione *culpæ* per Contritionem, et Absolutionem sacramentalem, per quas peccator mundatur a peccatis, et in Dei gratiam et amicitiam restituitur; compensatur vero ratione *pœnæ*, dum pœna temporalis peccato debita post remissam culpam per aliam pœnam, aut quidpiam aliud exolvitur.

Hic autem sermo est maxime de Satisfactione per respectum ad Deum, et ad Ecclesiam; unde nobis incumbit determinandum hoc in Articulo: *primo*, utrum: *secundo*, per quid: *tertio*, quomodo homo possit Deo pro admissò peccato debite satisfacere. *Postremo* nobis

agendum erit de Satisfactione, quæ fiebat in ordine ad resarciendam injuriam Ecclesiæ per peccatum illatam, et expiandum ingestum scandalum.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM HOMO POSSIT, ET DEBEAT DEO SATISFACERE
PRO PŒNA TEMPORALI PECCATO DEBITA.

NOTANDUM 1. Satisfactionem esse actionem, qua reparatur inæqualitas orta ex injuria alteri illata; in quo distinguitur a *restitutione*, per quam reparatur inæqualitas orta ex re aliena ablata, invito domino, et a *Satispassione*, quæ est perpessio quædam pœnæ ab alio præscriptæ et inflictæ. Unde reus, dum patitur sibi præscriptas a Jûdice pœnas, non tam satisfacit, quam satisfacitur. Cum autem peccator Deum offendens, duplicem faciat inæqualitatem: unam, qua constituit in creatura suum ultimum finem, ex qua incurrit reatum pœnæ æternæ; alteram, qua nimis indulget propriæ voluntati, et voluptati, delectationem inordinatam percipiens in possessione et fruitione creaturæ; prima inæqualitas removetur vel per Contritionem, vel per Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ: secunda vero etiam remanet restituenda per debitam Satisfactionem.

NOTANDUM 2. Quod Satisfactio in genere sit debiti solutio; quæ definitur a Doctore Subtili, in 4. dist. 5. num. 4. *Redditio voluntaria æquivalentis, alias indebiti*; cujus definitionis particulas ibidem explicat Doctor. Primo, dicitur *redditio*, tum ut distinguatur a simplici donatione; quia redditio non est simplex donatio, sed debiti solutio: tum etiam ut significetur, Satisfactionem esse actum justitiæ, et ad alterum; quia proprie nullus sibi aliquid reddit. Secundo, dicitur *voluntaria*; tum, quia est actus virtutis justitiæ: omnis autem actus virtutis moralis debet esse voluntarius; tum etiam quia omnis redditio, quæ non est voluntaria, magis est satispassio, quam satisfactio. Tertio, *æquivalentis*, quod enim per Satisfactionem redditur, debet quandam habere æqualitatem cum debito, idque vel secundum proportionem geometricam, qua ex justitia distributiva major debetur satisfactio digniori personæ læsæ, quam minus dignæ; vel secundum proportionem arithmeticam, qua ex justitia commutativa tantum datur pro tanto, v. g. centum aurei solvuntur pro totidem debitis. Quando autem aliqua Satisfactio has omnes conditiones habet, dicitur *perfecta*; quando deest æqualitas, dicitur *de congruo*, quia creditor non tenetur illam acceptare ex justitia, sed dumtaxat ex liberalitate et congruentia; quando vero fit ad æqualitatem, sed ex bonis a creditore concessis, dicitur *ex condigno*, quia licet id quod redditur sit ex gratia creditoris, tamen revera pretium redditum æquivalet debito.

NOTANDUM 3. Satisfactionem pro peccatis generatim distingui duplicem; nimirum Sacramentalem, et non Sacramentalem. Prior ex Conc. Trid., Sess. 14. cap. 8. *est actio, per quam in Sacramento Pœnitentiæ retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, juxta præscriptum et sententiam Sacerdotis*. Posterior vero est actio, per quam homo conatur satisfacere Deo pro peccatis in eum commissis, sibi ipsi pœnas præscribendo, vel ab Ecclesia injunctas animo con-

stanti tolerando. Utraque definitur a Doctore, dist. 15. q. 1. num. 11. sic: *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntarie sumpta, ad puniendum peccatum commissum a se, et hoc ad placandum divinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntarie tolerata in ordine prædicto.*

Porro hic de utraque loquimur, inquirentes utrum necesse sit, et utile, Deo satisfacere pro peccatis. Negativam partem tumentur Lutherani et Calvinistæ cum eorum hæresiarchis; nam Lutherus pluribi, sed maxime Serm. *De Indulgentiis*. habito anno 1518. asserit ex nulla Scriptura colligi posse quod divina justitia Pœnitentiam, sive Satisfactionem a peccatore exigat, et pœnas medicativas et satisfactorias esse humanum commentum atque nugamentum. Et lib. *De Captivitate Babylonica*, loquens de Catholicis, sic ait: « Eos non intelligere, « quid sit vera Satisfactio, et eam sic extollere, ut fidei in Christum « non relinquunt locum, miserrime excarnificatis populorum con- « scientiis, alio currente Romam, alio huc, alio illuc; illo in Car- « thusiam, alio in alium locum; illo virgîs se flagellante, alio corpus « suum vigiliis et jejuniis occidente: quæ monstra tibi debemus, « Romana Sedes, totum mundum eo perdidisti, arbitratur se posse « Deo per opera pro peccatis satisfacere, cui sola fide satisfit ».

Idem sentiunt ejus Sæctatores, Melancthon in Apolog. Kemnitius in examine Concilii Tridentini, ad c. 8. Idem pariter Calvinus, lib. 3. *Instit.*, cap. 1. a num. 25. usque ad 39. ubi cum plurima virulento ore dieteria in Theologiæ Doctores blaterasset, quod Satisfactionem pro peccatis propugnet, dicit num. 27. *Nunc tibi pestilentes eorum nœnias propono, gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari, si postea ceciderimus ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari: hæc si locum habeant, ane quæ Christo superius sunt attributa, illi salva manent? Immane quantum hæc differunt, iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur, et nostris operibus expiari: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, et Deum operibus propitiandum.* Et n. 28. ostendens Satisfactionem pro omnibus peccatis esse impossibilem, ait: *Quem ergo satisfaciendi exitum invenient in tanto peccatorum cumulo? si unius diei esset Satisfactio peccati unius, dum illam meditantur, pluribus se involvunt: quando diem nullum præterit justissimus quisque, quo non aliquoties labatur. Ad eorum vero Satisfactiones dum se accingent, numerosa, vel potius innumera accumulabunt. Jam præcisa est satisfaciendi fiducia, quid morantur? quomodo adhuc de satisfaciendo cogitare audent?*

Adversus quos omnes erroneos duo statuenda sunt in hac Quæstione: *primum*, quod Satisfactio pro peccatis sit necessaria: *secundum*, quod sit utilis ad remissionem pœnæ æternæ, et temporalis post remissam culpam peccatis debitæ.

Conclusio prima. — REVERA NECESSARIUM EST HOMINI PER OPERA BONA ET AFFLICTIVA DEO SATISFACERE PRO PECCATIS.

Constat hæc veritas, ac firmatur innumeris Scripturæ oraculis, quibus SS. Prophetæ et Apostoli homines hortantur ad expianda sua peccata per opera meritoria et satisfactoria. Sic Daniel, cap. 4. mo-

nebat Nabuchodonosor: *Peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Sic Matth. 3. S. Joannes Baptista Sadducæos et Pharisæos venientes ad Baptismum suum, alloquens, dicebat: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ.* Et Actor., 26. Apostoli Judæis et Gentibus annuntiabant, ut Pœnitentiã agerent et converterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes. Alia his similia sunt sacræ Scripturæ, tam veteris, quam novi Testamenti oracula, in quibus præter conversionem mentis et vitæ novitatem, exiguntur opera satisfactoria et afflictiva, qualia sunt jejunium, fletus, planctus, et pœnitentes monentur se vestire sacco, cooperire capita sua cinere, membra sua mortificare.

Quam utique veritatem variis rationibus probat Concilium Tridentinum, Sess. 14. c. 8. « Maxime, *inquit*, quia divinam elementiam « decet, ne ita nobis absque ulla Satisfactione peccata dimittantur, ut, « occasione accepta, peccata leviora putantes, vel injurii et contume- « liosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram « in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi « fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vi- « gilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque pec- « catorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, con- « trariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in « Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a « Domino pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero « animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo « patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, « ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur, certissimam « quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et glorifica- « bimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis « nostris exolvimus ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, « tamquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, « omnia possumus; ita non habet homo unde gloriatur, sed omnis glo- « riatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo « satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim « habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia sug- « gesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salu- « tares et convenientes Satisfactiones injungere, ne si forte peccatis « conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quæ- « dam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum pecca- « torum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfac- « tio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et « infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prætorum peccatorum « vindictam et castigationem; nam claves Sacerdotum non ad sol- « vendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui « Patres et credunt, et docent. Nec propterea existimarunt, Sacra- « mentum Pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum; sicut nemo un- « quam catholicus sensit, ex ejusmodi nostris Satisfactionibus vim mer- « riti et Satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel « aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere nolunt,

« ita optimam Pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem Satisfactionis vim, et usum tollant ». Ita Concilium, quibus omnibus non solum necessitatem, sed et utilitatem Satisfactionis commendat: *primo*, quia a peccato revocat: *secundo*, quia Dominum nobis iratum placat et conciliat: *tertio*, quia Christi Domini Passionis meritum nobis comparat, nosque Christo patienti conformes efficit: *quarto*, quia cum Christo, ac per Christum Deo Patri oblata, ipsius in nos misericordiam provocat: *quinto*, quia non est tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

Idem probatur ex constanti ac perpetua Ecclesiæ praxi, ut colligere licet ex Tertulliano. *De Pœnit.*, cap. 9. ubi ait: « Hujus igitur « Pœnitentiæ secundæ, et unius, quanto in arcto negotium est, tanto « operosior probatio est; ut non sola conscientia præferatur, aliquo « etiam actu administretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio « Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia « Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humiliandi « hominis disciplina est, conversionem injungens, misericordiæ illicem. « De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa « per quæ peccavit tristi tractione mutare: cæterum pastum, et potum « pura non nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa, plerumque « vero jejuniis preces alere, ingeniscere, lacrymari, et mugire dies « noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, et charis « Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ « injungere. Hæc omnia exomologesis Pœnitentiam commendat, ut « de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione æterna « supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit « hominem, magis revelat: cum squalidum facit, magis mundatum « reddit: cum accusat. excusat: cum condemnat, absolvit. In quantum « non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet ». — Idem docet Origenes, Homil. 15. in *Levit.*, ubi appellat opera afflictiva *pretium, quo peccata redimuntur*. Similiter S. Cyprianus, *Serm. De lapsis*, ubi inter cætera, ait: « Confiteantur singuli delictum suum: dum qui « deliquit, adhuc in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, « dum Satisfactio, et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum « grata est. Convertantur ad Dominum mente tota, et Pœnitentiam « criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecantur, « illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciatur, illi spes hominis « incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: advertimini, inquit, « ad me ex toto corde vestro, simulque et jejuniis et fletu et planetu, « et scindite corda vestra et non vestimenta vestra: ad Dominum toto « corde redeamus, iram et offensam ejus jejuniis, fletibus, placentibus, « sicut admonet ipse, placeamus. *Et infra*: quam magna deliquimus, « tam granditer defleamus, alto vulnere diligens, ac longa medicina « non desit, Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne Dominum te « posse placare, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præ-

« ponere maluisti, ejus templum sacrilega contagione violasti? Putas
 « facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet
 « impensus, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes, ac fle-
 « tibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare,
 « stratos solo adhærere cineri, in cilicio, et sordibus volutari; post
 « indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum: post
 « diaboli cibum malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus
 « peccata purgantur: elemosynis frequenter insistere, quibus a morte
 « animæ liberantur ». — Idem pariter docent SS. Chrysostomus, Am-
 brosius, Eligius, Augustinus, et plures alii, quovis sæculo florentes,
 ut jam liquet ex his, quæ diximus, demonstrando rationem Pœnitenti-
 tiæ maxime consistere in affectu justitiæ vindicantis ac punientis
 peccatum per opera afflictiva et pœnalia.

REPONUNT HÆRETICI, opera quidem afflictiva commendari, tum a
 Scriptura, tum a Patribus, non quidem ratione sui, sed ratione cha-
 ritatis, fidei, ac pietatis, quas præsupponere debent, ut Deo grata sint
 et accepta. *Secundo* dicunt, Patres hyperbolice locutos fuisse, et ideo
 plus extulisse opera satisfactoria, quam par esset, ut populos ad Pœ-
 nitentiam vehementius excitarent. *Tertio* dicunt, exercitia Pœnitentiæ
 a Patribus commendata nihil aliud esse, quam preces et orationes,
 quibus Deus interpellandus est, et provocandus, ut peccatorum ad-
 missorum veniam concedat, non autem veras ac legitimas esse compen-
 sationes. — **Verum**, quam futilia sint hæc diverticula, apparet;
 quamvis enim bona opera afflictiva et satisfactoria supponant fidem
 et charitatem, unde suum meritum obtinent, nihilominus SS. Patres
 constanter illa appellant pretia, quibus redimuntur peccata, et compen-
 sationes pro peccatis. *Ad secundum* dico, quod si ita facile liceat detor-
 queri dicta SS. Patrum ad hyperbolicum sensum, nihil certi poterit ha-
 beri ex eorum doctrina, quod juvet ad confirmanda et illustranda fidei
 dogmata. *Ad tertium* dico, satis constare ex locis SS. Patrum a nobis
 laudatis, ejusmodi satisfactoria opera appellari compensationes et actus
 justitiæ; ac subinde falsa est ac fatua hæreticorum responsio.

OBJICIT CALVINUS: Hæc de Satisfactione assertio derogat merito
 Passionis et Satisfactionis Christi: « Quid enim, quæso, nobis præ-
 « stitisset Christus, *inquit* n. 30. cap. 4., si adhuc pro peccatis pœna
 « exigeretur? nam cum dicimus Deum pertulisse omnia peccata nostra
 « in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quam defun-
 « ctum pœna et vindicta, quæ peccatis nostris debebatur ». *Insuper*,
 ex ejusmodi doctrina sequitur, homines non justificari gratis, sed in-
 titu operum satisfactoriorum, quod aperte militat in plurima Scri-
 pturæ sacræ oracula, testantia, nos gratis justificari. *Denique*, hæc
 nostra de Satisfactione assertio Pelagianismum sapit, utpote quæ sa-
 lutem nostram propriis operibus tribuat, ea nimium extollat. — **Re-
 spondeo ad primum**, *negando antecedens*: tantum enim abest, ut hu-
 jusmodi satisfactio quidpiam deroget Satisfactioni, quam Christus Do-
 minus pro nobis in cruce Æterno Patri obtulit, quinimo (*inquit* Concilium
 « Trid., loco supra laudato) dum satisfaciendo patimur pro peccatis.
 « Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra
 « sufficientia est, conformes efficimur, certissimamque inde arrham
 « habemus, quod si compatimur, et conglorificabimur ». Quibus signi-

ficat, omnem nostram Satisfactionem habere dumtaxat vim et efficaciam ex applicato nobis per illam merito Passionis Christi; nec inde sequitur Satisfactionem Christi deficere. Ex se quidem est sufficientissima, sed nobis debet applicari per Satisfactiones proprias. Cui utique doctrinæ repugnare non possunt hæretici; quippe cum ipsimet doceant, merita Christi per fidem applicari credentibus, nec tamen existimant, fidem meritum Satisfactionis Christi evacuare. *Ad secundum et tertium* dico, falsum esse, quod nostra Satisfactio nimium tribuet propriis nostris operibus; siquidem nostræ Satisfactionis meritum totum refundit in gratiam Christi Domini. Neque enim, (inquit Concilium Tridentinum) ita nostra est Satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

OBJICIT SECUNDO CALVINUS: Impossibile est Deo satisfacere pro omnibus peccatis: *primo*, quia offensa Dei est infinita, Satisfactio autem hominis, quantumvis magna et diuturna, semper erit finita, ac subinde improportionata, quæ Deo reddatur ad compensandam irrogatam injuriam: *secundo*, inquit n. 27., etsi ipsi concedatur peccata aliquot juxta Satisfactionem posse redimi, quid tandem facient, ubi tot peccatis obruuntur, quorum Satisfactionibus nec centum vitæ, vel si totæ in hoc sint, sufficere queant? *Tertio*, quia homo est servus Dei: servus autem non potest satisfacere domino; siquidem nihil nisi debitum offerre potest: igitur homo nulla ratione potest pro peccatis satisfacere. — **Nego consequentiam**, et ad *primum* dico, quod quæ ratione offensa Dei censetur infinita, nempe infinitate extrinseca, et ratione objecti, eadem ratione hominis Satisfactio potest esse infinita; quippe cum tendat in objectum infinitum, ut etiam declaravimus in septimo Volumine, agendo de Satisfactione, quæ fieri potuerit a puro homine pro eluendis omnibus peccatis hominum, si Deus ita statuisset et ordinasset. *Ad secundum*, quod etsi plurima sint hominis peccata, maxime venialia, non tamen tanta sunt, quin possint expiari, et digna Satisfactione compensari: sunt enim pro peccatis quotidianis quotidiana nobis a Christo donata remedia; inter quæ præcipuum locum obtinent hæc verba orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra*; nam, inquit, S. August. in Enchirid. c. 7. *de quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit*. Secundum vero locum tenent elemosynæ ac opera misericordiæ; nam, inquit, idem S. August., Epist. 89. *Qui misericordia Dei adjutus, et gratia, se ab omnibus peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata, sine quibus hic non vivitur, mundare operibus misericordie, et piis orationibus neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato*; quamvis hic cum viveret, habuerit nonnulla peccata, quia sicut illa non defuerunt, ita etiam remedia, quibus purgarentur, adfuerunt. Tertium autem locum obtinet condonatio injuriarum, dicente Christo Domino: *Dimittite, et dimittetur vobis*; unde S. August., Hom. 27. postquam distinxisset Pœniten-

tiam in quotidianam, luctuosam, et competentium, asserit quotidianæ Pœnitentiæ fundamentum maxime consistere in his verbis Christi Domini, Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et statim subjungit: Constituit medicinam, firmavit pactum, hic preces dictat, ibi peccanti respondet; novit quo jure res agatur in cælo: quomodo impetrari possint desiderata. Dimittimus: Dimitte, ait: quid enim habes, quod Deo præstas, a quo vis ut præstetur tibi? etc. — Ad tertium dico, quod etsi homo sit Dei servus et mancipium, nihilominus cum sit ad ejus imaginem factus, participat aliquid ejus libertatis, in quantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium; ideoque Deo satisfacere potest ex hoc quod agit per liberum arbitrium, quod quamvis sub Dei beneficio sit, et sub ejus dominio, nihilominus quoniam ab eo ipsi traditum est, ut illi libere utatur, idcirco habet etiam ipse homo dominium quoddam in sua opera, ac subinde potest illa offerre in compensationem et Satisfactionem suorum delictorum.*

Conclusio secunda. — RÈVERA PŒNITENS DIVINA GRATIA ADJUTUS POTEST DEO SATISFACERE PRO PENA TEMPORALI. Ita definitum est in Concilio Trident., Sess. 14. Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad penam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri penam ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.*

Hoc etiam probant Scripturæ sacræ illis omnibus in locis, quibus opera satisfactoria ac pœnalia, quæ conjunguntur Contritioni, vel ad eam sequuntur, dicuntur esse remissiva peccati; necnon et ex illis oraculis, quibus homines dicuntur cavere ac fugere divinam animadversionem et damnationem per fructus pœnitentiæ. Sic Matth. 3. S. Joannes Baptista Pharisæos alloquens, dicebat: *Quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et S. Paulus, 1. ad Cor. 11. *Si nosmetipsos diducemur, non utique judicemur; dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Idem constanter docent SS. Patres, maxime S. Cyprianus, Epist. 55. *Datur opera ne satisfactionibus et lamentationibus justis, delicta remittantur, ne vulnere lacrymis abluantur, pax vera falsæ pacis mendacio tollitur, etc.* Quibus invehit in Fortunatum et Felicissimum, qui pacem dabant lapsis ante peractam Satisfactionem. S. Chrysostomus, Homil. 6. in 2. ad Timoth. *Vide, inquit, quanta sit Dei clementia, non tibi dedit, ut temporalem mortem, sed ut æternam mortem redimere possis.* Idem pluribi habet Sanctus Ambrosius, lib. 1. *De Pœnitentia*, cap. 4. ubi ait: *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat; expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.... Expectat conversionem nostram, ut revertatur et ipse ad gratiam.* — Similiter S. Augustinus, Serm. 34. *De Diversis*, ubi ait: *Omnia ergo præterita conversis dimittuntur; cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia et mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, et Contritionis spiritus, et tribulationis Pœnitentiæ non*

relaxantur: hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ; si enim tu te cæperis judicare, si tibi cæperis displicere, Deus veniet, ut misereatur; si tu te punire volueris, parcat ille: qui autem bene agit pœnitentiam, suus ipse punitor est. Sed oportet ipse in se esse severus, ut in eum sit misericors Deus. Et ad Virginem lapsam, cap. 8. Quantumvis afflictionem, quantumvis laborem, et indecorum subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Descriptis afflictionibus et laboribus quos pœnitendo subire debet, subdit: Talis vita, talis actio Pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, si non gloriam, certe pœnæ vacationem. Tandem concludit: Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, a Deo illi parcur: et si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberot. Capite ult. lib. 5. Hexamer. Respice nos quoque, Domine Jesu, ut et nos propria recognoscamus errata, solvamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. — Concinit S. Prosper, lib. 2. De vita contemplativa, cap. 7. de laicis, qui ultro crimina confitentur, et de iis pœnitentiam libenter suscipiunt: Quod si ipsi sui Judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Et postea de Clericis, qui idem faciunt: Ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tamquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficaci pœnitentiæ fructibus Deo non solum amissa recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant. — Pariter S. Cæsarius Arelatensis Episcop. Hom. 1. Mortificatione præsentis futura mortis sententia prævenitur, et dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur, dumque exterior afflictio voluntariæ distractionis infertur, tremendi judicis offensa sedatur, et ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus. Cum autem audis SS. Patres significare, quod pœna æterna remittatur per satisfactiones nostras, non sic accipias velim, quasi censerent remissis per pœnitentiam peccatis adhuc pœnam æternam deberi; hoc enim falsum est; sed quod solvatur ea pœna quæ fuisset æterna, si peccatum quoad reatum culpæ non fuisset deletum.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆ, ET QUALIA ESSE DEBEANT OPERA SATISFACTORIA.

SUPPONO 1. Ex Concilio Trid. opera satisfactoria debere esse honesta; siquidem per opera mala non possumus mereri remissionem pœnæ, cum potius novam pœnam mereamur; unde Concilium, Sess. 14. cap. 8. dicit, Satisfactiones nostras ex Christo vim habere, et per eum offerri. Eterno Patri, et per Christum acceptari a Patre. Et Can. 14. definit: *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* Certum est autem quod opus malum, vel indifferens non sit Dei cultus, nec acceptetur a Patre, nec per Christum vim habeat; siquidem Pater Æternus non potest acceptare, nec

grata habere opera, quæ ipsi displicent, qualia sunt omnia opera mala; nam, inquit Sapiens, cap. 14. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Similiter Deus condigne placari non potest per opera, quæ ipsi sunt indifferentia, et quæ ipsi non placent; illa namque nec ejus cultum concernunt, nec per Christum offeruntur; nam eo ipso, quo opus ali-quod tendit in Dei cultum et gloriam, non est indifferens, sed revera bonum ac meritorium est; igitur inde constat, omne opus satisfactorium debere necessario esse honestum.

SUPPONO 2. Opus satisfactorium debere esse honestum honestate supernaturali: *tum* quia debet procedere ex meritis Christi, et per eum Patri offerri: quæ autem fiunt ex meritis Christi, supernaturalia sunt: *tum* quia id sufficienter indicat Concilium Tridentinum, cum ait, opera satisfactoria pertinere ad Dei cultum, et ab eo acceptari ad remissionem pœnæ peccatis debitæ, et ad consecutionem præmii æterni; ac subinde esse meritoria. Unde docet Concilium, cap. 8. *Neque vero, inquit, securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Quis autem verus animi dolor, nisi actus supernaturalis spei, aut charitatis? Unde Concilium ibidem colligit: *Neque vero ita nostra est Satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.* Quæ autem fiunt per Christum, debent fieri beneficio ipsius gratiæ, ac subinde debent esse supernaturalis ordinis.

SUPPONO 3. Opus satisfactorium debere esse voluntarium et liberum: *tum* quia actus satisfactorius est actus moralis, et humanus; libertas autem est principium moralitatis et honestatis: *tum* quia sicut homo non peccat, nisi libere operando, ita nec potest satisfacere pro peccatis, nisi libere ac voluntarie patiendo pœnam, vel sibi injunctam a Sacerdote, vel ab eodem pœnitente usurpatam: *tum* quia opus satisfactorium debet cedere in gloriam Dei; quippe cum ordinetur ad resarciendum jus divinum, ac compensandam injuriam ipsius divinæ Majestati irrogatam; ac subinde debet esse opus laudabile: nihil autem laudabile est, quin sit liberum, et in nostra potestate, ut docet Doctor Quodlibeto 18. n. 9. ubi ait: *Dico, quod laudabile et vituperabile, imo generalius, præmiabile, et punibile, continentur sub hoc communi, quod est imputabile: et illius communis est una ratio, hæc scilicet, actum esse in libera potestate agentis.* Unde sequitur actum satisfactorium debere esse liberum, saltem denominative ab illo pio affectu, seu vero animi dolore quo elicitur vel imp-ratur. Dixi, saltem *denominative*, multi namque existimant Satisfactionem augeri per opus, aut passionem externam: sic qui jejuna-t de facto, plus meretur, quam qui solum vult jejunare, nec potest propter infirmitatem, aut imbecillitatem corporis, quamvis in actu interno, et voluntate jejunandi essent pares et æquales. Unde Concilium Tridentinum, cap. 9. docet, quod quamvis flagella temporalia a Deo homini immissa non sint in ejus

potestate, sed veniant ei ab extrinseco, si tamen ea voluntarie accipiet et patienter toleret, nihilominus satisfactoria sunt, quia aliquo modo fiunt illius patientis, in quantum videlicet ea acceptat ad purificationem peccatorum, eisque patienter utitur ad obtinendam plenariam delicti remissionem.

His itaque præmissis, tria supersunt hac in Quæstione determinanda: *primum*, utrum opus satisfactorium debeat esse pœnale: *secundum*, utrum debeat esse externum vel internum: *tertium*, quænam convenientia sint opera satisfactoria.

Conclusio prima. — OPUS SATISFACTORIUM REGULARITER DEBET ESSE PœNALE.

Colligitur ex Concilio Trid., Sess. 14. ubi opera satisfactoria vocat *pœnas satisfactorias*. Et Can. 13. *pœnas sponte susceptas, vel a Deo inflictas, vel a Sacerdote injunctas*. Idem etiam apparet ex Scriptura sacra, quæ quoties Satisfactionis faciendæ a peccatore meminit, toties etiam significat ad id esse usurpanda opera pœnalia. Sic Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, in fletu, et planctu*. Et Matth. 11. ubi Christus Dominus loquens de Tyriis et Sidoniis, ait, quod si in eis factæ fuissent virtutes, quas fuerat operatus in Bethsaida, et Corrozaïm, *in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*. Constat similiter ex auctoritate omnium SS. Patrum in primâ Conclusionis præcedentis Quæstionis laudatorum, qui omnes unanimi calculo contestantur, satisfactionem fieri debere per opera afflictiva et punitiva. Unde S. Gregorius. Homil. 20. in Evangelia: *Justum est, ut peccator tanto majora inferat sibi lamenta per Pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per culpam*.

Hinc Subtilis Doctor, dist. 15. q. 1. n. 11. Satisfactionem definiens, ait: *Dico, quod Satisfactio est operatio laboriosa vel pœnalis, voluntarie accepta ad puniendum peccatum commissum a se, et hoc ad placandam divinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntarie tolerata in ordine prædicto*. Et n. 8. antea dixerat, « quod satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quam in aliis actibus bonis non pœnalibus, licet quandoque possit per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri; quia bene potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ; licet enim non sit propria punitio, est tamen majus bonum, et magis Deo reddens honorem, quam illa quæ esset propria illius punitio. Sed regulariter, sicut culpa ordinatur per pœnam, et non per aliquod aliud magis bonum, quam sit culpâ, ita satisfactio isto modo dicta consistit in actionibus, vel passionibus habentibus rationem pœnæ. Et hoc est quod dicit S. August., *De vera et falsa Pœnitentia*, et ponitur dist. 16. cap. 1. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim graviore fructus postulat, ut dolore, et gemitibus mortuus impetret vitam*. « Isti autem actus pœnales, vel passiones voluntariæ, in genere reducuntur ad actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ, et ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod est valde pœnale; vel ad passionem concomitantem verecundiam, et ad actum simpliciter exteriorem, vel passionem, scilicet macerando carnem;

« et omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad jejunium; « vel elevando mentem in Deum, et hoc fit per orationem; vel sua « temporalia erogando, quod fit per eleemosynam ».

Hanc Subtilis Doctoris veritatem confirmat Concilium Trident., Sess. 14. cap. 2. *Primo* quia Pœnitentia est laboriosus Baptismus; loquens enim de innovatione et restitutione hominis, quæ fit per Pœnitentiæ meritum, ait: *Ad quam novitatem et integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente Justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit. Secundo* quia, inquit cap. 14., Satisfactio deservit ad cavendum futurum peccatum; *proculdubio*, ait, *magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnites efficiunt. Ubi enim homo expertus est pœnam, non facile in culpam relabitur; unde Philosophus 2. Ethic. ait, quod peccatorum medicinæ sunt pœnæ. Tertio* quia per satisfactionem conformes efficiamur Christo: *Dum. inquit, Satisfaciendo patimur pro peccatis Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. — Idem docet Catechismus Rom., pag. 2. cap. 5. n. 58. ubi ait: « Duo præcipue in satisfactione requiruntur. Primum est, ut is, qui satisfacit, justus sit ac Dei amicus, opera « enim quæ sine fide et charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse « possunt. Alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ natura sua « molestiam et dolorem afferant; cum enim præteritorum scelerum « compensationes sint, atque, ut S. Cyprianus Martyr (lib. 1. Epist. 13. « post medium) ait, redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut « aliquid acerbitatis habeant, quamquam non semper illud consequantur, ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum « habeant: sæpe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum « charitas efficit, ut quæ perperu gravissima sunt, ne sentiantur « quidem. Nec tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi « vim habeant; siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita ejus « amore et pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati, « aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia læsissimo animo perferant ».*

Hanc veritatem pariter probat Doctor Seraph., in 4. dist. 15. p. 2. art. 1. q. 3. ratione quadruplici. « Quod Satisfactio fieri debeat per « opera pœnalia, inquit, ratio est quadruplex: *prima* est, quia ibi est « honoris ablati redditio, unde honorem istum debet homo reddere « amplius, quam si non abstulisset, et ideo requiritur, ut non tantum « Deo famuletur per operationem bonam, verum etiam seipsum deiciat per pœnam assumptam. *Secunda* ratio est, quia est primo deordinati reordinatio, et quia deordinatum per culpam optime ordinatur « in pœna: ideo, etc. *Tertia* ratio est, quia ibi est infirmati curatio, « quia infirmatus per delectationis calorem, curatur per pœnalitatis « algorem, et ideo, etc. *Quarta* ratio est, quia ibi est debiti absolutio, « et quia peccator est debitor pœnæ, ideo debet per pœnam satisfacere ». Hæc ille.

* « Nec divinum, nec ecclesiasticum jus imperant, ut satisfactio

sacramentalis sacrae communioni necessario præmittatur; merito igitur ab Alexandro VIII proscripta fuit hæc propositio: *Sacrilegi sunt iudicandi qui jus ad communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* * *

DICES 1: S. Anselmus, in lib. *Cur Deus homo*, cap. 19. et 20. ait: *Satisfacere est honorem debitum Deo impendere;* sed hoc fit omni opere bono: ergo non solum per opera pœnalia, sed per omnia alia potest fieri Satisfactio. — **Respondet Seraphicus Doctor:** *Quoniam est debitum honoris, veniens ex bono collato, et hunc debemus per gratiarum actionem. Est veniens ex mandato injuncto, et hunc debemus per obedientiam et subjectionem. Est veniens ex Majestatis imperio: hunc debemus per patriæ adorationem. Est veniens etiam ex peccato commisso, et iste honor redditur Deo per sui ipsius punitionem, et hoc est in Satisfactione.*

DICES 2: Non delectatur Deus in pœnis nostris: ergo non magis placent opera pœnalia Deo, quam alia; sed per illud quod magis placet ei, cui debetur Satisfactio, melius satisficit; ergo, etc. — **Respondet S. Bonaventura:** *Ad illud quod objicitur, quod non delectatur in pœnis Deus, dicendum, quod verum est ea ratione, qua pœnæ; sed ea ratione, qua curantes culpam nostram, et honorantes divinam justitiam, bene delectatur in eis.*

DICES 3: Quædam sunt peccata, quæ perpetrantur cum tristitia, ut puta invidia, et acedia, etc. Sed Satisfactio debet esse per contrarium: ergo sine pœna debet de his peccatis Satisfactio fieri. — **Respondet Doctor Seraph.:** *Quod etsi in quibusdam peccatis comitetur tristitia, radix tamen est ex delectatione libidinosa,*

DICES 4: Satisfactorium est pœnale per se loquendo: ergo magis pœnale, magis satisfactorium: sed avaro est magis pœnale dare obolum, quam largo marcham: ergo magis satisfacit per obolum, quam ille per marcham. Similiter potest dici in jejunio, et oratione: et hoc est inconveniens, quod mali de malitia sua commodum reportent. — **Respondet idem Doctor:** *Quod aliquid est pœnale naturæ, quia natura est, ut puta jejunii, abstinentia, et erogatio bonorum, in quibus sustentatur humana infirmitas: aliquid ratione culpæ, et inordinationis voluntatis. Prima pœnalitas respicitur per se in Satisfactione: secunda vero non, et de ista secunda oppositio intelligitur.*

Conclusio secunda. — LICET ORDINARIE OPUS SATISFACTORIUM DEBEAT ESSE PŒNALE, NIHILOMINUS OMNE OPUS MERITORIUM, TAM INTERNUM QUAM EXTERNUM, POTEST ESSE VERE SATISFACTORIUM. Hæc est communis in utraque schola Angelica et Subtili, nec enim contrarium docuit Doctor, ut ipsi perperam affingunt nonnulli Thomistæ; nam, ut constat ex jam dictis in prima Conclusionem, ipse discrete pronuntiat, n. 8. quod etsi ordinarie satisfactio consistat in aliquo actu pœnali, « tamen, *inquit*, potest per aliquem actum bonum « non pœnalem satisfieri, quia bene potest Deus actum bonum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ; licet enim non sit « propria punitio, est tamen majus bonum, et magis Deo reddens « honorem, quam illa, quæ esset propria illius punitio ». Et ibidem inter actus pœnales expresse ponit *actum interiorem displicentiæ,*

vel passionem tristitiæ ». Et ibidem, n. 11. ait: *De primo dico, quod Satisfactio est operatio exterius laboriosa, vel pœnalis, voluntarie assumpta ad puniendum peccatum commissum a se, et hoc ad placandam divinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntarie tolerata in ordine prædicto. Isto modo accipitur Satisfactio multo strictius, et particularius, quam satisfactio primo modo, quia illa potuit consistere in actu pœnalis passionis voluntariæ interiori, vel exteriori. Non ergo negat actibus interioribus omnem vim satisfaciendi, sed si aliquam negat, ea est satisfactio stricte sumpta, et condistincta ab aliis Pœnitentiæ partibus, puta Contritionem, et Confessione; nam continuo subjungit: Secunda (scilicet in quibus constat illa satisfactio) patet; quia ut opus exterius, vel passio distinguitur contra actum vel passionem interiorem mentis (idest, Contritionem) et contra actum oris (idest, Confessionem) vel passionem concomitantem, non consistit satisfactio, nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet jejuniis, oratione, et elemosyna, de quibus dictum est tertio articulo præcedente, vel in passionibus voluntariis concomitantibus ista tria opera difficillima.*

Porro conclusionis ratio est primo, quia homo potest peccare per actum mere internum: igitur conveniens fuit, ut etiam per actum pure internum posset satisfacere pro peccato. Deinde, in tantum Satisfactio nostra confert ad remissionem peccati, in quantum ad id acceptatur a Deo: sed Deus potest acceptare actum charitatis in compensationem injuriæ sibi illatæ: igitur actus ille potest esse revera satisfactorius. Denique, si quid obesset quominus opus mere internum posset esse satisfactorium, maxime quia non esset pœnale: sed ita non est; cum enim omnis actus meritorius sit actus virtutis, habet semper adjunctam aliquam difficultatem, et molestiam, quamvis aliunde delectationem inferat, ut constat de contemplatione, quæ dum recreat animum, affligit: igitur omnis actus meritorius potest esse satisfactorius.

Conclusio tertia. — OPERA SATISFACTORIA COMMUNITER REIGDUNTUR AD TRIA CAPITA, NEMPE JEJUNIUM, ORATIONEM, ET ELEMOSYNAM. Ita Concilium Trid., Sess. 6. cap. 14. ubi inter actus pœnitentis numerat satisfactionem, quæ per jejunia, elemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia fit.

Hanc Conclusionem probat Doctor, num. 12. « Quia, inquit, peccatis in genere distinctis in tria membra, scilicet in peccatum carnis, « in peccatum concupiscentiæ oculorum, et superbiam vitæ, 1. Jo. 2. « correspondent de congruo propriæ satisfactiones in genere, scilicet « peccato carnis jejunium, vel universaliter quæcumque maceratio « carnis magis ordinata ad reprimentum tale peccatum carnis, et sub « isto comprehendendo vigiliis, peregrinationes, asperitates vestium, nuditatem, vel discalceationem, imo generaliter quemcumque laborem « fatigantem. Peccato autem superbiæ et cæteris spiritualibus magis « appropriate correspondet oratio, quæ et humiliat spiritum Deo, et « roborat contra peccata spiritualia. Peccatis autem circa temporalia, « ut avaritiæ, vel cupiditati cuicumque, ut rapinæ, furti, vel ablationis injustæ, magis appropriate correspondet erogatio elemosynarum. Et ratio istorum est, propter majorem correspondentiam pœnæ « ad culpam, quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur ».

In idem conspirat Doctor Seraph., in 4. d. 15. p. 2. art. 1. qu. 4., ubi per orationem intelligit omnem actum contemplative ad Deum relatum; per jejunium omnem carnis afflictionem, quæ consistit in vigiliis et flagellis et jejuniis proprie dictis; per eleemosynam autem omne opus pietatis proximo impensum, sive spirituale, sive corporale. Et probat sufficientiam ac distinctionem harum partium, primo secundum appropriationem: *Cum enim, inquit, triplex sit radix peccati, sicut dicitur in Joanne, aut concupiscentia carnis, et contra hanc est jejunium; aut concupiscentia oculorum, et contra hanc est eleemosyna; aut superbia vitæ, et contra hanc est oratio; hoc dico secundum appropriationem, quia unumquodque horum valet contra omnes, appropriative tamen magis opponuntur.* — Secundo, per proprietatem: *Opus, inquit, penale, aut ordinar nos ad Deum, et sic est oratio; aut ad nos, et sic est jejunium, quod macerat carnem nostram; aut ad proximum, et sic est eleemosyna.* — Tertio, secundum reconciliationem. *Quia, inquit, per orationem Deo reconciliamur. Sed, sicut dicit August., De Serm. Domini in monte: Si vis orationem tuam volare in cælum, fac duas alas, scilicet jejunium, et eleemosynam. Tobia 12. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna. Quarta, sufficientia accipitur, Quia, inquit, duplex est vita, scilicet activa, et contemplativa; quantum ad contemplativam, oratio, quantum ad activam, eleemosyna: ut autem homo sit dispositus ad utramque facit jejunium.*

DICES 1: Contraria contrariis curari debent: sed multo plura sunt genera peccatorum: igitur multo etiam plura debent esse remedia. — **Distinguo minorem:** multo plura sunt genera peccatorum, specialia, *concedo:* communia, et universalia, *nego:* nullum enim est speciale peccatorum genus, quod ad alterutrum ex tribus assignatis non revocetur.*

DICES 2: Si eleemosyna esset satisfactoria, maxime quando fit de bonis propriis juste acquisitis, et necessariis: at ut sic non potest esse satisfactoria, quia unusquisque tenetur se magis diligere, quam alterum, ac subinde non debet in alterius usum impendere, quod sibi necessarium est. — **Distinguo minorem:** si sibi sit absolute necessarium, *concedo:* secus, *nego:* Porro, inquit Seraph. Doctor, art. 2. q. 1., necessarium dicitur dupliciter: vel secundum naturæ arctitudinem; vel secundum communem usum vivendi. Si secundum naturæ arctitudinem, non tenetur, nec oportet ei imponi, qui peccavit, quia hoc est perfectionis illorum, qui totum victum expectant a Christo, sicut sunt viri, qui sunt in statu perfecto, et ideo si fiat eleemosyna, debet fieri de eo quod superest huic necessario, et bene est satisfactoria. Alio modo dicitur necessarium, quod expedit homini secundum communem modum vivendi; de quo dicit August. *Quod multa superflua habere probabimur, si sola necessaria teneamus;* et de tali fit proprie eleemosyna satisfactoria; de superfluo vero non fit, quantum est ex rigore justitiæ. Tamen credo, quod divinæ misericordiæ benignitas tanta est, quod totum acceptat, et quasi pro nihilo salvat nos. Hæc Seraphicus Doctor.

DICES 3: Si oratio posset esse satisfactoria, maxime vel mentalis, vel vocalis: sed neutra eam rationem obtinet. Non quidem mentalis, quia hæc non est laboriosa. Neque etiam vocalis, quia plerumque est

imperfecta: igitur, etc. — **Negat minorem Seraph. Doctor**, qu. 3., ubi distinguens triplex genus orationis, dicit eas esse satisfactorias: « Quædam, *inquit*, oratio est pure mentalis, quædam vocalis, quædam media. « *Pure mentalis est*, quando labia non moventur, sed cor ad Deum loquitur. *Pure vocalis est*, quando nihil cogitat in his quæ dicit, nec « in generali, nec in speciali, ita quod referat intentionem ad sensum « verborum, vel finem: sed cum orat, fabricat castra, et sic mentalis « simpliciter excedit vocalem. Alia est *mixta*, in qua scilicet orat « mentaliter, et vocaliter. Et de ista distinguendum, quia aut verba « illa impediunt affectum, quia sic inflammatus est quod immediate « fertur in Deum, et talis utilior est oratio mentalis; si autem juvatur, « utilior est vocalis: et multi sunt tales, et maxime illi, qui non sunt « viri spirituales, : d quorum affectus provocandos institutæ sunt orationes vocales.

« Si QUÆRATUR, quæ oratio sit satisfactoria? credo quod omnis, « quia nulla est, in qua non laborent virtutes animales: et quantum « delectatur spiritus, tantum caro frequenter tabescit, et virtutes « animales minus sunt intentæ regimini corporis. Credo tamen, quod « illa inter cæteras est satisfactoria magis, in qua accenditur homo ad « gemitum, quia hæc est, in qua Deus maxime delectatur. Unde quia « illud est gratiæ specialis, ideo non imponitur a Sacerdote, sed præambulum ad illud, scilicet oratio vocalis. Et quia non est status in vocabulis, sed ordinatur ad intellectum, hinc est quod Dominus, et Gregorius mittunt a vocali oratione ad mentalem ».

PETES 1. *Quodnam ex illis tribus bonis operibus sit magis satisfactorium?* — **Respondet Seraph. Doctor**, art. 1. qu. 4. ad 6. et 7. Ad illud quod quæritur, quod est magis satisfactorium? dicendum, quod unum quodque horum secundum appropriationem suam. Tamen si generaliter loquamur, dicendum, quod in Satisfactione tria sunt, scilicet vitatio culpæ, et contra hanc valet maxime oratio: *secundum*, est augmentum gratiæ, et ad hanc maxime valet eleemosyna, quia homo facit sibi amicos, qui impetrant gratiam: *tertium*, est solutio pænæ; et hoc maxime est in jejuniis, et hoc est infimum in Satisfactione, alia duo præponderant. — Sed quidquid sit, audiendus est S. August. consulens ac monens, Serm. 59. *De Tempore: Qui vult, orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas; idest, eleemosynam et jejuniium, et ascendat celeriter, et exaudietur.* Idem habet in Psal. 42., circa finem: *Quam celeriter, inquit, accipiuntur orationes bene operantium, et hoc justitia hominis in hac vita; jejuniium, eleemosyna, oratio; vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejuniium et orationem.*

QUÆRES 1. *Utrum fieri possit Satisfactio per flagella divinitus immissa, vel a causis secundis procurata?*

AFFIRMAT Trid., Sess. 14. cap. 9., ubi ait: *Docet præterea (sancta Synodus) tantam esse divinæ munificentiae largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter*

toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus. Item Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, etc. anathema sit.* Cumque hic non fiat distinctio inter flagella, quæ a Deo infliguntur specialiter propter finem Satisfactionis, et inter illa, quæ Deus permittit naturaliter evenire ob alios fines, videtur idem de utrisque dicendum.

Ratio autem hujus assertionis non alia est, quam Christi Domini voluntas, quæ utique nobis innotescit per Ecclesiæ sententiam expressam in laudatis Concilii verbis, maxime quoad flagella quæ a Deo specialiter infliguntur in Satisfactionem, et peccatoris emendationem; nam Prover. 3. *Quem diligit Dominus, corripit.* Similiter Hebræorum 12. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit;* quia videlicet hujusmodi flagellis et castigationibus patienter toleratis peccatores pro suis delictis Deo satisfaciunt.

Quod utique præclare confirmat sanctus Hieronymus in Commentario ad caput primum Prophetæ Nahum, ubi ait: « Quid ergo (ut) « contra Dominum cogitatis? Ipse, qui creavit mundum, et consumptionem ejus faciet. Quod si vobis videtur crudelis, rigidus, et « cruentus, quod in diluvio genus delevit humanum, super Sodomam « et Gomorrhæam ignem et sulphur pluit. Ægyptios submersit fluctibus, Israëliitarum cadavera prostravit in eremo; scitote, eum ideo « ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certe aut « vera sunt, quæ Prophetæ loquuntur, aut falsa; si vera sunt, quæ « de severitate ejus videntur docere, ipsi dixerunt: *Non vindicabit « Dominus his in idipsum in tribulatione.* Sin autem falsa sunt, et « falsum est, quod dicitur: *Non consurget duplex tribulatio:* falsa est « ergo et crudelitas, quæ in lege descripta est. Quod si verum est, ut « negare non poterunt, dicente Prophetæ: *Non vindicabit Dominus his « in idipsum in tribulatione:* ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi postea punientur, Scriptura mentitur; quod « dicere nefas est. Receperunt ergo, et qui in diluvio perierunt, et « Sodomitæ, et Ægyptii, Israëlitæ in solitudine mala sua in vita sua.

« Quæret hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decollatur, « quid de eo postea fiet? Aut enim punietur, et falsum est hoc, quod « dicitur: *Non vindicabit Dominus his in idipsum in tribulatione;* aut « non punietur; et optandum est de adulterio, ut impresentiarum « brevi, et cita pœna cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondimus, Deum ut omnium rerum, ita et suppliciorum quoque scire « mensuras, et non præveniri sententia judicii: nec illi in peccatorum « exercendæ de hinc pœnæ auferri potestatem, et magnum peccatum « magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si quis autem punitus sit, ut « ille in lege, qui Israëlitis maledixerat, et qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpæ levis præsentis supplicio « compensata sit ».

Unde monet Doctor, dist. 15. quæst. 1. quod Confessarius potest injungere pauperi pœnam illam, quam subit quotidie propter egestatem et inopiam, in Satisfactionem suorum delictorum: « Requiritur, « *inquit in 13., discretio Sacerdotis, ut non imponat alicui pœnam*

« nimis sibi disconvenientem, sed aliam, quæ magis sibi convenit, et
 « quem forte melius adimplebit: utpote pauper, nec eleemosynas po-
 « test dare, nec orare, sed oportet eum continue laborare pro victu
 « suo necessario; nec jejunare, quia tunc non sufficeret ad laborem
 « necessarium pro victu necessario continue acquirendo. Quia ergo
 « ipse labor continuus est sibi jejuniū continuū, quia continua
 « maceratio carnis, tantummodo inducendus est, ut illum laborem su-
 « beat in remissionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem re-
 « ferre, saltem quousque occurrat sibi opportunitas solvendi aliquam
 « aliam Satisfactionem, et aliqua alia possunt ei ita temperare, et di-
 « minute imponi, ut sint sibi possibilia. Consimiliter, dives qui la-
 « psus est ad peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit
 « jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire, vel præsumitur
 « quod si sibi imponeretur, cito abjiceret, et sic peccaret novo peccato,
 « inducendus est ad orationem et eleemosynam, et illud sibi impo-
 « nendum est, quod libentius recipit, et quod creditur perseverantius
 « adimplere.

« Vel si omnino nullam Pœnitentiam velit recipere a Sacerdote
 « impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato com-
 « misso, et firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, et
 « non est respiciendus, ne cadat in desperationem, et nuntianda est
 « sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, et quod eam in se, vel
 « in æquivalenti absque impositione studeat adimplere, alioquin solvet
 « ad plenum in Purgatorio. Hæc misericordia satis consonat illi Pro-
 « phetiæ Isaiæ 42. *De Christo*, quam Matth. 12. cap. recitat, *Arundi-*
 « *nem quassatum non confringet, et linum fumigans non extinguet.*
 « *Arundo quassata est peccator quassatus tentationibus et peccatis;*
 « *linum fumigans est linum nimis humidum ex peccatis, tamen ali-*
 « *quid habens de igne charitatis, et hic extinguitur, si per durtiam*
 « *Sacerdotis ad nimis difficile obligetur: sed non extinguitur, si præ-*
 « *dicatur sibi, quod oportet eum hic, vel alibi pœnam solvere: et quod*
 « *studeat hic tantam pœnam solvere, quanta peccatis debetur, ne alibi*
 « *acrior exigatur.* » *Hæc Doctor.*

Quibus significat, primo injungendam esse Satisfactionem, quantum fieri potest, æquivalentem ac correspondentem peccatis, ut videlicet quas satisficiat, et puniatur in eo genere, in quo peccavit; ubi autem id fieri non potest, sufficit, ut injungatur Satisfactio in alio genere, quæ sit æquivalens, ac proportionata facultati et viribus pœnitentis; in quo maxime desideranda et spectanda est discretio, ne videlicet per nimiam indulgentiam leviorē Satisfactionem injungendo, particeps et reus fiat alieni peccati, et vilem reddat medicinam infirmo necessariam; neve ex altera parte pœnitentis infirmitati non satis prudenter consulens, ei præscribat illum Satisfactionis modum, quem sine periculo desperationis, aut novi peccati implere non possit. *Secundo*, quod ubi pœnitens non potest congrue, et suis peccatis correspondentem Satisfactionem persolvere, potest ei Confessarius injungere pro Satisfactione eas pœnas et calamitates, quas ipse patitur. Cujus utique ratio est manifesta; illud enim omne, quod acceptum est Deo in Satisfactionem pœnæ temporalis, etiam est medium congruum satisfaciendi: igitur quando facultas non suppetit ad aliud persolvendum,

Sacerdos, qui est Judex inferior et ministerialis, debet se conformare legi et voluntati Dei, et præscribere in Satisfactionem ea, quæ quamdam cum delicto correspondentiam habent, etsi non omnimodam, nec proportionatam.

QUÆRES 2. *Utrum penitens satisfacere possit Deo per opera aliunde præcepta?*

RESPONDEO, triplicem hac de re apud Doctores scholasticos esse sententiam, quarum *prima* negat, Satisfactionem fieri per opera aliunde præcepta, ex eo quod, ut sit perfecta, fieri debeat ex aliis indebitis, Ita plerique Scotistæ condendunt, maxime Faventinus, in dist. 29. disp. 35. cap. 7. *Secunda* affirmat, posse satisfieri per opera præcepta jure humano, non vero jure divino, aut naturæ. Ita Sylvester verbo *Satisfactio*. *Tertia* denique sententia docet, etiam in operibus aliunde præceptis posse Satisfactionem præscribi; quæ apud recentiores Theologos jam communior videtur, nobisque etiam probabilior apparet: tum quia id colligitur ex Concilio Trident., Sess. 6. cap. 10., ubi ait: *Per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ, in ipsa Justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur*. Et cap. 6. *Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi, pro vitæ hujus statu, satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur*. Quidni igitur pari ratione censerî possent vere satisfecisse pro pœna temporali, maxime si opera ista præcepta pœnalia sint? Si enim opera bona ex hoc præcise, quia debita ex hoc præcepto, non perdunt vim merendi gratiam et gloriam, cur opera bona et pœnalia perderent vim satisfaciendi, ex eo quod aliunde sunt præcepta? — *Deinde*, Ecclesia præcipit jejunia in Satisfactionem: igitur censet opera præcepta posse esse satisfactoria. *Patet antecedens* ex Collecta, quæ dicitur Sabbato ante Dominicam tertiam Quadragesimæ: *Da quesumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem, ut castigatio carnis assumpta ul nostrarum vegetationem transeat animarum*. Et S. Leo Papa, Serm. 4. *De Quadragesima*, sic ait: *Magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad recuperandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent, per extinctionem pœnæ temporalis*. — *Denique*, ut ait Lugo, disp. 27. n. 35. tota condignitas Satisfactionis fundatur in eo, quod homo laudabiliter se castigans, eo ipso placat iram Judicis, ne illum iterum puniat: ille autem, qui ex præcepto se castigat, non minus, sed magis laudabiliter se castigat: non enim minus, sed potius magis honestum et laudabile est, cæteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quam absque illo: ergo magis placet Deo, et per consequens magis placat illum ejusmodi castigatio per opera præcepta, quam per spontanea.

DICES 1: Non potest quis satisfacere duplici debito eadem solutione, quia non esset æqualitas inter debitum, et pretium: igitur si aliquod opus sit jam Deo debitum ex præcepto, non potest per illud solvi debitum contractum ex peccato. — *Distinguo antecedens*: si

res illa, quæ offertur in solutione non habeat multiplicem bonitatem et valorem, *concedo*: secus, *nego*; tunc enim secundum diversum sui valorem pluribus debitis satisfacere poterit. Porro opera præcepta habere possunt duplicem valorem: unum quidem moralem et *meritorium* desumptum ex objecto et circumstantiis ejus, necnon ex fine, propter quem elicitur, et ex principio gratiæ habitualis, quo mediante producit; alterum vero *satisfactorium* petitum ex difficultate illius, seu pœna et labore, qui in exercitio ejus reperitur. Ratione primi valoris, possumus implere debitum præcepti, et satisfacere debito obedientiæ et religionis; ratione vero secundi possumus satisfacere Deo de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita. Si enim v. g. nummus aureus duplicem habet valorem, unum ratione metalli, alterum ratione imaginis, aut sigilli principis in eo exarati, et ratione primi valeret quinque nummos argenteos, et totidem ratione secundi, posset aliquis debens alteri decem nummos argenteos, quinque ratione mutui accepti, et quinque ratione mercium, utrique debito, et pro utroque titulo, ad æqualitatem satisfacere, ipsi tradendo hunc nummum aureum: ita a simili dicendum de operibus præceptis, quæ duo possunt impendi in Satisfactionem virtutis obedientiæ, et Religionis, et in Satisfactionem pro peccatis. Si enim quis unico jejunio v. g. possit satisfacere triplici præcepto, nempe dum Religiosus virtute suæ Regulæ tenetur jejunare singulis diebus Veneris, et ex præcepto Ecclesiæ per totam Quadragesimam, necnon in Feriis quatuor Temporum, ubi enim tria hæc simul concurrunt, unico jejunio eis fit satis; quidni pari ratione poterit etiam eodem jejunio satisfacere et præcepto Ecclesiæ, et mandato Confessarii hoc jejunium præscribentis?

DICES 2: Si quis debeat Ecclesiæ unum Calicem ex voto, et alterum ex testamento et legatione illius, cujus est hæres, non satisfaciet dando unicum Calicem: quod enim ex voto donat, non solvit, et quod solvit ex vi testamenti, non donat. Similiter si quis debeat centum nummos Petro ratione mutui, et insuper alios centum ab eo fuerit furatus, non satisfaciet dando semel ei centum nummos. Igitur nec quis Deo satisfaciet per unicum jejunium, quando jejunare tenetur ob præceptum, et propter compensandam injuriam Deo irrogatam. — **Nego consequentiam**; et ratio disparitatis est petenda ex materia; nam materia justitiæ commutativæ consistit in omnimoda æqualitate solutionis cum debitis aut juribus, quæ salvari non potest in unica solutione, quando debita illa aut jura sunt plura, aut diversa. Secus vero est in debitis legalibus, puta voti, legis, Pœnitentiæ injunctæ, et similibus, in quibus magis attenditur mens et intentio Legislatoris, quam res ipsa: cum autem intentio Legislatoris possit tendere in idem opus faciendum ex diverso motivo, puta si quis eodem die teneatur jejunare ex Ecclesiæ præcepto, quia dies ille est Vigilia alicujus Sancti, et ex voto, quia ad id tenetur ex Regula, quam professus est; si quis Confessarius pro pœnitentia præscribat jejunium ejusdem diei pœnitenti, quem aliunde scit obligari ex voto, et Ecclesiæ præcepto ad jejunandum, pœnitens ille eodem jejunio satisfaciet, et voto, et legi, et injunctæ sibi Pœnitentiæ.

QUÆRES 3. *Utrum pœnitens implens in statu peccati mortalis injunctam sibi Satisfactionem, revera ita eam exequatur, ut omnino debitum solvat; nec iterum teneatur ad eam in statu gratiæ implendam?*

RESPONDET DOCTOR, n. 15. affirmativam partem sibi non videri improbabilem; « Quia, *inquit*, negativa sententia videtur nimis dura
« contra peccatores, et occasio majoris obstinationis. Si enim iste hodie
« vere pœnitens, et humiliter recipiens Satisfactionem, esto jejunium
« trium dierum, recidivat in peccatum mortale, et de illo non pœni-
« tens, secundo die jejunat, quia sibi fuit impositum; si dicas, quod
« illud jejunium secundæ diei non est aliqua Satisfactio exterior, magis
« occasio est inducendi istum jam lapsum, ut tertio die non jejundet,
« et per consequens ad novum peccatum mortale; quia transgrediendo
« istam pœnam injunctam a Sacerdote, et receptam, videtur esse pec-
« catum mortale, cum sit transgressio præcepti Ecclesiæ, et Vicarii
« Dei in illo actu.

« Ex isto potest formari talis ratio: si post lapsum, et ante Pœni-
« tentiam novam, non exequatur quis Satisfactionem pristinam sibi
« impositam, peccat mortaliter novo peccato: ergo si exequatur, bene
« facit, quia actum obedientiæ facit: sed non facit actum obedientiæ,
« nisi in quantum illud est sibi impositum tamquam pars Satisfactionis.
« Dico ergo sine præjudicio, quod qui semel vere pœnitet, et recipit
« Satisfactionem, vel Pœnitentiam condignam sibi impositam ab Ec-
« clesia. clave non errante, quantumcumque postea recidivet, numquam
« tenebitur, nisi ad illam unicum Satisfactionem adimplendam; et si
« eam impleat in charitate, melius est, quia non tantum solvit pœnam,
« sed meretur. Sed si adimpleat eam voluntarie extra charitatem, solvit
« quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Si autem ipsa ab eo extra
« charitatem exigitur, solvitur pœna, licet ipse non solvat. Et in primo
« est Satisfactio simpliciter, quia reconcilians et placans; in secundo
« est quidem Satisfactio, quia voluntaria redditio, sed nec reconci-
« lians, nec placans; in tertio autem est Satisfactio, ultra quam non
« exigitur pœna ulterior. Ex secundo membro sequitur, quod si ma-
« gnam partem Satisfactionis sibi impositæ explevit in peccato mor-
« tali, et post iterum pœnitet de peccato novo, non est sibi iterato
« Pœnitentia imponenda pro peccato, de quo satisfecit, licet extra cha-
« ritatem. sed tantum de novis peccatis, quæ fuerunt causa quare illa
« Satisfactio fuit mortua.

OBJICIT DOCTOR: « Si arguas, mortua est: ergo non est Satisfa-
« ctio. *Respondet*: non sequitur, nisi quod non est Satisfactio placans,
« nec reconcilians in amicitiam. *Instat*: et si dicitur: ergo non est
« Satisfactio. *Respondet*: non sequitur, quia sufficit Deo, quod quis
« voluntarie solvat pœnam debitam ad punishmentem peccati commissi;
« quia etiam, quod minus apparet, sufficit satisfactio. Patet in actibus
« humanis: si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcise
« secundum legem abscissio manus, si isti etiam invito absconditur
« manus, satisfacitur, et in tantum sufficit Regi, quod secundum legem
« et justitiam non debet ab eo pœnam ulteriorem exigere, et tamen
« non recipit eum in gratiam vel amicitiam; multo magis ergo posset

« sufficere pro punitioe culpæ, si aliquis sibi pœnam debitam infligeret, licet non esset in gratia, vel amicitia ipsius Judicis offensi.

« Ex tertio membro potest dici, quod talis, si propter novum peccatum, in quod recidivat, damnaretur, antequam complisset totam pœnam sibi impositam, puniretur in inferno temporaliter pœna correspondente illi, quæ non fuit hic soluta; et illa soluta post tempus aliquod, non puniretur amplius illa pœna, sicut et de veniali, quia moriens in peccato veniali simul cum mortali, non puniretur æternaliter pro veniali, ut dicitur inferius. Et eodem modo in proposito; ex quo enim secundum plenam justitiam punitivam semel imposita est pœna temporalis isti pro peccato, de quo vere pœnituit, numquam isti pro illo debebitur, nisi pœna temporalis, et illa soluta, nulla alia ». *Hæc Doctor.*

Ex quibus apparet, Doctorem probabile censere, Satisfactionem revera fieri posse valide in statu peccati, quod maxime probat ex impugnatione oppositæ sententiæ: *primo*, quia hæc sententia est nimis dura: *secundo*, quia causat obstinationem peccatorum: *tertio*, quia dat ansam peccandi, eo quod pœnitens relapsus, judicando Satisfactionem sibi impositam non prodesse, illam non persolvat, quod est peccatum inobedientiæ contra præceptum Confessarii.

Quod utique confirmatur, quia non debet aggravari onus peccatoris, aut excludi ab eo beneficium Sacramenti, et mortis Christi: sed nullum est fundamentum asserendi, Pœnitentem non posse satisfacere, nec valide implere satisfactionem sibi præscriptam; si enim esset aliquod fundamentum hujus assertionis, maxime *vel* quia Satisfactio est effectus, vel pars Sacramenti, *vel* quia est speciale Dei beneficium, *vel* quia fieri debet per Christum: sed nulla ex his rationibus id concludit. Non quidem ex eo, quod sit effectus Sacramentalis; nam etiam impressio characteris est effectus Sacramentalis Baptismi, Confirmationis, et Ordinis, ad quam tamen non requiritur status gratiæ. Non ex eo, quod sit singulare aliquod et extraordinarium Dei beneficium, quo peccator indignus est; nam etiam impressio characteris est tale beneficium, quod tamen confertur peccatori. Non ex eo, quod Satisfactio nostra sit per Christum Jesum, idest, virtute Sacramenti, per quod merita Christi applicantur, seu communicantur fidelibus, nam accipit characterem impressum: ergo consimiliter peccator poterit satisfacere, et satisfaciet ex opere operato *per Christum*, idest, per virtutem Sacramenti Pœnitentiæ, per quod fidelibus applicantur, seu communicantur merita et Satisfactiones Christi.

REPONUNT ADVERSARIJ, non solum propter præfatas rationes Satisfactionem in statu peccati esse nullam, sed quia ut sit valida, debet acceptari a Deo, et ei per Christum offerri: Satisfactio autem in statu peccati non potest acceptari a Deo, dona enim iniquorum non probat Altissimus. Quod utique confirmat Concilium Tridentinum, cum ait loco mox laudato, *in quo* (Christo) *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.* Unde Catechismus Romanus, par. 2. cap. 5. num. 103., ait: *Duo præcipue in Satisfactione requiruntur: primum est, ut is qui satisfacit justus sit ac Dei amicus: opera quæ sine fide et charitate fiunt, nullo modo grata*

esse Deo possunt; alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, qua natura sua dolorem et molestiam afferunt. — Verum contra, non plus requiritur status gratiæ ad validam Satisfactionem, quam ad perfectum actum Contritionis: sed Contritio ut sit valida, non præsupponit statum gratiæ: igitur, etc. *Major constat*: quia Contritio non solum delet peccatum, sed etiam partem pœnæ temporalis peccato debitæ, imo interdum totam solvit pœnam, ut supponit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 2. — *Deinde*, status gratiæ idcirco requireretur, ut persona satisfaciens Deo esset grata et accepta: sed hoc non est absolute necessarium ad dignam Satisfactionem; quia personæ dignitas consistit in amicitia Dei, et filiatione in ordine ad hæreditatem consequendam, necnon et ad ea, quæ proxime ad eam ordinant, ut sunt merita: sed solutio pœnæ temporalis potest fieri seorsim ab his circumstantiis: ergo ad validam illam solutionem non est necesse, quod persona satisfaciens sit Deo grata et accepta. *Minor patet*, quia non augetur jus ad hæreditatem præcise ex tali solutione pœnæ temporalis, quando maxime illa sit in operibus non meritoriis, quamvis tollatur impedimentum removens ac retardans ejus assecutionem, ac subinde per illam solutionem non augetur amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in gratia sanctificante, ex qua provenit ipsius hominis dignitas, neque per se confertur major gloria essentialis virtute ipsius Satisfactionis, quando aliunde non est meritoria, et consequenter non crescit Satisfactio ex dignitate personæ, nisi præcise in quantum Satisfactioni adjunctum est meritum; dignitas enim personæ justæ non influit in actum, nisi dum actus elicitur ex inclinatione ipsius justitiæ, quæ est ipsa charitas: sed actus boni indifferentes in ratione meriti non fundant meritum, neque eliciuntur secundum prædictam inclinationem, neque ad vitam hoc modo magis conferunt in homine justo, quam in peccatore: ergo neque etiam satisfactio indifferens in ratione meriti, seu quæ non est præcise meritoria gratiæ aut gloriæ, recipit valorem a justitia, aut dignitate personæ, quando non elicitur ab homine justo, secundum inclinationem charitatis. Unde ad Concilium Tridentinum dico, illud verbis laudatis loqui de Satisfactione simpliciter, nempe quatenus est reconciliativa et meritoria de condigno, ad quam haud dubie requiritur vita in Christo, seu status gratiæ; de hac autem Satisfactione hic non est sermo, sed tantum de Satisfactione, quatenus est solutio debiti et vindicativa peccati, quæ utique fieri potest quovis in statu; de hac satisfactione reconciliativa, et meritoria loquitur Catechismus Romanus, ut colligitur ex num. præcedenti, ubi ait: *Atque ita fit, ut justis nihil deesse videatur cum operibus, quæ Dei virtute efficiunt, et divine legi pro humana mortalique conditione satisfacere, et vitam æternam, quam scilicet, si Dei gratia ornati e vita decesserint, consequentur, mereri possint.* Quibus verbis, ut apparet, loquitur Catechismus de Satisfactione reconciliativa et meritoria de condigno vitæ æternæ, non autem ut est solutiva pœnæ debitæ peccato.

Quam utique duplicem Satisfactionis acceptionem etiam agnovit idem Catechismus cum ait n. 89. *Nonnulli definierunt Satisfactionem sic: Satisfacere est Deo debitum honorem impendere. Quod autem nemo debitum honorem Deo possit tribuere, nisi qui peccata omnino vitare constituat, satis apparet. Et satisfacere est peccatorum causas*

excidere, et eorum suggestioni aditum non indulgere; in quam sententiam alii assenserunt, satisfactionem esse purgationem, qua elicitur quidquid sordium præter peccati maculam in anima resedit, atque a pœnis tempore defuitis, quibus tenebamur, absolvimur. Quæ duæ partes Satisfactionis, purgatio sordium, et absolutio a pœnis, quarum prima non convenit Satisfactioni peccatoris, quia, ut ait Scotus supra, *nec est reconcilians, nec placans*; altera autem competit, quia est voluntaria redditio debiti, sive est rei debitæ integra solutio. Cum enim virtute Clavium pœna temporalis Purgatorii mutata sit in pœnam temporalem hujus vitæ, qui hanc voluntarie reddit, integre solvit rem debitam, amicus ejus sit, vel inimicus, cui solvit, quid interest? Nonne inimicus potest satisfacere debito justitiæ commutativæ, solvendo pretium rei emptæ? Nemo dubitat. Cur non similiter possit satisfacere debito justitiæ vindicativæ, seu punitivæ?

OBJICIUNT ADVERSARIJ: Scriptura sacra aperte testatur, Deum reprobare omnem Pœnitentiam, et satisfactionem oblatam ab homine pœnitente in statu peccati. Sic Isai., 58. *Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras; et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra,* etc. Et Prov. 15. *Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet.* Et 1. ad Cor. 13. *Si tradero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* — **Respondeo**, prioribus Scripturæ oraculis, idcirco reprobari opera peccatorum, non præcise quia fiunt in statu peccati, sed quia eliciuntur cum affectu peccandi; ideo namque Isaias dicit reprobari jejunia Judæorum, quia annexa habebant levia peccata contentionis et inimicitiae: *Ecce, inquit, ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie;* etc. *Ad Apostolum* dico, ipsum non loqui tantum de charitate habituali, sed etiam de actuali. Porro constat, sine charitate actuali aliquem posse justificari, ut fit in infantibus, qui martyrium subeunt, nec non et in eo adulto qui bona fide pro Christo moritur, quamvis ejus memoriae non occurrat peccatum quo reus tenetur, quodque affectu charitatis detestari deberet. Non igitur loquitur Apostolus generaliter, sed tantum de homine adulto, qui suis bonis operibus intendit promereri vitam æternam. Quod utique exequi non potest, nisi sit in statu gratiæ, et habeat charitatem habitualem.

OBJICIUNT 2. Pœnæ quæcumque hujus vitæ, per se ac nude sumptæ, non sunt comparabiles, nec ullam proportionem habent cum pœna vitæ futuræ, ac subinde per se non habent valorem, ut remittant illam pœnam: igitur necessaria est gratia, a qua hunc valorem recipiunt: hæc autem gratia est sanctificans, a qua Satisfactio dignificatur, et proportionem moralem habet ad pœnam alterius vitæ: igitur talis: gratia prærequiritur ad validam Satisfactionem. — **Distinguo primum consequens:** ad eam necessaria est gratia auxilians, et adjuvans, *concedo;* quia, ut diximus, illa Satisfactio fieri debet per Christum: hoc est beneficio ipsius gratiæ sanctificantis et habitualis, *nego;* maxime quando Satisfactio est tantum solutiua debitæ pœnæ.

URGENT Satisfactio illa in statu peccati esset solutiua pœnæ debitæ, vel de congruo, vel de condigno: non primum, quia pœnitens in statu peccati indignus est cujusvis boni, ac subinde incapax ut satisfaciat aut mereatur de condigno, et ideo gratia est principium omnis justitiæ

apud Deum. — *Insuper* ad id requiritur promissio divina, in qua justitia tam Satisfactionis, quam meriti fundatur: hæc autem non fit hominibus in peccato mortali manentibus, sed justis. Secundum etiam dici non potest, nisi mere gratis: ubi enim revelatum est, aut unde constat, Deum hac liberalitate uti cum inimicis suis, ut eis remittat pœnas, pro quibus ipsi vere non satisfaciunt, cum lex generalis sit, ut quantum quis glorificavit se in deliciis, tantum ei detur tormentorum; et e contra generalis etiam lex sit, ut, quod sine charitate fit, nihil prosit. *Ita Suarez.* — **Respondeo 1.** Prorsus esse indifferens ad rationem Satisfactionis, quod fiat sive de condigno, sive de congruo, dummodo debitum exolvat: sicut ipsi pariter indifferens est, quod liberaliter et ex misericordia, vel exacte seu ex justitia a Deo acceptetur. — **Respondeo 2.** Satisfactionem in statu peccati exhibitam, esse solutivam pœnæ de condigno, quantum ad solutionem pœnæ temporalis debitæ, non autem quantum ad reconciliationem; hæc enim Satisfactio, inquit Doctor, *non est reconcilians, nec placans;* et idcirco non disponit satisfacientem ad vitam æternam, nec removet impedimentum ab ejus consecutione præpediens, nempe peccatum. Porro satisfactio illa non est de condigno ex opere operantis, nec suum mutuatur valorem, suamque moralem proportionem ad debitum persolvendum ex dignitate personæ, sed habet illam condignitatem ex opere operato, seu quatenus Sacramentalis est, et suum valorem, suamque moralem proportionem ad debitum persolvendum accipit ex dignitate Sacramenti, per quod opus istud elevatur et constituitur pars integralis Sacramenti; quia injungitur virtute clavium, et acceptatur a Deo, quatenus condonando peccatum per Absolutionem Sacramentalem, commutavit pœnam æternam in hanc temporalem Satisfactionem.

Fateor itaque, Satisfactionem impensam in statu peccati mortalis, non esse condignam ex opere operantis; sed nullus hactenus probavit, eam sic non debere fieri, nec quod sufficere non possit, si sit tantum condigna ex opere operato. Nihilominus, quamquam hæc forte vera sint, quantum ad speculationem, attamen si praxim attendas, tutius est suadere pœnitentibus, ut omni studio incumbant injunctas sibi Satisfactiones implere in statu gratiæ, secundum prudentem eorum existimationem, hoc est, quando non sunt consciï alicujus peccati mortalis; quia Satisfactio in eo statu exhibitæ, non solum est solutiva pœnæ debitæ, sed etiam promeritoria ulterioris gradus gratiæ, sicut et novi juris ad augmentum gloriæ.

APPENDIX.

DE SATISFACTIONE SEU PŒNITENTIA PUBLICA.

NOTUM est ac compertum apud Theologos, duplicem esse Satisfactionem, *Sacramentalem* unam, *Canonicam* alteram. Prior est, quæ a Sacerdote ad nutum pœnitenti injungitur post emissam suorum delictorum Confessionem, et ante concessam Absolutionem sacramentalem; posterior vero, quæ præscribitur ab Ecclesia, et statuitur vel in Conciliis, vel in Canonibus Pœnitentialibus pro gravioribus delictis diluendis.

Hæc rursus duplex est, *privata* videlicet, et *publica*, seu quæ private et in particulari fit a pœnitente, ac semotis omnibus arbitris, vel quæ in conspectu Ecclesiæ et fidelium, ex præcepto Ministrorum ac Pastorum Ecclesiasticorum exercetur.

Insuper hæc iterum duplex, nempe quæ fiebat ab adultis ante Baptismum, ut ad illum suscipiendum sese disponent; altera vero, quæ pro peccatis post Baptismum commissis expiandis suscipiebatur. Quod enim nemo adultus sine aliqua publica Pœnitentia ad Baptismum admitteretur, colligitur ex Actor. 2., ubi S. Petrus monet: *Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Hujus pariter veritatis testes sunt Patres, atque imprimis Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, usque ad 7. caput, ubi ait: *Saluti hominis præministrat Pœnitentiam destinare purgandis mentibus præpositam, et mundam pectoris domum supervertenturo Spiritui sancto parare.* Unde cap. 6., necessitatem hujus Pœnitentiæ indicat, quia *lacrarum assignatio est fidei, seu vitæ Christianæ, quia justus ex fide vivit, quæ fides a Pœnitentiæ fide incipitur et commendatur, qua nimirum corda purificantur: Non ideo abluimur, inquit, ut delinquere desinamus, sed quia desivimus, quoniam jam corde loti sumus; hæc enim prima abdicantis tinctio est, motus integer.*

Hic omnes Patres adstipulantur, maxime S. Augustinus, Homil. 27. cap. 1., ubi ait: *Neque ad Baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo Pœnitentiam de vitâ pristina; nemo enim elicit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* Et Homil. 50. cap. 11., Pœnitentiam hanc *novum hominem parturire, ait: Donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum, ut tamquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, et tristitiam lætitia consequatur.* Omnis enim qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Et postea: *Ab hac Pœnitentia cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes, nondum enim uti possunt libero arbitrio. Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat.*

Hoc ipsum etiam docet Concilium Tridentinum, Sess. 6. cap. 6., ubi inter cæteras dispositiones ad justificationem, maxime per Baptismum obtinendam, Pœnitentiam annumerat, cum ait: *Moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

Hujus autem Pœnitentiæ ritum luculenter explicat S. Augustinus, sed maxime Homil. 27. et 50., necnon, et lib. 11. *De Symbolo ad Catechumenos*, cap. 1., pariter lib. 4., etiam cap. 1., ubi varios hujus Pœnitentiæ ritus enarrans, quibus nocte ante Baptismum proxima Catechumenus initiabatur, refert quod susceptus in utero ab Ecclesia matre parturiebatur, meminit signi crucis, exorcismorum, orationum, Canticorum spiritualium, insufflationum, ciccii, inclinationis cervicium, humilitatis pedum, pavorisque, cum quo quis ex loco secreto producebatur in conspectum totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliata, quæ male fuerat ante exaltata, in humilitate pedum, seu nuditate, cilicio substrato excommunicatus petebat, *Proba me, Deus, et scito cor meum;*

sicque purgatus cantato salutis cantico accipiebat symbolum, et profitebatur renuntiare se diabolo, pompis, et Angelis ejus. Hanc autem Pœnitentiam non agebat Catechumenus, ut pro peccatis Deo satisfaceret; eorū enim remissionem gratuitam plenissimam in Baptismo accepturus erat, sed ut se ad gratiam suscipiendam, et vitam novam profitendam, veteris odio et detestatione pararet. Ita Bagotius, dissert. 1. cap. 2. sect. 2.

Hic autem non est futurus Sermo de *Pœnitentiâ et Satisfactione Publica*, quæ fiebat ante Baptismi susceptionem, sed dumtaxat de ea, quæ post susceptum Baptismum fieri solebat a fidelibus, qui in grandia peccata lapsi fuerant, de qua utique Pœnitentia tria sunt delibanda: *primum*, quotuplex illa fuerit: *secundum*, quot illius erant gradus: *tertium*, de quibus peccatis fieri solebat; quæ utique omnia in sequentibus paragraphis discutiemus.

§ I. — QUOTUPLEX SIT PŒNITENTIA PUBLICA? — **Respondeo**, Pœnitentiæ publicæ tria fuisse genera; alia enim erat *imperata*, et præcepta ab Ecclesia; alia *voluntarie a pœnitentibus petita*, et eis concessa; alia denique *solemnis*, quæ utcumque ab illis duabus erat distincta. Prioris Pœnitentiæ exempla plurima suppetunt in *Historia Ecclesiastica*, constatque nedum ex Conciliorum decretis et sanctionibus, sed ex antiquissimis Canonibus et Ritualibus pœnitentialibus, in quibus decernuntur et præscribuntur pœnæ pro certis quibusdam criminibus eluendis subeundæ a Pœnitentibus.

Imo idipsum colligitur ex Scriptura sacra; nam Christus Dominus conferens Apostolis et eorum Successoribus, Matth. 18. v. 15., potestatem ligandi peccatores, et eos absolvendi, quomodo quivis juridica hac sua potestate uti debeat, sic præscribit, ut si peccatum occultum fuerit, clam reum castiget; si vero admonitus non resipuerit, adhibeat unum aut alterum testem; quos si non audierit, tandem eum ad Ecclesiam deferat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripue eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe testem unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

Ex quo præcepto Christi, S. Augustinus, in cap. ultimo, lib. *De Corrept. et Gratia*, infert, quod Paulus vult, *peccantes coram omnibus corripi, ut cateri timorem habeant*, de his peccatis accipiendum esse, quæ non latent. Et in Sermon. 16. *De verbis Domini*, cap. 6. et sequentibus, duo hæc Christi et Apostoli præcepta concilians, ait: *In secreto corripendum esse fratrem, cum in te peccaverit, idest, cum tu scis, quia peccavit, quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum querere, cum corripis quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Et allato exemplo S. Joseph. B. Virginis conjugis, sic pergit: *Peccavit ergo in te frater tuus, si tu solus nosti, tunc vere in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, et in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit: hanc rationem reddit: Quando me audiente fratri meo quisque injuriam facit, absit ut a me injuriam illam alienam putem. Prorsus et mihi fecit: imc et mihi plus fecit,*

cui putavit placere quod fecit: ergo ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Novit nescio quem homicidam Episcopus, et nemo alius novit, nec prodit, inquit Augustinus, nec negligit, corripit in secreto, et persuadet Pœnitentiam. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus in palam, sed in secreto arguimus, ut ubi contigit malum, ibi moriatur malum.

Quibus verbis S. Augustinus designat crimina, ob quæ maxime Pœnitentia publica esset agenda, nempe adulterium, et homicidium, quæ cum secreta dicit, non ita intelligit fuisse occulta, ut non in aliorum notitiam venerint; nam adulterii illius uxor accusatrix erat conscia, et ut illud probare posset, aliquos domesticos testes habebat; nihilominus vult S. Augustinus adulterum illum non publice, idest, in conventu totius Ecclesiæ argui, sed privatim, hoc est, in conspectu peccatorum, nempe, vel in præsentia ipsius uxoris, quæ criminis erat conscia, necnon et domesticorum, vel etiam forte quorundam Sacerdotum secreti tenacium.

Quod autem ea perpetua fuerit in Ecclesia praxis, nempe cogendi aliquos peccatores ad ineundam Pœnitentiam publicam, constat ex libro 2. *Constitutionum Apostolicarum*, ubi cap. 38. legimus: *Si aliquis durus, obstinatusque erit, dic Ecclesiæ: si non audierit, sit tibi ut Ethnicus, et Publicanus: et ne ad Ecclesiam tamquam Christianum admittas, etc. Si autem cult agere Pœnitentiam, suscipe, etc.* Et cap. 41. *At vero quem a Pœnitentia alienum videris, et obduruisse, hunc tu cum morore ut insanabilem ejice ex Ecclesia. Tollatis, inquit, improbum ex vobismetipsis, et facietis reverentes filios Israël.* Euthychianus Papa apud Burchardum, lib. 12. cap. 14. ad rem nostram directius collimare videtur: *Si quis vero, perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens Pœnitentiam longam, ad Confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive a consortio et communione fidelium, ut nullus cum eo comedat, atque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.*

Antiqui istius moris testis est S. Cyprianus, Epist. 52. adversus Novatianos disputans, cum dixit: *Nec ad Pœnitentiam quis a nobis compelli potest, si fructus Pœnitentiæ substrahatur.* Ad Pœnitentiam igitur compelli solebant, quos crimina perpetrasse constabat. Idque probat Cyprianus argumento sane notando; eo quod auctoritatem peccata remittendi Deus Ecclesiæ concesserit, credens auctoritatem cogendi ad Pœnitentiam ex auctoritate absolvendi necessario consequi. Ad eundem morem respiciens quoque Pacianus, scribebat Epist. 3. contra Sympronianum: *Sive baptizamus, sive ad Pœnitentiam cogimus, seu veniam relaxamus, Christo id auctore tractamus.*

Hinc publici peccatores de crimine quomodocumque convicti, si sponte Pœnitentiam publicam agere volebat, non solum ad eam per gravem Ecclesiæ interminationem et sententiam excommunicationis cogebantur; sed et si Censuris Ecclesiasticis non deferrent, ad id cogebantur auctoritate Principum, et virtute brachii sæcularis, ut constat ex Concilio Moguntino sub Rabano, Can. 28. ubi legimus: *Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant, omnino decrevimus. Quod si*

pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur. Quod si Sacerdotum admonitionibus noluerint aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentie disciplinam a tam prava consuetudine coerceri. Similis Canon legitur in Concil. Turon. sub Carolo, cap. 41. lib. 2. cap. 43. Burchard., lib. 7. cap. 29. Vormac. Concil., cap. 79. Suession., vero cap. 12. Ivo, par. 9. cap. 65. Obtentum est etiam a devotissimo Principe, ut incesti, et quilibet alii perditii, examen Episcoporum refugientes, per Judices publicos ad eorum præsentiam deducantur, ne ulterius illecebram peccandi nutriat impunitus vitiorum.

Hinc fit manifesta ratio, qua Reges, ac Principes commoti tam lubenter Episcopis, et eorum Ministris auctoritatis suæ auxilium commodarunt. Tunc enim vitiiis regna purgantur, cum disciplina Ecclesiastica in iis diligenter custoditur. Unde in Concilio Tullensi II. cap. 2. sic statuitur de Virginum et Viduarum corruptoribus: *Viri autem, qui vim eis intulerunt, et ipsi censura Ecclesiastica ad Pœnitentiam constringantur, Principes et Judices hanc in populo Dei diligentiam adhibeant, ut ubicunque tales in potestate eorum ab Episcopis requisiti fuerint, absque mora eos exhibeant, ne forte si dissimulaverint, aut mandatum Episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti, nec sepulturam cum fidelibus accipiant.*

Si Comites, aut eorum Ministri auxilium Episcopis vel eorum vices gerentibus denegabant, tum gravissime pro ratione denegationis a Principibus puniebantur. Explicari hoc melius et discretius non potest, quam verbis Carolini Capituli, quod habetur lib. 7. *Capitularium*, cap. 330. alias 335. et fere ante octingentos annos in suos Canones retulit Isaacus Lingoniensis, tit. 4. cap. 13. *Si aliquis, tam liber, quam servus, aut Ecclesiasticus, vel Fiscalinus, proprio Episcopo, vel suo Sacerdote, aut Archidiacono inobediens, vel contumax, sive de hoc, sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus a comite, aut a Misso Episcopi contendantur, usque dum Episcopo suo obediat, aut canonicè pœniteat. Quod si nec se ita correxerit, et ad Episcopum et Canonicam Pœnitentiam venire distulerit, a Comite comprehendatur, et in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus jusserit. Quod si Comes, vel ejus Ministri hæc adimplere distulerint, canonicè ab Episcopo vel a suo Ministro excommunicentur, et usque dum hæc plenius adimpleat, semper Communione Catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis causis, aut de ipsa Excommunicatione inobediens aut negligens apparuerit, honore Comitatus, pariter et Communionem careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum Episcopali auctoritate, atque imperiali metu ita corrigamus, ut cæteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant. Hæc Morinus, quæ mihi necessarium ascribere visum est, eo quod illius temporis praxim evidentissime admodum explicent.*

Similiter in Capitulis Caroli Calvi ex Synodo Pissensi, ann. 862 cap. 4. *Vos autem Episcopi, Evangelica et Apostolica atque Episcopali auctoritate, seniore, et regni quemlibet potentem, si comonitus juxta Evangelicum præceptum se suosque homines corrigere noluerit,*

et licet ipse talia non faciat, tamen si sui, vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, et emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad Pœnitentiam non produxerit, ipse excommunicetur secundum sacros Canones, donec suos homines ad emendationem et Pœnitentiam reducat. Deinde hujus rei ratione reddita, pergît: Si autem ipse potens, vel senior satisfecerit Episcopo, et Missis regis, quia suos homines ad emendationem et ad Pœnitentiam non potest adducere; sed seipsum vult, aut talibus immunem ostendere, aut digne satisfacere, et hujusmodi molestias a suo obsequio rejicere, et Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur. Nec minus evidenter præcedens hoc capitulum quod contendimus confirmat.

Nihil hac in causa legi potest illustrius et augustius lege Arnulphi Imperatoris, quæ refertur Can. 3. Concilii Triburiensis, quod celebratum est anno 895 sedente Papa Formoso. Postquam præclarum procemium legi suæ texuit ex variis Scripturæ locis, tandem sic colligit: *Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, et auctoritate nostra injungimus omnibus regni nostri Comitibus, postquam ab Episcopis anathemate Excommunicationis percelluntur, et tamen ad Pœnitentiam non inclinantur, aut ab ipsis comprehendantur, et ante nos perferantur, ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur, etc. Si tam rebelles fuerint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, et in tali temeritate interfecti fuerint, judicio Episcoporum interfecto nullam imponatur Pœnitentia, et præcepto nostro, Weregildi nulla ab eis extorqueatur compositio. Ipsi Comites ab Episcopis excommunicati ad Pœnitentiam agendam ab ipsis Episcopis coguntur, et Imperatori ab eo puniendi sistuntur. Weregildi vox Germanica significans illis temporibus multam pecuniariam homicidii causa impositam. Ita Morinus, lib. 7. De Pœnit., cap. 11.*

Ex quibus apparet, aliquos peccatores ad ineundam publicam Pœnitentiam fuisse coactos, non solum per Ecclesiæ interminationem et imperium, sed etiam per auctoritatem Principum, necnon et Magistratus sæcularis.

Pœnitentia publice etiam fieri solebat ab aliquibus, qui voluntarie ac libere sese ultro ei subiciebant; ejus quidem voluntariæ Pœnitentiæ meminit S. Ambrosius, lib. 1. De pœnitentia, ubi ait: *Si quis occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose egerit, quomodo istic recipitur, si ei communio non refunditur?* Ubi vocabulum *studiose* significat Pœnitentiam voluntarie susceptam, maxime cum loquatur sanctus Ambrosius de crimine occulto, propter quod eluendum Pœnitentia publica nusquam imperabatur. Quod autem sermonem faciat S. Ambrosius de Pœnitentia publica, apparet ex his, quæ subjicit: *Volo veniam reus speret, petat cum lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur, et obscret, cum secundo, et tertio fuerit dilata ejus Communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat miserabiliter, postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur oculis, lavet fletibus, etc.*

Nec obscure idipsum colligitur ex his S. Augustini verbis, Homilia 50. c. 4. *Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferæ hujus debere Pœnitentiæ contemnere, quia multos forte advertit, et novit ad*

sacra altaria accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Judas; multi nesciuntur; quia nimirum non deferentur ad Ecclesiæ Antistites. Nos vero a Communionem prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. Quibus significat, aliquos peccatores non convictos ultro, ac sponte confiteri peccata, prohiberi a Communionem, et salutiferæ illius Pœnitentiæ consilium amplecti.

Huc denique spectat quod S. Leo, Epistola 80, de Confessione publica non divulgatorum peccatorum, quam imperiti Sacerdotes nonnulli ab hujusmodi pœnitentibus spontaneis exigebant, quia in aliis usurpatam videbant, disserens, laudat *quidem nonnullorum plenitudinem fidei, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non verentur, eam tamen consuetudinem, aut potius abusum vetat, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli.* Quorum fidei plenitudinem laudat, non id tantum, ad quod vi legis tenebantur, sed aliquid amplius sponte fecisse, quosque multos indiscreto illo rigore Confessionis publicæ a Pœnitentiæ remediis arceri, ait Leo, eam non coactos sed spontanea pietate amplexos esse, valde probabile est.

Hujus autem spontaneæ Pœnitentiæ varia proferuntur exempla a SS. Patribus, inter quæ præclarum refert factum Hieronymus, Epist. 30. quæ Fabiolæ est epitaphium, ubi narrat quomodo Fabiola ob illicitas nuptias, utpote superstitute marito contractas, sed quas sibi licitas fuisse bona fide crediderat, Pœnitentiã egerit: *Fabiola, inquit, quia persuaserat sibi, et putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.* Et postea ait, *illam sic doluisse, quasi adulterium commisisset, seu quasi ejus rea fuisset, nec ob ignorantiam, veniam meruisset.* Quare quamdiu bona fide illi secundo viro juncta haud dubie, ut tunc moris erat, Eucharistiam percepit, nec ab ea per Episcopi imperium prohibita est; ac post mortem secundi viri in semetipsam reversa, Pœnitentiã poposcit, et induta sacco errorem publice confessus est, cum scilicet *Evangelii vigore cognito, peccatum suum agnovit, sacco induit, et stetit in ordine pœnitentium ante diem Paschæ, aperuit cunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra cum Maria sorore Moysis separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret.* Quamobrem Fabiola Pœnitentiã hanc non coacta subiit, sed volens poposcit ob crimen toti Romæ notum, non occultum.

Solemnia Pœnitentia ea dicitur, quam pœnitens perpetuo observandam suscipiebat, et ad vitæ austerioris institutum se obstringebat vel in Monasterio, vel sub Monachorum cura et disciplina. Unde status ille non tantum habebat officia aliqua Pœnitentiæ publicæ sive imperatæ, sive concessæ, sed etiam in his perseverantiam, et quamdam

immobilitatem annexam inducebat, in quo differebat ab ea conditione pœnitentium, quæ tantum erat via et præparatio ad reconciliationem obtinendam, qua obtenta cessabat obligatio agendæ ulterius Pœnitentiæ publicæ. Secus namque erat de iis, qui austeriorem vitam fuerant professi; nam ad ejus observantiam revera per Ecclesiæ Antistites poterant cogi, et si ab eo instituto deviassent, ad illud Censuris Ecclesiasticis debebant revocari. Pœnitentes autem illi dicebantur *Conversi*, non quod omnes, qui hoc Pœnitentiæ genus et institutum suscipiebant, graviorum criminum rei fuissent, plerique enim ex pietate sponte illud assumebant, sed quia distincti erant a Monachis cum quibus debebant, quamquam ab eo instituto non possent deflectere. Hinc Canon 53. Concilii Toletani 4. ejusmodi pœnitentes, et Monachos in eadem velut classe collocat, deficientesque tamquam Apostatas anathemate percudit: *Quicumque, inquit, ex sæcularibus accipientes Pœnitentiam totonderunt se, et rursus prævaricantes Laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo, ad Pœnitentiam, ex qua recesserunt, revertentur. Quod si aliqui per Pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertantur, vere ut Apostatae coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Et idem statuens de Monachis Apostatis, subjungit: Quæ forma servabitur etiam in Viduis, Virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctionialem habitum induerunt, et postea aut vestem mutarunt, aut ad nuptias transierunt.*

In idem conspirat Concilium Toletanum octavum, Can. 7. ubi renovans præfatum decretum, ait: *Quoniam tanta existit perversitas hominum, ut hi quos sub religioso habitu Pœnitentiæ professio per peccatorum veniam ad manum Sacerdotis deducit, vel adduxit, iterum reditiva malitia ad pristinae vitæ sordes revocet, hujus rei causa Synodus decernit, ut si qui ingenuorum utriusque sexus, sub nomine Pœnitentiæ in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ad Episcopos Civitatis, in cujus territorio sunt conversi, comprehensi rursus legibus Pœnitentiæ in Monasteriis studentur invitati. Quod si facere propter aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut pristinorum Canonum statuerunt Decreta, quousque ad dimissum ordinem revertantur, excommunicati habeantur.*

Ex quibus aperte constat, hujusmodi Pœnitentes longe diversos fuisse ab aliis pœnitentibus publicis; tantum enim abest, ut qui in eo statu versabantur, alieni essent a Communionem et participationem Sacramentorum Ecclesiæ, imo eis Ecclesia excommunicationem comminatur, nisi ad statum, quem deseruerant, revertantur.

Cujus utique solemnîs Pœnitentiæ luculentum ac præclarum exemplum profert Concilium Toletanum 12., cap. 1. in persona Wambæ Regis Hispani, qui cum a gravissimo morbo convalesceret, audiens pro se factum fuisse votum, quod si illi restitueretur sanitas, perpetuam Pœnitentiam ageret, omni habitu et jure regio se abdicavit, et suscepto Religionis debito cultu, et venerabilis Tonsuræ sacræ signaculo, Pœnitentiæ institutum suscepit. Qualis autem, quamque acerba, et austera fuit quorundam hujusmodi conversorum, seu pœnitentium Satisfactio, non obscure enarrat S. Joannes Climacus in *Scala perfectionis*, maxime vero gradu V.

« Cum intellexissem ego imbecillis homo, esse quamdam raram
 « et inusitatam, abjectissimamque vivendi rationem quorundam, qui
 « in privato, et separato quodam loco, quem Carcerem dicunt, degunt,
 « subjecto tamen illi alteri, quod supra laudavi siderum sideri cœno-
 « bio, et adhuc ibi morarer, rogavi sanctum illum Præsidentem, uti mihi
 « liceret sedem illam coram inspicere. Cessit precibus meis ille in-
 « clytus Cœnobii Antistes, quod nollet me ulla ratione offensum. Cum
 « ergo ad locum illum pœnitentium, imo vero ad regionem lugentium
 « (Carcerem inquam) venissem, vidi revera, si fas est dicere, quæ, uti
 « solet, hominis ignavi oculus non vidit, et inertis aures non audie-
 « runt, quæque in cor pigri non ascenderunt; facta, inquam, et verba
 « quæ Deo quodammodo possint vim inferre, studia et habitus quæ
 « clementiam ipsius statim inflectant: vidi quosdam ex innocentibus
 « illis reis totas noctes ad usque mane sub dio immotis pedibus stan-
 « tes, et miserabiliter cum somno, et natura luctantes, vique hujus
 « pene fractos; dum nullam sibi penitus quietem indulgerent; imo
 « seipsos graviter adhuc objurgarent, et convitiis insuper et contu-
 « meliis excitarent. Alios cælum intuentes, et illius opem cum lamen-
 « tabili voce, gemituque implorantes. Alios item, qui in precibus per-
 « severabant, manus post terga sceleratorum ritu revincti, vultus alto
 « mœrore confusos humi defigebant, ut qui se indignos judicarent,
 « qui cælum respicerent, nihil ausos loqui, nec ullam vocem mittere,
 « nec precari, Deumve præ cogitationum turba, et conscientiaë tre-
 « pidatione, et ignominia appellare, non habentes quid, et quomodo di-
 « cerent, undeque precum exordia ducerent, sed solam animam ra-
 « tione confusam, mentemque Deo, pleni tenebris, et subtili quasi
 « desperatione affecti, representantes. Sedebant alii humi in pavi-
 « mento super cinerem, et saccum, genibusque vultum tegebant, fron-
 « tibus humum ferientes; alii assidue pectus tundebant, animæ suæ
 « statum primum, vitamque præteritam (quam cum virtute traduxe-
 « rant) revocantes. Ex his ergo alii pavimentum lacrymis inundabant,
 « alii lacrymarum fonte destituti, seipsos diverberabant. Alii tamquam
 « in funere animas suas lamentabantur, nec magnitudinem doloris pe-
 « ctore poterant continere. Alii intus (Leonum instar) rugiebant et spi-
 « ritu fremebant, sed interim strepitum lamentorum reprimebant,
 « quamvis vim doloris nonnumquam non potuerint sustinere, sed re-
 « pente in apertos clamores eruperint. Spectavi ego ibi quosdam eo
 « corporis habitu, ac si ab seipsis excessissent, et alto mœrore defixi ad
 « stuporem animi, et æternum silentium redacti essent, tenebris enim
 « altissimis confusos, et ad omnia vitæ officia velut stupentes exten-
 « sos. Cæterum animo ad extremum humilitatis gradum demissos, et
 « igne mœstitiæ lacrymas eliquantes. Spectavi alios, qui capitibus in
 « terram promissis meditabundi sedebant, cervicesque assidue mota-
 « bant et ex imo pectore et intimis visceribus, ritu Leonum, rugie-
 « bant, et ingemiscebant. Ex quibus alii veniam omnium delictorum
 « spei pleni petebant et obsecrabant, alii se indignos veniam ex altis-
 « sima humilitate judicabant, nec posse pro delictis suis Deo respon-
 « dere vociferabantur. Nonnulli, ut hic pœnas darent, et ibi gratiam,
 « misericordiamque consequerentur, rogabant. Alii simul oneris con-
 « scientiæ gravitate depressi, et supplicia æterna deprecabantur, et

« indignos tamen se cælo sincere proclamant, et dummodo hoc, in-
 « quiunt, fiat, sufficit nobis. Vidi illic animas humiles contritas, et
 « oneris pondere depressas, quæ saxa ipsa verbis et vociferationibus,
 « precibusque ad Deum fuis ad sensum commiserationis possent fle-
 « ctere. Nutantibus quippe pronisque in terram capitibus dubitabant:
 « ita sane non ignoramus, sed probe novimus, nos deinceps omni
 « pœna et supplicio dignissimos, et merito sane; non possumus enim
 « præ numero et multitudine peccatorum nostrorum satisfacere, etiam
 « si totus mundus convocatus nobiscum plangeret. Illud enim roga-
 « mus, illud deprecamur, illud deinceps unum obtestamur, *Ne in fu-*
 « *rore tuo arguas nos, neque in ira tua, sed misericordia corripias*
 « *nos.* Satis enim nobis est, si a gravissima tua comminatione, et
 « inexplicabilibus et reconditis suppliciis liberemur. Ut enim omnis
 « prorsus pœna nobis remittatur, veniaque donetur, petere non aude-
 « mus; qua fronte enim id audeamus, qui votum sanctum violavimus,
 « et post primam culparum omnium gratiam pro singulari tua ele-
 « mentia factam tam fœde inquinavimus? Erat ibi, erat, amici, vere
 « tibi, clareque videre Davidis verba, spectare, inquam, *afflictos, et*
 « *curvatos usque ad finem totius vitæ, qui toto die contristati incede-*
 « *bant, olentibus jam et corruptis, putrefactisque corporis cicatricibus,*
 « *ut qui nullam corporis curam haberent, et oblitii erant comedere pa-*
 « *nem suam, et potum aquæ lacrymis, et fletu miscebant, et pulverem*
 « *et cinerem pro pane comedebant. Ossa cuti adhærebant, et ipsi tam-*
 « *quam fœnum exaruerant.* Nec aliud apud illos audire erat, quam
 « hujuscemodi voces: Væ væ miseris nobis, merito, merito, parce,
 « parce Domine! Alii clamabant: miserere, miserere! rursus alii mi-
 « serabilius: ignosce Domine, ignosce, si ullus veniæ locus, etc.

« Videre erat in illis linguas ardentes, et pro ritu canum ex ore
 « promissas. Alii in gravi Solis æstu se cruciabant, alii frigore se
 « torquebant, alii cum modicum quid aquæ libassent, desierunt, ut
 « ne siti onerarentur; alii cum panem gustassent dumtaxat, illum
 « rursus procul abs se rejiciebant, se indignos dictitantes, qui cibum
 « humanum sumerent, qui bestiarum opera exercuissent. Ubi signum
 « apud illos risus? ubi otiosæ fabulæ? ubi subitus furor, aut ira?
 « apud quos jam nesciebatur utrum adhuc inter homines ullus esset
 « iræ locus: adeo luctus æternus omnem in illis iræ motum extin-
 « xerat! Ubi verborum concertatio? ubi feriæ? ubi nimia loquendi li-
 « bertas? ubi cura corporis? ubi vestigium vanæ gloriæ? ubi dein-
 « ceptis deliciarum spes? ubi de vino cogitatio? ubi vel pomi gustatio?
 « ubi culinæ, et ollæ solatium? ubi gulæ illecebræ? Omnium horum
 « deinceps in omni præsentī vita spes apud illos penitus sublata et
 « deleta erat. Ubi cura inter illos ulla rerum humanarum? ubi judi-
 « candi quemcumque alium libido? nusquam. Sed hæc apud illos per-
 « petuo ingeminabantur; hæc ad Dominum illi vociferabantur. Alii
 « quippe pectus graviter tundentes, perinde ac si ad cæli starent li-
 « mina, ad Dominum clamitabant: Aperi nobis, Judex, aperi nobis,
 « quando nobis ipsi peccatis nostris fores cæli oclusimus. Aperi no-
 « bis. Alii dictitabant: *Ostende nobis solum faciem tuam, et salvi eri-*
 « *mus....* Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum
 « consuetudine callum obduxerant: oculos exesos, et debiles, altosque

« in sinus capitis recedentes: genas habebant saucias, et ardore fer-
 « ventium lacrymarum adustas, vultusque pallentes, et emaciatas fa-
 « cies, nihil a mortuis, si conferres, differentes, pectora plagarum
 « ictibus lucentia, et e crebris pugnorum verberibus cruenta, sangui-
 « nis ex pectore rejecta sputa. Ubi illic lectus quieti positus? ubi
 « mundities, et adversus frigora vestis munimentum? rupta et lacera
 « omnia, et inquinata, sordibusque vermium scatentia. Nihil ad horum
 « patientiam obsessorum a dæmonibus vexatio: nihil mortuorum lu-
 « ctus: nihil in exilio degentium calamitas: nihil supplicium parricidarum:
 « nihil revera illorum pœnæ, et inflictæ tormenta ad voluntariam horum castigationem, et carnificinam. Rogo, Fratres, nolite
 « putare, me vobis fabulas narrare... Sed enim extrema vitæ hora
 « cuipiam imminente, tum vero quale, et quam tremendum, miseran-
 « dumque spectaculum videres! Nam quando socii Pœnitentiæ ali-
 « quem præcedere se ad mortem sensere, sibi adhuc præsentem, et
 « sentientem, omnes in orbem circumstabant, sitique æstuantes, et
 « luctu mœrentes, ardentisque desiderio miserabili oris habitu, tristi-
 « que sermone capita agitant, jam deficientem summa commiseratione
 « prosecuti cogitabant; quid est, frater, et commilito noster?
 « quomodo habes te? quid dicis? quid tibi spei superest? quid senti-
 « tis? assecutus ne es quod tanto labore quæсивisti? an nondum etiam?
 « Ingressus es portam salutis, an adhuc fluctuaris animo? attingisti
 « metam, an aberrasti? donatus es libertate, an adhuc tumultuantur,
 « et torquent te cogitationes tuæ? Illustrata ne mens tua est cælesti
 « lumine, an adhuc confusa tenebris, et ignominia hæret in nocte?
 « accepisti ne vocem aliquam tibi in corde respondentem: *Ecce sanus*
 « *factus es: remittuntur tibi peccata tua; aut, fides tua te salvum fe-*
 « *cit: aut fortasse illam terribilem adhuc sententiam audis: Conver-*
 « *tantur peccatores in infernum, et, Ligate manus, et pedes ejus, et,*
 « *tollatur impius, ne videat gloriam Domini?* Quid respondes omnino?
 « frater, dic nobis, obsecramus te, ut et nos sciamus, quæ nos sors
 « expectet. Tuum quippe vitæ tempus jam effluxit, quod in omnem
 « æternitatem non redibit. Ad hæc alii morientium dixere: *Benedictus*
 « *Dominus, quia non amovit orationem meam, et misericordiam*
 « *suam a me.* Alii vero iterum, *Benedictus Dominus, qui non dedit*
 « *nos in captivum dentibus eorum.* Alii autem admodum dolenter re-
 « spondebant; *Forsitan pertransivit anima nostra aeream potestatem,*
 « *intolerabilem aquam?* incerti adhuc salutis, et anxie cogitantes,
 « quid in illo tremendo iudicii tribunali futurum esset. Alii vero
 « multo hoc tristius responderunt: væ, inquiebant, animæ, quæ voti
 « sui professionem non inviolatam custodivit! Hæc in hora hæc sola
 « experietur, quid illi sit paratum. Hæc ergo cum apud illos coram
 « spectassem, et audivissem, parum abuit, quin meam negligentiam
 « cum illorum patientia, et afflictione comparando, desperarem. Nam
 « qualis non erat ipsius loci aspectus habitatio? tota domus obscura
 « et tenebrosa, tota olens et fœtens, tota sordida et squalida. Carcer
 « enim et damnatorum ergastulum non immerito appellata est; adeo
 « ut solius loci contemplatio spectatorem ad Pœnitentiam et luctum
 « incitaret. Enimvero quæ aliis gravia et intolerabilia videntur, hæc
 « iis, qui virtutis et cælestium gratiarum jacturam fecerunt, prona,

« faciliaque sunt, et prompte suscipiuntur, etc. » Ita *S. Joannes Abbas*, dictus *Climacus* a scala perfectionis quam composuit.

§ II. — QUOT, ET QUI FUERINT PŒNITENTIÆ PUBLICÆ GRADUS. — Quamquam Ecclesia semper eadem ac invariata perseveret, eodemque divinitus instillato amoris ac zeli incendio filios suos ad vitæ sanctitatem et puritatem stimulet, et ad vitiorum ac peccatorum expugnationem et expurgationem, qua potest cura ac sollicitudine provocet, nihilominus non eadem semper fuit illius circa pœnitentes exterior disciplina; aliquando enim indulgentius egit cum peccatoribus, alias autem acerbius. Idcirco varia circa disciplinam agendæ publicæ Pœnitentiæ distinguenda sunt tempora: *primo* quidem ab Apostolis usque ad exortam Montani hæresim: *secundo*, a Montano usque ad Novatum: *tertio*, a Novato usque ad septimum, aut octavum sæculum: *denique*, a septimo sæculo usque ad hodiernum tempus. In quibus varia apparet Ecclesiæ in peccatores animadversio, non solum pro variis criminibus, sed etiam ratione temporum, conditionum, ætatum, sexuum, sanitatis, aut infirmitatis, necnon et pro diversa animi compunctione, et vario ardore, aut tempore ipsorum pœnitentium.

Dico itaque *primo*, ab ipsis Ecclesiæ primordiis usque ad Montanum, longe majorem ac leniorem fuisse Ecclesiæ clementiam circa peccatores, quam postmodum apparuerit, ut colligere licet ex facto Apostoli, qui 1. Cor. cap. 5. enarrat crimen horrendum ejusdam Corinthii; *Auditur inter vos, inquit, fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem fratris sui aliquis habeat.* Consideremus et pœnæ durationem, et qualitatem, Epist. 2. cap. 2. jubet S. Paulus huic pœnitenti Corinthios parcere: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolemini.* Causa hujus indulgentiæ pensitanda: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Indulgentiæ igitur et remissionis peccatorum accelerandæ legitima causa est vehemens animi compunctio. Unde statim adjicit: *Propter quod obsecro, ut confirmetis in eum charitatem.*

Secundo, idem constat ex S. Clemente Apostolorum discipulo, qui lib. 2. *Constitut.*, cap. 16. Episcopum informans de disciplina servanda circa pœnitentem, ait: *Cum deliquisse videris, jube ejici foras, de quo ejecto doleant etiam Diaconi, qui eum observent, et extra Ecclesiam contineant, idemque in Ecclesiam ingressi pro eo te rogent; postea jubebis ingredi, et facta examinatione, an pœniteat, sitque dignus, qui in Ecclesia ex toto admittatur, castiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum, ut delicti genus, et ratio poposcerit, atque ita dimitte illum ea locutus, qui eum, qui de peccato commisso alium admonendi causa increpat, docere, et monere convenit, etc.* Quibus, ut apparet, S. Clemens tempus multo brevius assignat agendæ Pœnitentiæ, et suscipiendæ reconciliationi, quam S. Paulus Corinthio præscripserat.

Aliud etiam ejusdem veritatis nobis suppeditat argumentum Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. 2. cap. 17. de quodam adolescente, quem S. Joannes Apostolus cuidam Episcopo instituendum et educandum tradiderat. Verum adolescens ille vir factus, Præcepto-

ris ac Magistri conspectum fugiens, omni se vitiorum genere polluit, et per plures annos prædonum dux existit, donec S. Joannes ab exilio reversus eum quæsivit, et inventum ad pœnitentiam revocavit. Quam utique diuturnam esse noluit, sed brevi transacto Pœnitentialem tempore, eum Ecclesiæ reconciliavit. Rem autem sic enarrat Clemens Alexandrinus: *Senem ad se adventantem complectitur, prædo pœnitens, fletu et mœrore quoad poterat pro culpa satisfacit, et dextera sola occultata lacrymarum unda secundo baptizatum Apostolus rata, et constanti asseratione, ei se a Servatore veniam, et remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accedens: ipsam manum dextram tamquam aqua Pœnitentiæ ablutam, purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit, et crebris precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ Sapientiæ sententiis ejus animum, quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque, neque prius, ut fertur, inde discessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.* — Ex quibus evidens est, Pœnitentiam illam non diuturno, sed brevi tempore fuisse contactam, siquidem S. Joannes discesserat Epheso, tantum ut illam Ecclesiam visitaret.

Quarto, idem constat ex lib. 2. *Pastoris*, ubi Hermes S. Pauli discipulus enarrat modum agendæ Pœnitentiæ; tempus autem, quo sit conficienda, distincte non præscribit. Et lib. 3. colligit, pœnas æquari voluptatibus, licet in punitionem annualis voluptatis, unius diei pœna imponatur: *Dulcedo, inquit, et voluptas nullam memoriam habent propter stultitiam, quæ insita est illis. Cum vero uno die accesserit hominis cruciatus, ac pœna, toto anni tempore torquetur, etc.*

Patet denique ex Tertull., qui licet omnem suo tempore agendæ Pœnitentiæ disciplinam diserte ac luculenter expresserit, non tamen meminit temporis præscripti, quo illa esset agenda: quod utique non siluisset, si ut postea factum est, Satisfactiones pœnales præscriberentur ad decem, quindecim, et viginti annos. Cujus utique disciplinæ meminerunt omnes, qui post assignatum ab Ecclesia faciendæ Pœnitentiæ tempus, de ejusmodi disciplina scripserunt. Imo Tertullianus, ibidem cap. 10. significare videtur, non esse diu pertrahendam Pœnitentiam; ait enim cap. 10. *Cum te ad fratrum genua protendis, Christum contractas, Christum exoras, æque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur: facile impetratur semper, quod filius postulet.* Non dixisset autem facile impetrari peccatorum veniam, si septem, aut decem anni essent insumendi in illa exoranda et obtinenda.

Nec obstat, quod Can. 14. Apostolorum proroget in tres annos Pœnitentiam laici, qui seipsum mutilaverat, quia vitæ suæ fuerat insidiator. — *Dico enim primo,* hoc solo peccato certum Pœnitentiæ tempus fuisse præscriptum, eo quod casus ille omnino esset extraordinarius. — *Dico secundo,* probabile esse has voces (*annos tres*) additas fuisse Canoni Apostolorum: nam Can. 1. *Concilii Nicæni*, ubi eadem lex statuitur, nulla fit mentio ejusmodi pœnæ, sed tantum prohibet, ne ad Clerum promoverentur, qui ejusmodi scelus admisissent.

Si opponas Clementem Alexandrinum, lib. 6. *Stromatum*, ubi refert S. Petrum prædicantem, hanc ex verbis Domini sententiam pro-

tulisse: *Si quis velit ex Israël duci pœnitentia, et propter nomen meum crediderit in Deum, remittuntur ei peccata post duodecim annos.* Respondebo, hæc Clementem desumpsisse ex nonnullis libris apocryphis, ut et pleraque alia, quæ universæ Ecclesiæ praxi contraria sunt, maxime vero hic duodenarius agenda Pœnitentiæ annorum numerus: siquidem constat ex allatis exemplis illo ipso Apostolorum tempore, non ita diu prorogatum fuisse Pœnitentium reconciliationem.

Ratio autem cur prioribus temporibus Ecclesia mitius ageret cum pœnitentibus, petenda est ex vehementia Contritionis, qua afficiebantur Ecclesiæ nascentis filii, cum in peccatum aliquod lapsi fuissent; nam id semper Ecclesia constituit ac ratum habuit, pro Contritionis vehementia pœnas esse minuendas; cum vero sequenti tempore, jam refrigescente charitate, minus esset intensa Contritio, hinc durius oportuit agi cum pœnitentibus, ac proinde longiori atque graviori Satisfactione opus erat.

Hoc maxime constat a temporibus Montani hæretici, qui cum negaret mœchis, homicidis, et idololatriis veniam dari posse ab Ecclesia, cujus contrarium Catholici tuebantur, inde paulo severior fuit erga Pœnitentes Ecclesiæ disciplina, maxime in eos, qui mœchiæ, homicidii, et idololatriæ rei essent, ut constat ex Epist. 55. S. Cypriani ad Cornelium, ubi inter varia scelera Presbyterorum, hoc enumerat quod essent indulgentiores erga pœnitentes: *Et primo. inquit, stato persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, et sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum, atque ora fumarent, communicare cum lapsis, et Pœnitentiæ agenda intercedere non destiterunt, etc.* Et in lib. *De lapsis*, in hujusmodi reos criminum sine longiori Pœnitentia reconciliatos invehitur, his verbis: *A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidus et infectis nidore manibus accedunt; mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, et contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt.* Hæc tamen ita non sunt accipienda, quasi eo tempore indiscriminatum reis concederetur Absolutio, absque prævia severa Satisfactione et Pœnitentia publica, ut videre est apud Tertull., maxime lib. *De Pudicitia*, quem licet jam Montanista scripserit, nihilominus significat, quæ fuerit disciplina non solum apud Montanistas, sed et apud Catholicos erga reos graviorum criminum, ut ad Pœnitentiam publicam admitterentur. Sic enim scribit cap. 5. *Adsistit Idololatres, adsistit homicida; in medio eorum adsistit et mœchus. Pariter de Pœnitentiæ officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt, eodem statu ingemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis mollissima, et humanissima disciplina? Idololatrem quidem, et homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis, etc. Plane si ostendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorumque cælestium soli mœchiæ, et in ea fornicationi quoque januam Pœnitentiæ expandas.* En postremis verbis declarat propter quid præcedentia dixerit, et quid in sacco, et cinere cum precibus tantopere criminum rei ambiebant, januam scilicet Pœnitentiæ ipsis aperiri.

Eadem diligentia lapsorum causam examinabat Clerus Romanus, ut resciret, ex Epist. 31. apud S. Cyprianum, ubi quid interea agen-

dum esset lapsis, donec ipsis concederetur facultas agendæ publicæ Pœnitentiæ, declarat his verbis: *Pulsent sane forēs, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant.* etc. *Multum illis proficiet petito modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant Legatos pro suis doloribus lacrymas, advocacy fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, et pudorem.* Ita monentur Pœnitentiam et pacem petere, donec persecutiones, sedata Concilii celebrandi copia fiat, quo modus Pœnitentiæ illis agendæ definiatur.

His suffragatur multis aliis locis S. Cyprianus, ut in fine libelli *De lapsis*, ubi lapsos docet qua ratione ad Pœnitentiam suscipiendam sese preparare debeant: *Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, et sagina largiore distentus cruditates suas postridie eructat, nec cibos, et potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris, et lætus incedit, quomodo mortem suam deflet?* etc. Et paulo ante medium *Tractatus*, Casti et Æmilii, qui tormentis vexati lapsi erant. Pœnitentiæ postulationem descripserat: *Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnere: nec sua lamentabili voce, sed laceratione corporis, et dolore. Manabat pro fletibus sanguis, et pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat.* Ideo brevissima acta Pœnitentia, reconciliatio illis concessa: *Potest, inquit, cito proficere ad veniam causa talis, potest ejusmodi excusatio esse miserabilis.*

Verum ab exorta et propagata Novati hæresi usque ad 7. sæculum, longe austerior et exactior fuit circa Pœnitentes Ecclesiæ disciplina; tunc enim in quatuor gradus, classes, seu stationes distributus fuit Pœnitentiæ labor, quorum primus dicebatur *fletus*, secundus *eruditio*, tertius *substratio*, quartus vero *consistentia*. Duorum primorum, seu Lamentantium locus erat extra portam oratorii seu loci, in quo orationis ac faciendæ sacræ Synaxis causa convenire solebant fideles: sicque Pœnitentes illi degebant sub dio, et a tecto Ecclesiæ prohibiti rogabant fideles ingredientes, ut pro se orationes funderent.

Audientes stabant intra portam in loco, quem Græci *ferulam* appellabant; Zouaras vero in Can. 30. S. Basilii eos in Ecclesiæ vestibulo collocat, una cum Catechumenis, ex quo scilicet lectionem Scripturarum, et conciones ad Catechumenos factas audire poterant; at deinceps ejiciebantur a consortio Catechumenorum; nam legitimus in Can. 11. S. Gregorii. *Audiens, inquit, post Scripturas, et doctrinam ejiciatur, nec precatione dignus habeatur*; quia videlicet illi ad manuum impositionem non accedebant sicut Catechumeni, qui dicebantur *competentes*, et exorcismis, aliisque ritibus, quo Catechumenorum Sacramenta appellat S. Augustinus, ad Baptismum præparabantur.

In tertio gradu erant *Substrati*, sic appellati, quod auditis Scripturis, et Missa Catechumenorum, ad pedes Presbyterorum sese prosternebant, ut manus impositionem acciperent; hi numquam stantes, sed semper ipsis etiam diebus remissionis genuflexi orabant in parte

templi sinistra, nudis pedibus, crine demisso, et facie squalida, ut ex Laodicænae Synodi, Can. 19. Carthag., 4. Can. 92. et S. Cæsarii Arelatensis, Hom. 34. intelligitur. Quod autem crine demisso fuisse dicuntur, id eos comam nutritivisse significat, non quidem, ut opinor, ubique, sed illis in locis, in quibus qui lugebant, capillum non tondebant; nam in Africa et Hispania pœnitentibus coma tondebatur, ut ex S. Augustini, Serm. 58. *De tempore*, intelligitur.

Quartus gradus dicitur *Consistentiæ*, in quo purgatis per opera laboriosa concedebantur manus impositiones Episcopi et Cleri, nec amplius eiciebantur extra Ecclesiam, sed in ea stabant, concedebaturque illis Missæ fidelium interesse, et omnibus, quæ ad sacrificium pertinent; ita tamen ut nec oblationem facere, nec Christi Domini Corpori communicare fas esset. Porro horum pœnitentium stationis locus erat amboni proximus, seu medius, inter ambonem et fideles participantem Corpori Christi.

Horum autem graduum expressa fit mentio in postremo Canone Epistolæ Canonice S. Gregorii Neocæsariensis, ubi legimus: *Fletus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredienti orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, et illinc egredi; audiens enim, inquit, post Scripturas, et doctrinam ejiciatur, et precatione indignus censeatur. Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum Catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, et cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio Sacramentorum.* Hic tamen canon non videtur a S. Gregorio conditus, sed ab aliis ex S. Basilii canonibus collectus, et S. Gregorii Canonibus annexus; nam in antiquissima canonum Græcorum collectione a Gregorio ante octingentos annos elaborata, quæ est in Bibliotheca Regia, cæteros Gregorii canones præter istum complectitur.

In idem conspirat Harmenopulus in epitome canonum Sect. 5. tit. 3. ubi canonem 58. S. Basilii abbrevians, sic ait: *Qui adulterium commisit, annis quindecim pœniteat, quatuor quidem annis plorans, quinque vero studens, quatuor se substernens, et uno consistentens.* Postmodum vero omnes eos gradus sigillatim, et brevissime explicans, ait: *Primus gradus est stantis extra ad Ecclesiam, et ingredienti orantis, ut pro se preces fundant. Secundus est stantium foris in Narthece. Tertius est stantium intra Ecclesiam post ambonem, et cum Catechumenis ingredienti. Quartum est cum fidelibus orantium, qui nondum tamen Sacramentis digni censentur.*

Omniū autem luculentissime hos quatuor gradus explicat Matthæus Blastares in Nomocanone, ubi scribit: *Pœnitentes in quatuor ordinis distinguuntur, Flentes, Audientes, Substratos, et Consistentes. Flentes illi sunt, qui stant extra portam Oratorii, et ab ingredientibus, et egredientibus fidelibus, precum subsidium expostulant, et peccati condonationem. Audientes illi sunt, qui stant intra portam in loco, qui Narthex dicitur, et divinas Scripturas, communisque doctrinæ explicationem audiunt, et postea cum Catechumenis exeunt. Substrati vero sunt, qui intra Ecclesiam stant, sed post Ambonem, ipsique cum Catechumenis exeuntes, cum solemne illud, Quicumque Catechumeni, a*

Diacono promulgatur. Consistentes denique, qui cum fidelibus precantur, et psallunt, sed tamen Sanctorum participatione abstinent, donec elapso tempore statuto divinæ Communionis perfectio eos exceperint.

Ut autem evidentius appareat, quibusnam in locis degerint pœnitentes in istis quatuor gradibus, sciendum est, veteres Græcos et Latinos primum Ecclesiam in duas partes distinxisse, nimirum in Aulam, sive Atrium Laicorum, et Sanctuarium, in quo consistere solis Episcopis, Presbyteris, et Diaconis licebat. Postmodum vero distribuerunt in tres partes, nimirum in sacram, ubi erat Altare, et celebrabatur Liturgia, in qua soli Episcopi, Presbyteri, et Diaconi consistebant; in templum, seu partem illam, quam Græci Naos sive templum, ad cæteros Clericos, et Monachos; ibi sedebant, et cantabant Monachi, et præcipua Officia celebrabant; nonnulla enim in Narthece peragebant. Narthex autem dicebatur, quidquid Ecclesiæ superaret ad portas usque exteriores, quas etiam complectebatur. Ideo nonnulli duplicem fecerunt *ναρθήξ* interiorem, et exteriorem. In interiore Monachorum Idiotarum, Laicorum fidelium; et in inferiori parte usque ad Narthecem exteriorem, erat Catechumenorum et pœnitentium substratorum locus. Ut autem Sanctuarium a templo, tabulato aliquo, aut etiam muro dividebatur, in quo erant portæ ab illis Sanctæ dictæ, ita templum a Narthece in quo similiter portæ erant, quas speciosas vocant, quibus templum cum Narthece communicabat. Eadem plane divisio in omnibus majoribus nostris Ecclesiis conspicitur, nisi quod raro Sanctuarium, sive pars, quæ ad Altare, et Missæ celebrationem pertinet, a Cantorum et Canonicorum choro tabulatis separatur. Hujus triplicis distinctionis occasione, quæ antiquis non erat in usu, Græci Canonum Commentatores, Pœnitentium loca cum fidelium locis aliquando videntur confundere, inquit Morinus, lib. 6. cap. 1. num. 10.

Solus itaque primus Pœnitentiæ gradus agebatur sub dio, et ante fores Ecclesiæ, maxime in aliquibus Ecclesiis, ut colligitur ex S. Basilio ad Amphiloichium, cap. 96., ubi de voluntario homicida sic loquitur: *Debet quatuor annis deflere extra fores oratorii, et fideles ingredientes rogare, ut pro eo precentur.* Et Can. 75. de eo qui cum propria sorore rem habuit, sic decernit: *Triennio defleat, stans præter fores domus oratoriæ et rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces.*

Hinc forte intelligitur qui sit sensus Can. 17. Concilii Ancyran, ubi sic statuitur: *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, et qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit S. Synodus, inter hyemantes orare.* Nam inter hyemantes orare, ut observat Albaspinaceus in notis ad eundem Canonem, idem est, ac orare, et Pœnitentiam agere inter eos, qui propter graviora peccata Pœnitentiæ addicti sub dio orare tenebantur, et idcirco dicebantur *Hyemantes*, quia sub aperto aëre omnibus tempestatibus expositi degebant; vel quia, ut interpretatur Martinus Bracharensis, per hyemantes intelliguntur spiritibus immundis agitati, qui extra Ecclesiam degere compellebantur, semoti videlicet a loco fidelium, Catechumenorum et Pœnitentium.

PETES I. *Utrum quatuor illi Pœnitentiæ gradus necessario essent decurrendi, priusquam peccatores Absolutionis gratiam consequerentur? —*

Respondeo, interdum accidisse, ut peccatores a gradu fletuum ad Substrationem absque media Auditione pervenerint, ut colligitur ex Can. 12. Concilii Nicæni, ubi legimus: *Quicumque metu, et lacrymis, tolerantia, et bonis operibus, conversionem opere, et habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum est, merito orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Episcopis humanius aliquid de eo statuere.* Similiter ex Conc. Ancyrano, Can. 7. *Visum est, cum biennio substrati fuerint, esse recipiendos.* Imo non semper Pœnitentes inchoabant Pœnitentiam a primo gradu, sed pro variis circumstantiis, et animi Contritione ac dolore, nunc ab auditione, nunc a consistentia Pœnitentiæ laborem ordiebantur. Quod maxime colligitur ex S. Gregorio Neocæsariensi, cap. 12., ubi sic habet: *Qui in campo aliquid invenerint, vel in suis ædibus a barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similiter cum iis, qui substernuntur* (idest, constituentur in tertio gradu Pœnitentiæ); si autem seipsos denunciaverint, et reddiderint, etiam precibus digni habeantur, idest, constituentur in quarto gradu. Similiter aliquando Poligami in secundo Pœnitentiæ gradu constituti, absque tertio gradu emenso, ad quartum perveniebant, ut significat S. Basilius, Can. 1., ubi loquens de Polygamis, ait: *Oportet eos non omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis, et postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a boni tamen communione abstinere; et sic postquam aliquem Pœnitentiæ fructum ostenderint, communionis loco resistere.*

PETES 2. *Utrum liceret pluries propter iterata crimina Pœnitentiæ publicæ gradus decurrere, et ad Absolutionem, et sacram Communionem media Pœnitentia publica promoveri?* — **Respondeo**, verisimilius esse, ejusmodi Pœnitentiam publicam semel de gravissimis criminibus actam, eis iteratis, non fuisse denuo ab Ecclesia præscriptam. Ita maxime colligitur ex Origene, Homil. 15. in cap. 29. Levitici, ubi explicans versum, in quo enarratur differentia redemptionis domorum, quæ in pagis, et quæ in urbibus, quod videlicet domus venditæ in pagis, redeunte Jubilæo, possint redimi; quæ vero in urbibus, anno præterito redemptionis jus perimitur, allegorice hæc adaptans remissioni levium et graviorum delictorum, dicit iterari posse levium delictorum redemptionem: « Si nos, inquit, aliqua culpa moralis (alias « mortalis) invenerit, quæ non crimine mortali, non in blasphemia « fidei, quæ muro Ecclesiastici et Apostolici dogmatis cineta est, sed « vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse « domum, quæ in agro est, vel in vico cui murus non est. Hæc ergo « venditio, hujusmodi culpa, semper potest reparari; nec aliquando « tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitentiam gerere. In « gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro Pœnitentiæ « conceditur locus. Ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, « semper Pœnitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur ». — Origeni concinit S. Ambrosius, lib. 2. *De Pœnit.*, cap. 10. ubi diserte ait: *Merito reprehenduntur qui sæpius agenda Pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo; nam si vere agerent Pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum Baptisma, ita una Pœ-*

nitentia, quæ tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum. Quibus sanctus Ambrosius docet axioma illud, unam esse Pœnitentiam, intelligendum esse de Pœnitentia publica, quæ fit ob graviora peccata; quia semel dumtaxat concedebatur; non autem quæ levioribus peccatis indicitur, quæque quotidie fieri potest. — Idem docet Siricius, Summus Pontifex, cap. 4. Epist. 1. ad Himerium Tharaconensem Episcopum, qui hanc ei quæstionem proposuerat: "De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta Pœnitentia tamquam canes ad suos vomitus pristinos, et ad volutabra redeuntes, et militiæ cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post Absolutionem filii prodiderunt. Respondet Pontifex: De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hæc saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscænis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cæperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subreniri. Quam formam, et circa mulieres, quæ se post Pœnitentiã talibus pollutionibus devixerunt, servandam esse censemus. — His accedit S. August., Epist. 54. ad Macedonium, ubi clarissime humilem illam graviorum peccatorum Pœnitentiam non repeti docet: In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam Pœnitentiã, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, et tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minus tribuit, quam tribuebat largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur, etc. Et paulo post idem argumentum tractans, scribit, caute, salubriterque provisum esse, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ut medicina vilis, minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus compatibilis fuerit.

Adeo autem hæc disciplina publica erat, ut Macedonius in Africa Præses, aut Proconsul ex ea consuetudine argumentaretur adversus Episcopos Africæ, qui pro quibuscumque supplicio afficiendis intercedebant: Vehementer, inquit, ambigo, utrum istud a Religione descendat. Nam si a Domino peccata adeo prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam Pœnitentiã tribuatur, quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut a nobis quaecumque illud crimen fuerit, dimittatur?

Ex his et similibus SS. Patrum oraculis constanter docuerunt veteres Theologi, antiquitus crimina post actam publice Pœnitentiã iterantibus, non esse per aliam publicam Pœnitentiã succursus, sed tantum per privatam; ita enim nonnullas ex his auctoritatibus interpretatur Alensis, 4. parte q. 14. memb. 6. art. 2., ubi respondens ad 2., ait: *Ipsa solemnitas dicit quamdam confirmationem, et excellentiam propter quod repugnat, ut in quantum solemnitas iteretur, quod enim solemniter fit, perpétuitatem importat; et ideo repugnat ei mutabilitas,*

et per consequens iterabilitas: sed non repugnat quin iterum puniatur, si recidivetur: debet enim puniri tanta pœna, ut confusio solemnis Pœnitentiæ, in acerbitate, et magnitudine recompensetur. Quibus verbis aperte duo significat: *primum*, quod semel tantum concederetur et præscriberetur facultas agendæ Pœnitentiæ publicæ: *secundum*, quod iterata crimina, post illam peractam Pœnitentiam publicam, deberent Pœnitentia privata puniri.

§ III. — QUÆNAM PECCATA PŒNITENTIÆ PUBLICÆ SUBJACEBANT? — OBSERVANDUM imprimis, SS. Patres ac veteres Ecclesiæ Doctores peccata in tres classes distinxisse, et unicuique classi ordinaria lege peculiarem assignasse castigationis et remedii rationem et normam. *Prima classis*, erat gravissimorum criminum, quæ capitalia, et nonnumquam mortalia simpliciter dicebantur; inter quæ tria potissimum recensebantur crimina, nimirum Idololatria, Mœchia, et Homicidium, una cum eorum manifestis speciebus et ramusculis, quæ etiam interdum dicebantur Canonica, propter censuras eis a Canonibus præscriptas. *Secunda* vero *classis* erat eorum criminum, quæ mortalia quidem censebantur, sed præcedentibus erant leviora. *Tertia* denique *classis* erat peccatorum venialium et levium, quæ quotidianâ etiam sæpius a SS. Patribus appellantur, quamquam etiam inter quotidiana revera fuerint aliqua vere mortalia, ut colligere licet ex S. August. in lib. 83. *Quæstionum*, quæst. 26. ubi omnia ignorantia et fragilitatis peccata, venialia et quotidiana appellat: *Alia sunt*, inquit, *peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ: infirmitas contraria est virtuti: imperitia contraria est sapientiæ: malitia contraria est bonitati.* Quisquis igitur novit quid sit virtus, et sapientia Dei, potest æstimare, quæ sunt peccata venialia; et quisquis novit, quid sit bonitas Dei, potest æstimare quibus peccatis certa pœna debeatur: et hic, et in futuro sæculo: quibus bene tractatis probabiliter judicare potest, quintam sunt cogendi ad Pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur, ex quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per Pœnitentiam.

Certum est autem aliqua peccata fragilitatis aut ignorantia per se mortalia, et peccatorem a regno Dei excludere, nisi per Sacramentalem Confessionem, et Pœnitentiam expientur; unde dicuntur venialia, non quatenus veniale peccatum distinguitur a mortali, sed quatenus facilius de eis veniam impetrabat peccator, nec ita severam pro eis Pœnitentiam agere debebat sicut pro eluendis peccatis primæ Classis. *Primum* enim peccatorum genus castigabatur Pœnitentia publica, juxta præscriptas a Canonibus pœnas. *Secundum* vero genus peccatorum curabatur antiquitus eodem modo, quo nunc etiam curari solent, videlicet sacramentali Confessione, et Absolutione, ac Satisfactione privata; quamquam interdum contingeret, quod aliqua ex ejusmodi peccatis etiam castigarentur pœna canonica, sed non humli luctuosaque Pœnitentia. *Tertium* vero peccatorum genus, quæ scilicet non erant vere mortalia, non curabantur aliquo onere præscripto ab Ecclesia, sed vel orationum recitatione, vel eleemosynarum largitione, pectoris percussione, aut aliquo ex illis remediis, quibus jam pluries diximus peccata pure venialia expiari.

Hæc omnia luculentissime docet S. Augustinus, lib. *De Fide et bonis operibus*, cap. penult. ubi ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis, et meo spiritu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis; ut spiritus saluus sit in die Domini Jesu. Unde etiam dicit: ne lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt Pœnitentiam super immunditiam et fornicationem, quam gesserant. Item, nisi essent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: corripe eum inter te et ipsum solum, et si te audierit; lucratus es fratrem tuum. Postremo nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis, etc.*

Dico itaque, tria tantum peccatorum mortalium genera per publicam, seu luctuosam et humilem Pœnitentiam fuisse emendata, nimirum Idololatriam, Homicidium, et Mœchiam; quod utique præ cæteris luculenter docet S. Pacianus, ubi ex instituto in sua *parnesi*, cum de luctuosæ Pœnitentiæ materia disputat, sic ait: *De modo criminum edisserens, ne quis existimet omnibus peccatis summum discrimen impositum, seduloque requirens, quæ sint peccata, quæ crimina, ne quis existimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullis immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege constringere.* Docet in Lege Mosaica minimi quoque peccati reos graviter punitos fuisse; Christianos vero per Christi Sanguinem redemptos a servitute Legis in libertatem vocatos esse, hancque libertatem sic explicat: *Hæc illa libertas, quod non omnes adstringimur quibus veteres tenebantur, sed donata, ut ita dixerim, sylvæ debitorum, et remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus, et necessaria.* Deinde Actor. cap. 15. ubi Christianis per decretum Concilii Hierosolymitani interdicitur idolothytis, sanguine, et fornicatione (sic enim pro suffocato legit S. Pacianus cum aliis tunc temporis Patribus) ita subjungit: *Hæc est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur. Hæc vero tria crimina, ut Basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt; non enim vitare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convitium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas, et quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia.*

Ex quibus constat Pacianum non alia crimina, nec capitalia, mortaliaque peccata, quam tria illa, idololatriæ, homicidii, et adulterii agnoscere, non quia iis solis charitas Dei, justitiæque perditur, sed quia ea tunc sola Pœnitentiæ publicæ pœna emendabantur, reliqui peccatores ab Ecclesia quidem abstinebant, donec aliis remediis, Sa-

eramentoque Pœnitentiæ purgarentur, at seipsos excommunicabant; non ita vero de idololatriæ, homicidii, adulteriique criminibus convicti, qui ab Ecclesia excommunicati, non nisi per publicam Satisfactionem, et Pœnitentiam reconciliati Communioni restituebantur.

Idque ipsum ante S. Pacianum docuit Tertull. qui in lib. *De Pudicitia*, quamvis jam hæreticus, fidem tamen hæc in parte meretur, quia ob suum nimium erga peccatores rigorem, et austeritatem erravit, nec tam suum, quam Ecclesiæ, sui que temporis Christianorum sensum refert.

* “ Cum meminit trium dumtaxat capitalium criminum, quæ Ecclesia Catholica pœnitentiæ publicæ addicebat; Montanistæ vero irremissibilia esse contendebant: *Cum primum*, inquit cap. 12., *innotuit Evangelium, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus Sancti apostoli emittunt ad eos qui jam ex nationibus adlegi cœperant: visum est Spiritui Sancto, et nobis, nullum amplius vobis adjicere pondus, quam eorum, a quibus necesse est abstineri a sacrificiis, et a fornicationibus, et sanguine, idest, ut ipse explicat, ab idololatria, a mœchia et homicidio. Porro qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola necessario abstinenda præscribunt? Non quod alia permittant, sed quod hæc sola proponant utique non remissibilia. Et cap. 5. Adstitit idololatrias, adstitit homicida, in medio eorum adstitit et mæchus; pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, iisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis mollissima et humanissima disciplina, etc? ” * Nec enim Montanistas Novatianorum antesignanos tunc Pœnitentiam sacramentalem, aut Absolutionem hanc, sed solummodo Communionem, et pacem, quæ duo plane diversa erant, Mæchis denegasse probabile est. Sed quidquid hac de re dicatur, perspicuum est, Tertullianum non alia, quam quæ ad illa tria capitalia crimina pertinebant, mortalia, ut loquitur, appellasse.*

Idque planum faciunt verba ista, quibus conatur diluere quod sibi objectum fuerat a Catholicis, æque mæchos recipiendos esse, ac ovem et drachmam, quarum illa errans, ista latitans, ambo requisitæ et repertæ cum gaudio gregi, et thesauro, seu, ut loquitur, armario restitutæ dicuntur; ita enim cap. 7. *Licet periisse dicatur, erit et de perditionis genere retractare, quia et ovis non moriendo, sed errando, et drachma non intereundo, sed latitando perierit: ita licet dici periisse, quod salvum est: periit igitur et fidelis: elapsus est in spectaculum quadrigarii furoris, et gladiatorii cruoris, et scenicæ fedilitatis, Nisticæ vanitatis, in lusus, in convivia sæcularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idololatriæ aliquas artes adhibuit curiositatis, in verbum ancipitis negationis impugit, ob tale quid extra gregem datus est, vel et ipse forte ira, timore, æmulatione, quod denique sæpe sit de dignatione castigationis abruptus, debet requiri, atque revocari. Quod potest recuperari non periit, nisi foris perseveraverit. Bene interpretaberis parabolam, viventem adhuc revocans peccatorem. Mæchum vero, et fornicatorem, quis non mortuum statim admissio pronuntiavit?*

Item præclare et erudite docet S. Gregorius Nyssenus tota Epistola ad Letojum Mitilenes Episcopum, ubi Pœnitentiæ solis præfatis,

tribus criminibus. impositæ rationem petit, non a decreto Apostolico, sed a tribus præcipuis animæ humanæ facultatibus, seu affectibus, videlicet ratione, concupiscentia, et ira. A ratione ait procedere idololatriam et hæresim: a concupiscentia adulterium et fornicationem, ab ira homicidium et eadem, quæ tria dicit Pœnitentia publica et humili necessario debere puniri. *His itaque hoc modo distinctis, inquit, quæcumque quidem peccata ratione præditam animæ partem attingunt, esse graviora a Patribus judicata sunt, et majori ac sufficientiori et laboriosiori conversione digna. Quemadmodum fidem in Christum negavit, vel ad Judaismum, vel idolorum cultum, vel Manichæismum, vel ad aliquod aliud impietatis genus descivisse visus sit: qui voluntarie quidem ad id malum se contulit, deinde seipsum condemnavit, totum tempus vitæ suæ habet Pœnitentiæ tempus: nunquam enim, si mystica peragatur oratio. Deum una cum populo adorare dignus censetur, sed seorsum precabitur: a Sacramentorum autem Communione omnino erit alienus, etc.* Idem dicit de adulterio, et cæde seu homicidio. — Quamvis autem plurima sint peccata, quæ tribus supradictis adjungi solent, ut avaritia, quæ dicitur Idolorum servitus, et idololatriæ species: *Tamen, inquit, hæc morbi species inconsiderata, et absque ulla ejus cura prætermissa est, quo fit ut hic morbus in Ecclesia redundet, et nemo in his, qui ad Clerum adducuntur, inquirat, num eorum aliqui eo genere idololatriæ polluti sint.* — Idem docet de fœnore et usura, quæ nullis pœnis Canonicis subjecta erant, maxime quando fiebant a laicis: nam Can. 17. Nicænus depositionem interminatur Clericis fœnerantibus: tres tamen alias peccatorum species refert, nempe *furtum, sepulchrorum effossionem, et sacrilegium, quorum Pœnitentia imponi solebat.* Sed iis tantum imponebatur, ut ipse docet, quatenus ad unum ex præfatis tribus capitalibus perspicue referuntur; furtum enim dividit in *violentum*, cum latro paratus est armis, ad id quod inhiat, occupare. et prohibentem interficere: est et *clandestinum*, cum latenter rem alienam subripit, eamque tollit. Prius ideo ut homicidium punit; posterius nulla pœnitentia publica castigat. *Sepulchrorum effusionem duplicem quoque facit. Priorem, cum tantum lapides moventur, et in alium usum rapiuntur, sed corpus intactum relinquitur, nec soli illius turpitudine detegitur: Hoc, inquit, licet laudabile non sit, ut tamen venia dignum esset, efficit consuetudo.* Posteriorem cui pœnitentia annexa est, sic describit: *Sed carnis in terram redactæ pulverem perscrutari, et ossa movere, spe aliquem ex defossis lucrificandi ornatum, id eodem judicio condemnatum est, quo fornicatio simplex.* Pœnitentia hanc speciem damnarunt, eo quod sit quasi fornicatio. *Denique sacrilegium scribit pena minus severa, quam adulterium, aut homicidium puniri; cujus rei causam forte brevitatis causa, instabat enim epistolæ finis, prætermisit.*

Idem præterea probatur ex universo Canonum consensu, qui ante Gregor. Nyssenum, et ipsius ætate conditi sunt. Nullus enim aliis peccatis, quam tribus istis, et eorum ramis et variis speciebus Pœnitentiam imponunt. Hos Canones descripsit S. Basilius in Epistolis ad Amphilocheum, nullusque est qui ad hæc discrete pertineat. Nam quod de furto statuit Can. 61. de eo furto est intelligendum, quod S. Gregorius Nyssenus explicavit; quod de perjurio c. 64. id facile ad Religionis

abnegationem reducitur; non secus ac præstigiatores et incantatores, idque etiam ex gravitate pœnæ colligitur. Quod denique de sepulchrorum effossoribus decernit cap. 66. cum ea distinctione intelligendum est, quam ex S. Gregorio jam enarravimus. Ita Morinus, lib. 5. cap. 2.

Idem colligit Morinus, ibid. n. 15. ex Concilio Eliberitano, cujus licet tot sint Canones, nusquam tamen pœnitentiam, nisi ob hæc tria peccata, indicunt: Can. 174. 74. 75. Delatoribus, et falsis testibus pœnitentiam imperant; sed delationes illæ sunt criminum, ut ipsi Patres testantur, quæ mortem accusato inferunt. Idem dicendum de Can. 14. Concilii Arelatensis 1. ut ex Pœnitentia imposita, quæ ad finem usque vitæ prorogatur, manifestum est. Idem velut in speculo conspiceret ex Concilio Ancyrano, ubi tribus his criminibus non modo pœnitentia imponitur, sed nonnumquam additur. *Talis Pœnitentia ex antiqua consuetudine illi convenit.* In Concilio Neocæsariensi nulli alii crimini, quam ex his tribus alicui infligitur. Nihil dissimile apud S. Cyprianum reperitur. De Pœnitentia agenda sæpius verba facit, sed semper de lapsis, hoc est, iis qui idolis sacrificaverant, aut idolothyta comederant, illi sermo est, si duo loca excipias, in quibus agit de Mœchia, sive adulterio. Nullum dubium est, quin idem de homicidio pronuntiasset, quod de Mœchia, si se occasio dedisset. *Hæc Morinus.*

Progressu tamen temporis, non solum hæc tria præfata crimina una cum suis appendicibus per publicam Pœnitentiam sanata et punita fuerunt, sed etiam quæcunque gravissima judicabantur, ut colligere licet ex Concilio Tolet. primo c. 2. cum sic pœnitentem definit: *Pœnitentem dicimus de eo, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus Altari.* Ex quibus liquet, non tria tantum peccata, sed gravissima quæque obnoxia fuisse Pœnitentiæ publicæ. Idem pluribi docet S. August. maxime vero Serm. 41. qui *De Sanctis* inscribitur, ubi postquam varia recensuisset gravia peccata, nempe sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapinam, superbiam, invidiam, avaritiam, juramentum, ebrietatem assiduam, et ea distinxisset a minutis peccatis, quæ facili negotio redimuntur, maxime visitatione infirmorum, eleemosynæ largitione. etc. subdit: *Pro capitalibus vero criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus, et gemitus, continuata longo tempore ac protracta jejunia, et largius eleemosynæ erogandæ, ultra nos ipsos a Communione Ecclesie removeantes, in luctu, et in tristitia multo tempore permanentes, et pœnitentiam etiam publice agentes, quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderat, cum multorum ædificatione se redimat.*

Hinc vulgatum axioma apud SS. Patres; *Crimina, quæ leges sanguine vindicant, Pœnitentia publica in Laicis, et depositione in Clericis vindicanda sunt.* Quod utique præclare annotavit S. Prosp., lib. 2. *De vita contemplativa*, cap. 7. ubi scribit: *Qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquid occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasionem decipiunt, si eis videtur propterea communicare, et officium suum implere debere, quod homines, occultatione sui criminis, fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt, ut cavere non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, et dicimus: Dimitte nobis de-*

bita nostra, etc. illa crimina caveantur, quæ publicata suos Auctores humano faciunt damnare iudicio. Qui autem ea commiserint, et ideo prodere malunt, ne sententiam iuste excommunicationis excipiant, sine causa communicant. Imo vero dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, etc.

Cæsarius Arelatensis, Hom. 42. eandem omnibus regulam præscribit: *Nemo se circumveniat, fratres: Omnis homo, qui post Baptismum mortalia crimina commiserit, hoc est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium. vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, si pœnitentiam non egerit, eleemosynam justam non fecerit, numquam habebit vitam æternam. Strictius videtur hoc intelligere, cum crimina illa morte puniri per leges civiles asserat, non tamen negat publica Pœnitentia punienda ea quoque crimina, quæ gravi tantum, sed non capitali pœna plectuntur. Concilium Tolet., 4. cap. 46. Clericum non modo vult deponi, sed etiam ad Pœnitentiam redigi, qui crimen sanguine a legibus vindicandum commiserit. Si quis Clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, oportet Canonibus in tali scelere proditum Clericatus ordine submoveri, et Pœnitentiæ triennio deputari. Unde S. Augustinus, lib. 5. in Deuteronomium, cap. 39. scribit: Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Cum enim Ecclesiæ numquam licuerit sanguinem fundere, sanguinis vicem subiit excommunicatio, luctuosaque Pœnitentia. Licet enim plura crimina antiquitus morte, aut gravi aliqua et corporali pœna afficiebantur, quæ humili Pœnitentia non castigabantur, verum tamen est nullum gravi illa Pœnitentia plexum fuisse, quod Lege vel Mosaica vel Civili non fuerit gravissima pœna vindicatum.*

§ IV. — UTRUM PŒNITENTIA PUBLICA PRO PECCATIS DUMTAXAT PUBLICIS FUERIT PRÆSCRIPTA? — **Respondeo**, id videri probabilius, colligiturque ex variis Canonibus, maxime vero ex Canon. 4. Concilii Neocæsariensis, ubi decernitur: *Si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea dormire, et ejus desiderium non pervenerit ad effectum, manifestum est, quod per gratiam fuerit liberatus.* Ubi per liberationem non intelligit exemptionem a culpa mortali, quam haud dubie contraxit ille, qui mœchatus est in corde suo, nec consequenter etiam intelligit exemptionem a Satisfactione Sacramentali, quam utique pro admissio interno reatu luere debet; sed intelligit exemptionem a pœnitentia publica et Canonica, pro cujus Canonibus condendis ac consummandis Synodus illa versabatur.

Quod autem hoc veterum Ecclesiæ Doctorum et Patrum institutum fuerit, colligitur ex Concilio quod in villam *Inguilhemem*, sub Ludovico Pio, anno 826. habitum refertur in tomo 2. Concil. Galliæ, cuius Canon apud Burchardum, lib. 11. c. 57. et Ivonem Carnot., parte decreti 13. c. 43. Aurelianensi Concilio attributus decernit juxta sanctorum Canonum sanctiones, ut si quis rapinam publicam, seu furtum fecerit, publicam agat Pœnitentiam; si vero occulte, Sacerdotum consilio pœniteat. Idem quoque Burchardus, lib. 19. c. 28. et Ivo, parte decreti 150. c. 46. ajunt, secundum antiquorum Canonum institutionem, sacrarum Scripturarum auctoritatem, et Ecclesiasticam consuetudinem

discretionem servandam a Sacerdotibus inter Pœnitentes publice, et absconse. Nam qui publice peccat, oportet, ut publice mulctetur Pœnitentia. Qui Canon habetur in cap. 25. Concilii Cabilonensis 2. et Arelatensis 6. c. 26. quo decernitur, ut qui de publico crimine convicti sunt, rei publice iudicentur, et publicam Pœnitentiam agant secundum Canones, ut refertur in eodem secundo tomo Conciliorum Galliæ. Frustra autem fieret mentio publicorum criminum, si pro quibuslibet peccatis mortalibus etiam occultis, eadem pœnitentia publica injuncta fuisset; unde hoc semper discrimen fuit inter publice pœnitentes, et occulte, quod illi pœnitentia publica, isti vero nonnisi secreta Satisfactione et pœnitentia corrigerentur, idque, ut mox dictum est, secundum antiquorum Canonum institutionem, sacrarum Scripturarum auctoritatem, et Ecclesiasticam consuetudinem; quæ utique tres auctoritates tantæ sunt, ut etiam unica ex illis ad hoc firmandum sufficeret.

Hoc ipsum confirmat Ivo variis testimoniis ex aliquis Canonibus collectis, maxime vero in parte Decreti 15. c. 53. in quo habetur, *ut si quis incastum occulte commiserit, et Sacerdoti occulte confessionem egerit, indicetur ei remedium Canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verum, quia latet commissum, detur ei a Sacerdote consilium, ut salutem animæ suæ per occultam Pœnitentiam prospiciat. Hoc est, ut veraciter ex corde se graviter deliquisse confiteatur, et per jejunia, et eleemosynas, vigiliis, atque sacras orationes cum lacrymis se purgare contendat, et sic ad spem veniæ pro misericordia Dei pervenire confidat.* Quibus verbis Ivo, non tam propriam sententiam aperit, quam sensum Ecclesiæ antiquæ; siquidem fatetur se id dumtaxat usurpare.

His addere licet Concilium Tridentinum, Sess. 11. c. 5. ubi cum dixisset, *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur, ubi manifeste loquitur de peccatis mortalibus, subjicit paulo post: Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc præceptum divinum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.* Ex quibus sic argumentari licet: publica pœnitentia, et Confessio non fuit a Christo præcepta, nec ab Ecclesia consulte potuit imperari, ne videlicet pœnitens infamaretur: sed eadem oriretur infamia ex Satisfactione publica pro occultis peccatis; si quis enim subire cogereetur pœnitentiam publicam de peccatis occultis, ille proculdubio alicujus mortalis peccati reus merito existimaretur, siquidem nonnisi pro ejusmodi peccatis, illam imperari ab Ecclesia notum est: igitur qua ratione non potuit præcipi ab Ecclesia Confessio publica peccatorum occultorum, ita nec præcipi potuit Satisfactio, seu pœnitentia publica pro peccatis occultis.

Confirmatur auctoritate S. Augustini. Homil. 50. cap. 4. ubi cum distinxisset duplicem excommunicationem, qua quis removetur a par-

ticipatione Eucharistiæ, *spontaneam* videlicet, et *coactam*, seu imperatam ab Ecclesiæ Antistibus, dixissetque: *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terris, ut sit solutus in cælo; et audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri: paulo post infert: Judicet ergo seipsum homo, in istis voluntate non potest... et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum.* Quibus verbis significat, quod antequam pœnitens ad Antistites et clavium ministros accedat, jam certum constituit, et peccati conscium se Communionem indignum judicat, nec ad Ecclesiæ Ministros accedit, ut hanc excommunicationis sententiam accipiat, sed modum quo Deo et Ecclesiæ, si eam aliquo scandalo offenderit, satisfaciat; subdit enim: « Ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, et supplex id « tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed « etiam cæteris ad exemplum; ut si peccatum ejus non solum in gravi « ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum; atque hoc ex- « pedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel « etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuset, non resistat, non « lethali et mortifera plaga per pudorem addat timorem. » Quibus verbis S. Augustinus satis aperte significat, solum peccata publica esse Pœnitentia publica corrigenda; monet enim Antistites, ut in imponenda Pœnitentia cum magna cautione se gerant, ut quod non grave solummodo peccatorum malum esset, sed vertere etiam in scandalum aliorum, si de eo peccato Pœnitentia in notitia multorum, vel etiam totius plebis pro Antistitum judicio ageretur. Quod autem de peccato publico loquatur, non autem indifferenter de quolibet peccato mortali, ut vult Morinus, lib. 5. c. 9. aperte significant verba sequentia: « Quid est in- « felicius, *inquit*, quid perversius, quam de ipso vulnere, quod latere « non potest, non erubescere, et de ligatura ejus erubescere? »

Idem docet S. Doctor, Serm. 41. *De Sanctis*, ubi explicato leviorum peccatorum remedio, graviorum curationem sic explicat: *Pro capitalibus vero criminibus, inquit, non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus, et gemitus, continuata longo tempore, ac protracta jejunia, et largiores elemosinæ erogandæ, ultro nos ipsos a Communionem Ecclesiæ removentes, in luctu, et in tristitia multo tempore permanentes, et Pœnitentiam etiam publice agentes; quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se relinquit.* Quibus posterioribus verbis aperte significat, eum dumtaxat obligari ad faciendam Pœnitentiam publicam, qui plures suo scandaloso peccato offenderat; ac subinde non censet S. Augustinus Pœnitentiam publicam esse agendam de occultis peccatis. — Quod autem vera S. Augustinus censeat, publicam Pœnitentiam non esse agendam pro quolibet peccato mortali, sive occulto, sive publico eluendo, aperte constat ex Epistola 34. ubi loquens de iis, qui aliena bona furati, ea restituere recusant, ait: *Agimus, quantum Episcopalis facultas datur, et humanum quidem nonnumquam, sed maxime ac semper ju-*

dicium divinum comminantes: nolentes autem reddere quos novimus, et male abstulisse, et inde reddant habere, arguimus, increpamus, et detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris Communionem privamus. Non igitur censet S. Augustinus quodlibet peccatum mortale esse necessario publice arguendum.

Ei subscribit S. Leo, Epist. 12. ad Rusticum, cap. 12. ubi requirenti Rustico, quæ Pœnitentia esset imponenda his, qui convivio Gentilium et escis immolatitiis usi sunt, ita respondet: *Qui convivio solo Gentilium et escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, Sacramentorum Christi posse esse participes: si autem idola adoravere, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad Communionem eos, nisi per Pœnitentiam publicam, non oportet admitti.* Quibus verbis, ut apparet, loquitur S. Leo de peccatis mortalibus, quæ poterant fuisse publica, et aliquid sacrilegii habuisse; unde monet ea debere jejuniis et manus impositione purgari, quod utique non convenit tantum venialibus; quæ tamen eximit a Pœnitentia publica, ad quam obligat reos idololatriæ, homicidii, et mœchiæ. Itaque non censet, omnia peccata mortalia, etiam occulta, debere curari Pœnitentia publica.

Concinit pariter S. Cæsarius Arelatensis, Homil. 1. ubi distinguens peccata in delicta levia, quæ privata compunctione delenda sunt, et in facinora, seu capitalia, quæ lacrymis, rugitu, et gemitu, ac longo tempore protractis jejuniis expianda sunt, ait, pro his eluendis abstinendum esse a Communionem: *Nos ipsos, inquit, ab Ecclesiæ Communionem removeotes in luctu, et tristitia multo tempore permanentes, et Pœnitentiam etiam publice agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.* Quibus postremis verbis, per facinora capitalia, quæ dicit Pœnitentia publica debere expiari, haud dubie intelligit peccata publica, quæ cum Ecclesiæ scandalo facta fuerant, et cum multorum destructione. Non censet igitur, omnia omnino peccata mortalia necessario debere Pœnitentia publica expiari.

Eis adstipulatur S. Eligius, Homil. 13. ubi cum admonuisset publice pœnitentes, ut gravia facinora, quæ fallente diabolo commiserant, cum gemitu et suspiriis, quamdiu viverent, lugerent, ad peccatores de Pœnitentia non publica, sed ejusdem rationis cum ea, quæ modo in usu est, agenda, orationem hanc in die cœnæ convertit. *Vos etiam, fratres, post exhortationem, quam hac die habuimus ad pœnitentes, mecum admono, ut unusquisque nostrum recurral ad conscientiæ suæ secreta, interroget semetipsum, qualiter per totum annum (maxime his sacris diebus) conversatus est, et si invenerit in corde suo spinas et tribulos delictorum, studeat, auxiliante Deo, quantocius eveliere, et evelendo eradicare; hisque eradicatis effodiat vomere salutari, ac stercora, idest, bona opera immittat, ut possit facere fructum, et si hodie pariter confessus fuerit, ut valeat dignus interesse solemnitati præsentis diei, quæ, quia in eo Dominus cum Apostolis suis cœnavit, Cœna vocatur. Unde summopere, ut Sacramenta Corporis et Sanguinis Domini digne*

recipere queat. quatenus potius salutem, quam damnationem acquirat. His subjungit: Non ergo abhorreamus pœnitentes istos propter magnitudinem scelerum suorum, quia fieri potest, quod nulli sunt inter vos, qui pejora commiserint. Audis pœnitentes publicos nonnisi ob graviora facinora, seu propter magnitudinem scelerum ad eum gradum detrusos esse? audis fieri posse, ut alii, qui pejora commiserint, quia Ecclesiæ noti non sunt, nec de illis convicti, ab ea agenda liberi sunt? Audis præter illos pœnitentes esse alios in Ecclesia peccatores, qui conscientiam spinis et tribulis obsitam habent, quos evellere et eradicare eos oporteat, ut digne fiant Corporis Christi participes, hos si ipso die Cœnæ Domini pariter confessi, et consequenter ante Satisfactionem, quæ a Sacerdote injungitur, perfectam absoluti tuerint, digne posse recipere Sacramenta Corporis et Sanguinis Domini, quæ nostra hodierna disciplina est, quem adversarii duodecim primis sæculis Ecclesiæ inauditam esse inaniter garrunt?

Quod autem dixerat Homil. 13. postmodum fusissime repetit Hom. 15., ubi pœnitentes moræ nostro Pœnitentiam agentes, et a publicis pœnitentibus distinctos alloquens, sic hortatur ad agendam Pœnitentiam: *Interim dum cogito, dumque in corde meo requiro, quibus verbis moneam vos fugere a ventura ira, nulla præstantiora visa sunt, quam ea, quibus Dominus in initio sæcæ prædicationis omnibus persuadere contendit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Quicumque ergo vestrum his quadragenam dierum observationibus Pœnitentiam, et Confessionis sæcæ debitum se exercuisse recolit, agat Domino gratias, et quicquid Dei templum in se violando destruxerit, non desperet, sed cito a malo iniquitatis sæcæ consurgat. Non enim qui peccat, sed qui in peccato perseverat, odibilis est. Ut ergo verbis Domini secundum Marcum utar, quibus dicit, quod vobis dico, omnibus dico, vigilate: Similiter quod dico, omnibus vobis dico, Clericis, Laicis, ac Sanctimonialibus, ut quisquis se recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque, et fornicationis, sive incæstus, et perjurii, cæterorumque vitiorum contagione attacktum, saltem hodie per divinæ salutis medicamentum, in quantum prævalet, se purificare procuret. Confiteatur adversum se injustitiam suam Domino, ut remittat impietatem cordis sui, et reliquæ cogitationum ejus diem festum agant Domino. Tum enim reliquæ cogitationis die festum agunt Domino, quando quilibet peccator post prius datam Confessionem se cohibere pollicetur ab iniquitate sua, totusque prorumpit in lacrymas, et in afflictionem cordis, quoniam contritum, et humiliatum Deus non spernit, et ejusmodi festivitas exultantibus Angelis fit, Veritate attestante, quæ ait: Quia gaudium est in cælo super uno peccatore coram Angelis Dei. Quia ergo majora crimina admittentibus, majora sunt adhibenda remedia, convertam me ad vos, quos Ecclesia ex more pœnitentes vocat, etc. Quibus verbis S. Eligius Clericos, Laicos, et Sanctimoniales, quantumvis fornicationis, incæstus, perjurii, cæterorumque vitiorum ejusmodi, non tamen publicorum, reos, nec inter publice pœnitentes numerat, nec pro expiandis criminibus ad illam Pœnitentiam publicam diuturnamque compellat; sed monet tantum, ut si Quadragesimæ initio aut progressu Confessionis sæcæ debitum non exolverunt, saltem eo ipso die Cœnæ Domini injustitiam suam et peccata confiteantur, ut ab eis per Absolutionem Sa-*

eramentalem mundati, diem festum agant, et sacram cum aliis Cœnam percipiant.

* “ DICES 1: Nullum est peccatum mortale quod carne aut spiritu, facto aut voluntate non committatur: atqui omnia peccata his modis commissa subjiciuntur pœnitentiæ publicæ, ut colligitur ex Tertulliano, lib. *De Pœnitentia*, cap. 4. dicente: *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spondit.* Pœnitentiam autem illam publicam esse probatur: Tertullianus de illa pœnitentia eo loco loquitur, de qua disserit in toto libro: sed in toto libro disserit de pœnitentia publica, quæ scilicet *de ipso quoque habitu atque victu mandat sacco et cineri incubare, jejuniis preces alere, presbyteris advolvi, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere, quam plerique ut publicationem sui suffugiunt, ut habetur capitibus 8., 9., 10., etc.* ejusdem libri: ergo Tertulliani ætate omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ in Ecclesia Africana subjiciebantur. — **Respondeo:** *nego minorem*, et dico Tertullianum loco primo citato de pœnitentia in genere disserere, prout virtus est omnibus delictis, et omnibus omnino peccatoribus necessaria. Id perspicuum est ex verbis sequentibus: *Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti. Eam tu peccator mei similis, (imo me minor; ego enim præstantiam in delictis meam agnosco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem, etc.* His enim verbis omnes peccatores, de quorum numero se esse confitetur, ad pœnitentiam hortatur. Quis autem eos omnes, imo et seipsum pœnitentiæ publicæ addicere voluisse existimet? Inter pœnitentes publicos Tertullianum nullibi sane reperies; et pœnitentia publica in presbytero maxima erat infamiæ nota. *Ad probationem autem, nego Tertullianum in toto illo libro de pœnitentia tantum publicam, quæ post Baptismum fiebat, disseruisse.* Licet enim a cap. 7. de illa potissimum agat, tamen ab initio libri usque ad caput 7. loquitur tantum vel de pœnitentia in genere, vel de pœnitentia ante Baptismum, qua scilicet catechumeni omnia peccata vitæ prioris, sive carnalia, sive spiritualia, sive facto, sive voluntate commissa, detestari se palam significabant, et ad eorum per Baptismum abstersionem piis se disponebant operibus. Id constat ex capite 6. in quo hæc habet: *Quidquid ergo mediocritas nostra ad pœnitentiam semel capessendam et perpetui retinendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat; sed præcipue novitiolis istis imminet; qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantie adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant; et dicunt quidem pristinis renuntiare et pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt, etc.* Caput vero septimum sic incipit: *Hucusque, Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina servis tuis discere vel audire contingat; quosque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant, piget secundæ, imo jam ultimæ spei subtexere mentionem, ne tractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur.* Itaque ad eum usque locum Tertullianus non egerat de pœnitentia post Baptismum, sed vel de pœnitentia ante Baptismum, vel de pœnitentia generatim sumpta, quam christiani omnes susci-

pere et ad finem usque vitæ retinere debent ut ipse loquitur Tertullianus.

DICES 2: Inter peccata mortalia qui minora fuisse subjecta pœnitentiæ publicæ asserit, et a fortiori majora eidem subjicienda esse contendit, ille omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ subjicit: sed S. Cyprianus testatur minora peccata mortalia pœnitentiæ publicæ subjecta fuisse, et a fortiori majora eidem subjicienda esse contendit: hoc constat ex Epist. 10. *Nam cum in minoribus peccatis, inquit, agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant*, etc. Porro nomine minorum peccatorum non venialia intellexit S. Cyprianus, quia illa hujusmodi pœnitentiæ non subjacebant: ergo omnia mortalia intellexit esse tali pœnitentia expianda. — **Nego minorem**, et dico S. Cyprianum minorum peccatorum nomine neque venialia tantum, neque omnia mortalia peccata, sed minora e canonicis intellexisse. Comparat enim idololatriæ crimen cum homicidio et adulterio, illudque gravius judicat quia divinam Majestatem immediate offendit; alia vero minora censet, quia non Deum immediate, sed homines lædunt; unde infert quod si mœchi et homicidæ justo tempore agant pœnitentiam juxta formam a canonicis præscriptam multo magis idololatriæ reos disciplinam Ecclesiæ quantumvis in illud crimen quod est omnium maximum severam servare teneri. * *

DICES 3: Pro quolibet crimine olim præscripta fuit et injuncta luctuosa Pœnitentia: sed ex SS. Patribus, quodlibet peccatum mortale crimen est: igitur pro quolibet peccato mortali, sive occulto, sive publico, illa Pœnitentia fuit injuncta. * “ *Probatur minor ex S. Augustino, Enchiridii, cap. 64. dicente: Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen etiam est omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur inveniri posse dicimus sine crimine, peccatum autem si dixerimus quoniam non habemus, nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est.* Ibi namque distinguit tantum duo genera peccatorum, alia nempe sine quibus ne quidem viri sanctissimi vivere non possunt, quæ haud dubie non sunt mortalia, quia sine peccatis mortalibus vivere possumus; alia vero quæ vocat crimina, et hæc sunt omnia peccata mortalia. — **Distinguo majorem**: pro quolibet crimine gravissimo et canonico publica imponebatur pœnitentia, *concedo*: pro quolibet crimine absolute, *nego*. *Distinguo etiam minorem*: omne peccatum mortale crimen est, si cum veniali conferatur, *concedo*: si comparetur cum gravioribus peccatis quæ infamiam pariunt peccanti, scandalum Ecclesiæ, detrimentum proximo, quorum rei a sacris Ordinibus arcantur, propter quæ coram Ecclesiæ tribunali accusari peccator potest, *nego*. Illa enim duntaxat peccata, quibus hi characteres conveniunt, absolute crimina a Patribus appellantur. Sic a S. Augustino, Tract. 41. in Joannem, crimeu definitur: *peccatum grave accusatione et damnatione dignissimum*. Et ibidem super illa verba Pauli: *Si quis sine crimine est, dicit: sicut est homicidium, adulterium, sacrilegium, et cætera hujusmodi*. Juxta S. Augustini mentem S. Thomas in eadem verba Epist. ad Titum, lect. 2. Comment. in eandem Epist. *Dicendum est, inquit, quod aliud*

est crimen, et aliud peccatum. Peccatum dicitur sive parvum, sive magnum, sive occultum: crimen autem magnum est et infame. — Ad locum adductum Enechiridii, dico S. Augustinum exactam divisionem peccatorum hic facere non intendisse, sed dumtaxat probare quod omne peccatum non est crimen. Id autem ostendit ex eo quod Paulus velit presbyteros esse sine crimine, qui tamen non possunt esse sine peccato. Constat insuper * ex jam dictis, non omne peccatum, quod mortale appellamus, crimen a SS. Patribus dictum fuisse, ino pleraque vere mortalia a nonnullis Patribus levia, et quotidiana appellata fuerunt, ut constat tum ex S. Augustino, tum ex S. Paciano; ille enim lib. 84. *Quæstionum*, q. 16. omnia ignorantiae et fragilitatis peccata venialia appellat, inter quæ certum est, plurima esse mortalia; hic vero in sua Parænesi non alia crimina, nec capitalia peccata agnoscit, quam idololatriæ, homicidii, et adulterii; constat autem plurima alia peccata esse revera mortalia, ac proinde non omnibus peccatis mortaliibus inuncta fuit Pœnitentia publica.

URGEBIS: Canones adulterio cuius sive publice, sive occulte facto injungunt eandem pœnitentiam, et Gennadius, lib. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 53. asserit, quod si quis mortalia peccata commisit, publica pœnitentia satisfacere debeat. Similiter Fulbertus Carnotensis, Serm. 2. ad populum, docet, propter quælibet peccata mortalia, peccatores ab Ecclesia separari, hoc est, excommunicari, et deputari cum veniam postulant inter publicos pœnitentes: igitur quodlibet peccatum mortale subijci debet pœnitentiæ publicæ. — **Nego consequentiam;** et ad Gennadium dico, eum dumtaxat loqui de solis gravioribus criminibus; nam alia agnovit peccata mortalia, quæ pœnitentia privata possent expiari, ait enim ibidem: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, et hortor; si tamen sine affectu peccandi sit, nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, et peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciatur lacrymis, et orationibus, confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ Confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus.* Quibus verbis generalibus per peccatum conscientiam peccatoris mordens, non aliud quam mortale intellexit, quodque non sola oratione Dominica, sed lacrymis, et oratione, ipsaque pia Confessione Sacramentali sit mundandum. Unde non quodlibet peccatum mortale intellexit, sed tantum graviora aliqua crimina, cum subdit: *Sed de illo dico quem capitalia, et mortalia peccata non gravant, nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica Pœnitentia satisfacere, et ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni sociari, si non vult ad iudicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Quibus verbis non tam Sacramentalem, quam Canonicam reconciliationem et Absolutionem intelligit. — Ad Fulbertum dico, eum duplici generis peccata agnoscere, quorum alia sint mortalia, alia vero crimina, quibus omnibus Baptismi munditia polluitur, ait enim: *Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per Baptismum data est, verè felices essemus; sed non permansimus, cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata, sed*

etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua: Quibus verbis Fulbertus delicta, quibus Baptismi munditia poluitur, duplicia agnovit: quædam enim solum sunt peccata, quibus maculatur et perditur Baptismatis innocentia: alia vero sunt crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia excommunicantur. *Nec obstat, quod varia peccata mortalia recenseat; inde namque inferre non licet quodlibet peccatum mortale excommunicationis pœna esse plectendum; licet enim avaritiam, invidiam, et superbiam in eo numero posuerit, non tamen licet inferre, eum omne id genus peccatorum censere excommunicatione esse plectendum; nam aliqui ex ejusmodi peccaminosis actibus veniales esse possunt: quemadmodum igitur, quantumvis ebrietas omnis plene libera et voluntaria mortalis est, nec tamen, nisi diutina sit, censet Fulbertus eam excommunicationis pœna esse plectendam, nec pariter iracundiam simili pœna esse afficiendam, nisi dum est assidua; ita non existimavit Fulbertus omnem avaritiam, aut invidiam, aut superbiam esse afficiendam Excommunicatione, sed tantum cum ob aliquas circumstantias, ac potissimum scandali, hac pœna in hujusmodi peccatores animadvertendum esse Ecclesiæ Prælati censuerunt, non secus ac solent aliqui Præsules sub excommunicationis pœna prohibere, ne quis choreas agat in Quadragesima, et sub interdicto, ne quis Clericus cauponas ingrediatur, ratione scilicet scandali.*

* “DICES 4: Omnia peccata quæ humilitate majoris pœnitentiæ expianda erant secundum S. Augustini verba et sensum publicæ pœnitentiæ subiciebantur: atqui peccata quævis mortalia humilitate majoris pœnitentiæ juxta S. Augustini mentem expianda erant. *Probat*ur: qui tribus tantum modis in Ecclesia dimitti peccata asserit, primo Baptismate, secundo oratione, tertio humilitate majoris pœnitentiæ, censet ad illum tertium modum reducenda esse peccata quæ duobus prioribus sanari non possunt. Sed S. Augustinus tribus tantum modis peccata dimitti asserit, lib. neipmo primo *De Symbolo ad Catechumenos*, cap. 7. et 8., ubi ait: *Propter omnia peccata Baptismus inventus est: propter levicia sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? dimitte nobis debita nostra. Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere pro quibus necesse est, ut a Christi corpore separemini; quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pœnitentiam. Nam si levicia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ. Ergo peccata quæ Baptismo et oratione dimitti non possunt, humilitate majoris pœnitentiæ curari debent: atqui nulla peccata mortalia post Baptismum commissa Baptismo deleri possunt, quia semel abluimur in baptismate: neque etiam oratione, quia nulla peccata lethalia possunt ita levicia censi, ut ipsis delendis oratio sufficiat. Superest igitur ut publicæ pœnitentiæ humilitate expientur: non aliud enim remedium agnovisse S. Augustinum illa imprimis verba demonstrant: *Illi enim quos videtis agere pœnitentiam scelera commiserunt... nam si levicia peccata ipsorum essent, ad hæc**

quotidiana oratio delenda sufficeret. Hic enim nullum relinquitur medium inter pœnitentiam publicam et orationem dominicam: quæ igitur ista deleri non possunt, alteri subiacere censentur. — **Distinguo majorem et minorem secundi argumenti:** S. Augustinus tres tantum modos pœnitentiæ publicæ agnovit in Ecclesia, *concedo:* pœnitentiæ sive publicæ, sive occultæ, *nego.* Observandum enim est sermonem illum dirigi ad catechumenos, quibus non omnia statim Ecclesiæ sacramenta exponebantur, sed ea tantum quibus suscipiendis disponebantur. Cætera inter fideles tamquam secreta mysteria servabantur. Ideo S. Augustinus non omnes pœnitentiæ modos, sed notiores tantum recenset. Hi autem erant Baptismus quem mox erant suscepturi, oratio Dominica quam dicebant, et pœnitentia publica ejus lugubris apparatus ipsis ob oculos versabatur. Siquidem pœnitentès cum ipsis audiebant verbum Dei, et cum illis ex Ecclesia dimittebantur ne sacrificio interessent. Privata autem pœnitentia ipsis erat ignota; ideo illius non meminit hoc loco S. Augustinus. — Quod autem remedium aliquod peccatorum medium inter pœnitentiam publicam et orationem Dominicam agnoverit S. Augustinus, habetur lib. *De Fide et Operibus*, cap. 26., ubi ait: *Quædam peccata ita esse gravia, ut ex communi ratione plectenda sint.* Et hæc sunt peccata canonica, quæ publicæ pœnitentiæ addicebantur. *Quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui proprie penitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis.* Et hæc sunt mortalia quidem, sed non ita gravia, ut a canonibus pœnæ publicæ ipsis injunctæ sint; verum ita ut privata pœnitentia sacerdote secreto corripiente peccatorem et postea absolute deleantur. *Quædam tandem esse peccata, sine quibus hæc vita non agitur, et quorum quotidianam medelam posuit Christus in oratione quam docuit.* Et hæc sunt venialia, quibus remittendis necessariæ non sunt Ecclesiæ claves. — Quod tandem omnia peccata mortalia publicæ non subiaceant pœnitentiæ, sed tantum graviora, constat ex ipsismet verbis loci contra nos adducti. *Illi enim quos videtis agere pœnitentiam scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania.* Plura namque peccata sunt mortalia ex ignorantia, culpabili quidem, aut ex infirmitate, sola mente, aut voluntate commissa, quæ scelera aut facta immania neque S. Augustinus, neque ullus unquam appellavit.

INSTABIS: S. Augustinus triplicem tantum distinguit pœnitentiam, lib. 50. *Homiliarum*, Homil. 27. *Triplicem, inquit, ejus considerationem in sancta Scriptura esse proposui. Prima competentium est et ad Baptisma venire sitientium. Est alia quotidiana, et ubi illam ostendimus? in oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit: dimitte nobis debita nostra... Restat pœnitentiæ tertium genus. Est pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia pœnitentes, et etiam remoti a Sacramento Altaris participandi, ne accipiendo indignè iudicium sibi manducent et bibant.* Similiter Homil. 50. Ejusdem libri cap. 2., 3. et 4. ait: *Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum vestra eruditio recognoscit; sunt enim usitate in Ecclesia Dei et diligenter attendentibus notæ.* Sane si pœnitentia privata fuisset in usu, eam non hic omisisset; æque enim nota fuisset ac aliæ species pœnitentiæ, imo pœnitentia publica fuisset communior, quia rarius con-

tingebat committi publicæ peccata canonica, quam secreto hæc aut alia minus gravia perpetrari. Illius tamen ne quidem meminit. Una, inquit, est quæ hominem parturit per Baptismum. Altera cujus actio per totam istam vitam perpetua supplicationis humilitate subeunda est. * Tertia actio est Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus, ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Postmodum enumerat ejusmodi peccata cum Apostolo ad Ephes. 5. et ad Galat. 5. et tandem colligit: In hac ergo Pœnitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus, non judicetur a Deo, sicut idem Apostolus ait: si enim nos judicaremur, a Domino non judicaremur. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhibere ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum; constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: Arguam te, et statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnis timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluit. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis et Sanguinis Domini; ut qui separari a regno cælorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cælestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere: quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem suam. Ad illud autem altare, quo præcursor pro nobis introivit Jesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus; Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed plane ibi totus assistet, adjuncto scilicet corpore, cui caput est, quod jam ascendit in cælum. Iste est cui dixit Apostolus Petrus: Plebs sancta, regale Sacerdotium. Quomodo ergo in interiora veli, et in illa invisibilia Sanctorum introire audebit, aut poterit, qui medicinam cælestis disciplinæ contemnens, noluit paullisper a visibilibus separari? Qui enim noluit humiliari, ut exaltaretur, cum exaltari voluerit, dejicietur, et in cæterum sejungetur ab æternis Sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, et per Satisfactionem Pœnitentiæ non sibi providit locum in corpore Sacerdotis. Sed pœnitentia privata ad nullam ex his tribus speciebus a S. Augustino laudatis reduci potest: ergo non fuit in usu in Ecclesia Africana. — Respondeo iterum, S. Augustinum disserere dumtaxat de pœnitentia publicâ quæ revera triplex erat, nempe ea quæ * fieri solebat ante Baptismum, et quæ fiebat pro gravioribus delictis post Baptismum commissis, necnon et eam, quæ fieri solebat pro levioribus, et quotidianis peccatis, quæ pariter erat publica, ut etiam ex hujus temporis usu constat; quæ enim Confessio, et Pœnitentia fit initio Missæ, et ante Eucharistiæ perceptio-

nem, ab omnibus Catholicis pectora tudentibus, seque peccatores profitentibus, vere Pœnitentia publica est, per quam venialia, et quotidiana peccata diluuntur. Nullam aliam præter hanc triplicem publicam * “ agnovisse, falsum est, ut constat tum ex solutione prioris argumenti, tum ex verbis immediate sequentibus ea quæ ex Homil. 27. adducta sunt. *Illà vero pœnitentia, inquit, luctuosa est, grave vulnus est; adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, etc.* Quibus significat graviora tantum peccata, ea scilicet, quibus pœnæ a canonibus indicebantur, quæque enumerat, publicæ pœnitentiæ subjecta esse; sed alia erant peccata mortalia quæ sola oratione purgari non poterant, sed Sacramento Pœnitentiæ et satisfactione privata. Hanc igitur non excludit aut negat S. Augustinus. — Ad secundum locum respondeo hæc verba: *Tertia actio pœnitentiæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, pœnitentiam clavium sive publicam, sive privatam significare.* Agit nempe contra quosdam qui pœnitentiam detrectabant et propter solam Christi fidem se fieri salvos confidebant absque clavibus Ecclesiæ; quos sic arguit: *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra ut sit solutus in cælo, et audeat sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur salutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominicæ vocis tonitruum contremiscit; non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Quid ad Galatas dicit Apostolus? Nonne talia enumerans eodem fine concludit: manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum-servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessiones, et his similia, quæ prædico vobis sicut et prædixi, quoniam quia talia agunt regnum Dei non possidebunt. Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur, et cum ipse in se protulerit severissimam medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites per quos illi claves in Ecclesia ministrantur, et tamquam bonus jam incipiens esse filius maternorum membrorum ordine custodito a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum; ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plage per pudorem addat tumorem.* — Ex illis autem verbis evidens est quod publica non agebatur pœnitentia, nisi cum peccata non solum in gravi committentium malo, sed etiam in magno erant aliorum scandalo, atque id expedire videbatur Antistiti. Sed si lege vel consuetudine ecclesiastica omnia peccata publicæ pœnitentiæ subjecta fuissent, ex Antistitum nutu et prudentia non dependisset alia peccata publicæ pœnitentiæ subjicere, alia per Ecclesiæ claves remittere.

URGEBIS: Omnia peccata quæ Legis Decalogus continet, et de quibus ab Apostolo dictum est *quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*, illi pœnitentiæ subiecit S. Augustinus, in qua *per ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis peccator separatur*: sed hæc pœnitentia est publica: ergo, etc. — **Distinguo minorem**: Pœnitentia in qua homo separatur ab Eucharistia secundum præscripta canonum et per Antistitum sententiam, *concedo*: in qua separatur ab Eucharistia sponte et ex propriæ indignitatis cognitione; vel etiam humiliter parendo privato Sacerdotis consilio vel præcepto, *nego*. Verba autem illa S. Augustini superius objecta: *in hac ergo pœnitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ.... postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis et Sanguinis Domini*, etc. Hæc inquam verba satis ostendunt S. Augustinum * sermonem facere, non de pœnitentia publica, et separatione a participatione Eucharistiæ, quæ fieret per Ecclesiæ Præsulum animadversionem, et sententiam in pœnitentes publicos; sed dumtaxat de ea, qua fidelis quisque se propter peccata tanto beneficio indignum judicans, propria sua ac privata sententia sese ab Altari revocabat, ob affectum humilitatis et devotionis. Est ergo aliqua peccatoris excommunicatio, quam Ecclesia non facit, sed ipse pœnitens; est et altera, qua pœnitens publice ob crimen per Ecclesiæ Prælatos excommunicatur. Utramque excommunicationem notat S. Augustinus, lib. 2. *De Civit. Dei*, cap. 9. cum ait, *Christianum ad reconciliationem currere, si forte per pœnitentiam. malamve conscientiam a Corpore Christi separatus est*. Nisi enim crederet aliquem a Corpore Christi separari, qui per illam pœnitentiam, iudicio Ecclesiastico, et sententia Sacerdotis excommunicatus non est, utramque illam, alteram pœnitentiæ, alteram malæ conscientiæ separationem non discerneret. — * “ Hæc etiam separatio ab Eucharistia consilio vel præcepto secreto sacerdotis apud quem peccata fuerant deposita interdum fiebat. Namque hæc viguit et viget etiamnum in Ecclesia disciplina, cujus periti probique confessarii observantissimi sunt, ut qui peccatis mortalibus inquinati sunt, et in ea interdum relabuntur, a communione Dominici Corporis aliquantisper arceantur, donec dignos pœnitentiæ fructus ostenderint, et salubri satisfactione fuerint purgati, nec tamen illis imponitur pœnitentia publica.

INSTABIS: Non solum excommunicatione illa secreta aut voluntaria, sed etiam solemnem et canonicam omne peccatum mortale vindicandum censuit S. Augustinus: ergo nulla est responsio. *Probatum antecessens*: excommunicatio qua plectebantur illi qui proprie in Ecclesia pœnitentes appellabantur, erat publica: sed hæc omnibus peccatis mortalibus post Baptismum commissis annexa erat. *Probatum ex S. Augustino*, Epist. 108. ad Seleucianam data, ubi triplicem distinguit pœnitentiam: prima est, *quam agunt homines ante Baptismum de suis prioribus peccatis*. Tertia est, *bonorum et humilium fidelium, pro illis peccatis quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt*. De secunda vero hæc habet: *agunt etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverint ut excommunicari et postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi qui pro-*

prie pœnitentes appellantur. Quicumque igitur talia peccata post Baptismum commiserat quæ sola oratione Dominica deleri non possent et ad tertiam speciem pœnitentiæ reduci, in numerum pœnitentium publice redigebatur, et publice primum excommunicatus, demum publice reconciliabatur. — **Respondeo**, omnia quidem peccata mortalia ad tertiam speciem pœnitentiæ reduci, quia annexam habent excommunicationem eo sensu acceptam, quo cam hic usurpat S. Augustinus pro sola separatione ab Eucharistia; non licet enim peccati mortalis reum ad sacram synaxim accedere, nisi prius fuerit reconciliatus. Igitur proprio peccato dici potest excommunicatus. Sed falsum est quilibet peccato mortali publicam imminere excommunicationem ex veteri Ecclesiæ disciplina. Nec id probat locus ille S. Augustini; scopus enim illius et finis est convincere Novatianum quemdã, de quo ad ipsum scripserat Seleuciana, quod negaret dari post Baptismum pœnitentiæ locum. Id ut probet S. Augustinus adducit omnium Ecclesiarum praxim et disciplinam, qua qui taliter peccaverunt, ut excommunicari et reconciliari mereantur, quales sunt omnes peccati mortalis rei, agebant pœnitentiam; cujus in exemplum profert quid erga pœnitentes publicos agebatur. Hoc enim notius erat exemplum et ad frangendam hominis Novatiani pervicaciam, qua præsertim contendebat graviora peccata irremissibilia esse. Sed qui unum in exemplum assumit, non negat aliud. Pœnitentia secreta minus nota erat illi hæretico, ideo illam speciatim non tetigit, sed etiam non exclusit. — Quod autem quolibet peccatum mortale excommunicatione purgandum non censuerit S. Augustinus hæc verba Enchiridii, cap. 65. ostendunt: *Sed neque de ipsis criminibus quantumlibet magnis in sancta Dei Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.* Ibi S. Augustinus statuit agendam esse pœnitentiam secundum modum cujuscunque criminis, idest gravioris peccati. Quod autem talis esse non debeat pœnitentia quæ fit pro criminibus quibuscunque, ut excommunicatione constare debeat, evidens est ex illa particula restrictiva, *ubi tale crimen admissum est*, etc. Ergo pro quolibet indifferenter crimine excommunicatio publice non ferebatur.

Porro quod revera pœnitentia publica non pro quibuslibet mortalibus peccatis, sed dumtaxat pro gravioribus et publicis injuncta fuerit, rem tamquam certissimam, et suo tempore doctrinam receptissimam tradit Hugo Victorinus, qui sæculo duodecimo vixit; nam tract. 6. c. 12. Summæ Sentent., ait: *Solemnis pœnitentia dicitur, quæ fit in manifesto extra Ecclesiam, scilicet quæ de gravibus peccatis tantum injungitur, et de iis manifeste Ecclesiam læserunt; et olim illa pœnitentia non iterabatur, et adhuc quidem in quibusdam Ecclesiis observatur, pro reverentia Sacramenti, nec injungitur illa solemnis pœnitentia iterum criminaliter peccanti, sed datur aliquod consilium.* Quod autem Hugo ait, illam non fuisse iteratam pro reverentia Sacramenti, non ideo existimat eam fuisse Sacramentalem, qualiter pœnitentia sacramentalis nunc accipitur, alioqui sacramentalis Pœnitentia tunc temporis iterata non fuisset; sed ideo pœni-

tentiam illam solemnem Sacramentum appellat, quia signum erat ejectionis illius, qua Adam ex Paradiso expulsus est; quemadmodum ille enim ex ipso delictorum hortulo ejectus fuit, ne vresceretur fructu ligni vitæ, ita pœnitens publicus ejiciebatur ab Ecclesia, ne Christi Domini Corpore et Sanguine saginaretur. — Idem apertissime docet Hincmarus Rhem. in tract. *De Divortio Lotharii, et Theubergæ*; nam inter. 5., sic loquitur: *A communione vivifica, scilicet Eucharistiæ, peccantes publice gravibus criminibus, quæ leges condemnant publice, medicinali ferramento Sacerdotes abscindunt, et post Satisfactionem, ut congruere viderint, salutari refectioe redintegrare procurant. Quoniam Ecclesiæ medici spirituales, videlicet Domini Sacerdotes, de secreta sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia, atque salubria possunt dare consilia: -judicio autem Ecclesiastico, idest, separatione a Communione Ecclesiæ, vel a gradu, sive a consortio conjugali, neminem rationabiliter possunt secernere, nisi de criminibus, aut publice sponte confessum, aut aperte convictum. Et habet modum, et ordinem suum Confessio, vel convictio in Ecclesiasticis gradibus, quæ hic ponenda non ducitur: et habet modum, ac ordinem suum publica Confessio, vel convictio sæcularium hominum, quo publice debeant judicari. Non quod crimina gravia non solvantur etiam secreta Confessione ac Pœnitentia, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas: sed quod plurimorum constat perpetratum notitia, fiat sanatum scientia, et qui in Ecclesia peccavit, per sinceritatem illi debitam exhibere studeat Satisfactionem, et qui plures quantum ex se fuit, suo destruxit exemplo, plures sanet humilitatis antidoto, sicut de se Paulus dicit: Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus. Et videbant, inquiens, quoniam qui prius expugnabant hanc fidem, idem nunc illam prædicat, et in me glorificabant Deum. Est etiam ut qui in pluribus offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citius remedium consequantur.* Idque probat ex Gregorij Epistola 32. lib. 13. ad Felicem Siciliensem Episcopum.

Ex his (inquit Bagotius, Dissert. 1. *De Pœn.*, cap. 10.) intelligitur temporis illius usus ac disciplina, atque imprimis ab Hincmaro agnoscitur duplex excommunicatio, altera mortalis, altera medicinalis; nec enim medicinale Sacramentum appellaret, nisi sciret aliud esse, quo membrum putre penitus abscinditur, non sanatur. *Secundo*, ait hoc pœnæ genere non animadverti, nisi in peccantes publice gravioribus criminibus, quæ leges condemnant publice. *Tertio*, id ita fieri vult, ut neget quemquam rationabiliter posse secerni, vel de gradu dejici, seu deponi, si Clericus est, vel excommunicatione plecti, si Laicus est, nisi de criminibus, aut publice sponte confessum, aut aperte convictum. *Quarto*, cum publica pœnitentia criminis publicam confessionem semper conjunctam fuisse ait, si ea Ecclesiastico judicio imperata fuit, ita tamen ut non fuerit eadem Clericorum, et Laicorum judicii, Confessionis, convictionisque ratio. *Quinto*, hanc criminum graviorum et publicorum pœnitentiam publicam distinguit a secreta Confessione et Pœnitentia, videlicet Sacramentali, quaque illa crimina gravia solvebantur, ita ut publica illa pœnitentia non esset instituta pro illorum solutione, seu remissione coram Deo, sed ob alia commoda, quæ recenset. *Sexto* tandem, tres Pœnitentiæ agendæ rationes, et causas

affert: *prima* est, ut tollatur Ecclesiæ scandalum, quodque plurimorum constat perpetratum notitia, fiat sanatum scientia: *secunda*, ejusdem Ecclesiæ ædificatio, et ut quos ille peccator exemplo suo destruxerat, quantum in se fuerat, eosdem atque alios plures sanaret suæ humilitatis antidoto, aut etiam a peccato simili detereret. *Tertia* est, ut pœnitens Ecclesiæ suffragiis citius remedium, et pœnæ, quæ exolvenda superest, remissionem acciperet. *Denique* Hincmarus insinuat, Sacerdotes de secrete sibi confessis peccatis salubria consilia dare posse, seu consulere, ut eorum rei spontaneam pœnitentiam illam agant, adeo ut probabile sit ibi eam, quam nos superius docuimus pœnitentiam publicam, alteram spontaneam, ac petenti concessam, alteram imperatam intelligi. Sed ut hæc probabilia sint, aut omnino dubia, id unum quod in questione positum est, certum ac exploratum efficitur, neminem rationabiliter secerni, aut publicæ pœnitentiæ subdijudicio Ecclesiastico posse, nisi peccante publice, et de gravibus criminibus, quæ leges publice condemnant, aut sponte confessum publice, aut aperte convictum. *Ita Bagotius.*

* “ DICES 5: Veteres Canones Pœnitentiam publicam imponunt graviorum criminum reis, nec distinguunt usquam inter crimina publica et occulta: atqui inter utraque distinxissent si occulta non fuissent subdita publicæ pœnitentiæ legibus: ergo occulta etiam pœnitentiæ publicæ legibus erant subjecta. — **Respondeo**, plures e veteribus Canonibus ad Pœnitentiam publicam peccata publica designare, ad occulta excludenda. Sic enim habet Canon 32. Concilii Carthaginensis tertii: *Cujuscumque pœnitentis vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem ei manus imponatur.* Mos enim erat veteris Ecclesiæ, ut publici pœnitentes ante absidem, hoc est, sedem episcopalem reconciliarentur per manus impositionem. Sed ritus ille observari mandatur tantum erga eos quorum vulgatissimum est crimen: ergo illi quorum crimina occulta sunt publicam Pœnitentiam non agebant. Quod si plurimi Canones distinctionem illam peccatorum publicorum et occultorum non fecerunt, eam consulto omiserunt, primo ut inutilem; omnibus enim notissimum erat Ecclesiam de occultis non judicare, neque posse secretum crimen per publicam Pœnitentiam contra sigillum Confessionis adduci in omnium notitiam aut suspicionem saltem. Secundo eam omiserunt distinctionem ut intelligerent pœnitentes peccata licet occulta esse gravissima, pœnasque sibi imponendas ex canonibus metiendas esse, eo solum prætermissio quod publicæ non essent.

DICES 6: Stare sine Communionem est publicam agere Pœnitentiam: sed peccatorum occultorum rei jubebantur stare sine Communionem. Probatur ex Car. 34. Epistolæ canonicæ S. Basili ad Amphilochem cuius hæc sunt verba: *Adulterio pollutas mulieres, et confitentem ob pietatem vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis causam mortis præbeamus; eas autem stare sine Communionem jusserunt donec impleretur tempus pœnitentiæ.* — **Respondeo**: *neq̄o majorem*: cum enim quilibet pro sua conscientia ad sacram synaxim accederet, necnon juxta conscientiam suam directoris secretum consilium, omnes qui sine Communionem stabant non censebantur publici pœnitentes: sed illi tantum qui ex sententia Antistitis

ab Eucharistia separabantur, vel jussu præpositorum pœnitentiæ ad solemnes publicæ pœnitentiæ ritus adigebantur. Id innuit pluribi S. Chrysostomus redarguens christianos qui ita vivere student ut inter publicos pœnitentes a sacrorum mysteriorum celebratione excludi non possint, nec tamen eam animæ puritatem acquirere ac servare satagunt, qua ad eorundem mysteriorum perceptionem admitti mereantur. Mulieres igitur secreto pollutæ adulterio stare poterant sine Communionem, nec tamen inter publice pœnitentes deputari. *Adde quod* illarum mulierum crimen juxta genuinum canonis sensum non erat omnino occultum. Illud enim non dicitur occultum de quo convinci quis potest: Canon autem notat adulteria de quibus mulieres convinci possent: hæc igitur occulta omnino non erant. Neque etiam occulta erant illa quæ sponte ob pietatem confitebantur; ibi enim non confessio secreta et auricularis, sed publica et quæ fiebat coram Antistite ejusque concilio seu coram presbyterorum senatu significatur. Hujus enim rei argumentum est quod Canon disjunctive eodemque sensu loquatur de confessione et de convictione adulterarum: sed convictio fiebat coram presbyterorum senatu: ergo et confessio. Id etiam indicant hæc verba: *confitentes ob pietatem*. Confessio enim illa publica fiebat ad majorem humilitatem firmissimamque pietatem amplexandi propositum. Confessio autem secreta non pietatis solum sed necessitatis erat, cum publica confessio non eligeretur. Quod autem decernit canon publicanda non esse hujusmodi crimina, hoc intelligendum est respectu totius populi cui revelare ea quæ in consensu Sacerdotum probata vel sponte declarata fuerant, cautum erat. Itaque hujusmodi adulteria, utpote partim publica, partim etiam occulta, etiam pœnitentiæ partim publicæ, partim occultæ subjicienda esse decernitur.

OBJICIES 7. Ex S. Ambrosio, lib. 2. *De Pœnitentia*, cap. 16. *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose Pœnitentiam egerit... volo veniam reus speret, petat cum lacrymis, petat cum populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret: et cum secundo et tertio dilata fuerit ejus communitio credat remissius se supplicasse.* — **Respondet**, Patres equidem occultos etiam peccatores ad humiliorem et luctuosiore Pœnitentiam sponte suscipiendam aliquando adhortasse, sed numquam coegisse. Hinc multi licet gravioribus criminibus non contaminati, ex humilitatis et severioris pœnitentiæ affectu inter publice pœnitentes aliquot dies aut menses juxta directoris consilium transigebant. Alii etiam gravioribus criminibus occultis rei inter eosdem aliquamdiu stabant, sed hoc fiebat eo consilio, eaque prudentia, ut nemo posset conjicere an ex solo devotionis affectu, an propter leve vel gravius crimen id oneris suscepissent. Hunc autem vigiuisse in Ecclesia morem constat ex facto Wambæ Gothorum Hispanorum regis, qui licet sanctitate insignis, et gravioribus criminibus immunis, Pœnitentiam publicam sibi imponi æger postulavit, eaque cum ex morbo convaluisset, perfunctus est, regno ad Ervigium principem translato, ut refert Concilium Toletanum duodecimum, Can. 1. et Lucas Tudensis. Eadem Ecclesiæ consuetudo probatur ex Concilio Toletano 13. Can. 10. quo Gaudenti Valeriensis episcopi respondent Patres: hic Pœnitentiam æger susceperat, illaque perfunctus, cum in pristinam sanitatem restitutus esset, dubitabat utrum sacerdotii et episcopatus sibi liceret

munia obire. Dubio episcopis Toleti congregatis proposito, visum est illis, *ut reconciliatione præmissa soliti Ordinis retineret officia. Si enim, inquit, regulæ præcedentium Patrum (concilii scilicet Toletani quarti, Can. 53.) eos qui Pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, et nulla de se manifeste scelera confitentur (si adsit tamen in his et talibus probitas morum) ad ecclesiasticos gradus pervenire permittunt, quanto magis ut hi qui in ipso Sacerdotio constituti Pœnitentiam accipiunt a sui Ordinis officio non retrahantur? Tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt.*” *

DISPUTATIO TERTIA.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

MIRUM nemini videri debet, quod præter usurpatam a nonnullis Recentioribus tractandi methodum, qui Sacramentum *Extremæ Unctionis* in extrema tantum vitæ periodo conferri solitum, omnium etiam Sacramentorum ordine postremo delineandum suscipiunt, nos vero tertio loco explicandum aggrediamur. Nedum enim ad hujus tractationis seriem stimulat illustriorum Theologiæ principum, maxime Sententiarum Magistri, ac Subtilis Doctoris agendi ratio; sed etiam imprimis provocat Concil. Trid., Sess. 14. ubi explanata Sacramenti Pœnitentiæ doctrina, statim ea tradit ac edocet, quæ spectant ad sacram Unctionem, qua morientes homines muniuntur, et ad æternæ beatitudinis portum, viam, et accessum sibi parant. Cujus utique usurpatæ methodi præclaram hanc subjungit rationem: *Visum est sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adungere ea, quæ sequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis: quod non modo Pœnitentiæ, sed et totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.* Quibus verbis luculenter significat, tantam esse utriusque Sacramenti opitulantis, vel peccato mortuis, vel vitæ morientibus confæderationem, ut merito sacra vitæ morientium Unctio videatur consummativum felix, ac illustre complementum salutaris pœnitentiæ, per quam peccato mortui novam in Christo gratiam induunt. Et sapienter quidem, nemo enim nescit Pœnitentiæ Sacramentum divinitus a Christo Domino institutum, ut peccatorum sordes, quas in hujus mortalis vitæ decursu homines contrahunt, eluere possint. Verum necessarium erat aliud remedium, quo homini in extremisposito, nec sibi jam per proprios actus succurrere valenti, concederetur sacra medicativa virtus, quæ nedum peccatorum ac morborum reliquias extergeret, sed et integram ac perfectam animæ sanctitatem restauraret. Id vero præstantissimum est Sacræ morientium Unctionis munus; nam ut præclare ait Trident., cap. 2. *Res et effectus hujus Sacramenti gratia et Spiritus Sanctus cujus Unctio delicta, si quæ sint expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Est et alia hujus Sacræ Unctionis cum Sacramento Pœnitentiæ collatio, quæ utriusque societatem et nexum ostentat. Quemadmodum enim per Pœnitentiam expungitur, ac solvitur peccatorum reatus, ita per Sacram Unctionem diluuntur illæ peccatorum reliquiae, seu infesta eorundem recordatio, quæ hominem in extremis positum angere solent, et cruciari; nam, ut ibidem loquitur Concil. Trid. *Unctio hæc ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert.* Non itaque ordine præpostero hujus Sacramenti explicationem elucidationi Pœnitentiæ Sacramenti adjungimus, utpote cum hæc duo sauciatae naturæ humanæ remedia in eundem finem ac scopum colliment; et quemadmodum Pœnitentiæ Sacramentum secunda est post naufragium tabula, qua fideles ad innocentiae portum in Ecclesia militante feliciter pertingunt, ita per Extremam Unctionem ad Ecclesiæ triumphantis, et

æternæ felicitatis portum, aspirante divinæ gratiæ aura, felici successu appellunt. — Porro cum pauca sint, quæ a Theologis de hujus Sacramenti doctrina in controversiam evocentur, idcirco præsentem Disputationem tribus dumtaxat Quæstionibus absolvemus, quarum *prima*, hujus Sacramenti existentiam, *secunda* illius-essentiam, *tertia* ejusdem effectus explicabit.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM EXTREMA UNCTIO REVERA SIT SACRAMENTUM.

NOTANDUM 1. Cum Hugone a S. Victore, lib. *De Sacramentis*, p. 15. cap. 1. in Ecclesia militante triplex esse sacram (oleum, et tria Unctionis genera, quibus fideles perungi solent, ac veluti consecrari: *primum* est, quo Catechumeni et Neophyti unguuntur in pectore, et inter scapulas, ad Sacramentum Baptismi percipiendum. *Secundum* est Chrisma, quo baptizati inunguntur ad recipiendam Spiritus Sancti plenitudinem in Sacramento Confirmationis; unde Hugo appellat illud *oleum principalis Chrysmatis*: Quia, inquit Magister Sententiarum, d. 23. *ea Unctione principaliter Paracletus datur; unde et propter abundantiam gratiæ duos liquores habet, oleum scilicet, et balsamum, oleum conscientiæ, et balsamum bonæ famæ. Chrisma vero græce, dicitur Unctio latine. Nec tamen omne oleum ad Unctionem sanctificatum Chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo: quo capita Regum et Pontificum unguuntur; quo etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, et Pontifex, per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Tertium vero olei genus, illud est quod dicitur oleum infirmorum, de quo dumtaxat hic futurus est sermo. — Fuit præterea apud fideles usitata alia celebris unctio, quæ adhiberi solebat ad curationem corporalem morborum, et demonum ejectionem, cujus quidem meminit Tertullianus, lib. *Ad Scapulam*, cap. 4. ubi refert Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, per oleum curasse Euhodææ procuratorem, necnon et Antoninum Imperatorem. Moris etiam hujus Christianorum, qui morbos oleo curabant, meminit B. Hieronymus in vita B. Hilarionis, quod agricolæ a serpentibus et venenatis animalibus percussi, accepto oleo ab illo benedicto vulnera sua ungentes, pristinae sanitati fuerunt restituti. Idem refert Ruffinus *Hist. Eccl.*, lib. 2. cap. 4. de Discipulis B. Antonii, et Sulpitius Severus in vita S. Martini, de muta, et paralytica oleo benedicto ab eo curatis. et Palladius de duobus Macariis similia refert. Ut prætermittam plures alios, quorum miracula per oleum recensentur 6. Voluminibus vitarum Sanctorum Surii, quos ex indicibus licebit petere. Sic pariter S. Didacus omnes ægrotos ad se curationis causa accedentes, oleo lampadis Ecclesiæ perungebat, et sic eorum languores, et infirmitates curabat. * “ Inde est quod christiani veteres ab ethnicis dicerentur *αλειπθαι*, idest unctores. Qua de re locus exstat eximius in Epistola Adriani imperatoris ad Servianum, in vita S. Saturnini, apud Vopiscum, ubi loquitur de Samaritanis, Judæis, et Christianis presbyteris et episcopis, quorum cum ibi mores explorasset, illos hac declamatione complecti velle visus est. Nullus ibi Samarites, nullus Judæorum archi-synagogus, nullus Christianorum presbyter qui non sit aruspex, mathe-*

maticus, aliptes. Samaritani aruspicinam forsân crediti sunt excolere, quia victimarum puritatem majori forsân præ aliis diligentia explorabant, vel quod eorum nomen, hebraice, quasi diligentes et intentos observatores notaret. Judæi mathesi et astrologiæ erant admodum dediti, et cum fatum agnoscerent, et in hominum voluntatem vim siderum admitterent, hinc est quod inter mathematicos ab imperatore jure potuerint recenseri. Quia vero Christianorum presbyteri unctionibus vacabant, eodem jure imperator illos aliptas esse memoravit, quia revera apud illos unctio erat frequentissima, et miracula quæ ad unctionem patrabantur maximam illis apud omnes famam conciliabant. * *

NOTANDUM 2. Extremam Unctionem, quæ infirmis periclitantibus in Ecclesia solet adhiberi, verum esse novæ Legis Sacramentum, varios hæreticos negasse. *Primo* namque illud aperte negarunt Waldenses, et Albigenes, necnon et cum eis Wicleffus, lib. 4. *Triologi*, cap. 25. ubi contendit hujusmodi cæremoniam non fuisse a Christo, vel ab Apostolis institutam. Ei subscribit Lutherus, lib. *De Captivitate Babylonica*, ubi sic in Catholicos Doctores loquitur: *Si unquam in Extrema Unctione, nunc præcipue deliratum est, figmentum est, ex hac Apostoli sententia: Si quis infirmatur in vobis, etc. a nobis oportere hominem inungi, cum non Sacramentum, sed figmentum sit.* Adstipulatur Calvinus, lib. 4. *Institut.*, n. 18. et sequentibus, ubi contendit, Unctionem a S. Jacobo memoratam, ad solam gratiam curationum pertinuisse, quæ dumtaxat viguit tempore Apostolorum. « Quæ, *inquit*, « unctio ab Apostolis usurpabatur in infirmorum sanatione, non ut « esset curationis organum, sed symbolum dumtaxat, quo imperitorum « ruditas admoneretur unde tanta virtus prodiret, ne scilicet ejus lau- « dem Apostolis tribuerent. Oleo autem significari Spiritum Sanctum, « ejusque dona, vulgare, ac tritum est: cæterum evanuit gratia illa « curationum, quemadmodum, et reliqua miracula, quæ ad tempus « voluit Dominus, ut novam Evangelii prædicationem in æternum « admirabilem redderet ». Idem sentiunt omnes horum Hæresiarcharum sectatores, qui duo dumtaxat cum eis, Sacramenta agnoscunt, Baptismum videlicet, et Eucharistiam, contra quorum errorem pugnandum erit in præsentî Quæstione.

NOTANDUM 3. Quod etsi plures Theologi asseruerint Extremam Unctionem esse revera Sacramentum, censuerunt tamen, illud non fuisse a Christo Domino institutum, sed tantum ab Apostolis. Ita præ cæteris Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, cap. supra laudato, necnon et Magister Sententiarum, in 4. dist. 23. et Seraphicus Doctor, ibidem part. 1. q. 2. ubi cum improbasset sententiam eorum, qui dicunt omnia Sacramenta a Christo fuisse instituta, subdit: « Et ideo « probabilius alii dicunt, et Magister videtur hoc sentire, imo aperte « dicit, quod Spiritus sanctus per Apostolos hoc Sacramentum insti- « tuit, sicut supra dictum est de Sacramento Confirmationis. Et quod « potuerit esse, manifestum est, cum ipse sit Doctor præcipuus, si- « cut et Christus. Et exemplo patet; quia Apostoli, Spiritu Sancto « dictante, formam Baptismi a Christo institutam et confirmatam, ad « tempus mutaverunt, quanto magis quod Christus insinuavit insti- « tuere potuerunt? Et quod ita fuerit congruum, manifestum est, si « attendatur diversitas Sacramentorum. Quædam enim sunt Sacra-

« menta communia Legi veteri et novæ, quædam propriissima Legi
 « novæ, quædam medio modo. Communia sunt illa, quæ sunt quo-
 « danmodo ex dictamine naturæ, quod quia semper idem manet, illa
 « Sacramenta ab initio cucurrerunt, ut Matrimonium, et Pœnitentia,
 « secundum quod Deo reconciliat, et hæc quidem Dominus Jesus
 « consummavit, et confirmavit in Lege nova, et non evacuavit. Quæ-
 « dam sunt propriissima Legi novæ, et hæc sunt, quæ signant gra-
 « tiam in tali statu, quæ proprie competit Legi novæ: hæc autem
 « duo sunt, Confirmatio, et Unctio, ubi signatur gratia Spiritus san-
 « cti secundum quam inungitur quis in pugilem, ut pro Christo
 « audeat mori, et in Regem, ut in regnum cælorum possit introire, tam-
 « quam in suum. Hoc est novæ Legis proprium, ideo in veteri Testa-
 « mento, non habuerunt certam figuram hæc duo Sacramenta. Et quia
 « signant Spiritus sancti gratiam in aliqua abundantia, et Spiritus
 « sanctus abundanter non fuit datus, quousque Jesus non glorificatus,
 « sicut dicitur Joan. 7. ideo hæc duo Sacramenta a Christo fuerunt in-
 « sinuata, sed post a Spiritu sancto fuerunt instituta. Quædam sunt Sa-
 « cramenta media, quæ in veteri Lege non fuerunt in veritate; fuerunt
 « tamen in figura, et significatione, sicut Baptisma, Eucharistia, et Or-
 « do. Et quia Christus legem implevit, et figuras evacuavit, hæc tria
 « Sacramenta per seipsam instituit. Sic patet quomodo congruentissime
 « statuta et instituta sunt Ecclesiastica Sacramenta, ut nihil sit ge-
 « stum per oblivionem, sed secundum inenarrabilem Dei dispensatio-
 « nem ». Duo itaque hic sunt statuenda: *primum*, quod Extrema Unctio
 sit Sacramentum: *secundum*, quod a Christo Domino fuerit instituta.

Conclusio prima. — EXTREMA UNCTIO, QUÆ SOLET ADHIBERI FIDELIBUS INFIRMIS, EST VERUM ET PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM. Hæc est de fide declarata in Concilio Cabilonensi celebrato temporibus Caroli Magni sub Leone III circa annum 818. c. 48, ubi decernitur: *Secundum B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam Decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent.* Et allegatis S. Jacobi verbis subdit: *Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.* Idem statuitur in Concilio Florentino, in Decreto Eugenii, ubi inter septem novæ Legis Sacramenta numeratur hæc Extrema Unctio. Idipsum pariter traditur in Concilio Moguntino celebrato anno Domini 1549. ubi cap. 34. sic de Extrema Unctione decernit: *Sacram Unctionem docent Pastores nostri, esse infirmorum, et eorum, qui ad vitæ exitum vergunt præsidium, et per Dominum traditam esse, quam ejus jussu primi Apostoli exercuerunt. Quæ dum per orationem fidei infirmis adhibetur, per divinæ virtutis operationem contra corporis infirmitates, et terrores conscientie, alleviationem, et charitatem rite summentibus præbet, leviora peccata tollit, et graviorum restantes reliquias expurgat, juxta Apostoli testimonium, et receptam consentientis Ecclesie doctrinam.* His accedit Synodus Constantiensis, nam Sess. 15. Martinus V decernit, ab eo qui de hæresi suspectus est, quærendum an credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, peccet mortaliter. — Verum omnium luculentissime et apertissime hanc veritatem

tradit Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 1. *De Extrema Unctione*, ubi ait: *Institutâ est autem sacra hæc Unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatam, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatam ac promulgatam. Et Can. 1. Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Probatur autem Conclusio; primo quidem: illud est verum ac proprie dictum Sacramentum, quod est signum visibile divinitus ac permanenter institutum, cui annexa est promissio gratiæ per illud conferendæ: sed Extrema Unctio tres illos habet characteres: igitur est verum et proprie dictum Sacramentum. *Major constat ex his, quæ diximus de Sacramentis in genere. Minor vero probatur auctoritate S. Jacobi, cap. 5. suæ Epistolæ, ubi ait: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus Apostoli verbis, tres declarantur conditiones ad Sacramentum desiderandæ. *Primo* namque est signum externum et sensibile, tum ratione materiæ, tum ratione formæ, cum dicitur: *Ungentes oleo in nomine Domini:* non secus ac cum de Baptismo dicitur: *baptizantes eos in nomine Domini,* ut utrobique significetur signum certum effectum suum consequens, ex virtute Dei. *Secundo,* apparet constitutio constans et permanens ex his verbis: *Infirmatur quis in vobis?* quæ verba absolute, et sine ulla temporis limitatione prolata diriguntur, non solum ad eos, ad quos suam Epistolam dirigebat S. Apostolus, sed etiam ad omnes omnino fideles futuros, utpote cum illa Epistola sit Catholica, hoc est, universalis, et omnibus Christi fidelibus inscripta. *Tertio,* habetur promissio gratiæ mediante illo ritu conferendæ his verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei.* Ubi duplex declaratur effectus Sacramenti: primarius quidem remissio peccati, ac subinde gratiæ infusio: non enim remittitur peccatum de via ordinaria sine infusione gratiæ: igitur Extrema illa Unctio habet omnes veri Sacramenti characteres.

REPOŒUNT HÆRETICI; primo quidem Unctionem, de qua loquitur S. Jacobus, fuisse tantum ad curationem corporum ordinatam per donum miraculorum, quod tunc vigeat in Ecclesia, ac subinde non fuisse verum Sacramentum. *Probant antecedens:* nam S. Jacobus non aliam præscribit faciendam Unctionem, quam eam, de qua loquitur S. Marcus, cap. 6. quando de Apostolis ad prædicandum missis refert quod *ungebant oleo multos cegros, et sanabant:* sed hæc Unctio tantum erat curativa, non autem Sacramentalis: ergo non alia est Unctio, de qua S. Jacobus loquitur. — **Verum contra,** Apostolus expresse asserit, per illam Unctionem revera fieri remissionem peccatorum: *Si in peccatis sit, inquit, remittuntur ei:* igitur non solum loquitur de curatione corporis per donum miraculorum, sed etiam de sanatione mentis per gratiæ infusionem, et remissionem peccatorum. *Ad probationem autem nego majorem:* siquidem Unctio, quam com-

mendat S. Jacobus, longe diversa erat ab ea, cujus meminit S. Marcus ut colligitur tum ex parte ministri, tum ex parte suscipientis, tum ex parte effectus. Ex parte quidem Ministri; nam Unctio, de qua loquitur S. Jacobus, fieri debet per Sacerdotes. illa vero, cujus meminit S. Marcus, fiebat per Apostolos, qui nondum erant Sacerdotes, quippe cum dumtaxat initiati fuerint, et constituti Sacerdotes Evangelii in nocte Cœnæ pridie quam Christus pateretur. Apparet etiam distinctio inter utramque Unctionem ex parte subjecti; siquidem Unctio, de qua loquitur S. Marcus, conferebatur indiscriminatim tam fidelibus baptizatis, quam infidelibus; imo præcipue instituta videtur propter infideles, ut nempe visis miraculis, quæ per illam Unctionem fiebant, facilius ad fidem pellerentur; *Signa enim*, inquit S. Paulus. 1. Cor. 14, *sunt non fidelibus, sed infidelibus*. Unctio vero de qua loquitur S. Jacobus, nonnisi fidelibus baptizatis debet adhiberi; siquidem solos fideles alloquitur Apostolus, cum ait: *Infirmatur quis in vobis?* unde etiam subdit: *Inluceat Presbyteros Ecclesie, etc. Tertio denique* discrimen inter utramque Unctionem apparet ex parte effectus: nam Unctio illa, cujus meminit S. Marcus, tantum ordinabatur ad curationem corporum, maxime vero ad fugandos dæmones ab energumenis, illa vero, cujus meminit S. Jacobus, ordinatur ad sanitatem animarum.

REPONUNT 2. S. Jacobum illis verbis, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*, non significare quod peccatorum remissio fiat ex divina promissione effectus illus Unctionis, sed solum quod Apostoli, sive Presbyteri utentes hac Unctione ad curationem morborum corporalium, infirmos prius admonebant, ut pœnitentiam agerent, monerentque eos, peccata plerumque esse causam infirmitatis, ac subinde illa esse per Pœnitentiam removenda ut radicitus agritudo evelleretur. — Sed contra, gratis concesso quod hæc ita sint, nullum inde sui erroris patrociniū habent hæretici, nec possunt exinde inferre, Extremam Unctionem non esse verum Sacramentum, quippe cum doceant, gratiam in Baptismate et Eucharistia non causari ex opere operato, sed tantum per fidem et pœnitentiam suscipientis, excitatam per vocem et predicationem Ministri conferentis Sacramentum. Adde quod hæc interpretatio omnino fictitia sit, utpote cum S. Jacobus ibi nec verbum quidem faciat de illa Ministrorum admonitione, quæ fidem et pœnitentiam excitare debeat in infirmo.

Probatur secundo Conclusio auctoritate et traditione veterum Patrum, qui hujusmodi sacræ Unctionis meminerunt. Inprimis namque eam insinuare videtur S. Dionysius Areopagita, cap. *De Ecclesiastica Hierarchia*, circa finem, ubi loquitur de unctione vivorum, quæ post Communionem fiebat, et hominem sanctificabat. Similiter Origenes, Homil. 2. in Leviticum, colligit ex præfatis S. Jacobi verbis, Sacerdotes novæ Legis habere facultatem remittendi peccata. Idipsum docet Tertullianus, lib. 1. *Contra Marcionem*, ubi mentionem facit Baptismi, Extremæ Unctionis, et Eucharistiæ, cum ait: *Christus nec aquam repræbavit, qua suos abluit, nec oleum quo suos unxit, nec mellis, et lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum suum Corpus repræsentat*. Habetur etiam apud Burchardum, lib. 18. cap. 11. Canon. Eusebii Papæ et Martyris, quo jubetur Sacerdos circa ægrotum officio linguæ privatum, *si Pœnitentiæ ejus testes adsint, et signa, perficere*

ea omnia, quæ circa alios fieri solent, idest, orationes dicere, et ungere eum sancto oleo, et Eucharistiam ei donare. — His consentit S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*, cap. 6. ubi hoc Sacramentum quoad effectum comparat cum Baptismo, dum inter alia Sacerdotum dignitatem commendans, ait: *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Quod utique confirmat ex prædictis Jacobi verbis. Sanctus etiam Augustinus, lib. 5. *De Baptismo*, cap. 20. quatuor agnoscit Sacramenta novæ Legis, nempe Baptismum, Extremam Unctionem, Eucharistiam, et Pœnitentiam, ait enim: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio. ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponuntur? Nimirum per reconciliationem.* Et Serm. 215. *De Tempore*, ante medium, Extremæ Unctionis usum et effectum Sacramentalem commendat, his verbis: *Quoties infirmitas aliqua supervenerit, Corpus et Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, et inde (seu deinde) corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur quis ex vobis, etc.* Et expressius Auctor Tractatus *De rectitudine Catholicæ fidei*, inter ejus opera Tom. 9. *Qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat. Eucharistiam cum fide et devotione accipiat, oleumque benedictum ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungetur, et secundum Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum.* Item Innocentius primus Augustini contemporaneus, et ab eodem, necnon a Chrysostomo et Hieronymo mirifice commendatus, interrogatus a Decentio Eugubino Episcopo, utrum Extrema Unctio danda esset pœnitentibus, quibus cætera Sacramenta negabantur, sic respondet in Epistola ad ipsum scripta, cap. 8. *Pœnitentibus istud infundi non potest (oleum scilicet Extremæ Unctionis) quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Petrus Damianus, Serm. 1. in dedicatione Ecclesiæ: *tertium*, inquit, *Sacramentum est Unctio infirmorum.* Demum S. Bernardus in *Vita Sancti Malachiæ*, circa finem, refert illum, in fine vitæ hoc Sacramentum postulasse. *His adde consensum Ecclesiæ Græcæ cum Latina, quæ Extremam Unctionem inter novæ Legis Sacramenta numerat: unde Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ, cap. 29. Extremam Unctionem verum esse Sacramentum agnoscit, scribit enim: peccatorum remissionem, et ultimum olei Sacramentum perficit Sacerdotum oratio, quod utique Apostolicam traditionem habere ait, idque probat ex supra dictis S. Jacobi verbis.*

Denique hanc veritatem ratione probat Doctor, dist. 23. n. 2. *Primo* quidem, quia possibilis fuit Deo instituere signum efficax, quo homini in extremis jacenti remitterentur peccata venialia: *secundo*, quod hæc institutio fuerit congrua: *tertio*, quod sit peracta. Primum sic probat: « Possibile est, inquit, Deum finaliter remittere venialia: ergo possibile est sibi institui signum efficax istius remissionis. *Consequentia patet*, quia possibile est, hominem instituere signum efficax practicum cum cujuscumque operis sui: ergo multo fortius est Deo possibile; « et ita potest quodcumque signum sensibile, cujus institutio non includit contradictionem, instituere tamquam signum practicum efficax

« istius effectus. Hoc etiam congruum est, recessurum scilicet ab hac
 « vita, finaliter a venialibus absolvi, quia ista non remissa essent im-
 « pedimentum gloriæ consequendæ, et non remissa possent esse usque
 « ad exitum, quia peccator quasi continue peccat talibus peccatis. Hoc
 « etiam factum est. *Probat*ur ex illo verbo Jacobi 5. *Si in peccatis est,*
 « *remittentur ei;* non intelligit de mortalibus, quia hæc non remit-
 « tuntur, nisi in Baptismo, vel Pœnitentia: ergo de venialibus ». —
 Aliam rationem hujus institutionis profert Concilium Tridentinum
 initio doctrinæ de Sacramento Extremæ Uctionis, quam utique re-
 petit ex imminente periculo ac impendente hominibus in extrema vitæ
 periodo constitutis: tum ex timore divini Judicii, tum ex dæmonum
 tentationibus diutius ac durius tunc temporis infestantium. Ait autem:
Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore co-
luit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse
prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis pra-
paravit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent ab omni
graviori spiritus incommodo possint, ita Extremæ Uctionis Sacra-
mento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit:
nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam querat et
captet, ut decorare animas nostras quoquo modo possit, nullum ta-
men tempus est, quo vehementius ille omnes versutiae suæ nervos in-
tendant ad perdendos nos pœnitus, et a fiducia etiam si possit mise-
ricordiæ divinæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ
perspicit.

OBJICIUNT HÆRETICI, primo quidem, ritum illum unguendi desum-
 ptum fuisse partim ab hæreticis Valentinianis, partim ab ethnicis, ut
 docet S. Irenæus, lib. 1. cap. 18. igitur non videtur usurpandus a
 fidelibus. — **Respondeo primo negando antecedens;** Valentiniani
 namque, ut observat S. Epiphanius hæresi 37. ungebant oleo, et aqua
 permixta, non quidem moribundos, sed mortuos, ut talis unctio eis
 pro Baptismo prodesset, ad idque adhibebant quædam verba hebraica,
 et inaudita, quibus terrorem, aut stuporem audientibus ingererent;
 ethnici pariter non ungebant morientes, sed jam vita functos; ac su-
 binde sacer Extremæ Uctionis ritus nihil commune prorsus habet
 cum illis profanis unctionibus. *Adde quod non abjicienda videri de-*
beat sacra Unctio, quia illam ethnici usurparunt, alioquin respuendus
etiam esset Baptismus, quippe cum ethnici mortuorum corpora bapti-
zare, sicut et ungere solerent.

OBJICIUNT 2. Sacramenti virtus et efficacitas, ut diximus, nulla-
 tenus pendet a fide Ministri: sed virtus Extremæ Uctionis petitur ab
 ipsa Ministri virtute, et fide; ait enim sanctus Jacobus: *Oratio fidei*
salvabit infirmum, quibus denotat salutem et sanitatem per hanc un-
 ctionem consequendam, oriri ab efficacitate orationis et fidei Mini-
 stri. — **Nego minorem;** nec id significat Apostolus: siquidem ibi non
 est sermo de fide Ministri, sed Ecclesiæ, in cujus fide Sacramenta
 administrantur. Per orationem fidei in præcitis verbis non debet
 intelligi fides Ministri subjectiva, sed objectiva, quia nimirum oratio
 adhibita a Ministro ad hoc Sacramentum conficiendum, Verbum Dei
 contineri, et mysterium fidei, quod saltem objective debet Minister in
 mente præhabere, dum infirmo hoc ministrat Sacramentum, quo sensu

etiam fidem habere debet in aliorum administratione, hoc est intentionem faciendi quod Ecclesia intendit.

OBJICIUNT 3. Sacramenta novæ Legis instituta sunt, vel ad remissionem peccati, vel ad collationem gratiæ sanctificantis: sed ad neutrum juvat Unctio Extrema: igitur non est novæ Legis Sacramentum. *Major patet ex dictis de Sacramentis in communi. Minor vero probatur: Extrema Unctio non ordinatur ad remissionem peccati originalis, quia jam supponitur remissum per Baptismum; neque actualis mortalis, quod deletur per Pœnitentiã; neque venialis, quod nedum per Pœnitentiã, sed etiam per plura alia remedia et media potest expiari; nec etiam ordinatur ad collationem gratiæ, quia prima gratia confertur, vel per Baptismum, vel reparatur per Pœnitentiã; secunda autem tribuitur per susceptionem Eucharistiæ, ac subinde ad id inutilis est Extrema Unctio. — Nego minorem, et ad ejus probationem dico, Extremam Unctionem ordinari tum ad remissionem finalem venialium, tum pariter ad augmentum gratiæ finalis, quem utique effectum cætera Sacramenta non præstant eodem modo, ut dicemus q. 3.*

OBJICIUNT DENIQUE; Si aliquid esset hujus rationis fundamentum, peteretur maxime ex Epistola S. Jacobi: sed hæc auctoritas nullius est momenti; quippe cum Epistola illa sit dubiæ fidei, nec certo constet, eam a S. Jacobo fuisse scriptam: igitur, etc. — **Nego minorem:** illam enim Epistolam inter Canonicas Scripturas reponunt nedum Concilia Laodicense, can. 59. Milevitanum, can. 7. Carthaginense quartum, cui subscribit S. Augustinus, can. 47. et Florentinum, ac Tridentinum, sed etiam SS. Patres, maxime S. Athanasius in Synopsi, Hieronymus, Epist. ad Paulinum, Augustinus, lib. 2. *De Doctrina Christiana*, et plures alii, quos laudat Hiquæus noster in Commentario ad distinct. 23. n. 6.

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS FUIT IMMEDIATE A CHRISTO DOMINO INSTITUTUM, IDQUE POST SUAM RESURRECTIONEM. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum

Primam tradit Doctor, dist. 23. u. 7., ubi ait: *Dicitur hoc Sacramentum fuisse institutum a Christo.... Jacobus autem non erat nisi promulgator, sive præco hujus Sacramenti a Christo instituti.* Idipsum aperte docet Concil. Trident. Sess. 7. *De Sacramentis in genere*, Can. 1. ubi ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Et Sess. 14. Can. 1. *De Extrema Unctione: Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, a B. Jacobo promulgatum.... anathema sit.*

Cui utique veritati etiam ratio Theologica suffragatur, tum quia Apostolicam et omnem creatam auctoritatem excedit facultas instituendi Sacramenta, quia solius Dei est adhibere signum efficax, ad cujus positionem et applicationem infallibiliter gratia conferatur: tum quia cum Christus fuerit immediatus fundator Ecclesiæ, ita conveniens fuit, ut esset immediatus auctor et institutor omnium Sacramentorum: quare sicut in potestate Petri aut Jacobi non fuit condere novum articulum fidei, ita ad eorum potestatem non pertinuit novi Sacramenti institutio, sed eorum tantum, quæ instituta sunt, dispen-

satio, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Tum denique*, quia non est potior ratio, cur Sacramentum istud non fuerit immediate a Christo institutum, æque ac cætera Sacramenta, maxime cum hoc ordinetur ad remissionem peccati, solius autem Dei proprium est peccata dimittere. *Adde quod* si Christus conferre debuisset alicui Apostolorum virtutem instituendi hoc Sacramentum, nulla apparet ratio cur eam facultatem fecisset potius Jacobo, quam vel Petro Ecclesiæ visibili Capiti, vel toti Collegio Apostolico. Nec obstat quod solus S. Jacobus ex Apostolis de tali Sacramentali Uctione sermonem faciat; non enim de ea loquitur tamquam institutor et auctor, sed dumtaxat ut illius promulgator et præco, qui primus Sacramentum istud scripto promulgaverit, quod prius viva voce ab aliis dumtaxat fuerat promulgatum. — Quod igitur post Hugonem a S. Victore Magister Sententiarum asserit, ab Apostolis institutum esse hoc Sacramentum, id non accipiendum est, inquit Estius, dist. 23. § 3. de prima illa institutione, qua lex aliqua, seu quodcumque decretum Legislatoris, seu Principis auctoritate ac potestate conditur; sed de legis seu decreti promulgatione, non quomocumque, sed quasi primus hominum scripto tradens et commendans hoc Sacramentum posteritati; quo sensu dici potest aliquo modo hujus Sacramenti institutor. Sic enim legimus a Romanis Pontificibus instituta quædam fuisse, velut a Lino, ne qua mulier, nisi velato capite in Ecclesiam introiret, ab Alexandro, ut tantummodo panis et vinum aqua mixtum in Missa offerretur, a Victore, ut sacrum Pascha die Dominico celebraretur, et ab aliis alia, quæ tamen partim divinæ, partim Apostolicæ sunt institutionis. Sed quia ab his Pontificibus lege scripta promulgata sunt, aut cum neglecta essent, in usum revocata, ab iis instituta dicuntur. Certe non magis dici potest, Jacobum hoc Sacramentum proprie instituisse, eo quod ejus quasi legem in Epistola sua scripserit, quam dicendum sit Petrum instituisse Baptismi Sacramentum, quando in prima sua concione, quasi præcipiens dixit ad populum, Actor. 2: *Baptizetur unusquisque vestrum*, etc. Sed sicut hic nuda promulgatio fuit cum adhortatione et commendatione Sacramenti, sic et ibi. Ita Estius.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod Sacramentum Extremæ Uctionis dumtaxat fuerit institutum post Christi Domini Resurrectionem: *tum quia* hoc Sacramentum supponit in Ministris potestatem remittendi peccata, necnon et auctoritatem Episcopalem, per quam benedicatur oleum, ut sit materia debita et apta hujus Sacramenti: at Christus Dominus potestatem plenariam ad remittenda peccata tantum contulit Apostolis post suam Resurrectionem, cum nempe iis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: tum quia* Sacramentum Extremæ Uctionis est completivum et consummativum Sacramenti Pœnitentiæ, ejusque effectum supponit quantum ad remissionem peccati mortalis, ac subinde conveniens fuit, quod ejus institutio supponeret institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tantum facta est post Resurrectionem: *tum denique* quia cum hoc Sacramentum sit proxima dispositio ad gloriam consequendam, nulla apparet necessitas illud instituendi, quam eo tempore, quo ad æternam felicitatem hominibus patere debebat aditus per triumphalem Christi Ascensionem.

DICES: Concilium Tridentinum, cap. 1. De Extrema Unctione, dicit hoc Sacramentum fuisse insinuatum Marci 6. ubi de Discipulis a Christo ad concionandum missis legimus, *quod ungebant oleo multos ægros, et sanabant*: sed hæc designatio fuit vera institutio; siquidem ibi designatur hujus Sacramenti materia, nempe oleum, et subjectum, nempe ægrotus, et effectus, videlicet restituta sanitas: igitur, etc. *Confirmatur* auctoritate Doctoris, qui in 4. dist. 23. q. 1. n. 5. loquens de Extrema Unctione, ait: « Dicitur quod Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis?* etc. instituta sit, sed licet ibi promulgaverit illud Sacramentum, est melius dicere, quod fuerit institutum a Christo: legimus enim Marci 6. quod Apostoli ungebant oleo multos infirmos, et sanabantur: constat autem, quod hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam Unctionem virtuosam ». Quibus verbis Doctor significat, hoc Sacramentum tunc temporis fuisse institutum. — **Nego minorem**; unctio enim illa, quæ utebantur Apostoli Marci 6. *non tam* ordinabatur ad salutem animæ, quam ad sanitatem corporis, ac subinde non erat proprie Sacramentalis. *Insuper* fiebat ab Apostolis antequam essent Sacerdotes. *Denique* indiscriminatim omnibus tam fidelibus et baptizatis, quam infidelibus et non baptizatis conferebatur. Unde quando Concilium Tridentinum ait, hoc Sacramentum fuisse insinuatum apud Marcum, solum vult tunc illud fuisse adumbratum et figuratum; eo videlicet modo, quo Christi Domini Baptismus fuit adumbratus in Baptismo Joannis, quia hic fuit illius umbra et figura. *Ad confirmationem dico*, Doctorem eo loco dumtaxat loqui in communiore tunc temporis Auctorum sententia, qui contendebant, Extremam Unctionem non a S. Jacobo, sed a Christo Domino fuisse institutam, utpote cum eam Christus Dominus designaverit Marci 6. sive interim eam ibi Christus instituerit, sive dumtaxat postea, de quibus ibi non agit Doctor. Quod autem hæc nostra assertio ipsius doctrinæ consonet, patet ex dist. 24. ubi n. 2. ait: *Quod Sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, scilicet conficiendi Eucharistiam, et absolvendi Penitentem, quæ non sunt una potestas, quia una videtur prior fuisse altera; cum in Cæna contulit Deus primam, secundam autem non nisi post Resurrectionem*. Joan. 20. Cum igitur sentiat Doctor, Christum Dominum non contulisse Apostolis in nocte Cænæ integrum et totale Sacerdotium, sed partiale tantum, nimirum potestatem supra suum Corpus verum et reale consecrandum, non autem potestatem supra corpus mysticum, quantum ad remittenda peccata, quam utique potestatem Apostoli dumtaxat receperunt, Joan. 20. et post Christi Resurrectionem, inde fit consequens, eum pariter docere, quod Extrema Unctio dumtaxat post Resurrectionem fuerit instituta, quippe cum illa ordinetur ad remissionem peccati. *Nec obstat*, quod Evangelistæ non meminerint distincte et expresse illius institutionis, sicut et aliorum Sacramentorum; idcirco enim aliquorum Sacramentorum institutionem commendant ac recensent, quoniam illa spectant vel ad salutem, vel ad salutis necessitatem, vel ad Ecclesiæ dispositionem et statum, illiusque ab aliis distinctionem: Sacramentum autem Extremæ Unctionis non est ad salutem absolute necessarium, nec ad Ecclesiæ statum et dispositionem. Idcirco mirum videri non debet, quod expressam illius institutionis mentionem non fecerint Apo-

stoli; judicarunt quippe ad id sufficere Traditionem, sive scriptis, seu viva voce promulgatam. Constat enim, Christum Dominum ore tenus Ecclesiae suae per Apostolos plura praescripsisse, ut colligitur ex primo capite Actorum, ubi dicitur Christum per quadraginta dies Discipulis apparuisse, et cum eis convescentem de regno caelorum locutum fuisse, instrumentem et erudientem eos de omnibus ad Ecclesiae gubernationem pertinentibus. *Adde quod*, multa etiam sunt a Christo praescripta, et ab Apostolis praedicata, quae scripta non sunt; nam Andreas, Thomas, Bartholomaeus plura praedicaverunt, et non scripserunt: Extrema autem Unctio non tantum fuit ab Apostolis praedicata, sed etiam a Jacobo scripto consignata et promulgata, quae scriptio praesupponit hanc Sacramentalem Unctionem fuisse a Christo ore tenus institutam, et ab Apostolis praedicatam.

QUAESTIO SECUNDA.

QUAENAM SIT MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

NOTANDUM I. Seu potius revocandum ex jam pluries dictis, duplicem esse Sacramentorum in usu rei sensibilis consistentium materiam, remotam videlicet, et proximam. *Remota* est id quod assumitur, ut sit signum sensibile gratiae per Sacramentum conferendae: sic aqua naturalis dicitur materia remota Baptismi. *Proxima* vero est ejusdem rei applicatio, et usus; sic in Baptismate, ablutio actualis censetur materia proxima. Porro conveniunt omnes Catholici, materiam remotam Sacramenti Extremæ Unctionis esse oleum olivarum ab Episcopo benedictum; ita namque definit Concilium Florentinum in Decreto unionis, necnon et Tridentinum, cap. 1. *De Extrema Unctione*, ubi ex verbis S. Jacobi colligit, quod ex Apostolica Traditione Ecclesia didicit, ac docet materiam, formam, proprium Ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti: *intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam Unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur repraesentat.* Hoc ipsum significavit S. Jacobus, cum ait: *Urgentes eum oleo*; quamvis enim non exprimat speciem illius olei, attamen hoc loquendi modo intelligitur oleum commune et usuale, quod est solum oleum olivarum, ut expresse in Decreto Eugenii declaravit Concilium Florentinum. Unde Catechismus Romanus agens de Extrema Unctione, n. 9. dicit, oleum illud esse *liquorem, non ex quavis pingui et crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressum*; unde subdit: *Aptissime autem haec materia illud significat, quod in Sacramento interius in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit; ita Sacramento virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumen tamquam pabulum praebet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.* Difficultas autem est, an oleum istud debeat esse ita necessario ab Episcopo benedictum, ut ad id non sufficiat simplicis Sacerdotis benedictio.

NOTANDUM 2. Omnes pariter Theologos convenire, materiam proximam Extremæ-Uncionis, esse Uncionem ipsam, seu applicationem ipsius olei, ut constat ex præfatis verbis Concilli Tridentini, imo etiam ex verbis S. Jacobi: *Ungentes eum oleo*. Cui pariter veritati ratio theologica suffragatur: Sacramenti enim, quod est in usu, materia, nihil aliud est, quam ipsemet usus, aut applicatio remotæ materiæ ad subjectum idoneum: at Extrema Unctio non consistit, sicut Eucharistia, in materia permanenti, sed sicut Baptismus, et Confirmatio in usu; nullus autem potest esse alius usus in Extrema Uncione præter Uncionem, per quam oleum applicatur subjecto idoneo: ac subinde actio ipsa est materia proxima hujus Sacramenti. Porro Concilium Florentinum requirit septem hujusmodi Unciones: *primam* in oculis propter visum: *secundam* in auribus propter auditum: *tertiam* in naribus propter odoratum: *quartam* in ore propter gustum: *quintam* in manibus propter tactum: *sextam* in pedibus propter gressum: *septimam* in renibus propter delectationem ibi vigentem. Quamvis autem utraque manus sit ungenta, tamen hæc duæ Unciones pro una accipiuntur. Et idem est de oculis, naribus, et pedibus. Quæritur autem, utrum illæ septem Unciones sint absolute necessariae ad integritatem et validitatem hujus Sacramenti; utrum vero aliquæ legitime possint etiam citra casum necessitatis omitti.

NOTANDUM 3. Formam hujus Sacramenti variam proferri; nam communis apud Latinos concipitur in his verbis: *Per istam sanctam Uncionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*, vel per alium sensum, cui ipsa unctio adhibetur. Quæ utique forma traditur in Decreto Eugenii, et ab universali Ecclesia in praxi est. Nonnullæ tamen aliæ proferuntur formæ hujus Sacramenti usitatæ ab aliquibus Ecclesiis; nam Ecclesia Mediolanensis temporibus S. Ambrosii utebatur hac forma indicativa: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates*. Ita refert S. Bonaventura, dist. 23. art. 1. q. 4. cui affinis est illa forma, quam habet liber Sacramentalis Venetorum confirmatus per Leonem decimum, ubi forma Extremæ Uncionis exprimitur his verbis: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aëreas catervas, in nomine Patris, etc.* — Similiter antiquum Rituale, quod laudat Menardus observationibus ad Gregorii Sacramentarium adjectis: *Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, per Dominum nostrum Jesum Christum. Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quidquid delectatione noxia auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet. Ungo has naves de oleo sacro, ut quidquid noxium contractum est odoratu superfluo, ista mundet medicatio. Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa, vel criminosa peccati locutione, divina clementia miserante, expietur hac unctione, etc.* — Et in Codice antiquo Halitgarii, qui vixit circa annum Domini 820 talis reperitur forma (ut habetur Herbipoli in Bibliotheca Patrum Societatis Jesu, teste Nicolao Serario): *Ungo te de oleo sanctificato, ut more militum, et præparatus ad luctamen, aëreas possis superare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non*

lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, sed operetur in eum virtus Christi Filii Dei Altissimi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. — Tandem Arcudius, lib. 5. cap. 5. hanc refert usitatam a Græcis formam: Pater sancte, Medice animarum et corporum, qui misisti unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum sanantem, et a morte liberantem, sana quoque hunc servum tuum a corporali, spiritualique infirmitate, qua continetur, et vivifica eum per gratiam Christi tui, potentia pretiosæ et vivificæ crucis, precibus sanctissimæ Domine nostræ Deiparæ Mariæ semper Virginis, patrociniis honorabilium incorporearum cælestium, divinarum Virtutum, honorandi gloriosi Prophetæ Præcursoris, et Baptistæ Joannis, Sanctorum clarorum ac celebratissimorum Apostolorum, sanctorum, gloriosorum, ac egregiorum victorum Martyrum, sanctorum ac Dei servorum Patrum nostrorum, sanctorum sanandi vim habentium, ac mercedem pro sanitate collatam non acceptantium, Cosmæ et Damiani, Cyri atque Joannis, Pantaleonis ac Hermolai, Serapionis ac Diomedis, Photii, et Aniceti, sanctorum atque justorum Dei genitorum Joachim et Annæ, omniumque Sanctorum. Quoniam tu Deus noster es fons curationum, tibi que gloriam offerimus, Patri, Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Quæritur autem quænam illarum formarum sit præferenda.

Conclusio prima. — MATERIA LEGITIMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS EST OLEUM OLIVARUM AB EPISCOPO BENEDICTUM; NON TAMEN ITA NECESSARIO, QUIN EX DISPENSATIONE EPISCOPI, VEL SUMMI PONTIFICIS A SIMPLICI SACERDOTE POSSIT BENEDICI. Hæc est communior quantum ad tres partes, quarum

Prima, nempe quod materia hujus Sacramenti debeat esse oleum olivarum, jam constat ex primo Notabili; id siquidem apparet ex constanti Ecclesiæ Traditione, ac Conciliorum definitione, colligiturque ex Epistola S. Jacobi, ubi ait: *Ungentes eum oleo.* Cujus utique alia ratio non suppetit a priori, quam Christi Domini voluntas et institutio, quæ nobis per Ecclesiæ sententiam et praxim numquam immutatam innotescit. Colligitur vero a posteriori ex convenientia et analogia olei cum effectu Extremæ Unctionis; oleum enim dolores mitigat, ægritudinem lenit, confert claritatem, robur membris conciliat, luminis est fomentum, et lætitiæ ac pinguedinem in Scriptura designat. Unde Théophylactus in 6. caput Marci: *Sicut oleum, inquit, et ad labores utile, et lucis fomentum, et hilaritatis est effectivum. ita et Dei misericordiam, et gratiam Sancti Spiritus, per quam a labore liberamur, et lucem, et gaudium, hilaritatemque spirituales, quam accipimus, significat.* Quæ omnia, ut supra notavimus ex Catechismo Romano, mirum in modum conveniunt Extremæ Unctioni. — *Nec obstat,* ut diximus, quod S. Jacobus non dixerit, ungentes oleo olivarum; enimvero oleum simpliciter dictum, ex vi vocis, et in communi modo loquendi significat oleum solum, quod ex baccis olivarum exprimitur: quemadmodum cum aqua dicitur materia Baptismi, intelligitur aqua naturalis, et elementaris; et cum dicitur, panem et vinum esse Eucharistiæ materiam, ex vi communis locutionis et significationis, in-

telligitur panis triticeus, et vinum ex vite. *Observandum tamen*, oleum purum non ita esse materiam necessariam huic Sacramento, quin si admisceretur aliquid balsami, materia illa foret invalida; dummodo per talem mixtionem, olei natura, vel ipsius usus communis non corrumpatur; sicut enim mixtio aquæ, vel alterius liquoris vini naturam non corruptentis, non impedit quin sit legitima materia calicis consecrandi, ita nec mixtio balsami alteriusve liquoris, olei naturam non destruentis, materiam Extremæ Unctionis non destruit. — *Nec his obstat*, quod glossa in Canonem 2. dist. 95. asserat Chrisma sufficere ad Extremam Unctionem; nec quod Innocentius primus, Epist. ad Decentium, capite 8. significet, Extremam Unctionem fuisse solitam fieri Chrismate. *Respondeo* enim tam glossam, quam Innocentium nomine *Chrismatis* intelligere unctionem, seu designare materiam proximam, non vero remotam hujus Sacramenti; Chrisma enim Græce, Latine unctionem significat. Unde in Pontificali Romano, cum benedicitur oleum infirmorum, illud appellatur Chrisma: *Ut sit*, inquit, *chrisma tuum perfectum, Domine, nobis*. — Nec his contradicit Doctor, cum ait dist. 23. n. 5. *Non oportet ibi esse aliquid confectum ex oleo, et balsamo, ut in materia Confirmationis, quia Confirmatio est ad confessionem, et confirmationem fidei: et ideo in confirmato requiritur non tantum puritas conscientiæ significata per oleum, sed odor bonæ famæ significatus per balsamum: sed hic qui habet exire in brevi de vita ad terminum, sufficit conscientia pura*. Quibus verbis Doctor solum significat, non esse necessarium quod admisceatur aliquid balsami, nec aliud; etiam probat congruentia, quam adducit, certum enim est Chrisma significare nitorem conscientiæ, atque ideo illam balsami mixtio efficaciam et significationi hujus Sacramenti non derogat.

Probatur secunda pars, nempe quod oleum necessario debeat esse benedictum; id enim expresse decernitur in Conciliis supra laudatis, necnon docetur ab Innocentio tertio, Epist. citata ad Decentium; quam utique praxim venerabilis Beda in cap. 6. Marci docet ex Traditione Apostolica derivari: *Patet*, inquit, *ab ipsis Apostolis hujus sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato*. Cujus utique praxis hanc rationem subjicit Doctor n. 5. *Consecratio autem Episcopalis est necessaria ad hoc ut sit materia apta: quia communiter in Sacramentis consistentibus in usu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu mundissimæ carnis suæ, quando voluit a Joanne baptizari, totam consecravit, hoc est, in usum istum dedicavit*. Aliam rationem subministrat Seraphicus Doctor, dist. 23. art. 1. q. 3. *petitam ex parte finis hujus Sacramenti; quoniam hic, inquit, datur gratia sanans languores spirituales, et datur gratia ordinans ad sanitatem perfectam, quæ quidem est gloria; ideo debet signari per oleum, quod est curativum, ratione curationis; et per oleum consecratum ratione ordinationis ad supereminentem curationem; et per oleum simplex, non permixtum: quia ad ingressum in gloriam requiritur, et sufficiens est bona conscientia*.

DICES: Sanctus Jacobus solum dicit: *Unctes eum oleo*, non vero addit *oleo benedicto*: igitur oleum simplex et naturale est essentialis et sufficiens materia hujus Sacramenti. — **Nego consequentiam**; licet

enim explicite et evidenter S. Jacobus non significaverit, oleum illud debere benedici, sufficit, quod id colligatur ex Apostolica Traditione, ad nos per assiduam Ecclesiæ praxim derivata; neque enim materia distincta omnium Sacramentorum expresse traditur in Scriptura sacra, sed ex Apostolica Traditione, et Ecclesiæ praxi colligitur.

URGEBIS: Non aliter ratiocinandum est de materia Extremæ Unctionis, quam aliorum Sacramentorum: sed ideo colligimus materiam Baptismi esse aquam naturalem, etiamsi non sit benedicta, quia ad Baptismum Scriptura dumtaxat significat aquam requiri, nulla facta mentione prærequisitæ benedictionis: igitur idem dicendum de materia hujus Sacramenti. — **Nego majorem;** non enim eadem est paritas olei cum aqua: *tum* quia, ut supra dicebat Doctor, aqua naturalis specialiter dedicata fuit a Christo Domino ad effectum Baptismi per contactum suæ mundissimæ carnis, dum ipse baptizatus est; secus autem est de oleo: *tum* quia cum Baptismus sit Sacramentum adeo necessarium, conveniens fuit, ut ejus materia communis esset et obvia, ne videlicet propter defectum benedictionis aquæ, plurimi infantes sine Baptismo decederent, et sic damnarentur. At cum Extrema Unctio non sit ad salutem simpliciter necessaria, conveniens fuit, ut ejus materia esset benedicta ad reverentiam et decorem ipsius Sacramenti, necnon et ad aptiorem significationem.

Probat denique *tertia pars*, nempe quod per dispensationem summi Pontificis vel Episcopi, possit interdum sufficere ad sacramentum Extremæ Unctionis, quod oleum sit a simplici Sacerdote benedictum; id enim patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ Græcæ, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi oleum infirmorum benedicunt, quam utique consuetudinem Clemens VIII approbavit, monens in instructione de ritibus Græcorum, quæ habetur tomo 3. Bullarii, non esse cogendos eorum Presbyteros, ut accipiant oleum ab Episcopo benedictum, quia ex antiquissima Orientalis Ecclesiæ consuetudine, ex commissione Episcopi possunt Presbyteri oleum infirmorum benedicere. — *Quam utique consuetudinem et approbationem refert et expendit Arcudius. lib. 5. cap. 2. circa finem: « Chrisma, « inquit, apud Græcos solus Episcopus conficit, et diu asservatur; « oleum autem infirmorum tunc temporis benedicitur, quando æger « ungendus est. Ut etiam benedicitur aqua, et oleum Catechumenorum, quando quis apud Græcos baptizatur. Cur autem non asser-*
« vetur, ratio est, quia cum sit commissum Presbyteris, possunt illi
« pro necessitate quovis tempore illud consecrare, et simul admini-
« strare; ut contra, Chrisma diutius asservant, quod careant facul-
« tate illud conficiendi. Hoc autem totum etiam indicat et approbat
« instructio illa Clementis octavi ad Episcopos Latinos directa, ubi
« de hoc argumento titulus est: Circa oleum sanctum Catechumenorum,
« et infirmorum. Deinde sequitur: Non sunt cogendi Presbyteri Græci
« olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis acci-
« pere. Cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, et Sacramentorum,
« exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur: Chrisma
« autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum bene-
« dici potest, accipere. Sic ibi. Quamvis autem Episcopi, approbante
« Romano Pontifice, benedictionem hujus olei Presbyteris commiserint,

« proptereaque non asservetur; ipsi tamen Græcorum Pontifices non
 « se privarunt hac sua jurisdictione, sed semel in anno, more Lati-
 « norum feria quinta sacratoris Hebdomadæ solemnī pompa et appa-
 « ratu. peracto sacro, illud consecrant. Quo deinde præsentēs, qui
 « divinis officiis intersunt, deliniunt. Recte ne hoc an temere fiat, ex
 « subsequentibus clarum facere conabimur. Si prius tamen, sicuti or-
 « dinis ratio postulare videtur, de numero Ministrorum, quorum ha-
 « ctenus mentio facta est, egerimus ». — *Observat ibidem Arcudius*,
 hanc facultatem benedicendi oleum ad Presbyteros Ecclesiæ Ori-
 entalis dimanasse ex concessione Episcoporum. Quemadmodum enim,
 inquit, Episcopi qui assiduo suo munere incumbēbant, multa per seipsos
 præstabant, quæ postea Presbyteris commiserunt, vel quia ipsi aliis
 occupationibus. potissimum vero munere concionandi de rebus sacris
 imperiti erant, vel quia totam Diocesim propter amplitudinem, fre-
 quentiam item maximam populorum fidem Christi recipientium com-
 mode lustrare non potuerant, ita etiam dicendum existimarem de be-
 nedictione hujus olei.

PETES: *An ritus benedicendi oleum a Christo fuerit institutus?* —
Respondeo negative; id enim nec ulla auctoritate Scripturæ, nec Con-
 ciliarum, vel Traditione probari potest; unde licet Christus Dominus
 ordinaverit, ut materia hujus Sacramenti benediceretur, tamen ritum
 et modum benedicendi reliquit penes arbitrium Ecclesiæ, ut nempe pro-
 libito preces ad eam benedictionem deservientes præstaret. Unde
 sequitur, quod oleum Catechumenorum sit sufficiens materia hujus Sa-
 cramenti, quippe cum non differat ab oleo infirmorum, nisi diversa
 benedictione, quæ non variat essentialiter materiam; non debet tamen,
 nisi gravi urgente necessitate, ministrari Sacramentum Extremæ-Un-
 ctionis in ipso oleo pro ungendis Catechumenis destinato: tum propter
 Ecclesiæ consuetudinem, quæ oleo Catechumenorum non utitur pro
 infirmorum unctione. sed in diversis vasis utrumque oleum pro un-
 gendis ægrotis, et Catechumenis vult conservari: tum quia materia
 Extremæ-Uctionis non est oleum quacumque benedictione consecra-
 tum, sed oleum quod est consecratum ea benedictione, quam Ecclesia
 determinavit pro benedicendo Infirmorum oleo. quæ omnino diversa
 est a benedictione, qua Chrisma, seu oleum Catechumenorum conse-
 cratur.

Conclusio secunda. — MATERIA PROXIMA SACRAMENTI EX-
 TREMÆ-UNCTIONIS, CITRA CASUM INDECENTIÆ, ET NECESSITATIS, DEBET
 ESSE SEPTUPLEX UNCTIO; UBI VERO CASUS NECESSITATIS URGET, UNICA
 POTEST SUFFICERE.

Prima pars constat ex Concilio Florentino, quod ejusmodi septem
 unctiones assignat: *In oculis propter visum: in auribus propter audi-
 tum: in naribus propter odoratum: in ore propter gustum, vel locutio-
 nem: in manibus propter tactum: in pedibus propter gressum: in re-
 nibus propter delectationem ibidem vigentem.* Cujus utique ordinationis
 hanc rationem præmiserat Seraphicus Doctor, dist. 23. art. 2. quæst. 3.
*Quoniam, inquit, istud Sacramentum principaliter ordinatur ad venia-
 lium deletionem, secundum quod ex textu Beati Jacobi innuitur, et*

venialia perpetrantur ab anima, secundum unionem ipsius ad carnem corruptam, et hoc est per potentias, per quas unitur corpori, ut organico: et ideo recte in deletionem talium peccatorum debet medicamentum exterius adhiberi, secundum id, quod habet sensibile circa organa ipsarum potentiarum. Est autem triplex potentia animæ, secundum quam regitur corpus, et eruditur, et nutritur secundum quam ad exterius comparatur, scilicet sensitiva, generativa et progressiva: et ideo organa istarum potentiarum debent ungi. Et quoniam quinque sunt organa deservientia quinque sensibus, scilicet os, oculi, nares, aures, et manus, et lumbi deserviunt generatiæ, pedes vero virtuti progressivæ, ideo istæ septem partes inunguntur: et sic patet, quod nec totum corpus debet inungi, nec una pars determinata. Hunc autem ungenti ritum (inquit Catechismus Rom. n. 21.) universalis Ecclesia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit, mediamenti enim est instar. « Ac quoniam in corporis morbis, quamvis universum corpus male affectum sit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte et origine, morbus manat, idcirco non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet, renes etiam, veluti voluptatis et libidinis sedes, ungentur: tum pedes, qui nobis ingressus, et ad locum movendi principium sunt. » Nihilominus omitti possunt aliquæ unctiones, imo prætermitti debet ob honestatem unctionis renem in feminis, ut constat ex Rituali Romano approbato auctoritate Pauli V ac subinde septem illæ unctiones non sunt absolute necessariae ad integritatem hujus Sacramenti.

Probatur itaque secunda pars, nempe quod urgente gravi necessitate sufficiat unica dumtaxat Unctio: tum quia Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1. aperiens materiam et formam hujus Sacramenti, nullum certum unctionum numerum pro determinata materia assignat. Licet autem Florentinum septem assignet, scilicet in quinque sensibus, et præterea in pedibus, et renibus, cum tamen constet, unctionem renem debere interdum omitti, sicut etiam in aliquibus Ecclesiis omittitur unctio pedum, consequens est, quod septuplex illa unctio non sit de necessitate Sacramenti. Tum quia Pastorale Mechliniense, de Sacramento Unctionis, Can. 9. necnon et Passaviense, Can. 11. consulunt, quod peste grassante, aut urgente morbo contagioso, fiat unctio in organo sensus magis obvio, idque ex Decreto et sententia Facultatis Lovaniensis, his verbis: *In morbis contagiosis, et peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum aut detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, et gressum deliquisti: et tunc preces quæ præmittendæ, et jungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili Sacramento devote legi.* Tum quia Ecclesia non improbat morem Græcorum, qui in conferendo Extremæ-Unctionis Sacramento non observant septuplicem illam unctionem, sed unguunt dumtaxat caput, pectus, manus et pedes, ut refert Arcudius c. 7., ubi ait: In hoc eos a Latinis discrepare, quod Latini, inquit, « in yris « expresse unguunt oculos, aures, nares, os, et manus, propter quinque « sensus, deinde renes, ubi est sedes concupiscentiæ, ac tandem pedes « ob vim progressivam, et executionem. Quod sane libenter refero pro-

« pter Græcos, ut hunc modum ungenti diligenter ipsi considerent, « si eum forte voluerint imitari, qui tutissimus est. In fœminis ratio « honestatis id postulare videtur, ut renes non ungantur. Græcorum « vero Sacerdotes unguunt ægri frontem, mentum, ambas genas; ita ut « fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tum « manus, idque ex utraque parte, postremo pedes. — Nec solum id Græcis commune est, sed etiam quibusdam Ecclesiis Latinis familiare; nam, ut observat Albertus Magnus, in 4. dist. 23. art. 16. ad 2. in quibusdam Ecclesiis unguuntur tantum extremitates, ut os, et nares, et oculi, et aures; alii autem præter hæc unguunt scapulas, et pectus, et renes. Hinc Nicolaus Serarius, Opusc. *De Extrema-Untione*, cap. 9. affirmat in Herbipolensi Ecclesia unctionem renum omitti, probatque quod quomocumque fiat, servetur integrum Sacramentum: *primo*, quia quædam formæ, ut Ambrosiana, Veneta, et nonnullæ aliæ, istarum partium sigillatim non meminerint: *secundo*, quia si sensuum organa necessario inungenda essent, tamquam ad essentialiam Sacramenti spectantia, cum in essentialibus res una alterius vicem non obeat, loco linguæ, aut palati, si os, aut labia ungerentur, ut re ipsa unguuntur, ne aliter ungerendo nauseam pariant, non esset Sacramentum. Vel si cuiusdam oculi effossi forent, vel aures, vel nares truncatæ, et illarum partium unctio ad essentialiam Sacramenti necessaria foret, non juberent Theologi, vel ipsa abscissarum partium extrema, vel proximas partes inungenda esse, cum tamen id jubeant. *Tertio*, quia Theologi veteres etiam si doceant convenienter illas partes inungi, non tamen aliter fieri non posse contendunt, exceptis Durando, Michæle de Calonio, et Soto. Concilium autem Florentinum enumerat quidem istas partes, sed ut jam usitatas, non simpliciter ad Sacramenti naturam spectantes, quia etiam renes annumerat, qui ex communi consensu non necessario inunguntur. Idcirco, intert Serarius, quod vel solum cor, e quo peccatorum omnium sentina, vel solum caput, in quo vitiorum fenestræ, sensus, vel quæcumque alia corporis pars inuncta, cum nomine carnis vitiorum omnium seminarium in Scripturis significetur, satis quidem ad unctionis effectum foret. Postremo prudenter monet Serarius, non privato judicio alicujus, usitatam consuetudinem non esse permutandam, aut auferendam. Ita ex eo Arcudius, c. 9. — *Confirmatur*, ex proportionem Sacramenti Extremæ-Uctionis cum Sacramento Pœnitentiæ, ad quod licet Confessionis integritas per se necessaria videatur, tamen quando timendum occurrit imminens mortis periculum, vel ubi accidit impotentia loquendi, conferri potest Sacramentalis Absolutio absque hujusmodi prævia integra Confessione, dummodo Pœnitens certa proferat signa, quibus designet se Absolutionem requirere; imo dum aliqui fide digni testantur, ægrum, Confessarium exoptasse: ergo pariter congruum fuit, ut Sacramentum Extremæ-Uctionis ita institueretur, ut in casu necessitatis una dumtaxat unctio sufficeret ad gratiam Sacramentalem conferendam; quamvis forte citra hunc necessitatis casum non esset sufficiens. *Observandum* est autem quod in eo casu debeat fieri mentio quinque sensuum in verbis formæ, nam si fieret mentio tantum de uno sensu, v. gr. visu, forma non significaret sufficientem effectum, ad quem conferendum hoc Sacramentum est institutum, qui est gratia, qua remittuntur peccata quinque sensuum, vel illis me-

diantibus patrata. Si tamen in forma nullus exprimeretur sensus expresse, ut fiebat in forma Ambrosiana, et Veneta superius relatis, satis probabile est, quod adhuc sufficeret, quia adhuc per verba in eis contenta totus Sacramenti effectus sufficienter significatur, scilicet, remissio peccatorum per sensus commissorum.

Conclusio tertia. — FORMA LEGITIMA SACRAMENTI UNCTIONIS EST EA QUA UTITUR ECCLESIA LATINA, NEMPE: PER ISTAM SANCTAM UNCTIONEM, ETC. QUÆ REVERA DEPRECATIVA EST; NON TAMEN ITA NECESSARIO, QUIN VALIDE CONFERRETUR SACRAMENTUM SUB FORMA INDICATIVA.

Prima pars hujus Conclusionis patet ex dictis; siquidem ejusmodi formam approbant Concilia Florentinum et Tridentinum, cap. 1. *De Extrema Unctione*, illamque continent antiquissima Ritualia, ex quibus apparet, Ecclesiam Latinam eam formam continua Traditione usurpasse. — Non abnuo tamen, quin Græcorum forma sit pariter legitima, quippe cum Ecclesia Latina, (quæ in ministracione Sacramentorum errare non potest) illam non improbet, sed approbet; et aliunde vix a præfata Ecclesiæ Latinæ formâ discrepet, cum pariter exprimat per modum deprecationis aut orationis. — *Nec obstat*, quod ejusmodi forma sub conceptis illis verbis non habeatur in Scriptura sacra; sufficient enim, quod inferatur ex illis S. Jacobi verbis, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, ungentes*, etc. Sic enim significat formam hujus Sacramenti debere illius effectum significare per modum deprecationis et orationis, qualis est utraque forma Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

Cur autem hoc Sacramentum præ cæteris deprecatoriam formam obtineat, triplex proferri potest congruentia, quas Seraphicus Doctor repetit ex triplici capite, nempe suscipientis, modi curandi, et morbi. *Prima*, inquit, est ex parte suscipientis, qui propter infirmitatem est destitutus, ideo oratione est relevandus. *Secunda* est ex parte modi curandi, qui est per devotionem, et elevationem animæ ad spiritualia: et quia quod super omnia excitat animam ad hoc est oratio, ideo, etc. *Tertia* ratio est ex parte morbi, quoniam hic fit remissio peccati, interveniente ministerio Sacerdotis; et quoniam in remissione culpæ Sacerdos non se habet, nisi per modum deprecantis, unde et in Absolutione sua utitur oratione deprecativa, ut in præcedentibus habitum est: hinc est quod optime institutum fuit, Unctionem non fieri sine oratione, ejus expressio est forma Sacramenti. *Quartam* rationem profert Catechismus Romanus, num. 14. dicens: « Nec vero quæquam miretur, inquit, cur factum sit, ut aliorum Sacramentorum forma vel absolute significet quod efficit, ut cum dicimus: *Ego te baptizo*, aut, *Signo te signo crucis*; vel tamquam ab imperantibus pronuntietur, ut cum in Sacramento Ordinis administrando dicitur: *Accipe potestatem*; hæc una vero Extremæ Unctionis forma precatione quadam absolvatur. Id enim optimo jure constitutum est; nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter spiritualem gratiam quam tribuit, sanitatem etiam restituat ægrotis; tamen, quia non semper sequitur, ut ægri a morbis convalescant, ob eam causam precationis forma conficitur, ut a Dei benignitate id impe-

« tremus, quod Sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere
 « non solet. Adhibentur autem ritus proprii in hujus quoque Sacra-
 « menti administratione. Sed eorum maxima pars preces con-
 « tinet, quibus Sacerdos ad ægroti salutem impetrandam utitur; nul-
 « lum enim est aliud Sacramentum, quod pluribus precibus confi-
 « ciatur. Ac recte quidem, quoniam eo potissimum tempore fideles
 « piis obsecrationibus adjuvandi sunt, quare et alii omnes, quos tunc
 « adesse contigerit, et præcipue Parochi, debent orare Deum ex animo,
 « et ejus misericordiæ, laborantis vitam et salutem omni studio com-
 « mendare ».

DICES: Si forma hujus Sacramenti esset deprecatoria, sequeretur hoc Sacramentum producere gratiam, non quidem ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, et consequenter non habere eandem vim et efficacitatem, quam habent novæ Legis Sacramenta: sed falsum consequens: ergo et id unde infertur. — **Nego sequelam majoris;** licet enim hujus Sacramenti forma consistat in oratione, nihil obest quominus gratiam possit producere ex opere operato, cum ad hoc ut gratiam eo modo producat, non indigeat devotione ministri vel suscipientis, sed id totum consequatur ex meritis et institutione Christi; qui utique potuit orationis formulam in hujus Sacramenti administratione usurpatam evehere ad efficaciam et dignitatem Sacramenti novæ Legis, non secus ac extulit contractum matrimonialem ad dignitatem et virtutem Sacramenti novæ Legis.

URGEBIS: Illa oratio, quæ fit in administratione hujus Sacramenti, vocatur a S. Jacobo, *oratio fidei*, hoc est, quæ elicitur ex merito fidei ministri: sed hujus orationis meritum pendet ab ipsius dispositione: igitur, etc. — **Respondeo ad majorem,** illam orationem idcirco appellari a S. Jacobo orationem fidei, ex eo quod concipiatur per fidem supernaturalem, et sola fide intelligatur, eo modo quo S. Augustinus, Tract. 80. in Joann., omne verbum Sacramentale, quod cum elemento operatur, appellat verbum fidei.

DICES 2: Sacramenta novæ Legis debent habere eandem formam per universam Ecclesiam: sed orationes et preces quæ proferuntur ab Ecclesia Græca et Latina non sunt eadem, ut constat ex tertio Notabili: igitur ejusmodi preces non debent censi forma legitima hujus Sacramenti. — **Distinguo majorem:** debent habere per universam Ecclesiam formam communem secundum significationem essentiali, *concedo:* secundum accidentalem, *nego.* Porro utraque forma tam Græcorum quam Latinorum eadem est secundum significationem essentiali, quia utraque ordinatur ad significandam remissionem peccatorum levium, necnon ad recuperandam sanitatem spiritualem et corporalem. Idem dicendum de formis Ambrosiana et Venetiana, quæ licet indicativo modo proferantur, non propterea differunt essentialiter ab aliis formis, quia nempe ordinantur ad eundem effectum significandum, scilicet liberationem ab infirmitate corporali et spirituali.

Unde apparet probatio secundæ partis, nempe quod valida etiam sit forma verbis indicativis expressa; *quia* id constat ex praxi Ecclesiæ Mediolanensis et Venetianæ, quæ in conferendo hoc Sacramento utuntur forma verbis indicativis expressa, quarum Ecclesiarum ritum non proscripsit, nec damnavit Ecclesia.

DICES 1: In prædictis formis Ecclesiæ Mediolanensis et Venetæ intelligi posse, eas esse deprecativas, cum dicitur: *Ut more militis uncti aëreas possis superare potestates*: quæ utique loquendi formula optativa est, idemque sonat, ac si diceretur: ungo te oleo sanctificante, optando ut ope divina possis aëreas superare potestates; verbum enim *valeas*, est optativum, quod conjunctum cum sequentibus efficit formam deprecativam; quia addit illi divinum nomen ut principalem causam, in cujus virtute et auxilio debet infirmus sacro oleo unctus generose pugnare adversus hostes, eum in illo agone extremo impugnantibus: igitur hæc formæ peculiare non sunt indicativæ. — **Nego consequentiam**, et ad antecedens dico, ejusmodi formam habere rationem deprecationis et orationis, potius quam formam aliorum Sacramentorum, in quibus pariter invocatur Dei nomen; si enim Eucharistiam excipias, omnia Sacramenta conferuntur cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. Adde quod præfata in objectione verba sufficienter determinentur per primam: *Ungo te oleo sanctificato*, etc. quæ utique indicativa sunt, ac subinde totam formam indicativam efficiunt.

DICES 2: Concilium Florentinum et Tridentinum solum formam deprecativam proponunt et approbant: igitur indicativam reprobant. — **Nego consequentiam**; Concilia enim eam formam proponunt, quæ in usu est per universam Ecclesiam Latinam, licet non proscribat diversos ritus quarundam Ecclesiarum particularium, quæ utique utuntur alia forma ab universali Ecclesia pridem tolerata, vel etiam approbata a Sede Apostolica; quod utique constat a simili, licet enim ritus celebrandi divinum Officium idem præscribatur pro universali Ecclesia, qui servari solet Romæ, nihilominus plurimæ sunt Ecclesiæ, quæ suos peculiare ritus habent Romanis ritibus non conformes.

DICES 3: S. Jacobus appellat Extremæ Unctionis formam, orationem fidei: igitur illa forma debet esse necessario deprecativa. — **Nego consequentiam**; nam per orationem fidei intelligi potest quæcumque forma sufficiens ad valide conferendum hoc Sacramentum, qua ratione aliorum etiam Sacramentorum formæ plurimque dicuntur a SS. Patribus orationes, maxime vero forma Sacramenti Pœnitentiæ, licet ipsa non possit esse deprecativa, cum exerceatur per modum judicii.

Licet autem hæc vera sint, nihilominus certum est, non posse formam indicativam usurpari citra peccatum mortale in illis Ecclesiis, in quibus ejusmodi praxis non viget: quisque enim tenetur sese conformare praxi universalis Ecclesiæ, ubi Ecclesia particularis, cujus est, non habet praxim contrariam tacite vel expresse approbatam.

PETES I. *Quænam sint particulæ essentialis formæ hujus Sacramenti?* — **Respondeo** 1, istas solas essentialis esse: *per unctionem indulgeat tibi Dominus*; quia solum per ablationem illarum, aut saltem aliquarum ex illis, sensus a Christo intentus in hujus Sacramenti forma destruitur. Quod tamen non impedit quominus debeat integra ea forma proferri, ut præcepto Ecclesiæ satisfiat, extra necessitatis casum.

Unde conveniunt omnes Theologi, expressam invocationem Trinitatis non pertinere ad essentialis hujus Sacramenti: imo neque esse necessariam necessitate præcepti affirmat Suárez, contra nonnullos ab

ipso citatos. Et ratio est, quia neque hoc Sacramentum est professio fidei, sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento aliqua specialis occurrit ratio invocationis trium divinarum personarum, neque in Conciliis declaratur, neque in Rituali Romano, nec etiam communis consuetudo id habet: nullum ergo sufficiens fundamentum afferri potest ad asserendam talem præcepti obligationem.

PETES 2. *Utrum per singulas Unctiones cum suis formulis producat gratia?* — **Respondeo**, circa hujus quæstiunculæ solutionem tres præcipuas esse Theologorum sententias: quarum PRIMA CENSET, gratiam habitualement non conferri, nisi per Extremam Unctionem, quæ revera ultima sit ex intentione Ministri, sive hoc Sacramentum ministraretur quinque Unctionibus, quæ tantum sunt de essentia, sive septem, quæ solum sunt de integritate Sacramenti. Ita communiter Thomistæ cum Soto, in 4. dist. 13. q. 1. art. ult. ubi docet, quod si Minister vult Sacramentum ministrare per septem Unctiones, non producat effectus, nisi post septimam; si vero per quinque, gratia dabitur tantum in fine quintæ Unctionis. — **Verum hæc sententia rejicitur: tum** quia si duæ postremæ Unctiones ex illis septem, scilicet renum, et pedum, non sint de essentia, ut etiam fatentur Thomistæ, efficere non potest Minister per suam intentionem quin completo essentialiter Sacramento per illas quinque Unctiones, suum effectum non conferat; siquidem statim ac Sacramentum perfectum est et essentialiter completum, producit suum effectum, neque suspendi potest ille effectus per privatam intentionem Ministri, quæ ad validitatem Sacramenti non est necessaria, sed sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia. *Tum* quia fieri posset, ut infirmus totum susciperet Sacramentum quantum ad essentiam, nec tamen gratiam reciperet, puta si completis quinque Unctionibus infirmus moriatur antequam recipiat duas ultimas Unctiones, post quas dumtaxat Minister intendit Sacramentum consequi suum effectum: sed hoc omnino absurdum est, siquidem Sacramenta censentur idonea et in actu primo vim habere ad producendum suum effectum, statim ac sunt essentialiter completa et perfecta, siquidem agunt instar causarum naturalium, quæ positis omnibus ad actionem prærequisitis suum effectum producant: igitur quando Sacramenta sunt essentialiter completa suum producant effectum independentem a privata intentione Ministri. *Tum* denique quia si posset Minister suspendere effectum hujus Sacramenti post septem Unctiones, quamvis duæ postremæ non sint essentialiter necessariae, tali ratione suspendere posset post vigesimam et trigesimam Unctionem, nam hæc sunt eodem modo extra numero quinque Unctionum essentialium, ac sexta et septima Unctio: sed hoc dici nequit, alioquin Minister per suam privatam intentionem posset suspendere essentiam et efficacitatem Sacramenti: igitur, etc.

SECUNDA SENTENTIA docet, gratiam per hoc Sacramentum conferri, statim ac omnes illæ quinque Unctiones cum suis formis correspondentibus complentur et perficiuntur. Ita Suarez. disp. 41. sect. 2. et plures alii Recentiores. — **Verum hæc sententia pariter rejicitur: tum** quia, ut diximus, quinque Unctiones non sunt ita necessariae ad essentiam hujus Sacramenti, quin interdum unica sufficiat: *tum*

quia, si non conferretur effectus Sacramenti, nisi completa ultima Unctione, et prolotione formæ, sequeretur non esse proferendas omnes partiales formulas, nisi dum completur ultima Unctio; omnis enim prior prolatio esset inutilis, siquidem effectum suum signatum non haberet, nec quando proferretur actu, nec dum proferretur formula correspondens ultimæ unctioni; nam Sacramentum consistens in usu non censetur aliquid causare, quando jam transivit, si nullum post se relinquit effectum, in cujus virtute gratia conferatur: sed quando fit ultima unctio, et profertur forma ei correspondens, priores unctiones non sunt actu, nec etiam remanet aliquis effectus per eas productus: neque ultima unctio aut ejus forma alias præcedentes unctiones et formas essentialiter continet: igitur inutiliter præcedentes formulæ proferrentur ante hanc ultimam unctionem. *Tum* denique quia omnes illæ singulæ unctiones non ordinantur ad unicum indivisibilem effectum; siquidem quælibet unctio cum forma sibi correspondente habet essentialiter suum subjectum determinatum, nempe organum sensus; unde pro diversitate organorum, quæ sunt instrumenta peccandi, diversæ fiunt unctiones, et variæ proferuntur preces ac formulæ, quæ completum habent sensum, ac subinde habent completam rationem formalem Sacramenti, in ordine ad illud organum sensus, quod ungitur, et ad quod forma prolata dirigitur: ergo debet pariter habere suum effectum; nam completa essentialiter materia et forma Sacramenti, poni debet effectus.

Itaque magis probanda videtur tertia sententia affirmans per singulas unctiones dari singulos gradus gratiæ sanctificantis; ita quod sicut sunt quinque unctiones partiales, et totidem partiales formæ eis correspondentes, ita videntur quinque distincti gratiæ gradus, qui adæquatam hujus Sacramenti effectum constituunt. Quæ utique sententia videtur esse Doctoris citati, dist. 23. n. 7. Nam respondens ad secundum argumentum, nempe quod Extrema Unctio non erat unum Sacramentum, quia habet plurimas materias, et diversas formas, ait: *Dico, quod est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus ejus non est unus indivisibiliter, quia non est remissio unius venialis, sed unus unitate plenaria remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis, nihil remaneat retardans a perceptione beatitudinis, quam nobis concedat, etc.* Quibus Doctor aperte significat, Sacramentum hoc constare ex pluribus partibus, quarum quælibet habeat rationem Sacramenti, et vere gratiæ sanctificantis gradum conferat. — Quod utique probatur: *tum* quia quælibet Unctio cum sua forma habet essentialiter completam significationem illius effectus, ad quem significandum assumitur, nempe remissionem eorum, quæ per visum, vel auditum, etc. commissa sunt: igitur quælibet Unctio cum forma sibi correspondente habet rationem Sacramenti gratiam conferentis; Sacramentum enim ex divina institutione efficit quod significat in ultimo instanti prolotionis formæ, et applicationis materiæ, nisi adsit obex ex parte subjecti: igitur cum quælibet Unctio cum forma sibi correspondente habeat significatum partiale ab aliis distinctum, etiam habere debet effectum proprium partialem ab aliis condistinctum. *Tum* quia quælibet species Eucharistica, et quilibet ex septem Ordinibus confert partialem effectum:

igitur etiam quælibet Unctio cum sua forma debet effectum partialem conferre. *Patet consequentia* a paritate rationis, quæ intercedit maxime inter sacram Unctionem et Sacramentum Ordinis; idcirco enim singuli Ordines conferunt gratiam specialem, et habent proprios effectus, quia sunt partiales respectu totius, et singuli Ordines unum dumtaxat totale Sacramentum Ordinis constituunt, quia singuli habent partialem materiam et formam distinctam: at idem est de singulis Unctionibus, quæ diversæ sunt, ratione diversarum partium quibus applicantur, et habent etiam diversas formulas sibi correspondentes: igitur est utroque paritas.

DICES 1. Non esse paritatem, quia formæ partiales in Eucharistia sunt indicativæ, in Ordine vero imperativæ; unde licet illæ debeant habere suum effectum partialem, hæ idem sibi non vindicant; nam formæ deprecativæ non eam habent efficaciam, quæ debeat poni ad singulas particulas præfationis, sed sufficit quod ponatur pro illo tempore, pro quo petitur et completur ratio. — **Verum**, ut optime advertit Hiquæus. n. 89. perinde est ad efficaciam formæ Sacramentalis, quod illa sit indicativa, aut imperativa, aut deprecativa, quippe tota ejus efficacia detur ex institutione Christi, et fundatur in speciali assistentia Dei, qui infallibiliter producit effectum significatum per formam, statim ac illa suum completum sensum Sacramentalem obtinet: completur autem ille sensus cujuslibet formulæ ad Unctionem sibi correspondentem: igitur tunc poni debet effectus per eam formam significatus.

DICES 2: Effectus Sacramenti est indivisibilis; gratia enim non datur per partes, nec peccata dimittuntur per frusta, quia Deus perfecte sanat quemcumque sanat: igitur non confertur effectus partialiter per singulas Unctiones. — **Nego antecedens**; non enim est inconveniens gratiam partialiter conferri per illa Sacramenta, quæ sunt unum unitate integritatis tantum, non autem indivisibilitatis; et remissio omnium peccatorum venialium, quæ est propria hujus Sacramenti, non esset necessario connexa, sicut est in mortalibus; unde quando mortalia per accidens hoc Sacramento tolluntur, dicendum est per primam gratiam partialem, quæ in prima Unctione confertur, remitti omnia illa peccata mortalia, si quæ in subjecto sunt invincibiliter ignorata.

QUÆSTIO TERTIA.

QUINAM SINT FRUCTUS ET EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI.

NOTANDUM 1. Hic difficultatem non moveri de fructibus et effectibus, quos hoc Sacramentum communes habet cum aliis novæ Legis Sacramentis, puta gratiæ sanctificantis aut ejus augmenti collatione, cum enīa S. Jacobus dixerit, per eam fieri remissionem peccatorum, si suscipiens eis adhuc inquinaretur, inde liquet etiam conferri gratiam sanctificantem, aut illius augmentum, quippe cum non fiat peccati remissio de via ordinaria sine ejusmodi gratiæ infusione; unde Concilium Trid., Can. 2. de Extrema Unctione, ait: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec dimittere peccata.... anathema sit.* Solum itaque sermo est de effectibus huic Sacramento particularibus, quos omnes declarat Concilium Trident.,

Sess. 14. Cum enim in præludio dixisset, sacram Unctionem esse firmissimum præsidium adversus tentationes diaboli, qui imminente morte, omnes suæ versutiæ nervos intendit ad perdendos nos, et animas nostras devorandas, subdit cap. 2. *Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expedit, consequitur.* Ex quibus Theologi colligunt sex effectus illius Sacramenti; quorum *primus*, communis cum aliis Sacramentis, est gratia sanctificans. *Secundus* est speciale gratiæ auxilium, tum ad superandas tentationes in articulo mortis occurrentes, tum ad spem et confidentiam facilius et firmiter in Deum erigendam, tum ad morbi et mortis molestias animo constanti ferendas. *Tertius* est remissio peccatorum venialium, quæ per se ab ipso Sacramento intenditur. *Quartus* est remissio mortalium peccatorum; secundario tamen, et per accidens, si quæ adhuc habeat infirmus, quæ tamen invincibiliter ignorat, nec se eis inquinari existimat. *Quintus* est abstersio reliquiarum peccati. *Sextus* denique est sanitas corporis restituenda, si hæc animæ salutis expediat. Quæritur autem quis sit præcipuus et primarius ejusmodi effectus.

NOTANDUM 2. Non consentire Theologos circa explicationem *reliquiarum peccati*, quarum abstersionem Concilium Tridentinum inter effectus Extremæ Unctionis deputat. *Quidam* enim per eam volunt designari peccata venialia. Verum revincuntur ab ipsis Concilii verbis dicentis non solum per hoc Sacramentum deleri ipsas reliquias, sed etiam delicta, si quæ sint: certum est autem peccata venialia esse revera delicta ac vere peccata. *Aliqui* existimant per peccati reliquias intelligi pronitatem et habitum ex peccato relictum. Verum hic non removetur, nisi per frequentationem contrariorum actuum, et jugiter etiam in viris justificatis interdum perseverat. Censent *alii*, per *peccati reliquias* intelligi languorem et torporem ad faciendum bonum, et mentis infirmitatem ad intuenda et meditanda cælestia, quæ quidem reliquiæ peccata non sunt, sed ex primo peccato relictæ, aliisque peccatis subinde confirmatæ; unde S. Augustinus, lib. ult. *De Trinit.*, cap. 17. animam suam alloquens, ait: *Quæ, inquit, causa est, cur acie fixo lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas, et quid eam tibi facit, nisi iniquitas?* Porro hæc animi infirmitas, seu torpor et difficultas ad bene operandum, per hoc Sacramentum tollitur; quapropter appellatur spiritualis animi sanatio, sicut Baptismus ejusdem est regeneratio, et Pœnitentia ipsius spiritualis resurrectio a morte peccati.

NOTANDUM 3. Cujuslibet Sacramenti duplicem esse effectum, nempe communem, et proprium. *Communis* est, qui convenit omnibus Sacramentis novæ Legis, nempe gratia sanctificans, vel ejus augmentum; siquidem omnia novæ Legis Sacramenta producant gratiam in suscipiente, obicem non ponente. *Proprius* est, ad quem producendum quodlibet Sacramentum ordinatur. Insuper proprius effectus attendi potest dupliciter: *primo* quidem, ut intentus per se ac directe: *secundo*, ut intentus per accidens, quando scilicet Sacramentum producit ali-

quem effectum, occasione alterius rei, quæ incompatibilis est cum effectu proprio Sacramenti. Denique effectus per se ac directe intentus est duplex, scilicet *principalis*, et *minus principalis*. seu primario, aut secundo intentus, ut patet exemplo Sacramenti Pœnitentiæ, cujus effectus proprius per se ac directe intentus primario est remissio peccatorum mortalium debite confessorum: effectus vero per se quidem directe intentus, non tamen primario, sed tantum secundo, est remissio peccatorum venialium. — Porro triplex est Theologorum sententia circa primarium ac potissimum hujus Sacramenti effectum. *Quidam* enim docent cum S. Thoma, 3. q. 65. art. 1. necnon et in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. principalem ac magis proprium Extremæ Unctionis effectum, esse augmentum gratiæ habentis jus ad removenda peccati auxilia, et conferenda specialia auxilia contra languorem et debilitatem ad operandum. *Nonnulli* cum Suarez docent, effectum proprium et primarium hujus Sacramenti esse confortare animam infirmi contra difficultates et tentationes in articulo mortis occurrentes, quibusdam divinis auxiliis ad hoc specialiter ordinatis: consequenter vero, non quidem mere per accidens, sed aliquo modo per se, non tamen ex primaria, sed ex secunda intentione, esse remissionem omnis culpæ tam mortalis, quam venialis, necnon reatus pœnæ ex peccato relictæ, modo in subjecto non sit obex, quod accidit quando ægrotus hoc Sacramentum suscipit cum peccato invincibiliter ignofo. *Cæteri* denique docent cum Subtili Doctore effectum primarium ac principalem hujus sacramenti esse remissionem peccatorum venialium; alios autem effectus esse dumtaxat minus principales et secundarios, cui sententiæ, utpote veriori, ut scribamus, sit

Conclusio prima. — PRIMARIUS AC PRINCIPALIS HUIUS SACRAMENTI EFFECTUS EST INFUSIO GRATIÆ HABITUALIS, QUATENUS HABET ANNEXAM REMISSIONEM FINALEM PECCATI VENIALIS, NON AUTEM MORTALIS, LIET HOC ETIAM REMITTAT PER ACCIDENS. Ita Subtilis Doctor, dist. 23. n. 3. Cujus utique rationem congruam præmiserat, dicens: « Congruum est necessarium ab hac vita finaliter a venialibus absolvi, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, et non remissa possunt esse usque ad exitum, quia peccator quasi continue peccat talibus peccatis ». quasi diceret: quemadmodum institutum est Sacramentum Baptismi pro expiando peccato originali, et Pœnitentiæ pro delendis mortalibus, et venialibus, quæ per totam vitam, dum homo est rationis compos, fiunt. ita congruum fuit, ut institueretur Sacramentum pro eluendis peccatis venialibus, quæ supersunt expianda homini in extremis posito, et post ultimum Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentum, ubi scilicet propter acerrimam morbi et imminetis mortis agitationem non est amplius libertatis compos, nec consequenter capax agendi pœnitentiam per quam ejusmodi peccata possit eluere. Idem docet Seraphicus Doctor, loco supra laudato, ubi cum dixisset: *Extrema-Unctio est contra peccatum veniale, et per accidens confert ad alleviationem corporalis infirmitatis, et ad animæ vigorem*, subdit: « sed notandum, quod de veniali peccato est loqui dupliciter: aut prout est quis in statu viæ, aut prout est quis in egressu. Si prout est in statu viæ, sive in itinere, sic morbus venialis est quasi inseparabilis, vel quadam necessitate iterabilis,

« ac per hoc quodammodo incurabilis, et ideo non debuit contra ipsum
 « aliqua medicina specialiter et principaliter ordinari; imo quodam-
 « modo omnia Sacramenta valent ad ejus curationem secundum plus,
 « aut minus. Si autem loquamur, prout anima est in statu egrediendi,
 « sic possunt curari sine iteratione, et sic cum anima possit trahere
 « talia cremabilia, quæ retraherent a gloria, instituit divina miseri-
 « cordia remedium quo anima curari posset, quantum ad remissionem
 « culpæ, et etiam partis pœnæ, et hoc est Sacramentum Unctionis-Ex-
 « tremæ. Modus autem curandi veniale peccatorum in hoc sacramento
 « correspondet modo infirmitatis, Veniale autem peccatum gravat ani-
 « mam deprimendo deorsum, ut non ita tendat in Deum per devotio-
 « nem et amorem pro eo, quod est ibi conversio inordinata ad com-
 « mutabile bonum, et pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit
 « Augustinus in lib. *Confessionum*. Et ideo cum curatio directe sit
 « per contrarium, per illud curatur, quod animam aggravatam per
 « devotionem sursum elevat. Et quoniam corpus, quod corrumpitur,
 « aggravat animam, cum illud Sacramentum sit ad elevandam animam
 « per devotionem, in qua anima recipit vigorem quemdam, in quo
 « semper est deletio venialium, si sunt in anima, et per consequens
 « repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animæ; hinc est
 « quod istud Sacramentum principaliter est ad curationem et allevia-
 « tionem infirmitatis spiritualis, scilicet peccati venialis, et per acci-
 « dens est ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis, quo-
 « dammodo ad vigorandam animam, quæ regit corpus. Et sic patet
 « quid sit in hoc Sacramento res tantum, quid signum, et quid res,
 « et signum. Signum tantum est unctio exterior. Res tantum est ve-
 « nialis curatio. Res et signum in ipsa anima devotionis excitatio,
 « quæ non est aliud, quam quædam spiritualis Unctio ».

* **Probatur insuper Conclusio:** ille censendus est effectus primarius Sacramenti, quem forma Sacramentalis significat et exprimit: sed forma Sacramenti Extrema Unctione qua utitur Ecclesia Romana, et Græca significat, et exprimit remissionem peccatorum: igitur hæc est effectus primarius Sacramenti. *Major constat:* cum enim Sacramenta novæ Legis efficiant quod significant, et ipsorum significatio spectet ad eorum causalitatem, haud dubium est, quod ille censendus sit primarius effectus, qui potissimum declaratur et significatur per formam sacramentalem, in qua potissimum Sacramenti ratio ac cursus consistit. *Minor etiam patet* ex verbis utriusque formæ tam Græcæ, quam Latinæ, in quibus significatur exorata peccati remissio per illa vocabula: *Indulgeat, seu, parcât, vel remittat tibi Deus quidquid deliquisti, etc.* — *Confirmatur* ex Concilio Tridentino assignante hanc remissionem tamquam potissimum effectum; ait enim cap. 2. ubi agit de effectibus Sacramenti: *Res etenim, inquit, hæc gratia est Spiritus sancti cujus Unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Posteriori autem loco alios designat effectus, ut nempe significet, illam remissionem, quam primario loco assignat, esse potissimam inter effectus hujus Sacramenti: quod utique repetit Can. 3., cum ait: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos... anathema sit.* Quibus verbis significat in hoc Sacramento conferri gratiam habitualem, cujus

proximus effectus est ipsa peccatorum remissio. Idipsum evidentius patet ex Catechismo Romano num. 27., ubi ait: *Docebunt igitur Pastores. hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, et imprimis leviora quidem, et ut communi nomine appellantur venialia remittit: exitiales enim culpæ Pœnitentiæ sacramento tolluntur; neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est: sed Baptismus tantum, et Pœnitentia vi sua id efficiunt, etc.* Quibus verbis significatur effectum primarium hujus Sacramenti esse ipsam peccati remissionem, non quidem mortalis et gravioris, sed dumtaxat venialis.

Probatur secundo: ille censendus est primarius effectus, ex quo cæteri. tamquam ex fonte, emanant et profluunt: at omnes a Concilio Tridentino assignati effectus hujus Sacramenti proveniunt ex ipsa peccati remissione, illamque necessario præsupponunt: siquidem curari non potest languor infirmitatis animæ, nec evacuari possunt peccati reliquiæ, nisi peccatum ipsum evacuetur; nec potest conciliari animi tranquillitas in morte, nisi deleatur peccatum ipsum, quod Domini adventum ac judicium tremendum exhibet; nec potest quis adversus intensum humani generis hostem feliciter armari, quamdiu peccatum in se continet, per quod diabolus aliquatenus ei dominatur; nec denique restaurari potest integra corporis sanitas, nisi eluatur peccatum, propter quod forte infirmitas accidit: igitur illa peccati eliminatio censi debet primarius hujus Sacramenti effectus. Sed peccatum illud, quod per Extremam Unctionem removeri debet, non est mortale, ut constat tum ex supradictis Catechismi Romani verbis, tum quia peccatum mortale post Baptismum commissum deleri tantum potest per Pœnitentiam, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 2. *Fuit enim Pœnitentia hominibus, qui se mortali aliquo crimine inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria.* Ita cap. 1., et idem cap. 4., ubi docet: *Fuit autem quovis tempore ad imperandam veniam peccatorum hic Contritionis mos necessarius. et in homine post Baptismum ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, cum voto præstandi reliqua conjunctus sit. quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, etc.* Et infra docet, Contritionem perfectam non justificare, nisi cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, neque imperfectam sine Sacramento reipsa suscepto. Tum quia Pœnitentia est per se instituta, ut sit secunda post naufragium tabula, per quam salvari potest peccator a mortalibus: nullibi autem legitur dari tertiam naufragii tabulam inter Sacramenta, ac subinde Sacramentum Extremæ Unctionis non potest hanc virtutem et appellationem sibi vindicare: haberet autem utramque rationem, si per se ordinaretur ad remissionem peccati mortalis: igitur dumtaxat per accidens ad ejusmodi peccati mortalis remissionem ordinatur. Tum denique, quia mortalia debent simul remitti, quippe cum non remittatur mortale peccatum sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ de via ordinaria cum peccato mortali subsistere non potest: sed peccata, quæ per Extremam Unctionem remitti debent, non possunt simul remitti virtute Sacramenti, quippe hoc Sacramentum citra casum necessitatis non potest simul conferri: etenim ad singulas partes ungendas iteratur tam Unctio,

quam forma, quæ est deprecativa remissionis eorum peccatorum, quæ per ejusmodi facultatem corporis comissa sunt; ac subinde singulæ illæ hujus Sacramenti applicationes operari debent aliquam peccati remissionem: non quidem mortalis, ut dictum est: igitur tantum venialis; quia cum peccatum veniale subsistat cum gratia sanctificante, inde est, quod unum remitti possit seorsim ab alio.

DICES 1: Peccatum veniale remitti potest siue infusione gratiæ, et per varia media, ut jam pluries diximus: igitur ad illius peccati remissionem necessarium non fuit, ut institueretur aliquod Sacramentum. — **Distinguo antecedens**: ita remitti potest peccatum veniale quando homo capax est adhuc agendæ pœnitentiæ, et applicandi media ordinata ad ejusmodi peccati-remissionem, *concedo*: quando versatur in eo statu, ut nec actus pœnitentiæ possit elicere, nec ejusmodi media applicare, ut contingit in ultima vitæ periodo, *nego*.

URGBIS: Monent sacra Ritualia, necnon et Catechismus Romanus, n. 18. ut conferatur hoc Sacramentum, cum suscipiens adhuc habet mentem integram, estque rationis compos, ac subinde dum adhuc est in eo statu, ut peccare possit iterum simul et pœnitere: igitur Sacramentum hoc non est institutum ad finalem peccati remissionem. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, idcirco hæc ita præmonere, non quod ita necessario Sacramentum sit conferendum, sed ut suscipiens, propter majorem suam dispositionem, uberiolem Sacramenti effectum consequatur, et majori cum reverentia istud recipiat. Cæterum, ad validitatem hujus Sacramenti non requiritur, ut qui istud recipiat, dum est adhuc rationis compos, quia potest suum sortiri effectum, etiam in homine sensibus et ratione orbato, et jam morti proximo.

INSTABIS: Si hoc Sacramentum per se institutum esset ad remissionem peccatorum venialium, non esset expectanda ultima vitæ periodus, ut ministraretur, sed etiam conferri deberet in plena sanitate, et sæpius iterari: sed falsum consequens: igitur et illud unde sequitur. — **Nego sequelam majoris**; non enim, ut dictum est in probatione Conclusionis, Sacramentum hoc ordinatur per se ad remissionem venialium simpliciter, sed dumtaxat pro eo statu, in quo suscipiens non est capax adhibendi alterius remedii ad expiationem venialium, licet interim majoris dispositionis adhibendæ gratia conferatur homini adhuc ratione utenti, ac consequenter capaci iterum peccare venialiter; qua ratione Sacramentum hoc non afferret finalem remissionem peccatorum, quia peccata illa post ejus receptionem commissa non remitterentur illius virtute, sed per alia media, nempe per Pœnitentiam et Confessionem ac Sacramentalem Absolutionem, quam potest suscipere, si adhuc sufficienti ratione donetur, ut peccare possit; quamdiu enim homo peccare potest, tandiu et pœnitere.

DICES 2: Forma Ambrosiana et Veneta sufficiens est et valida ad essentiam hujus Sacramenti: sed in ea non fit ulla mentio remissionis peccati, sicut in Romana et Græca: igitur hoc Sacramentum per se primario non ordinatur ad remissionem peccati. — **Distinguo minorem**: non fit mentio expressa et distincta, quemadmodum in aliis formis, *concedo*: implicite et æquivalenter, *nego*; nam hæc verba, *ut more militis preparatus ad certamen*, significant gratiam sanctificantem tollentem impedimentum peccati, ratione cujus conceditur non

solum gratia actualis ad victoriam de hoste reportandam, sed etiam plena innocentia finalis, et mundities ab omnibus peccatis, quæ gravare possent militem, et eum minus dignum divinæ protectionis reddere.

Probatur secunda pars, nempe quod Sacramentum hoc licet non ordinetur per se ad remissionem peccatorum mortalium, ex vi suæ propriæ institutionis, nihilominus illa remittat per accidens, quando videlicet infirmus habet ejusmodi peccata, quæ bona fide et invincibiliter ignorat: quamvis enim hoc Sacramentum ordinetur dumtaxat per se ad conferendam secundam gratiam. idest, ut gratiæ sanctificantis augmentum conferat supponatque hominem a peccato mortali per Sacramentum Pœnitentiæ, aut perfectam Contritionem jam purgatum: nihilominus secundo etiam et per accidens primam interdum gratiam conferre potest et peccata mortalia delere, si forte Confessio Sacramentalis citra culpam invalida fuit, et alias infirmus se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret, et de illis saltem in genere attritus sit; et hoc satis aperte colligitur tum ex præcætitatis S. Jacobi verbis, *si in peccatis sit, remittentur ei*, tum ex illis Concilii Trid., c. 2. *Delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit*: tum denique ex ipsius formæ verbis: *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti*: cum enim hæc verba sint indefinita, ac sine ulla restrictione, de peccatis etiam mortalibus intelligi possunt modo jam explicato, nempe secundo et per accidens. — Hoc etiam significavit S. Augustinus, Serm. 215. *De Tempore*, ubi ait, quod *quoties aliqua infirmitas supervenit, Corpus et Sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, et deinde corpus suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur, qui infirmatur inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui ungant eum*. In quo discursu supponit S. Doctor, quod Eucharistiæ receptio, sit prævia susceptioni Extremæ Unctionis: cum Eucharistiæ receptio gratiam in anima supponat, cum sit Sacramentum vivorum, idem pariter de Extrema Unctione dicendum erit; et per consequens directe et per se dicetur esse Sacramentum vivorum; ex accidenti tamen, ac veluti indirecte poterit dici quoque remedium et antidotum mortuorum, ut de aliis quatuor Sacramentis suo loco dictum est. Et hoc etiam Doctor noster expressit loco citato supra, dum ait, quod nullus est *capax* istius Sacramenti digne, nisi sit in gratia; istud enim Sacramentum, non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Bâptismus et Pœnitentia; quibus verbis significat Doctor, hæc tantum duo Sacramenta per se ordinari ad remissionem peccati mortalis, aliâ autem quinque indirecte solum et per accidens, quatenus scilicet gratia habitualis, quam efficiunt, ut sunt Sacramenta, est impossibilis cum peccato mortali.

DICES: Hoc Sacramentum per se ordinatur ad remissionem illius peccati, quod conditionaliter inesse potest, ait enim S. Jacobus: *Si in peccatis est, dimittentur ei*: sed si peccatum, quod conditionaliter inesse potest, est mortale, non est locus conditionalis propositioni de venialibus; siquidem apprime noverat S. Jacobus, vix aliquem esse liberum quovis modico tempore ab ejusmodi peccatis, ait enim c. 2. *In multis offendimus omnes*: igitur oportet loquatur de peccatis mortalibus, ac subinde censet, non solum per accidens, sed etiam hoc Sacramentum per se ordinari ad remissionem peccatis mortalis. — **Nego majorem**; nam particula (*si*) non est semper conditionalis, nec

dubium ingerens, sed interdum est absoluta, maxime quando conjungitur rei factæ, ut patet ex oratione prima Ciceronis in Catilinam, ubi ait: Si illustrantur, si erumpunt omnia, non dubitat fuisse illustrata et crepta, sed supponit tanquam probata, ut inde Catilina mores mutet. Unde ad *minorem* dico, S. Jacobum ita locutum fuisse, ut nempe significaret hoc Sacramentum ordinari ad remissionem peccatorum venialium, ex hypothesi, quod illa non fuisset jam per Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vel per Sacramentalia remissa, eo fere sensu, quo de singulis Sacramentis dici solet, illa suum effectum infallibiliter producere, si non sit obex ex parte suscipientis.

PETES: *Quid sentiendum sit de aliis effectibus et fructibus spiritualibus hujus Sacramenti?* — **Respondeo**, Catechismus Romanum illos luculenter ac præclare expendere n. 28. ubi post declaratam hujus Sacramenti primariam utilitatem, nempe remissionem peccati, subjungit: « Altera est sacræ Unctionis utilitas, quod animam a languore et infirmitate, quam ex peccato contraxit, et a cæteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo afflictamur, ac vitæ periculum impendet. Etenim homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimescat: auget autem magno pere hunc timorem præteritorum actuum memoria, cum præsertim gravissima conscientiæ nostræ accusatio nos urgeat, ut enim scriptum est: *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, et trahent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* — *Deinde*, illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis justissima pro eo, ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Sæpe autem evenit, ut fideles hoc terrore percussi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abjiciamus et læto animo Domini adventum expectemus, paratique simus. depositum nostrum, quandocumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur, Extremæ Unctionis Sacramentum efficit. Præterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri potest, ex eo consequimur, nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, numquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare, nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac si fieri possit, spem nobis divinæ misericordiæ eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum supremum vitæ diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc Sacramento ministrantur, quibus adversarii vim et imperium frangere, et illi fortiter repugnare possint. Alleviatur enim et erigitur ægri animus divinæ bonitatis spe, eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipsius dæmonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit ».

Conclusio secunda. — SANITAS CORPORIS RESTITUENDA EST EFFECTUS PER ACCIDENS HUIUS SACRAMENTI. Hæc debet esse communis apud Theologos.

Quod autem corporea restituenda sanitas sit effectus hujus Sacramenti, patet ex Trid., Sess. 14. c. 2. ubi recensitis hujus sacrae Unctionis effectibus spiritualibus, addit: *Et sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedit, consequitur.* Quod etiam colligitur ex verbis S. Jacobi, dicentis: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus;* hæc enim *alleviatio* nedum spectat ad illam animæ erectionem, qua per gratiam in hoc Sacramento concessam, anima ex torpore, mœstitia, et anxietate erigitur, et assurgit in Deum, ac spe ejus misericordiæ confirmatur infirmus, morbi incommoda omnia fert levius; sed etiam tendit ad levamen ipsius corporeæ infirmitatis ægrum vexantis; cum enim de infirmitate corporis loqueretur Apostolus, consequens erat, ut alleviatio, quam per sacram Unctionem spondet, spectaret nedum ad animæ, sed etiam ad corporis sanitatem. Unde etiam in Decreto Conc. Florentini de Extrema Unctione sanationis nomen ad utrumque refertur: *Effectus, inquit, est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.* Et certe singulari diviniæ providentiæ beneficio factum est, ut huic Sacramento præ cæteris annexeretur virtus curativa ac medicativa corporis; cum enim inter omnia hujus sæculi mala nihil sit ipsa morte terribilius, ita nihil vita ac sanitate expetendum magis, qui quidem appetitus tum maxime viget, et impetum suum exerit, quando homo ad vitam ulterius propagandam, videt ex ingravescente infirmitate, se humanis ac naturalibus præsiidiis destitui; tunc enim sæpe tentari solent ægroti ad conquirenda remedia quædam illicita et superstitiosa, quibus vitæ prologationem obtinent, ut patet exemplo Ochoziæ, 4. Reg., cap. 1. Quamvis igitur primaria hujus Sacramenti virtus spiritualis sit, sicut et aliorum Sacramentorum, attamen Christus Dominus, hominum infirmitati et imbecillitati consulens, voluit huic sacro signaculo etiam adjungere virtutem curativam infirmitatis corporis, ne forte desperato morbi remedio ad illicita et superstitiosa auxilia confugerent ægroti. Quam utique rationem indicavit S. Augustinus (aut quisquis est Auctor lib. *De rectitudine catholice conversationis*) ubi ait: « Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur precantiores, non divini, « non sortilegi, sed qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, et « Eucharistiam cum fide et devotione accipiat, Oleumque benedictum « fideliter ab Ecclesia petat, et secundum Apostolum: *Oratio fidei salvabit infirmum* ».

Hic autem effectus non est per se intentus, sed tantum per accidens in hoc Sacramento, quippe, inquiunt Concilia Tridentinum et Florentinum, hic solum effectus producit cum expedit salutem animæ suscipientis. Adde quod licet rarius contingat, hominem periculose ægrotantem et hoc sacro Oleo inunctum pristinae sanitati restitui, sæpe tamèn accidit, ut morbi levamen aliquod ægrotus sentiat, simul cum interna Spiritus Sanctus consolatione, quam proprie hæc Unctio significat et operatur.

QUÆRES 1. *Quis est hujus Sacramenti Minister?*

RESPONDEO, hoc Sacramentum non ab alio posse, quam a Sacerdote valide ministrari. Ita definit Conc. Trid., Can. 4. *Si quis dixerit Præbiteros Ecclesiæ, quos Dominus Jacobus adducendos esse ad infirmum*

inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatorum, sed etate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Uncionis Ministrum non esse Sacerdotem, anathema sit. Idque colligitur ex verbis S. Jacobi dicentis: Si quis infirmatur, inducat Presbyteros, ubi nomine Presbyteris non intelligitur senior, et qui majore pollet ætate, ut perperam interpretantur hæretici, sed revera intelligitur Sacerdos, juxta illud 1. Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam (idest per sacram ordinationem) cum impositione manuum Presbyterii, idest cætus Sacerdotum. Confirmatur primo, quia non senes, sed Pontifices et Sacerdotes sunt constituti, ut orent pro aliis, ut dicitur ad Hebr. 6. Secundo, quia alias non seniores, sed sanctiores fuissent introducendi, siquidem eorum orationes longe efficaciores essent, utpote Deo magis acceptæ et gratæ.

Hujus autem veritatis rationem hanc profert Seraphicus Doctor d. 23. art. 2. q. 1. « Dicendum, inquit, quod hujus Sacramenti dispensatio ex officio spectat ad Sacerdotes, et illud confirmat auctoritas, et ratio. Quia dicitur, Inducat Presbyteros, etc. et orent super eum. Ratio, quia cum hujus Sacramenti materia sit oleum consecratum, non debet administrari, nec contingi, nisi ab eo, qui habet manus consecratas, et talis est Sacerdos; ideo non se extendit ad omnes. Nec ad solos Episcopos, quia cum hoc sit Sacramentum periclitantium, qui non possunt adire Prælatos, sed magis e converso, oportet multos perire, si a solis Episcopis dari deberet; ideo disposuit Spiritus Sanctus quod unguentum non solum esset in capite, vel in barba Aaron, sed etiam descenderet usque in oram vestimenti, scilicet usque ad inferiores Sacerdotes. Nec solum sumitur ratio a parte unctionis, verum etiam a parte orationis; quoniam enim officium mediationis Sacerdotibus competit, sicut competit offerre dona, et sacrificia pro peccatis, nec solis Episcopis, nec etiam laicis, sic etiam dispensatio hujus Sacramenti, cujus efficacia principaliter consistit in oratione fidei, cujus est Sacerdos minister de ratione sui officii ».

DICES 1: Innocentius I, Epist. ad Decentium, exponens verba S. Jacobi: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, scribit: Non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet in sua, aut suorum necessitate: igitur non solum Sacerdotibus, sed omnibus etiam Christianis, saltem in casu necessitatis, licitum est hoc Sacramentum ministrare. — Nego consequentiam; loquitur enim Pontifex de unctione, non quidem activa, et ex parte Ministri, sed passiva, et ex parte suscipientis, ut nempe sit sensus, quod promiscue omnes fideles Christiani, non soli Sacerdotes, Oleo infirmorum inungi possint; sed non quod promiscue permittatur omnibus, ut hoc Sacramentum conferant. Quod autem ea sit illius sententia, apparet ex sequentibus illius verbis, ubi subjungit, non solum Sacerdotem, sed Episcopum esse hujus Sacramenti Ministrum: Cæterum, inquit, illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est; nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus

potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum benedicere, et tangere Chrismate, potest cujus est ipsum Chrisma conficere.

DICES 2: Idcirco hujus Sacramenti ministratio non solis Episcopis, sed Presbyteris est concessa, quoniam Episcopi non possent singulis infirmis adesse: sed neque id possunt Sacerdotes, maxime in illis locis, ubi rari sunt: igitur non solis Sacerdotibus, sed etiam quibusque fidelibus in casu necessitatis hoc Sacramentum ministrare licet. — **Nego consequentiam;** cum enim hoc Sacramentum non sit absolute necessarium ad salutem, cumque illius defectum, et Sacerdotis absentiam supplere possit infirmantis devotio, idcirco non fuit necessarium, quod illius ministratio concederetur omnibus fidelibus. — Licet autem S. Jacobus moneat, *inducendos esse Presbyteros*, hoc monitum non sic accipiendum est, quasi plures Presbyteri sint necessarii ad validam hujus Sacramenti collationem, ut existimant Græci, qui septem convocant Presbyteros, ut Extremam-Uctionem ægrotis administrent. Cujus praxis hanc rationem profert Simon Thessalonicensis, apud Arcudium cap. 3. « Dei frater (Jacobus) horum Presbyterorum, *inquit,* « numerum non exprimit: at vero septem esse vocandos consuetudine « traditum est; quod fieri arbitror propter septem dona, quæ apud « Isaiam enumerantur, Spiritus; vel propter illos septem antiquæ Legis « Sacerdotes, qui divino jussu circumeuntes urbem Jericho, septies « tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt. Ut etiam hic septem Sa- « cerdotes malitiæ urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demo- « liuntur. Vel etiam tanquam mortua existente anima, ut supra pue- « rum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, septies orent Sa- « cerdotes, et eam suscitent, prout sane excitavit puerum Elisæus se- « pties reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies « orans, cælum, quod peccantibus clauserat, rursus aperuit, atque « deduxit pluviam, sic isti septies deprecati solvant quidem squallo- « rem peccati, accepta vero gratiæ clave, non secus, ac Petrus ape- « riant cælum, atque misericordiam a Deo remissionis, velut imbrem « deducant. Is ergo sensus est, ut mea fert sententia, septenarii nu- « meri. In necessitate autem, et pauciores Sacerdotes conficiunt ». *Et infra.* « Nonnulli vero, ubi penuria est Sacerdotum, tres tantum con- « vocant, idque non est reprehendendum. Erit enim imprimis propter « potentiam Trinitatis. *Deinde* vero etiam propter aliud factum Eliæ « in testimonium, et prædicationem Trinitatis. Quando mortuum filium « Seraphaithæ trina prædicatione, trinaque vice in eum incumbens « suscitavit. Cæterum non est curiosius inquirendum de numero, « quando neque numerus scriptus est. Nisi quod quamvis non sit scri- « ptus, necessarium tamen est antiquam observare traditionem, et sin- « quidem septem, ut veteris moris est, si vero necessitas fuerit, tres « sint ad minus, eaque omnia recitent, quæcumque per traditionem « dicenda esse acceperunt. Quoniam quæ a Patribus sunt, ea quoque « spiritus esse, fatendum est ». *Verum,* ut ibidem respondet Arcudius, unde colligit Simon ex eo quod Apostolus dixerit, *vocet Presbyteros Ecclesiæ,* non unum intelligere Presbyterum? si propter numerum multitudinis, frequenter is numerus in Scripturis sanctis accipitur pro numero singulari; nam et Apostolus ad Hebræos scribens de Prophetis dicit: *Obturaverunt ora leonum, lapidati sunt, secti sunt, circumierunt*

*in melotis, et pellibus caprinis; et tamen qui obturavit ora leonum unus fuit Daniel, et qui lapidatus est unus Hieremias fuit, et qui sectus est unus Isaias: et similiter S. Matthæus, et S. Marcus referunt, latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illi exprobrasse; cum tamen S. Lucas diserte scribat, unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum. Sed eodem modo respondendum est, illos accepisse numerum multitudinis pro numero singulari, ut sanctus Augustinus observavit in lib. 3. *De consensu Evangelistarum*, cap. 16. — *Deinde* sæpe Scriptura utitur communi modo loquendi. Communiter autem dicimus, confitenda sunt peccata Sacerdotibus; in ægritudine vocandi sunt Medici; cum tamen semper uni Sacerdoti patefaciamus peccata, et sæpissime unus Medicus curet ægrotum. Itaque quod Jacobus Apostolus dixerit, *vocet Presbyteros*, perinde est, ac si dixisset: vocet unum ex Presbyteris. Sic Christus Dominus dixit leprosis: ite ostendite vos Sacerdotibus, cum alteri leproso dixerit: vade ostende te Sacerdoti. Et Levitici 13. de leproso scriptum est: adducitur ad Aaron Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. Et perfecto si omnes illi decem leprosi uni Sacerdoti se ostendissent, præcepto Christi Domini cumulate satisfecissent. — *Et infra*: unus Presbyter seorsim consideratus vere, proprie, ac per se etiam secundum Græcos, veram adhibet subjecto materiam, et integram formam hujus Sacramenti: ergo vere et proprie solus confert hoc Sacramentum. Quare cæteri videntur esse superflui, superfluos dico, si exequantur Sacramentum recitantes eandem formam; imo utrum etiam graviter peccent, dum sine ratione iterant Sacramentum, nec ne, dicam postea suo loco. — *Denique*, si Thessalonicensis congruentias quærit, ut ipse requirit ad minus tres ad significandam sanctissimam Trinitatem, ita nos unum ad declarandam unicam Divinitatem, vel unam personam Christi incarnati, vel aliquid simile; non enim desunt ingeniosis similitudines rerum, et congruentiæ. Quare si vel aderit Presbyter, sufficit solus, præsertim in necessitate. *Hæc Arcudius*. Consequens est ergo, quod cum S. Jacobus, ait: *inducat Presbyteros*, potius qualitatem Ministri, quam numerum commendat, hocque ab eo dictum est per enallagem, quomodo sæpe dicitur, quod peccator sua crimina debet confiteri Sacerdotibus, idest homini, qui sit Sacerdos, vel uni ex Sacerdotibus.*

EX HIS COLLIGE, Sacramentum Extremæ Uctionis integre administrari debere ab eodem Ministro; ita quod singulæ Uctiones cum suis formulis, et precationibus, ab eodem Sacerdote adhibeantur; sanctus enim Jacobus dicit, ungentes debere orare super ægrotum; una autem oratio a pluribus partialiter prolata non potest habere perfectum sensum, secundum communem usum loquendi. Possent tamen diversorum sensuum Uctiones una cum formulis sibi correspondentibus a diversis Sacerdotibus ministrari, extra necessitatem quidem valide, sed illicite, quia id fieret contra Ecclesiæ praxim, quæ maxime in Sacramentorum administratione est attendenda; licite vero in necessitate, puta si prior Sacerdos post primam Uctionem unius sensus deficiat, et tunc alter reliquas Uctiones absolvat.

COLLIGE 2. Ministrum ordinarium Extremæ Uctionis esse proprium Pastorem cujusque Ecclesiæ, licet enim omnis Sacerdos valide possit hoc Sacramentum etiam extra necessitatem conferre, non potest

tamen licite id exequi, nisi sit vel proprius suscipientis Sacerdos, vel ab eo licentiam obtinuerit: *tum* quia ministrare Sacramentum est officium Pastoris, quod nullus potest sibi vindicare, nisi vel ab eo Pastore, vel ab ejus Superiore facultatem obtinuerit. Unde Catechismus Concilii Tridentini, cum dixisset num. 26., soli Sacerdoti hujus Sacramenti administrationem esse commissam, subdit: neque tamen Ecclesiæ decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille ejus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet. *Tum* quia ex Clementina prima *De Privilegiis*, sub excommunicationis pœna prohibetur Religiosis, ne absque licentia proprii Sacerdotis, seu Presbyteri Parochialis, hoc Sacramentum administrent Clericis, aut Laicis sibi non subditis.

QUÆRES 2. *Quibusnam hoc Sacramentum conferri debeat?*

RESPONDEO, hujus Sacramenti suscipiendi capacem esse solum Christianum, viatorem, adultum, et infirmum.

Prima pars constat; nullus enim homo capax est Sacramenti suscipiendi, nisi caractere Baptismali sit insignitus, quippe cum, ut jam diximus pluries cum Concilio Tridentino, Baptismus sit omnium Sacramentorum janua. Unde si hoc Sacramentum conferretur non baptizato, quantumvis ille Catechumenus esset, et in gratia existens, prorsus irritum esset et invalidum.

Secunda pars etiam constat, nempe quod solus homo vivus et viator hujus Sacramenti recipiendi sit capax: *tum* quia S. Jacobus dicit, eum cui conferri debet hæc Sacra Unctio, debere esse infirmum, ac subinde vivum et viatorem: *tum* quia, ut diximus agendo de Sacramentis in communi, Sacramenta novæ Legis sunt remedia, quæ non prosunt mortuis finaliter ac damnatis, nec perpetua sanitate fruentibus, quales sunt Beati. sed dumtaxat infirmis, ut sunt viatores.

Tertia pars, nempe quod conferri debeat tantum adultis. sufficienter colligitur ex dictis; cum enim præcipuus hujus Sacramenti effectus sit remissio peccati venialis, et ex accidenti etiam mortalis, illi soli debet ministrari qui hujusmodi peccati committendi capax est: pueri autem ante rationis usum non sunt capaces ullius committendi peccati: ergo neque hujus Sacramenti suscipiendi. *Nec obstat,* quod sint capaces gratiæ et illius augmenti; nam augmentum, vel infusio gratiæ est generalis effectus Sacramentorum, qui per singula Sacramenta non confertur, nisi ut conjunctus propriis effectibus ipsorum Sacramentorum; et ideo ubi non est capacitas primarii et proprii effectus, nec etiam est capacitas Sacramenti, neque effectus communis Sacramentorum per tale Sacramentum conferendus est. — *Vel dico* cum Mastroio, Sacramenta esse quidem instituta ad causandam gratiam, cum hæc sit communis eorum effectus, non tamen instituta sunt ad eam quomodocumque causandam, sed tamquam necessariam ad aliquem peculiarem effectum eis proprium: alioquin sequeretur, quod cum gratia habitualis ab omnibus causata sit ejusdem speciei, eosdem quoque effectus produceret in singulis Sacramentis, et omnia quoque Sacramenta ejusdem essent speciei. Hinc diximus in superioribus, Baptismum esse institutum ad causandam gratiam, qua deletur originale, et cætera actualia; Pœnitentiam ad causandam gratiam, qua homo va.

leat fortiter confiteri fidem, et sic de aliis. Sic ergo in proposito Extrema Unctio instituta est ad causandam gratiam deletivam secundum se venialium in homine eorum capaci, ad confortandum contra tentationes, et ad alleviandam animam, ut constat ex dictis: cum ergo parvuli nec peccatorum, nec tentationum dæmonis sint capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de se est deletiva venialium in subjecto capaci eorum. Ita Mastrius, qu. 6. num. 106. — *Nec etiam obstat*, quod infantes sint capaces recipiendæ sanitatis, quæ recensetur inter effectus Extremæ Unctionis; nam, ut diximus, effectus iste est tantum intentus per accidens, non autem primo et per se; ac subinde illius solius producendi gratia non debet Sacramentum administrari: igitur solis adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt, legitime conferri potest hoc Sacramentum, dummodo certo non constet, eos antequam usum rationis amiserunt, fuisse in peccato, et de illo non pœnituisse, puta si quis blasphemando aut adulterando ratione ac sensibus destitueretur, et periculoso morbo laboraret; hac enim in occasione ei non deberet conferri hoc Sacramentum, quia non ordinatur directe ad remissionem peccati mortalis, et aliunde supponit hominẽm pœnitentem, aut in statu gratiæ. — Aliis autem quibuscumque adultis, etiamsi de facto nullum rationis usum habeant, dummodo illum antea habuerint, debet hoc Sacramentum ministrari; quia primarius hujus Sacramenti effectus non est tantum animi roboratio contra tentationes dæmonis, sed etiam est peccatorum venialium remissio, neenon mortalium inculpabiliter oblatorum, vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remissa; quamvis ergo amentes in eo statu sint horum effectuum incapaces, sunt tamen capaces alterius, scilicet remissionis peccatorum; fieri enim potest, ut aliquis in peccato mortali existens cum sola Attritione in amentiam incidat, quo in casu virtute hujus Sacramenti gratiam recipiat, et de attrito fiat æquivalenter contritus. *Nec obstat*, quod S. Jacobus dixerit, *inducat Presbyteros*; hæc enim non significant, necessariam esse in infirmo petitionem formalem et expressam hujus Sacramenti; sufficit enim virtualis et interpretativa, quam unusquisque habet de propria salute; enimvero si hæc interpretativa et virtualis petitio sufficiat ad receptionem Baptismi, multo magis sufficiet ad conferendam Sacram Unctionem.

Patet denique ultima pars, nempe quod solus homo infirmus sit Extremæ Unctionis capax; id enim a Christo Domino institutum fuisse creditur ex verbis S. Jacobi dicentis: *infirmatur quis in vobis*, etc. Quod utique declarat Concilium Florentinum, cum dixit: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*; et Tridentinum dicens: *Non nisi infirmis, qui in exitu vitæ constituti videantur*. Unde Sacramentum hoc valide conferri non potest homini bene valenti, quamvis in evidenti vitæ periculo constituatur, puta damnatis ad mortem, aut periculose navigaturis, aut præliaturis; hi namque non sunt infirmi, et possunt sibi consulere per alia Sacramenta, maxime per Sacramentum Pœnitentiæ.

Hæc omnia luculenter ac nitide explicat Doctor, dist. 23. num. 3. ubi tradit ac declarat definitionem Extremæ Unctionis in hunc modum: « *Extrema Unctio est unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in deter-*
« *minatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata*

« a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex
 « institutione divina efficaciter significans curationem finalem venia-
 « lium. Ista ratio (inquit) apparet bona, quia non est in se falsa, ex 5.
 « *Metaph.*, cap. 17. quia nulla pars ejus repugnat alteri. Exponendo
 « ergo partes, primo ponitur, quod est *unctio*, cujus congruentia est,
 « quia istud signum sensibile congruit effectui, scilicet unctioni cu-
 « rativæ. Subditur, *hominis infirmi*: ideo non debet conferri sano, nec
 « qualitercumque exposito periculo mortis, quia non ei cui imminet
 « mors ex periculo extrinsecæ violentiæ, ut armorum, vel submer-
 « sionis, vel hujusmodi, nec sit exitus de statu viatoris ad terminum;
 « ita quod probabiliter immineat qualitercumque infirmo, sed peri-
 « culum. Quod additur *pœnitentis*, patet, quia nullus est capax istius
 « Sacramenti digne, nisi sit in gratia; istud enim Sacramentum non
 « est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Bap-
 « tismus et Pœnitentia. Ex hoc excluduntur non utentes ratione, ut
 « parvuli, et qui non habent materiam pœnitentiæ, saltem qui non
 « habent Pœnitentiam de venialibus, ut perfecte innocentes: quia
 « etiam non utentes ratione non possunt esse pœnitentes, excluduntur
 « furiosi et amentes; et hoc nisi per voluntatem præcedentem expres-
 « sam præsumantur illud velle. Quod additur, *in determinatis partibus*;
 « istæ partes sunt organa potentiarum, per quarum actus peccatur
 « frequenter venialiter, utpote organa quinque sensuum, et potentiæ
 « motivæ. Et hoc aliquando respectu ejusdem sensus, vel potentiæ
 « geminatæ, ut organa potentiæ visivæ, ut oculi duo, organa potentiæ
 « auditivæ duæ aures, organa potentiæ olfactivæ, nares, organa po-
 « tentiæ tactivæ manus. Et sic istis prædictis, sicut geminantur or-
 « gana, ita geminantur unctiones; organum gustus est lingua, in
 « qua non fit propter abominationem tollendam unctio; sed exterius
 « super os; propter autem organum potentiæ generativæ fit unctio
 « ad lumbos, juxta illud Gregorii super illud Lucæ: *Sint lumbi*
 « *vestri præcincti*, etc. *Viris*, inquit, *luxuria in lumbis est*. Propter
 « organum motivæ quantum ad progressivam, quæ est principalis
 « motiva, fit duplex unctio in duobus pedibus tamquam organis ad
 « illum motum ordinatis. Alia motio, qua frequenter peccatur, est
 « motio linguæ, juxta illud Jacobi 3. *Qui non offendit verbo, hic*
 « *perfectus est vir*, et multa alia ibi. Et contra illud est unctio oris,
 « ita quod ipsa est remedium contra duplex peccatum veniale, si-
 « cut lingua congruit in duobus operi naturæ 2. *De anima*, in gu-
 « stum scilicet, et loquelam. Sunt ergo undecim unctiones, scilicet
 « partiales, sed aliquæ sunt geminatæ quasi una, ita quod sunt sep-
 « tem principales, quinque in organis quinque sensuum, sexta in
 « organo principali potentiæ motivæ progressivæ, septima in organo
 « principali generativæ ».

Doctori concinit Catechismus Concilii Tridentini, num. 17. ubi ait:
 « Sed docendi sunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes per-
 « tineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus administran-
 « dum non sit. Ac primum excipiuntur qui sano et firmo corpore
 « sunt; iis enim Extremam Unctionem tribuendam non esse, et Apo-
 « stolus docet, cum inquit: *Infirmatur quis in vobis?* et ratio ostendit;
 « siquidem ob eam rem instituta est, non modo ut animæ, sed etiam

« ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo
 « laborant, curatione indigeant, ideo iis etiam, qui adeo periculose
 « ægrotare videntur, ut, ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum
 « sit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen gravissime pec-
 « cant, qui illud tempus ægroti ungenti observare solent, cum jam
 « omni spe salutis amissa, vita et sensibus carere incipiat; constat
 « enim ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam plurimum va-
 « lere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget fi-
 « demque, et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo
 « liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum
 « tempore cælestem medicinam adhibeant illam quidem semper vi sua
 « admodum salutarem, cum eorum etiam pietate et religione, qui cu-
 « randi sunt, magis profuturam intellexerint. Nemini igitur, qui gravi
 « morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametsi
 « vitæ periculum adeat, vel quia periculosam navigationem parat, vel
 « quia prælium initurus sit, quo certa mors illi impendeat, vel etiam
 « si capitis damnatus ad supplicium raperetur. Omnes præterea, qui
 « rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non
 « sunt; et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare
 « hujus Sacramenti remedio opus sit. Amentes item, et furiosi, nisi
 « interdum rationis usum habuerint, et eo potissimum tempore pii
 « animi significationem darent, peterentque ut sacro oleo ungerentur;
 « nam qui ab ipso ortu numquam mentis et rationis compos fuit
 « ungendus non est. Secus vero si ægrotus, cum mente adhuc integra
 « hujus Sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam, et fu-
 « rorem incidit ».

PETES: *Quænam sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum?* — **Re-
 spondeo primo**, quod si Extrema Unctio attendatur secundum se et
 absolute in ordine ad hominem constitutum in morbo periculoso, Fi-
 deles adultos ad sui receptionem non obligat, siquidem ad id tene-
 rentur, vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. Non *prima*,
 quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, ut sine ejus rece-
 ptione salus non possit comparari; siquidem nullo ex capite talis nec-
 cessitas colligitur, quia nullum extat præceptum vel in Scriptura, vel
 in Traditione, vel in Canonibus, aut praxi Ecclesiæ. Non quidem in
 Scriptura, si enim aliquod hujus Sacramenti suscipiendi esset præcep-
 tum, maxime peteretur ex verbis S. Jacobi: at ita non est, siquidem
 S. Jacobus solum ibi promulgat hoc Sacramentum, et magis hortatur
 fideles ad ejus receptionem, quam illam præcipiat: igitur non est obli-
 gatio illud suscipiendi sub peccato. Neque etiam ex Canonibus, aut
 praxi Ecclesiæ, quia praxis Ecclesiæ non fundatur in obligatione, sed
 in utilitate consequenda ex hujus Sacramenti receptione. Neque etiam
 ex Canonibus, nullus enim canon apparet, ex quo colligatur hæc nec-
 cessitas; quare Ecclesia tempore interdicti prohibet dari moribundis
 Sacramentum Extremæ Unctionis, cap. *quod in te de pœnit. et remis-
 sione*, quod certe non prohiberet, si esset illis necessarium necessitate
 medii, vel præcepti, ob eam enim rationem non prohibet illis dari Sa-
 cramenta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ per modum viatici. — *Respondeo
 secundo*, quod si hoc Sacramentum consideretur per ordinem ad quas-

dam circumstantias speciales, puta scandali, vel contemptus, aut conscientiæ, aliquando fideles adulti ad ejus receptionem obligantur, quisque enim tenetur vitare scandalum, et ea sibi media procurare, quæ ex conscientia judicat esse necessaria ad salutem consequendam: at ex omissione receptionis hujus Sacramenti potest interdum oriri scandalum, puta vel suspicio hæresis, vel hujus Sacramenti contemptus, si nempe aliquis bene audiens apud omnes, sciat se constitutum in morbo periculoso, et communem esse fidelium praxim, ut hoc Sacramentum in tali statu recipiatur, illud tamen respuit coram pluribus, sicque dat occasionem suspicandi, quod sit hæreticus; vel ex parte conscientiæ, si nempe infirmus dubitet de sua Contritione, nec possit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, cujus ope fiat ex attrito contritus, in eo casu tenetur sibi procurare hujus Sacramenti receptionem, ut nempe habeat media sufficientia ad salutem.

PETES DENIQUE: *Quænam dispositiones prærequirantur in suscipiente ad dignam receptionem hujus Sacramenti?* — **Respondeo**, requiri *primo*, ut suscipiens sit ab omni peccato mortali purgatus; unde hoc Sacramentum conferri solet dumtaxat post Absolutionem sacramentalem: *secundo*, ut suscipiens habeat fidem, et spem consequendæ sanitatis animæ et corporis, si hæc corporis sanitas saluti expediat. *Tertio*, ut suam intentionem, et preces jungat, et uniat intentioni, et precibus Ecclesiæ. *Quarto denique*, ut exinde speret sibi concedendum divinum auxilium, et patrocinium adversus omnes dæmonum infestationes. Quas omnes dispositiones optime explicat Gatechismus Rom., n. 29. ubi scribit: *Quoniam vero omni studio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediatur: ei vero nihil magis adversatur, quam alicujus peccati mortiferi conscientia, servanda est Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, ut ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentum administretur. Ac deinde ægroto persuadere Parochi studeant, ut ea fide se ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apostolis sanandi erant, seipsos offerre consueverant. In primis autem animæ salus, deinde corporis valetudo cum illa adjunctione, si ea ad æternam gloriam profutura sit, expetenda est. Nec vero dubitare Fideles debent, quin sanctæ illæ et solemnes preces a Deo audiantur, quibus Sacerdos non suam, sed Ecclesiæ, et Domini nostri Jesu Christi personam gerens utitur. Qua una maxime re cohortandi sunt, ut hujus saluberrimi olei Sacramentum sancte, et religiose sibi administrandi curent, cum et acrior pugna instare, et vires cum animi, tum corporis deficere videantur.*

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

JOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myrensis, Vicesgerens.

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

quæ in hoc Decimo Tomo continentur.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
TRACTATUS PRIMUS.		smi Effectibus, et Ritibus servari solitis in solemnibus administratione . . .	116
De Sacramentis institutis, et ordinatis in remedium Pec- cati	5	QUÆSTIO I. Qualiter Baptismus peccatum, et debitas ei pœ- nas remittat, ac gratiam con- ferat	ib.
DISPUTATIO PRIMA.		QUÆSTIO II. De Ritibus, et Cæremoniis servari solitis in solemnibus Baptismi admi- nistratione	126
De Sacramento Baptismatis .	6	§ I. De Cæremoniis antecede- ntibus Baptismum quoad substantiam spectatum . .	127
ARTICULUS I. De Institu- tione, et Natura sacramenti Baptismatis	7	§ II. De Cæremoniis concomi- tantibus, maxime de Loco, et Tempore	131
QUÆSTIO I. Utrum Baptismus Joannis idem fuerit cum Bap- tismo Christi, et vim ha- buerit remittendi peccata .	8	§ III. De Cæremoniis Bap- tismi substantiam consequen- tibus	136
QUÆSTIO II. Quid sit Bap- tismus, et quando institutus fuerit, ac sub præcepto esse cœperit	15	DISPUTATIO SECUNDA.	
QUÆSTIO III. Quotuplex sit Baptismus	30	De Virtute, et Sacramento Pœnitentiæ	142
QUÆSTIO IV. Quænam sit ma- teria remota Baptismi flumi- nis	40	ARTICULUS I. De essentia, necessitate, et efficacia Pœ- nitentiæ virtutis	143
QUÆSTIO V. Quæ, et qualis sit materia proxima Bap- tismi	50	SECTIO I. De natura Pœni- tentiæ virtutis	144
QUÆSTIO VI. Quænam sit le- gitima forma Baptismi . .	59	QUÆSTIO I. Quid sit Pœni- tentia	145
ARTICULUS II. De Ministro, et subjecto Baptismi	72	QUÆSTIO II. Qualis sit Pœni- tentia, et ad quam ex vir- tutibus reducatur	158
QUÆSTIO I. Quis sit idoneus Minister Baptismi	ib.	QUÆSTIO III. Quodnam sit Objectum Pœnitentiæ	167
QUÆSTIO II. Quinam, et quo- modo teneantur ad Bap- tismum suscipiendum	81	QUÆSTIO IV. Quodnam sit sub- jectum tam immediatum, quam mediatum virtutis Pœ- nitentiæ	172
QUÆSTIO III. Utrum valide, et licite infantes infidelium nondum habentes usum ra- tionis, invitis eorum paren- tibus, baptizare liceat . . .	93	SECTIO II. De necessitate Pœ- nitentiæ	177
QUÆSTIO IV. Quænam præviæ dispositiones requirantur in adulto, ut valide, et debite Baptismum suscipiat	102	QUÆSTIO I. Utrum, et qua ratione Pœnitentiæ virtus pec- catori sit necessaria ad salu- tem consequendam	178
ARTICULUS III. De Bap- tismi			

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
QUÆSTIO II. Utrum sit præceptum aliquod de agenda Pœnitentia, et quando implendum	187	talis, seu quomodo remittat reatum culpæ, et pœnæ	338
SECTIO III. De efficacitate virtutis Pœnitentiæ	200	ARTICULUS III. De partibus Pœnitentiæ in speciali	353
QUÆSTIO I. Utrum per Pœnitentiam omnia peccata mortalia, quantumcumque gravia remitti possint	201	SECTIO I. De Contritione	ib.
QUÆSTIO II. Per quid, et quomodo remittatur peccatum veniale tam in vita, quam post mortem.	220	QUÆSTIO I. Quid, et qualis sit Contritio.	355
QUÆSTIO III. Utrum, remissa culpa peccati mortalis, et venialis per pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ temporalis, et quomodo hic solvi possit	233	QUÆSTIO II. Qualiter, et quando Contritio nabeat vim, et efficaciam remittendi peccata	369
QUÆSTIO IV. Utrum, et qualiter opera meritoria per peccatum mortificata virtute Pœnitentiæ reviviscant	244	QUÆSTIO III. Quomodo Contritio detestari debeat peccata	383
QUÆSTIO V. Utrum peccata semel per Pœnitentiam remissa reviviscant per subsequens peccatum, et denuo imputentur, tam quoad culpam, quam quoad pœnam.	256	QUÆSTIO IV. Quid sit Contritio imperfecta, seu Attritio, et quomodo conferat ad remissionem peccati	390
ARTICULUS II. De Sacramento Pœnitentiæ	267	SECTIO II. De Confessione Sacramentali	417
§ I. De origine hæresis Novatianorum	269	QUÆSTIO I. Utrum, et quomodo Confessio peccatorum sit necessaria	421
§ II. De progressu hæresis Novatianorum	274	QUÆSTIO II. Utrum, a quibus, et de quibus, fieri debeat Confessio ex præcepto Ecclesiæ	469
§ III. Quibus in Conciliis damnati fuerint Novatianorum errores.	276	QUÆSTIO III. Qualis esse debeat Confessio, ut sit perfecta	482
QUÆSTIO I. Utrum Pœnitentia sit Sacramentum ab aliis distinctum, et quo tempore fuerit Christo Domino institutum	282	QUÆSTIO IV. Quis, et qualis esse debeat Minister sacramenti, cui fieri debeat Confessio	503
QUÆSTIO II. Quænam sit materia Sacramenti Pœnitentiæ	302	ARTICULUS IV. De Satisfactione Sacramentali	525
QUÆSTIO III. Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ	308	QUÆSTIO I. Utrum homo possit, et debeat Deo satisfacere pro pœna temporali peccato debita	527
QUÆSTIO IV. Utrum forma Absolutionis valide fieri possit verbis deprecativis, et sub conditione.	324	QUÆSTIO II. Quæ, et qualia esse debeant opera Satisfactoria	534
QUÆSTIO V. Quisnam sit effectus Absolutionis Sacerdo-			

APPENDIX.

De Satisfactione, seu Pœnitentia publica	550
§ I. Quotuplex sit Pœnitentia publica	552
§ II. Quot, et qui fuerint Pœnitentiæ publicæ gradus	561
§ III. Quænam peccata Pœnitentiæ publicæ subjacebant	569
§ IV. Utrum Pœnitentia pu-	

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
blica pro peccatis dumtaxat publicis fuerit præscripta.	574	Unctio, revera sit sacramentum	593
DISPUTATIO TERTIA.		QUÆSTIO II. Quænam sit materia, et forma Sacramenti Extremæ Unctionis	603
De Sacramento Extremæ Unctionis.	592	QUÆSTIO III. Quinam sint fructus, et effectus hujus sacramenti	616
QUÆSTIO I. Utrum Extrema			

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC DECIMO VOLUMINE
CONTINENTUR.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
A			
<i>Ablutio.</i>			
Ablutio est materia proxima		Quomodo quidvis fidelis pos-	
Baptismi	50	sit justum absolvere	508
Quid sit Ablutio baptismalis.	ib.	Quilibet Sacerdos non potest	
Ablutio sacramentalis fieri po-		absolvere	512
test tribus modis	51	Quia non omnis habet jurisdic-	
Ablutio baptismalis fieri debet		tionem	513
in notabili parte	52	Non licebat olim quoslibet	
Urgente tamen necessitate,		pœnitentes absolvere	514
potest in minima	53	Non confertur completa po-	
Ablutio baptismalis requirit		testas absolvendi in Ordi-	
aliquam aquæ quantitatem.	ib.	natione	515
Ablutio occisiva non proficit.	54	Licet Sacerdotes eam habeant	
<i>Absolutio.</i>			
Quo sensu præcipua vis pœ-		a Christo	ib.
nitentiæ consistat in Abso-		<i>Actio.</i>	
lutione	307	Quid remaneat post Actum	
Quare Sacerdotalis Absolutio		peccaminosum	168
dicatur forma pœnitentiæ.	308	Et quomodo possit deleri	169
Sola verba, <i>Absolve te</i> , sunt		<i>Adultus.</i>	
essentialia formæ Absolu-		Adultus est duplex	103
tionis	310	Adultus ratione orbatuS bap-	
His verbis, <i>Absolve te</i> , cum		tizari potest	104
debita intentione prolatis		Adultus non consentiens in-	
perficitur Sacramentum.	313	valide baptizatur	105
Absolutio debet ore proferri,		Nolens tantum secundum	
quamvis confessio fieri pos-		quid, valide baptizatur.	106
sit scripto, aut nutu.	316	<i>Amor.</i>	
Discrimen inter Absolutionem		Intensio Amoris est multiplex.	370
a Censuris, et Absolutionem		Quo sensu S. Aug. dixerit	
a peccatis	317	neminem posse justificari	
Nulla esset Absolutio data		sine amore Dei	407
absenti, et per literas	318	<i>Aqua.</i>	
Absolutio non potest fieri solis		Aqua naturalis est sola bap-	
verbis deprecativis	325	tismi materia	42
Græci non absolvunt verbis		Aqua vera fluxit ex perfosso	
tantum deprecatoriis.	331	latere Christi Domini	43
Valere potest Absolutio sub		<i>Attritio.</i>	
conditione de præterito, et		Quid significetur nomine At-	
præsentis, non autem de fu-		tritionis	390
turo	337	Attritio ex metu gehennæ est	
Dimittitur aliqua pars pœnæ		actus salutaris	393
per Absolutionem.	349	Attritus tendit in Deum sal-	
		tem inefficaciter, et magis	
		dolet de culpa, quam de	
		pœna	397

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Attritio sufficit cum Sacramento ad gratiam . . .	398	Aqua Baptismi solemniter conferendi debet esse benedicta . . .	49
Attritio cum Sacramento æquivalet contritioni quantum ad effectum . . .	407	Stephanus II non approbavit Baptismum in vino collatum . . .	45
Doctor Seraphicus non improbat Attritionem, nec Subtilis Doctor . . .	408	Omnis, et sola aqua elementaris est materia sufficiens Baptismi . . .	46
Attritio sine Sacramento non est multum accepta Deo . . .	411	Repudiantur omnes alii liquores, maxime artificiales. . .	47
Attritio cum Sacramento fit Contritio æquivalenter . . .	414	Dubitatur de cervisia, et jussculo, etc. . .	ib.
Attritio debet extendi ad omnia peccata mortalia, non autem necessario ad omnia venialia . . .	ib.	Baptismus sanguinis dignior est Baptismo fluminis . . .	40
Definitio Attritionis . . .	416	Qualiter Christi Domini Passio tantum prævisa, contulerit efficaciam Baptismo . . .	22
B			
<i>Baptismus.</i>			
Quam miranda sit Baptismi virtus . . .	6	Baptismus non fuit institutus dum Christus Dominus in Jordane baptizatus est . . .	ib.
Æmulatur Incarnationem . . .	ib.	Nec in colloquio cum Nicodemio . . .	23
Baptismi nomen tria significat . . .	7	Quo sensu plurimi Patres dixerint Baptismum accepisse vim sanctificandi in Jordane . . .	ib.
Variis nominibus, ac gloriæ titulis illustratur . . .	8	Baptismus fuit utilis, et sufficiens pro expiando peccato originali ante Christi Passionem . . .	24
Cur primum agatur de S. Joannis Baptismate . . .	ib.	Qui Baptizatus erat ante Christi Domini Passionem poterat salvari sine Circumcisione: Judæi tamen tenebantur circumcidere suos pueros, licet Baptizatos. . .	25
Hæretici nolunt aliquid esse discrimen inter Baptismum Joannis, et Christi . . .	ib.	Baptismus non fuit sub præcepto statim post mortem Christi . . .	27
Baptismus Joannis fuit præparatio ad Baptismum Christi . . .	9	Sed pro Judæis a die Pentecostes, et successive pro Gentilibus . . .	28
Baptismus Joannis distinctus erat a Baptismate Christi . . .	10	Certum est Baptismum esse Sacramentum novæ Legis . . .	15
Proponitur primum hæreticorum fundamentum . . .	12	Et primum omnium a Christo Domino institutum . . .	16
Solvitur . . .	ib.	Triplex est sententia de tempore institutionis Baptismi. . .	ib.
Alia hæreticorum fundamenta proponuntur et convelluntur . . .	13	Et totuplex de inceptione illius obligationis . . .	17
Baptismus Joannis non conferbat gratiam sanctificantem. . .	14	Duplex traditur Baptismi definitio . . .	18
Quam varie erraverint hæretici circa materiam Baptismi. . .	41	Ultima magis probanda . . .	ib.
Aqua naturalis est sola legitima Baptismi materia . . .	42	Omnino rejiciendæ sunt definitiones hæreticorum . . .	19
Explicantur SS. Patres, qui huic assertioni videntur contrarii . . .	15	Baptismus fuit institutus ante Christi Domini Passionem. . .	ib.
Sal resolutum potest esse materia Baptismi . . .	49		

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Christus Dominus suo baptis- mate baptizavit, et ejus Discipuli	20	Verbum istud deprecationem tantum significat	64
Baptismus est primum om- nium Sacramentorum, et Ec- clesiæ janua	ib.	Nunc temporis est indicativi modi, ajunt enim, (<i>baptiza- tur</i>).	ib.
Aliæ similes formæ rejiciun- tur	68	Persona baptizati exprimi de- bet in forma Baptismi	65
Licitum fuit aliquando bapti- zare in solo nomine Christi.	ib.	Præpositio (<i>in</i>) non est abso- lute necessaria	66
Opposita tamen sententia non est improbabilis	69	Particula (<i>in nomine</i>) signifi- cat unitatem essentiæ divi- vinæ	ib.
Non licet nunc in solo no- mine Christi Baptizare	70	Vel auctoritatem, et majesta- tem Dei	ib.
Probabilius est, quod Bapti- smus ille esset invalidus	71	Est absolute necessaria	ib.
Baptismus duplici ritu potest administrari	72	Personæ divinæ exprimi de- bent in Baptismo sub pro- prietate earum constitutiva in ratione personæ	67
Duplex est illius minister	ib.	Omnia peccata per Baptismum diluuntur	117
Duplex est Sacramentorum administratio	ib.	Per Baptismum solvitur pœna æterna	121
Calvinistæ nolunt Baptismum posse administrari a quoli- bet	73	Non vero omnis temporalis	ib.
Quod omnes Catholici procla- mant	ib.	Quomodo Baptismus immi- nuat concupiscentiæ vires.	122
Valet enim Baptismus collatus etiam a Pagano, et Judæo	ib.	Baptismus æqualem gratiam ordinarie confert subjectis æqualiter dispositis	123
Multo magis a Laico Chri- stiano	74	Potest tamen uberior gratia Baptizatis conferri	ib.
Qua ratione Christus Dominus dederit Apostolis potestatem baptizandi	ib.	Non eadem est obligatio sus- cipiendæ Eucharistiæ, ac Baptismatis	87
Quo sensu Tertullianus neget jus baptizandi mulieribus	ib.	Parvuli omnes sunt capaces Baptismi suscipiendi	ib.
Et Gregorius XI Paganis	75	Non est eadem obligatio au- diendæ doctrinæ, ac susci- piendi Baptismi Christi Do- mini	88
Sicut et S. Augustinus	ib.	Quare non sit eadem neces- sitas fidei, ac Baptismi	89
Et Concilium Eliberitanum	ib.	Nullum est amplius remedium originalis peccati eluendi, nec medium salutis conse- quendæ, quod parvulis pro- desse possit, præter Bap- tismum	ib.
Episcopus, et Sacerdos est Mi- nister ordinarius Baptismi.	ib.	Quare nunc non vigeant Le- gis naturæ, et scriptæ re- media	91
Quis sit servandus ordo inter Ministros Baptismi	76	Nec tamen deterior fit con- ditio Christianorum, quam Judæorum	ib.
Nemo seipsum baptizare potest	77	Baptismi suscipiendi necessi- tas irrita reddit alia reme-	
Plures ab uno baptizari pos- sunt	78		
Quo in casu plura essent Bap- tismata	79		
Quo sensu, et quomodo intel- ligi possit, quod plures eun- dem baptizarent	ib.		
Græci utuntur verbo (<i>baptize- tur</i>).	63		
Quæ fuerit hujus passivæ usur- pationis causa	ib.		
Possunt adhuc sub ea forma baptizare	64		

<i>pag.</i>	<i>pag.</i>		
dia pro eluendo peccato originali, licet non sit cognita.	92	Esset autem validus si omnes simul utrumque præstarent	79
Ad Sacramentum conferendum, et suscipiendum sufficit intentio virtualis	106	Quid sit agendum circa baptismationem monstri	81
Parvuli infidelium possunt distrahi a consortio parentum	99	Baptismus potest intelligi necessarius tribus modis	82
Non est improbabile infideles posse cogi ad fidem	100	Baptismus est omnibus omnino necessarius ad salutem	83
Etiam infideles non Baptizati	101	Ut etiam fatebantur Pelagiani.	84
Quatuor præcipue requiruntur dispositiones in adulto baptizando	102	Præcluditur Calvinistarum evasio	ib.
Fides est necessaria ad debite, non autem ad valide suscipiendum Baptismum	ib.	<i>De Cæremoniis Baptismi.</i>	
Etiam habitualis sufficit	107	Unde deductum Cæremoniæ nomen	126
Non sufficit ad validum Baptismum status indifferens	108	Quid sit	ib.
Adultus Baptizandus debet pœnitere	ib.	Eas negat usurpandas Calvinus	ib.
Contritio perfecta non requiritur in adulto Baptizando.	110	Varia Cæremoniæ antiquitus Baptismum antecedeabant	127
Contritio perfecta non est necessaria ut homo se convertat ad Deum; ut ad ultimum finem	ib.	Ad Baptismi solemnem collationem requiruntur Patrini.	123
Qui simulata pietate accedit Baptizandus valide baptizatur	111	Eorum institutio oritur ab Apostolis	ib.
Sed non justificatur.	ib.	Tres erant antiquitus, nunc debet esse unicus.	ib.
Tres modi, quibus dicitur gratia Baptismi reviviscere.	112	Debet invigilare saluti filioli sui	ib.
Explicantur	114	Eorum est nomina imponere Baptizando	ib.
Baptismi varios effectus numerant SS. Patres.	116	Quare fiat insufflatio baptizando, et abrenuntiatio.	129
Non baptizati tripliciter subijci possunt Principibus Christianis	94	Quid sit Exorcismus	ib.
Infidelium filii valide possunt Baptizari, invitis parentibus.	ib.	A quo primum usurpatus.	ib.
Licet adulti non possint contra propriam voluntatem	95	Cui imprimatur signum Crucis	130
Filii Baptizatorum, et Infidelium mancipatorum Christianis, baptizari possunt invitis parentibus.	ib.	Quare sal imponatur	ib.
Possunt Infidelium politice Christianis subditorum filii licite baptizari.	97	Quare aures saliva liniantur.	ib.
Quia Deo magis est obediendum quam hominibus, etc.	ib.	Quare fiat fidei Confessio, et interrogatio	ib.
Nullus esset Baptismus si unus ablueret, et alter verba proferret	79	Et pectoris, et scapularum unctio	131
		<i>Cæremonia concomitantes Baptismum.</i>	
		Apostoli baptizabant quovis tempore	ib.
		Postmodum statutum fuit baptizandis tempus in Paschate, et Pentecoste	132
		Hæc consuetudo diu perseveravit	ib.
		Cur fuerit abrogata	133
		In necessitate licebat baptizare quovis tempore.	ib.
		Et in quovis loco	ib.
		<i>Cæremonia consequentes.</i>	
		Baptizatum Sacerdos osculabatur	136

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
In vertice ungebat	137	frequentarunt, demptis non-	
Caput panno tegebat	ib.	nullis errantibus	455
Veste alba induebat	ib.	Parvi facienda est Glossatoris	
Eucharistiam præbebat	140	sententiâ de Confessione	457
Ad Episcopum ducebat, ut		Nectarius non abrogavit Con-	
Confirmationem acciperet	ib.	fessionem auricularem, sed	
Cur pulsentur campanæ post		publicam	459
Baptismum	141	Mulieres rarius quam viri pœ-	
Baptismus est validus etiam		nitentiam publicam age-	
per aspersionem	56	bant	464
Debet repræsentare mortem,		Aliter fiebat pœnitentia pu-	
et resurrectionem Christi		blica, post, quam ante schi-	
Domini	ib.	sma Novatianorum	ib.
Perinde est ad valorem Ba-		Triplicis in Scriptura celebra-	
ptismi, quod fiat per ablu-		tur Confessio	417
tionem unicam, vel tripli-		Alia insuper Deo, et alia ho-	
cem	57	mini	ib.
Circa formam Baptismi erra-		Alia iterum sacramentalis, al-	
verunt hæretici tempore		tera non sacramentalis	ib.
Apostolorum	59	Confessio usurpatur interdum	
Recensentur	ib.	pro tota pœnitentia	418
Verba formæ aliqua sunt ne-		Confessio non est de jure na-	
cessaria ex parte sacramenti,		turali	423
alia ex parte ministri	60	Confessio in Lege veteri fiebat	
Quænam sit legitima forma		Deo soli, ideo non erat sa-	
Baptismi	ib.	cramentum	424
Expenditur dubium, et con-		Naturali lumine notum est,	
troversia Claromontensium		quod peccator debeat judi-	
de forma Baptismi	61	cari ab aliquo, sed non est	
Pronomen, <i>ego</i> , non debet ne-		naturaliter notum, quod sit	
cessario exprimi	62	judicandus ab alio homine.	425
Verbum, <i>Baptizo</i> , active, vel		Confessio fieri debet singulis	
passive proferri potest	63	annis ex præcepto Ecclesia-	
Quid per Baptismum ignis in-		stico	471
telligatur.	44	Quomodo Ecclesia illius præ-	
Judæus arena Baptizatus de-		cepti transgressionem nosse,	
nuo fuit aqua baptizandus.	45	ac punire possit	472
Triplicis est Baptismus	30	An Ecclesia potuisset præci-	
Baptismata sanguinis, et fla-		pere Confessionem, si eam	
minis non sunt sacramenta		liberam Christus reliquisset.	ib.
quoad signum, sed quoad		Quomodo sit computandus	
effectum	ib.	annus faciendæ Confessio-	
Baptismus non potest iterari,		nis	414
et esse multiplex.	32	Utrum qui non est Confessus	
		uno anno, statim teneatur	
		confiteri anno sequente	ib.
		Soli, et omnes baptizati adulti	
		tenentur Confiteri	475
		Dubium est de Infidelibus	476
		Quonam anno incipiat hæc obli-	
		gatio Confessionis, certo de-	
		terminari nequit	478
		Qui habet dumtaxat venialia,	
		forte non tenetur ad annum	
		Confessionem	479
		An venialium Confessionem	

C

Confessio.

Quæ sit Confessionis definitio	525
Confessio est de jure divino	
positivo	425
S. Jacobus non fuit auctor	
præcepti Confessionis, sed	
promulgator.	430
Confessionis onus leve est	450
Græci semper Confessionem	

<i>pag.</i>	<i>Contritio.</i>	<i>pag.</i>
præcipere possit Ecclesia, dubium est	Unde deducatur Contritionis nomen.	353
Sexdecim sunt conditiones ad perfectam Confessionem.	Quid proprie significet Con- tritio	355
Duplex est Confessionis integ- ritas: materialis scilicet, et formalis	Duplex est Contritio	356
Confessio auricularis, et se- creta fuit a Christo Domino instituta	Quænam requirantur ad per- fectam Contritionem.	357
Fieri potest Confessio per in- terpretem.	Qua ratione differant dolor, tristitia, et nolitio.	358
Omnia omnino peccata morta- lia debent aperiri in Con- fessione	Contritio potissimum consistit in detestatione peccati	360
Qualis, et quanta esse debeat conscientiæ inquisitio præ- via ad Confessionem.	Contritio fieri debet ex motivo charitatis.	361
Confessio non debet esse nec- essario integra materialiter	Contritio potest esse actus for- malis charitatis.	365
Non est dimidianda Confessio, ut celetur persona complex.	Quare actus Contritionis dum distinguitur a charitate, de- beat ab ea imperari	368
Declaratio personæ complicitis non est contra jus naturale.	Quandonam Contritio sola suf- ficiat ad remissionem pec- cati.	369
Nec obstat, quod Confessio inde fiat odiosa	Contritio perfecta habet vim statim justificandi etiam ex- tra Sacramentum	370
Non sequitur inde, quod etiam debeat revelare peccatum non complicitis	Contritio non debet esse sum- mus dolor intrinsece.	375
Non debet fieri talis revelatio absque necessitate.	Quo sensu S. August. dixerit Catechumenum quamvis pœnitentem non posse ju- stificari donec fuerit bap- tizatus	374
Non licet dimidiare Confessio- nem propter casus reserva- tos	Proponuntur, ac solvuntur oracula Scripturæ Sacræ, in quibus summus dolor vi- detur desiderari ad perfec- tam Contritionem	379
Moribundus potest licite ab- solvī, si distincte non fue- rit Confessus	Dolor Contritionis debet esse maximus appetitive	382
Nec tamen inde sequitur fieri posse Confessionem absenti.	Contritio omnia omnino pec- cata debet detestari	383
Qua ratione plurimi Theologi doceant licere confiteri Lai- co	Contritio urgente necessitate fieri potest in instanti	384
Quo sensu S. Chrysost. et Cas- sianus dixerint non esse con- fitendum homini	Non est necesse, quod Con- tritio fiat de singulis pec- catis	385
Qua ratione veteres Theologi asserant Confessionem non esse a Deo institutam	Non licet minus malum fa- cere, ut vitetur grandius	389
Quomodo omnia omnino pec- cata possint in Confessione aperiri.	Quomodo Contritio, et Attritio invicem conveniant, et di- stinguantur	391
Triplex est Confessio	Contritio solvit culpam ante alias partes Pœnitentiæ.	262
Diaconi possunt suscipere Con- fessionem publicam, non vero sacramentalem	<i>Calvinus.</i>	
	Calvinus docet peccata non elui per Baptismum	116

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
<i>Circumstantiæ.</i>			
Circumstantiæ peccatorum sunt triplicis generis . . .	489	Probabile est non reparari gratiam deperditam . . .	252
Confitenda sunt, quæ speciem mutant	ib.	Gloria repromittitur non tantum Gratia habituali, sed maxime bonis operibus. . .	ib.
Et illæ, quæ peccatum notabiliter aggravant	ib.	Gratia deperdita non est necessaria tamquam dispositio, ut merita reviviscant.	253
Circumstantiæ minuentes debent aperiri in confessione.	491	Cujus tamen sententia opposita est probabilis.	254
<i>Circumcisio.</i>			
Quatuor distinguuntur tempora Circumcisionis	28	Gratia potest augeri in ratione Gratia quamquam non augeatur, ut est qualitas . . .	255
Solvuntur adversariorum momenta	29	Duo sunt gratiæ sanctificantis munia	256
D			
<i>Deus.</i>			
Quis dici possit inimicus Dei tripliciter.	195	H	
Aliud est Deum non amare, et eum odisse	ib.	<i>Habitus.</i>	
Nolle amari a Deo contingit duobus modis	ib.	Habitus alii sunt intellectivi, alii appetitivi	172
Quomodo nomen <i>Genitoris</i> , discrepet a nomine <i>Patris</i> in Deo.	67	Qui rursus varie distribuuntur	ib.
E			
<i>Ecclesia.</i>			
Ecclesia potest statuere, ac præscribere usum Sacramentorum	469	I	
Non habet auctoritatem directam in actus internos	470	<i>Infidelis.</i>	
<i>Eleemosyna.</i>		Duplex est Infidelium genus. Infidelium filii varie considerari possunt	93 94
De quibus bonis fieri debeat eleemosyna	540	Judæi non debebant repudiare Legem Mosaicam, donec eis appareret inutilis	29
<i>Elementa.</i>		<i>Joannes.</i>	
Elementa non possunt elici per artem ex mixtis	48	Conservatio innocentia majus est beneficium, quam justitiæ deperditæ reparatio.	264
<i>Excommunicatio.</i>		<i>Justitia.</i>	
Duplex Excommunicatio apud S. Augustinum.	575	Quo sensu Doctor asserat justitiam vindicativam ad commutativam reduci	166
F			
<i>Fictio.</i>			
Quid fit Fictio, et quotuplex.	103	Justitia vindicativa potest esse in reo secundum executionem	167
<i>Furtum.</i>			
Per Furtum fit injuria proximo, non Deo	194	Involuntarium est triplex.	411
G			
<i>Gratia.</i>			
Triplex Gratia concurrat ad justificationem peccatoris; et quælibet dicitur vita.	345	Quid sit jus naturæ, divinum, et Ecclesiasticum.	421
		Cur potius Judex civilis possit absentem absolvere, quam sacramentalis	321
		Innocentia est præstantior, quam justitia reparata	265
		Duplex est ingratitude in peccato, una directa, quæ est speciale peccatum, alia indirecta, quæ tantum est peccati circumstantia.	266
		Plures sunt justitiæ species.	159

pag.

pag.

L

Lex.

Melius est, quod invitus quis servet Legem Christianam, quam permittatur male agere	105
Quomodo Lex Mosaica extincta sit in morte Christi.	29
Quomodo juste damnentur ii, quibus Lex Evangelica nondum illuxit	91
Lex naturæ non obligat in præjudicium Legis Evangelicæ	98

M

Martyrium.

Confert gratiam infantibus, et in adultis affectum exigit	37
Quomodo, et quando gratia producat per Martyrium.	38
Martyrium habet vim supplendi Baptismum	35
Quatuor ad perfectum Martyrium desiderantur conditiones	31

Medicamentum.

Quid sit malum vindicabile	168
--------------------------------------	-----

N

Necessitas.

Duplex est Necessitas rerum deservientium ad salutem, medii, et præcepti.	178
Duplex in ordine ad finem, ex natura rei scilicet, et ex ordinatione divina	ib.
Necessaria ex ordinatione Dei sunt duplicis generis	ib.
Necessitas duplex, medii, et præcepti	421

Novatiani.

Origo hæresis Novatianorum.	269
Quis, et qualis fuerit Novatus.	271
In pluribus Conciliis damnata fuit hæresis Novatiana	276
Quodnam fuerit Novatianorum dogma.	279

O

Objectum.

Objectum habitus est duplex, materiale, et formale.	167
Rursus materiale est, vel præ-	

cipuum, vel minus præcipuum	168
Duplex alicujus præcepti obligatio	470
Quadruplex auctorum sententia circa reviviscentiam bonorum operum	245
Opera bona mortificata reviviscunt	250
Peccata totaliter extinguuntur per Pœnitentiam, non vero opera meritoria per peccatum, ut colligitur ex parte divinæ misericordiæ, et justitiæ	248
Mors corporis, et animæ non conveniunt in omnibus	249
Opera mortificata reviviscunt quantum ad gloriam essentialem	250
Hominis opera sunt aut viva, aut mortua, aut mortifera, aut mortificata	244
Levis Dei offensa non meretur annihilationem	242

P

Pœnitentia.

Quid sit Pœnitentia.	147
Non est mera vitæ novæ institutio, sed dolorem de admissis peccatis importat	ib.
Quomodo Deus Pœnitere dicitur	148
Quam magna Pœnitentiæ virtus	142
Pœnitentia cur simul virtus, et Sacramentum	113
Cur prius de Pœnitentia ut virtute, quam ut Sacramento disseratur.	ib.
Unde deducatur Pœnitentiæ nomen.	114
Pœnitentia est duplex: habitualis, et actualis, quæ subdividitur, etc.	145
Quadruplex Pœnitentiæ descriptio	ib.
Et in quo ea Pœnitentia ab humana discrepet	148
Lactantius non negat Pœnitentiam includere dolorem.	149
Quomodo verbum <i>Pœnitet</i> idem significet, ac <i>tædet</i>	ib.
Pœnitere potest esse actus virtutis	ib.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Pœnitentia est vera virtus	151	Pœnitentiæ necessitatem ex præcepto divino	177
Quomodo voluntas revocandi actum præteritum sit laudabilis.	ib.	Quare citius quaerenda sit medela vulnerati corporis, quam animæ	196
Qua ratione Pœnitentia propter se expetatur	152	Tenemur sub præcepto agere Pœnitentiam instante morte	197
Pœnitentia est bona, licet habeat malum pro objecto	ib.	Per accidens tenetur homo pœnitere, quando suscipit, et ministrat sacramenta.	ib.
Quot actus concurrant ad Pœnitentiam.	153	Et quando urget gravis tentatio	198
Pœnitentia non est virtus generalis, sed spiritualis	ib.	Quam periculosum sit Pœnitentiam ad extremum vitæ exitum protrahere.	ib.
Pœnitentia sub diverso motivo tendit in objecta aliarum virtutum	154	Quam varius, quamque multiplex Pœnitentiæ fructus	200
Pœnitentia vitium omne excludit effective non formaliter	ib.	Pœnitentia ut virtus specialis non est absolute necessaria.	178
Pœnitentia non est virtus Theologica	160	Pœnitentia generatim sumpta necessaria est ad remissionem peccatorum de via ordinaria	179
Conditiones virtutis Theologicæ	ib.	Christus potuit peccata dimittere absque Pœnitentia	180
Qua ratione Pœnitentia tendat in Deum	ib.	Aliter peccatum dimittitur parvulis, aliter adultis	181
Pœnitentia non est virtus infusa	161	Ad remissionem peccati sufficit Pœnitentia virtualis	ib.
Nec propterea minus est sufficiens ad remissionem culpæ	162	De via extraordinaria remitti potest peccatum sine Pœnitentia	182
Pœnitentia est actus justitiæ. Non autem charitatis	163	Et per solum actum amoris Dei.	ib.
Quomodo Pœnitentia dicatur consistere in medio	164	Cui Scriptura S. attribuat vim justificandi	ib.
Pœnitentia est tantum virtus specialis, ut est voluntas vindicandi peccatum, non vero secundum alias acceptiones	155	Quare fides magis sit necessaria ad salutem quam Pœnitentia	183
Charitatis est detestari peccatum ut offensivum Dei.	156	Ad veram Pœnitentiam, et conversionem non sufficit vitæ innovatio.	184
Quare Pœnitentia definiatur interdum peccati detestatio.	157	Sed requiritur dolor de vita præterita	ib.
Pœnitentia non est virtus generalis per prædicationem. Neque per aggregationem.	ib.	Pœnitentia agenda est sub præcepto	188
Virtus Pœnitentiæ immediate est in voluntate	172	Ex quo præcepto Decalogi inferatur præceptum Pœnitentiæ.	189
Pœnitentia præsupponit iudicium intellectus, sed in eo non consistit	175	Impœnitens poterit damnari non ob neglectam Pœnitentiam	ib.
Expellit omnia peccata non formaliter, sed effective.	ib.	Pœnitentia non obligat statim, ac peccatum commissum est.	190
Potuit esse in statu innocentiae, et in Angelis.	ib.		
Tertullianus optime declarat			

<i>pag.</i>	<i>pag.</i>
Scriptura S. non præscribit contra dilationem Pœnitentia- tiae tamquam circa pecca- tum	191
Quamvis eam sub gravissimis pœnis prohibere videatur .	ib.
Pœnitentia cordis est duplex.	201
Utramque negat Lutherus .	ib.
Difficultas agendæ Pœnitentia- tiae in obdurato provenit ex parte sui, et ex parte Dei.	202
Pœnitentia obtinet remissionem eujuslibet peccati	ib.
Quare peccata filiorum Heli dicantur difficilis veniæ. . .	205
Quare inutilis fuerit Antiochi Pœnitentia	ib.
<i>Pœnitentia publica.</i>	
Triples erat Pœnitentia pu- blica imperata	552
Pridem in Ecclesia viguit mos cogendi peccatores publicos ad pœnitendum publice. . .	553
Etiam ad id invocato Princi- pum sæcularium auxilio . . .	554
Pœnitentia publica ab aliqui- bus publice petebatur	555
Quenam fuerit Pœnitentia so- lemnis.	556
Ejus egregium specimen exhibet S. Joannes cognomento Climacus.	558
Levior erat, et rarior Publica Pœnitentia ante Montani hæresim, ut constat exem- plo Pauli, et S. Joannis Evangelistæ, et ex libro Pa- storis, et ex Tertulliano . . .	561
Gravior autem, et acerbior, fuit post Montani tempora.	563
Quod fuerit erroneum ejus dogma de Pœnitentia	ib.
Quatuor postmodum distincti sunt Pœnitentiæ publicæ gradus, lamentantium, au- dientium, substratorum, et consistentium	564
Quibusnam in locis isti pœ- nitentes debebant.	566
Quæ fuerit apud veteres tem- pli in distinctas partes di- stributio	ib.
Lamentantes debebant sub dio, ideo appellabantur hye- mantes	ib.
Omnes illi quatuor gradus non erant necessario decurrendi.	566
Semel dumtaxat videtur con- cessa agendæ publicæ Pœ- nitentiæ facultas	567
Postmodum tamen plura pec- cata huic Pœnitentiæ subja- cuerunt; maxime ea, quæ per Leges civiles morte e- rant expianda	573
Peccata in tres classes anti- quitas distinguebantur, et quomodo curabantur.	569
Tria tantum criminum genera videntur fuisse primitus e- luenda per Pœnitentiam pu- blicam, ut docent Pacianus, et Tertullianus, et Sanctus Gregorius Nyssenus, et ex variis Canonibus probatur.	570
Pœnitentia publica pro solis publicis peccatis videtur fuisse præscripta	574
Quo sensu Patres triplicis ge- neris Pœnitentiam distin- guant	582
Pœnitentia publica pro solis gravioribus delictis fiebat etiam tempore Hugonis Vi- ctorini, et Hincmari Rhe- mensis.	ib.
Triples agendæ Pœnitentiæ ratio	584
Deus in pœnis non delectatur.	538
Quod magis pœnale est, magis non est meritorium et satisfactorium	ib.
Actus Pœnitentis sunt mate- ria proxima circa quam hujus Sacramenti, non au- tem partes essentielles, sed solum integrales	303
Sententia sola absolutionem, aut condemnationem signi- ficat	306
Duplex est Pœnitentiæ effe- ctus, peccatorum remissio, et bonorum operum revivi- scentia.	245
Sacramentum Pœnitentiæ est vita, et medicina	349
Per Sacramentum Pœnitentiæ vere culpa remittitur	340
Quo sensu Deus reprobet Pœ- nitentiam peccatoris	549


	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Quomodo pœnæ hujus vitæ sint æquales debito peccati.	519	determinata, sicut in Baptismo.	309
Error Wicleffi circa ministrum Pœnitentiæ, aliorumque errores	503	Duplex est Pœnitentia, una ante, et alia post Baptismum.	206
Diversæ sunt Sacramenti Pœnitentiæ appellationes	282	Quare Esau non potuerit effectum Pœnitentiæ assequi.	207
Pœnitentia sumitur pro habitu actu, et signo sacro	283	Quare S. Augustinus arguat eos, qui dicebant: Ego remitto tibi peccata.	329
Sacramentum Pœnitentiæ non fuit in Lege naturæ, et Moysis.	ib.	Quotuplex error circa remissionem peccatorum	201
Pœnitentia et Sacramentum proprie dictum.	284	Nulla fuit controversia inter Græcos, et Latinos circa formam Sacramenti Pœnitentiæ.	325
Potestas dimittendi peccata distinguitur a potestate prædicandi Evangelium	294	Forma Sacramenti Pœnitentiæ exprimi potest aliis verbis	314
Per Pœnitentiam non solum peccata declarantur remissa, sed revera remittuntur	295	Manus impositio non est necessaria in Sacramento Pœnitentiæ	315
Quo sensu Pœnitentiæ Sacramentum constet re sensibili	ib.	Actus pœnitentis sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ	302
Sacramentum Pœnitentiæ distinguitur a Baptismo	297	Qua ratione unum peccatum ad aliud pelliciat	194
Distinguitur etiam a Pœnitentia, quam prædicabat S. Joannes	298	Pœnitentia non est justitia commutativa	164
Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum immediate instituit post suam resurrectionem	299	Neque distributiva, sed vindicativa	165
Quodnam sit objectum immediatum, in quod tendit Pœnitentia	169	Quomodo quis manere possit in peccato sine nova complacentia	196
Quomodo actus Pœnitentiæ possit esse illius objectum	ib.	Non velle agere Pœnitentiam est velle peccatum	ib.
Quodnam sit objectum remotum Pœnitentiæ	170	Quid sint peccati reliquiæ, controversitur	617
Pœnitentia alio modo tendit in peccatum, quam aliæ virtutes	171	Quo sensu plus donetur Pœnitenti, quam innocenti.	264
Peccatum ut vindicabile est objectum Pœnitentiæ.	ib.	Quandonam urgeat præceptum de correctione fraterna facienda	193
Quomodo jus divinum attendatur a Pœnitentia	172	<i>Pascha.</i>	
Dilatio Pœnitentiæ non pugnat directe in amicitiam Dei	195	Quare parentis voluntas sufficiat ad peccatum, quo filius inquinatur	93
Sacramentum Pœnitentiæ impugnatum fuit a pluribus hæreticis	268	Quomodo parvuli habeant jus ad regnum cælorum	85
Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ formaliter	307	<i>Peccatum.</i>	
Cur in Sacramento Pœnitentiæ non requirantur verba		Quo sensu Scriptura sacra dixerit peccata semel dimissa iterum revocari	260
		Explicatur parabola debiti dimissi, et iterum petiti a servo nequam	261


<i>pag.</i>	<i>pag.</i>		
Quomodo peccatum veniale remittatur	230	Nullum est, cujus venia non possit obtineri	216
Quare potius quis possit expiare peccatum post mortem quam illud admittere	231	Unum peccatum mortale non remittitur absque alio	218
Peccata venialia in morte remittuntur virtute meritorum præcedentium	232	Per charitatem magis intensam peccata dimittuntur quantum ad pœnam, non quoad culpam	219
Per Pœnitentiam vere dimittitur pœna æterna	233	Potest tamen absolute unum peccatum remitti sine alio.	220
Controvertitur inter Catholicos, et Hæreticos de pœna temporali	ib.	Peccatum veniale multis modis dilui potest.	ib.
Triplex sententia circa pœnam veniali debitam.	ib.	Pœnæ illatæ propter peccata sunt multiplices	117
Dimisso reatu culpæ adhuc interdum remanet reatus pœnæ	234	Peccatum in justificatione revera remittitur.	338
Quare remaneat reatus pœnæ, sublato reatu culpæ	239	Ut remittantur venialia prærequiritur status gratiæ sanctificantis.	226
In detestatione alii actus, maxime propositum non peccandi, includuntur virtualiter	362	Ut remittatur veniale non requiritur novæ gratiæ infusio	228
Fieri potest remissio peccati sine proposito non peccandi imposterum	364	Gratia actualis necessaria est ad remissionem venialis	ib.
Redeunt peccata ratione circumstantiæ ingratiitudinis, et inconstantiæ.	262	Sacramentalia aliter prosunt justis et aliter peccatoribus.	229
Quo sensu Deus dixerit se non exauditurum peccatorem	205	Interdum remissio venialium non supponit statum gratiæ existentis.	ib.
Qua ratione S. Paulus dixerit aliquos non posse renovari ad Pœnitentiam.	206	Veniale opponitur nunc perfectioni supernaturali	ib.
Peccatum veniale non est sola obligatio ad pœnam	221	Peccatum dimissum dici posset redire, vel secundum entitatem physicam, vel secundum moralem deformitatem.	256
Peccatum veniale remittitur per Pœnitentiam	222	Peccato veniali non debet infligi pœna æterna.	240
Quomodo actus charitatis, et devotionis opponantur peccato veniali.	ib.	Quo sensu Deus solus dicatur peccata remittere	343
Deletur etiam per receptionem Sacramentorum, et etiam per quodlibet opus meritorium	ib.	Idem Peccatum potest habere diversam circumstantiam ingratiitudinis.	264
Sola peccata commissa post Baptismum sunt matéria remota Pœnitentiæ	303	<i>Præceptum.</i>	
Facilitas veniæ non præbet incentivum peccandi.	296	Præcepta divina sunt vel affirmativa, vel negativa	187
Quo sensu peccatum in Spiritum sanctum dicatur irremissibile	209	Affirmativa semper aliqua negativa habent annexa	188
Quodnam sit peccatum ad mortem	215	Dupliciter impleri possunt	ib.
		<i>Potestas.</i>	
		Quomodo potestas remittendi peccata in sanctum Thomam absentem fuerit derivata	300
		Christus Dominus similem non vero eandem omnino,	


	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
quam habebat, auctoritatem dedit Apostolis	301	Quam impie hæretici de satisfactione censeant	528
Potestas absolvendi est triplex, principalis, eminentialis, et ministerialis	339	Necessaria est satisfactio	ib.
R		Præcluditur hæreticorum effugium	531
<i>Religio.</i>		Satisfactio non derogat merito Christi	ib.
Religio tota ordinatur ad Dei gloriam	155	Neque tribuit nimium nostris operibus	532
<i>Remissio.</i>		Tribus maxime operibus satisfaciunt pro peccatis	ib.
Cur potius suspendatur Remissio quoad pœnam, quam quoad culpam	338	Homo potest Deo satisfacere	533
Revocatio offense non est formaliter reconciliatio	306	Opera Satisfactoria debent esse honesta	534
S		Opera Satisfactoria debent etiam esse libera	535
<i>Sacerdos.</i>		Opera Satisfactoria debent etiam esse pœnalia	535
Aliter Sacerdotes novæ Legis peccatores Deo reconciliant quam Legis veteris	326	Potest fieri Satisfactio per opus internum	538
<i>Sacramentum.</i>		Opera Satisfactoria ad triplex genus reducuntur	539
Quid sit materia sacramentalis	40	Quænam oratio possit esse Satisfactoria	540
Duplex est materia sacramentorum	41	Quænam pia opera sint magis Satisfactoria	ib.
Sacramentalia habent vim delendi peccatum veniale	224	Potest fieri Satisfactio per flagella divinitus immissa	541
Non ex se, sed ex pio motu, et affectu ea sibi applicantis	225	Unde illa possunt injungi in Satisfactionem	543
Utrum sacramentalia remittant veniale ex opere operato	ib.	Fieri posse Satisfactionem per opera aliunde præcepta non est improbable	544
Probabilior est pars negativa	ib.	Quando illa opera habeant multiplicem bonitatem	ib.
Quot, et quæ sint sacramentalia	220	Satisfactionem in statu peccati non esse inutilem docet Doctor	546
Non omnia verba, quæ Christus Dominus protulit instituendo Sacramenta, sunt de eorum essentia	314	Ad validam Satisfactionem non requiritur status gratiæ absolute	548
Omnes partes Sacramenti non constituunt ex æquo illius essentiam	302	Duplex est Satisfactio, una solutiva debiti, altera meritoria	ib.
Effectus Sacramenti varie considerantur	617	Satisfactio in statu peccati est solutiva de condigno	550
<i>Satisfactio.</i>		Qualiter hæc assertio sit accipienda	ib.
Satisfactio primo intenditur in Pœnitentia	525	Duplex est Satisfactio, Sacramentalis, et Canonica. Hæc est vel particularis, vel publica	ib.
Quid significet nomen satisfactionis	526	Publica iterum duplex: una ante, altera post Baptismum	ib.
Variis modis usurpatur	ib.	Quis scopus præsentis dissertationis	552
Quomodo distinguatur a satisfactione, et restitutione	527		
Quæ sit definitio satisfactionis	ib.		


<i>pag.</i>	<i>pag.</i>
In Inferno potest esse Satisfactio punitiva non reconciliativa 243	Quomodo Virtus inferat delectationem 153
<i>Sigillum.</i>	Virtutes sunt in triplici differentia 158
Sigillum Confessionis est servandum de Lege Ecclesiastica, et etiam de Lege naturæ 515	Unde Virtus dicatur moralis. 159
Non quia Sacerdos revelans mentiretur, sed propter alias rationes 516	Virtus dicitur consistere in medio quatuor modis . . . 164
Obligatio ad sigillum provenit etiam ex Lege divina, et positiva 517	Duplex est Virtutis objectum. 173
Secretum Sigillum non est contra charitatem. 518	Quid, et qualis sit Virtus appetitiva ib.
Neque contra conscientiam Confessarii ib.	<i>Unctio.</i>
Quomodo Sacerdos possit declinare sibi paratas insidias, quas novit per Confessionem 519	Extrema Unctio est veluti Pœnitentiæ complementum . . 592
Quam grave peccatum sit Sigilli revelatio 520	Quadruplex est principalis Unctio in Ecclesia. 1. Fit in Baptismo. 2. In Confirmatione. 3. In extrema infirmitate. 4. In omni morbo. 593
Non licet uti scientia habita in Confessione, neque revelare Confessionem etiam ad instantiam Pœnitentis, nisi extra Confessionem illud aperiatur 521	Extremam Unctionem ex Sacramentorum numero respuebant hæretici. 594
Quinam cum Confessario teneantur ad Sigillum. ib.	Aliqui Theologi contendunt eam non fuisse a Christo institutam ib.
Oritur Sigillum ex omni Confessione sacramentali, sive valida, sive invalida. . . . 524	Extrema Unctio est verum Sacramentum 595
<i>Spalatensis.</i>	Quam dispar sit Extrema Unctio ab Unctione Hæreticorum, et Ethnicorum. . . . 599
Declaratur erronea, et hæretica sententia Spalatensis. 351	Quomodo Extrema Unctio peccatum remittat. ib.
Spiritus sanctus datus erat modo invisibili ante Christi Passionem 21	Epistolam S. Jacobi ut Canonicam pridem agnovit Ecclesia ib.
Explicantur SS. Patres contrarium dicentes ib.	Sacramentum hoc fuit a Christo Domino institutum . . . 600
T	Quo sensu audiendi sint, qui videntur contrarium asseruisse 601
<i>Tenebræ.</i>	Fuit hoc Sacramentum institutum dumtaxat post Christi Passionem, cui assertioni non contradicit Concilium Tridentinum, nec Subtilis Doctor. ib.
Eadem Tenebræ non possunt redire naturaliter 262	Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum. 603
<i>Theodoretus.</i>	Materia proxima est Unctio. 604
Duplex timor per charitatem foras mittitur 396	Materia legitima est oleum olivarum, cui potest admisceri Chrisma. Debet esse benedictum ab Episcopo . 605
V	Vel a Sacerdote per commissionem, quod facere solent Sacerdotes Græci. 607
<i>Virtus.</i>	Materia proxima est Unctio,
Quid sit Virtus 146	
Quadrupliciter dicitur Virtus generalis. ib.	


	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
quæ debet esse septuplex, nisi obstet indecentia, vel necessitas.	608	Non ordinatur ad remissionem mortalis	620
Forma Extremæ Uctionis est deprecativa	611	Nisi dumtaxat per accidens	622
Propter quadruplicem rationem, nec minus producit gratiam ex opere operato; licet dicatur oratio fidei, potest tamen esse indica- tiva, ut constat ex forma Ambrosiana, et Veneta, nec Concilia damnant, neque Sanctus Jacobus	ib.	Explicantur alii effectus	623
Quænam particulæ sint essen- tiales	613	Sanitas corporis est etiam ef- fectus hujus Sacramenti	ib.
Singulas Uctiones conferre gratiam specialem negant Thomistæ, et Recentiores plurimi	614	Sed tantum intentus per ac- cidens	624
Sed affirmamus nos cum Sub- tili Doctore	615	Minister est solus Sacerdos	ib.
Extrema Uctio habet potis- simum quinque effectus.	616	Cujus contrarium non docet Innocentius primus	625
Extrema Uctio maxime ordi- natur ad curationem pec- cati venialis, ut optime do- cet Seraphicus Doctor	618	Non requiruntur plures Sa- cerdotes, ut perperam do- cent Græci recentiores, quod optime refellit Arcudius	626
Et probatur ratione petita ex verbis formæ, et Concilii Tridentini	619	Ab unico Sacerdote integra est administranda, de licen- tia tamen proprii Pastoris	627
		Conferri debet solis Baptiza- tis, viatoribus adultis, non autem parvulis.	628
		Concedi tamen potest quibus- dam amentibus.	629
		Solis infirmis debet conferri.	ib.
		Traditur, et expenditur defi- nitio Extremæ Uctionis a Doctore cui concinit Cate- chismus Romanus.	ib.














micus
100

UNIVERSITY OF MEDIAEVAL S
2 BUNGLOW PLACE
TORONTO 6, CANADA

1001

